


~~4. 33=3.~~

-4

Biblioteca Universitaria
GRANADA
Sci. <i>A</i>
Estad. <i>17</i>
Tomo
Número <i>134</i>

1899

18



2 400 40 **Galfer** MADE IN SPAIN

B-6709



F. Chauveau, In.

J. Langlois Sculp.

P. TERENTII

CARTHAGINIENSIS AFRI
COMOEDIÆ SEX.


INTERPRETATIONE ET NOTIS ILLUSTRAVIT
NICOLAUS CAMUS F. U. D.

JUSSU CHRISTIANISSIMI
REGIS,
IN USUM SERENISSIMI
DELPHINI.



PARISIIS,
Apud FREDERICUM LEONARD Typographum Regis,
Serenissimi Delphini, & Cleri Gallicani, viâ Jacobæ,
M. DC. LXXV.
CUM PRIVILEGIO REGIS.





SERENISSIMO
GALLIARUM
DELPHINO
LUDOVICI MAGNI
FILIO.

DERENTIVM Tibi,
DELPHINE SERE-
NISSIME, *cum notis ac*
commentariis recens editum,
eâ, quâ par est, reverentiâ, offero;
munus, ut spero, non ingratum; tunc
â iij

EPISTOLA.

quia tuos in usus paratum est, tum quia genus hoc amœniorum litterarum lubens ac letus excipis. Quanti Poëtam hunc à teneris penè unguiculis æstimàris, tam omnibus notum est, quàm Tibi gloriosum. Hujus Tu fabulas nocturnà, diurnaque manu versabas, lepidos ubique sales bellè supra ætatem mirabaris, & tam venustè recitabas, quàm ille scripserat eleganter. Hunc ergo Regio nomini tuo inscribendum duxi, quem Tu præ cæteris Latinæ Linguae auctõribus didicisti; ut quantum Tibi attulit fructus & voluptatis, tantum ei gratiæ referas ac præsidii. Is enim jam es, DELPHINE SERENISSIME, qui ingenia quanta sint, tanti æstimes; & doctorum hominum famam tuo non tantum pa-

EPISTOLA.

trocinio, sed etiam iudicio tuearis. Hinc fit ut magna commendatio, magnum laudis publicæ præjudicium sit, Tibi nondum adolescenti placuisse. Quod quidem in Te præstitit sapiens ac sedula pueritiæ tuæ institutio. Quamquam enim inest Tibi quidquid summis Principibus conferre fortuna aut natura potest, Natalium splendor & longà Regum serie ducta generis claritudo, dignitati forma conveniens, vivida erectaque indoles, mira ingeniorumque felicitas, Virtus propria quam exerceas, paterna quam imiteris; majus tamen aliquid institutio contulit, sapientiam; ita natus es, ut Maximi Reges solent, ita educatus ut Optimi. Ecqua enim fuit unquam sollicitior, aut sanctior in Aulis disciplina? Deum ac Pa-

EPISTOLA.

entes colere, servare modum in rebus, blandas adulantium fraudes rejicere, tribuere suam cuique laudem, benignè singulos ac liberaliter excipere, dare operam studiis litterarum, & quidquid est bonarum artium animo complecti; hæc sunt sapientiæ monita, quæ & lubenter audis, & spontè sequeris. Hinc ego in eam spem facile adducor, Te hoc qualecumque sit munusculum, non esse despecturum; quippe nec tua id sinet humanitas, quæ summa est, nec tuus in rem litterariam amor, qui quotidiano studiorum usu alitur, & augeatur. Accipe ergo, DELPHINE SERENISSIME, venustissimi Poëtæ Comœdias, in quibus & Latini sermonis elegantiam, & vivam morum, civilisque sapientiæ imaginem, & urba-

EPISTOLA.

nos, non unius modò Comici, sed virorum etiam in Romanâ Republicâ Principum, Lælii, ac Scipionis, jocos invenias. Servent Te diu fata Regi & Regno incolumem, & Ludovico Magno Parenti tuo parem Te præstent, quia majorem non possunt. Hæc sunt vota,

DELPHINE SERENISSIME,

Devotissimi & humillimi Servi tui
FREDERICI LEONARD.



PRÆFATIO.

NEC intempestivis Terentii laudibus, nec ambitiosâ hujus Commentarii commendatione morabor Te, LECTOR BENEVOLE: scilicet alterum jam satis nosti; alterius penes Te judicium esto. Neque enim is ego sum, qui magnifico sermone famam prævertere postulem, nec Tu is es, qui, etsi postulem, imprudens assentias. Id unum ergo Te monitum velim, quâ causâ, quôve consilio, tot simul prodeant in lucem cum Interpretationibus & Notis Latini Auctores; quo præsidio, quibûsve opibus tantus Labor processerit; quis denique in republicâ literariâ futurus sit earum lucubrationum usus, ut Tibi universi Operis ratio constet, & rem non tam laudare me putes, quàm exponere.

DELPHINUM ex Augustissima RE-

P R Æ F A T I O .

GINA cùm suscepisset LUDOVICUS MAGNUS , id sibi negotii dari credidit , ut & Patrem simul ageret & Regem: & quanquam publicis rebus erat occupatissimus, ita domesticis incubuit , ut dum Regnum amplissimum parat Filio, Regno Filium pararet sui similem , aut si quid eo posset, amplius. Exemplis id coepit suis , quæ magna sunt ad laudem incitamenta : quæsiuit deinde qui Augusti Pueri pectus optimis moribus, animum excoleret liberalibus disciplinis. Mox Nobilissimum Carolum Sam-Mauræum Montauserii Ducem in eas curas accivit , Virum domi & militiæ egregium , veri rectique tenacem , omnibus ingenii ac doctrinæ opibus instructum , cujus spectatæ fidei ac virtuti spes publicas , suasque tutò committeret. Ille continuo huic uni rei totum se dedere ; moderari Principis pueritiam ; ætati teneræ quæ convenirent , ea curare omnia ; quæ usui olim esse possent , providere ; omni denique operâ & diligentiam promovere erectam ac vividam indolem , quæ spem uberis fructûs induxerat , ubi maturesceret : interea quæ commodior & expeditior discendarum litterarum ratio esset , excogitabat ; tum quia sublevandus est tot ærumnis Principum animus , laboris plerumque minùs patiens , tum quia ad

P R Æ F A T I O .

graviore Reipublicæ curas properantibus compendia quædam studiorum quærenda sunt. Exploraverat , ut est in evolvendis veterum monumentis exercitatissimus, multorum Interpretum incuriam, obscuram multorum diligentiam. Placuit demum Latinos omnes Auctores excudi cum Commentariis , breviter quidem , sed tamen dilucidè ac diligenter compositis. Magnificum id quidem duxit, totum quodammodo Latium renovare : & dum unius Principis institutioni consulit , de universis litteris benè mereri. Celebrioribus ergo Grammaticis mandatam opus : statutus suus cuique labor , decreta pro labore cujusque merces ; datum singulis interpretandi specimen.

E A imprimis cura fuit , ut Auctorum textus quàm emendatissimus ederetur ; glossa deinde quæ simplici ac nitido verborum contextu abditos sensus explicaret , implicatas periodos retexeret , inversas in ordinem suum revocaret , & carminum legibus ac numeris adstrictas solveret. Ita tamen ut nec liberiùs excurreret in Paraphrasim , nec quid prætermitteret quod tyronum animos juvare posset ; ipsorum Auctorum verbis adhibitis , ubi essent satis nota ; substitutis facilioribus , ubi minùs essent facilia. Additæ sunt etiam Notæ,

PRÆFATIO.

quæ reconditas figuras, & si quid esset antiqui moris, aut historiæ veteris, aut fabulæ, sine ullo fastu verborum illustrarent. Neque enim hîc licuit vanas obtrudere conjecturas, aut minutas correctiunculas ad fastidium usqueingere, aut operosis Criticorum nugis Lectoris animum fatigare magis quàm erudire; quæ plerumque, aut mera sunt ludibria, aut vana ingenii ostentamenta. Id tantùm propositum est, SERENISSIMI DELPHINI, publicisque servire commodis, è veterum Commentariorum copiâ excerpere quæ quisque adnotaverit appositè, nec tam res novas proferre, quàm necessarias; quod quidem curam magis quàm acumen ingenii, aut reconditam eruditionem postulat.

IN hâc Palæstrâ multi desudarunt, fortè non pari industriâ: qui metam attigerint, qui non, tutè existima; & sin minùs successum operis, saltem consilium adproba. Interea hâc interpretandi Arte utere, quam nos Augusto Principi velut subsidiariam, postquam ampliorem & doctiorem acceperit ab Illustrissimo & Reverendissimo Condomensi Episcopo Præceptore suo, Viro Litterarum omnium, tum sacrarum, tum sæcularium peritissimo. Emendatiores profectò ii Commentarii prodirent, si Nobilissimus HUETIUS consum-

PRÆFATIO.

matae doctrinæ Vir, Principis Propræceptor, ut universum Opus dirigere, ita singulas ejus partes recognoscere potuisset. Quod ad Terentium hunc attinet, LECTOR, primus omnium est editus, velut in experimentum rei; & immaturâ Commentatoris sui morte Typographis traditus, nondum suis omnibus numeris absolutus. Atque ita si quid incastigati irrepsit, quod non abnuerim, velim tuâ humanitate indulgeas, aut dexteritate tuâ illud emendes. Donati Commentarios, & locupletissimos Indices addidimus, ut intelligas in hoc perficiendo opere curam saltem ac diligentiam non defuisse. Vale.



PROLEGOMENA TERENTIANA.

P. TERENTII VITA, EX SUETONIO.

PTERENTIUS Afer, Carthagine natus, servivit Romæ Terentio Lucano Senatori, à quo ob ingenium & formam, non institutus modò liberaliter, sed & maturè manumissus. Quidam captum esse existimant, quod fieri nullo modo potuisse, Fenestella docet; cum in fine secundi belli Punici, & ante initium tertij natus sit & mortuus: nec si à Numidis aut Gerulis captus sit, ad ducem Romanum pervenire potuisset; nullo commercio inter Italicos & Afros, nisi post deletam Carthaginem, cœpto. Hic cum multis Nobilibus familiariter vixit, sed maxime cum Scipione Africano, & cum Lælio: quibus etiam corporis gratiâ conciliatus existimatur, quod ipsum Fenestella arguit: contendens utroque majorem natu fuisse; quamvis Cornelius Nepos æqualeis omneis fuisse tradat, & Porcius suspitionem de consuetudine per hæc faciat:

*Dum lasciviam nobilium & fucosus laudes petit,
Dum Africani voci divina inhiat avidis auribus,
Dum ad Furium se canitare & Lælium pulcrum putat,
Dum se amari ab hisce credit, crebro in Albanum rapi
Ob florem ætatis suæ; ad summam inopiam redactus est.
Itaque è conspectu omnium abiit, in Græciam, terram ultiram.
Mortuus est Stryphalo Arcadia oppido. nil Publius
Scipio profuit, nihil ei Lælius, nil Furius,
Tres per idem tempus qui agitabant nobiles facillime.
Eorum ille opera ne domum quidem habuit conductitiam,
Saltem ut esset, quò referret obitum domini servoulus.*

Scrisit comœdias sex: ex quibus primam Andriam cum ædilibus daret, jussus ante Cæcilio recitare, ad cœnantem cum venisset, dictus

PROLEGOMENA TERENTIANA.

est initium quidem fabulæ, quod erat contemptiore vestitu, subsellio, juxta lectulum residens, legisse: post paucos verò versus, invitatus ut accumberet, cœnasse unà: deinde cætera percurrisse; non sine magna Cæcilij admiratione. Et hanc autem & quinque reliquas æqualiter populo, probavit. Quamvis Volcatius de enumeratione omnium ita scribit:

Sumetur Hecyra sexta ex iis fabula.

Eunuchus quidem bis acta est, meruitque pretium quantum nulla antea cujusquam comœdia, id est, octo millia nummum. Propterea summa quoque titulo adscribitur. Nam Adelphorum principium Varro etiam præfert principio Menandri. Non obscura fama est, adjutum Terentium in scriptis à Lælio & Scipione, quibuscum familiariter vixit. Eandem ipse auxit. Nunquam enim, nisi leviter, se tutari conatur, ut in prologo Adelphorum:

*Nam quod isti dicunt malevoli, homines nobiles
Hunc adiutare, assidueque unà scribere:
Quod illi maledictum vehemens existimant,
Eam laudem hic ducit maximam; cum illis placet;
Qui vobis universis & populo placent.
Quorum opera in bello, in otio, in negotio,
Suo quisque temporis usu est sine superbia.*

Videtur autem se levius defendisse, quia sciebat, Lælio & Scipioni non ingratis esse hanc opinionem: quæ tamen magis & usque ad posteriora tempora valuit. Q. Memmius in oratione pro se ait: P. Africanus, qui à Terentio personam mutuatus, quæ domi luserat ipse, nomine illius in scenam detulit. Nepos auctore certo comperisse se ait. C. Lælium quondam in Puteolano Kalendis Martiis admonitum ab uxore, temporibus ut discumberet, petiisse ab ea, ne interpellaretur: serius tandem ingressum triclinium, dixisse, non scire, in scribendo magis successisse sibi: deinde rogatum ut scripta illa proferret, pronunciaffe versus qui sunt in Heautontimorumeno.

Sati' pol' proterve me Syri promissa huc induxerunt.

Santra Terentium existimat, si modò in scribendo adjutoribus indigerit, non tam Scipione & Lælio uti potuisse, qui tunc adolescentuli fuere, quam Sulpicio Gallo, homine docto, & qui consularibus ludis initium fecerit fabularum dandarum: vel Q. Fabio Labeone, & M. Popillio, consulari utroque ac poëta. ideo ipsum non juvenes designasse, qui se adjuviffe dicerentur: sed viros; quorum operam &

PROLEGOMENA TERENTIANA.

in bello, & in otio, & in negotio populus sit expertus. Post editas comœdias nondum quintum atque trigessimum egressus annum, causâ evitandæ opinionis, quia videbatur aliena pro suis edere, seu percipiendi Græcorum instituta moresque, quos perinde exprimeret in scriptis; egressus urbe est, neque amplius rediit. De morte ejus Volcatius tradit:

*Sed ut Afer sex populo edidit comœdias,
Iter hinc in Asiam fecit; navim cum semel
Conscendit; visus nunquam est: sic vitâ vacat.*

Q. Consetius redeuntem è Græcia periisse in mare dicit, cum centum & octo fabulis conversis à Menandro. Cæteri, mortuum esse in Arcadiæ Stymphalo, sive Leucadia, tradunt, Cn. Cornelio Dolabella, M. Fulvio Nobiliore consulibus, morbo implicitum, acri dolore ac tædio amissarum fabularum, quas in navi præmiserat, ac simul fabularum, quas novas fecerat. Fuisse dicitur mediocri statura, gracili corpore, colore fusco. Reliquit filiam, quæ Equiti Romano nupsit. Item hortulos sex jugerum, via Appia, ad Martis villam, quo magis miror Porcium scribere:

———— Nil Publius

*Scipio profuit, nihil ei Lælius, nil Furius,
Tres per idem tempus qui agitabant nobiles facillime.
Eorum ille opera ne domum quidem habuit conductitiam,
Saltem ut esset quod referret obitum domini servulus.*

Hunc Afranius quidem omnibus Comicis præfert; scribens in comitalibus:

Terentio non similem dices quempiam.

Volcatius autem non solum Nævio, & Plauto, & Cæcilio, sed Licinio quoque postponit. Cicero in Limone hæcenus laudat:

*Tu quoque, qui solus lecto sermone Terentij,
Conversum expressumque Latina voce Menandrum
In medio populi sedatis vocibus effers,
Quidquid come loquens, ac omnia dulcia dicens.*

Item C. Cæsar,

*Tu quoque tu in summis & dimidiare Menander!
Poneris; & merito, puri sermonis amator.*

PROLEGOMENA TERENTIANA.

*Lenibus atque utinam scriptis adjuncta foret vis
Comica, ut equato virtus polleteret honore
Cum Græcis, neque in hac despectus parte jaceres.
Vnum hoc maceror & doleo tibi deesse Terenti.*

Hæc Suetonius Tranquillus. nam duos Terentios Poëtas fuisse scribit Metius : quorum alter Fregellanus fuerit Terentius Libo : alter Libertinus Terentius, Afer patria, de quo nunc loquimur. Scipionis fabulas edidisse Terentium, Valgius in Actæone ait :

*Hæc quæ vocantur fabula, cuius sunt?
Non hæc. quia jura populis recensens dabat
Honore summo affectus, fecit fabulas?*

Dux ab Apollodoro translata esse dicuntur Comico; Phormio, & Hecyra; quatuor reliquæ à Menandro: ex quibus magno successu & pretio stetit Eunuchus: Hecyra sæpe exclusa, vix acta est.

TANAQUILLI FABRI NOTULÆ
AD VITAM TERENTII.

[EX SUETONIO.]

ALII, [EX ÆLIO DONATO.] quod falsum. Iraque id mutatum volui.

Dum lasciviam.] Versus lepidissimi sunt; & sane digni qui & iterum & iterum legantur, & amentur diu. Sunt autem illi Trochaïci tetrametri catalectici, ut bene multi apud Terentium. Iste, profecto, Porcius, horum versuum auctor, homo fuit suavissimi ingenij, & quem Gratia nascentem placide & amanter viderant; sed, malum! ille nobis periit, & tot hodie venena, pestes, & carcinomata Poëtarum supersunt. Ceterum, ne quis existimet (*lasciviam*) hoc loco id esse quod in sermone nostro sonat, nam *lascivia*, hinc quidem, nihil aliud significat quam lusus liberiores, jocos, convivia, & quæ id genus alias tenuiculis hominibus non licent; summis autem viris, qui eleganti ingenio sint præditi, ea & licent, & bene succedunt.

Dum ad Furium se coenitare, & Laliuum, pulchrum putat.] Crederes esse jambicum tetrametrum: at non est. Nam Poëta *Furium* fecit dissyllabum per synizesin; etsi nomen illud, tamen, sit trissyllabum, ut ex versibus infra positus, & Horatio constat:

PROLEGOMENA TERENTIANA.

Furium hibernas cana nive conspuit Alpes.
Rapi.] Absolutum est, neque ab alio verbo regitur; alioqui contra rationem faceret Poëta. *Rapi* autem est, rhedâ aut equo vehi; Horatius, ubi de illo suo itinere agit. Serm. 5. lib. 1.

Quatuor hinc rapimur viginti & millia rhedis.
Saltem ut esset quod referret obitum domini servulus.] Hic versus elegantia sua exuperat ceteros. Quid enim venustius dixeris, quam, *Emi domum*, saltem ut sit locus quo servulus post obitum domini rediens, & fores pultans suspirabundus & gemens, atque exanimatus, dicat:

*Heus, aperite, aperite aliquis, herus est mortuus;
Nunc cicer, heu!
Nunc periere & allia,
Pernaque putrida, cæpaque,
Omnia nostris
Ventricellis
Quæ solebant
Esse viatica.*

Illam nobis

Cum domino periere simul, simul.

Heus, properate, aperite aliquis, herus est mortuus,

Eunuchus quidem bis acta est] Error. Quis enim? An tantum bis acta est Terentij Eunuchus? Ego millies arbitror. Lege igitur, ut cuiusdam visum: (*bis die acta est.*) quæ præcipua Fabulæ laus, ut cum mane acta sit, ea in vesperam à spectatoribus efflagitetur.

Propterea summa quoque Titulo adscriptum] Mutila itaque est Didascalica. Ibi enim nihil tale legitur.

Kalendis Martiis admonitum ab uxore] Cur Kalendis Martiis? quia eo die regnum matronarum erat. Vide Ovid. in Fastis, & Horatij Oden, cujus initium est:

Martiis celebs quid agam Kalendis.

Ad eam dicunt Interpretes quod dici oportuit.

Consularibus ludis] Conjecit Muretus, (*Consularibus ludis*) De iis ludis Plutarchus in Romulo, ut & Livius initio historiæ. Sed mihi longè aptius videtur corrigere, *Cerealibus*, qui ludi in Circo celebrabantur magna & accuratissima pompa; iisque Ædiles præerant. Adde quod haudquaquam verisimile sit, Fabulas datas non fuisse prius in ludis istis, quos Romanos vocat Muretus. imo & contra facit Livius; at ego scio in Cerealibus ab initio non fuisse comædias; quia scilicet ludi tristiores erant; sed post secundum bellum Punicum aliquid in iis mutatum fuisse non sine ratione suspicari possis ex veteri historia.

In Limone] Quid sit Græcè Leimon notissimum est, iis certe qui vel Homerum legerint. Ego autem, quantum conjectura possum asse-

PROLEGOMENA TERENTIANA.

qui, sic existimo; hic M. Tullij Ciceronis liber nihil aliud continebat nisi Epigrammata in viros claros, quocumque in genere præstantiæ sibi nomen parassent. Itaque cum de multis aliis prius dixisset Cicero, ab his verbis incepit: *Tu quoque*. At Julius Cæsar, qui Ciceroni æmulabatur, idem argumentum aggressus est; sic itaque & ipse incepit: *Tu quoque*. Sunt qui existimant hos versus à Grammaticis confictos olim fuisse; non arbitror: sunt enim nimium Latini & nimium ingenui. Adde quod & Aufonius, qui sub Gratiano Imperatore floruit, eos imitatione dignatus est in protreptico ad Nepotem.

Tu quoque, qui Latium lecto sermone, Terenti, &c.

Quod observare decuerat, non autem Latinissimos versus dammare.

Solus lecto sermone.] Id est, qui solus, inter veteres lecto, terfo, venusto, atque eleganti sermone uteris. Quæ laus, ô Musæ! à tali potissimum scriptore.

Illa viam summo surgens affectat Olympo.

Sic alibi idem Cicero dixit: *Nulla femina lector.* alibi: *lectissimus adolescens.* ô Gratia! vos hæc fecistis; ad vos pauci noverunt.

Hæ, quæ vocantur, Fabula cujus sunt?] Debet esse trimeter Jambæus, qui non est. Scribe:

Hæ, quæ vocantur, Fabula cujus sunt?

Ex prisca scribendi consuetudine.

Fura populis recensentibus, &c.)

Ob sensum & metri rationem legendum, recensens, ut in quibusdam libris scriptum est. At τὸ RE apud veteres & longum erat & breve.

Libertinus] Vides libertum & libertinum pro eodem sumi, quamvis alter ab altero distet uno gradu; Horat. *Namque est ille, pater quod erat meus.* Sed & sic locutus fuerat Plautus; quod, credo, Juris Interpretes annotaverunt.

Sed cum in iis, quæ superius à Suetonio scripta sunt, bene multa reperiantur, quæ exactiorem aliquam disquisitionem requirant: aliquod operæ pretium fore arbitror, si in locum suum ea retraham, quæ à me abhinc aliquot annis scripta sunt de ætate Terentij. Æqui & studiosi Lectores, spero, diligentia nostræ favebunt.

DE ÆTATE P. TERENTII.

DECREVI hodie quærere diligentius paulo quam ab iis factum est, quos viderim, certiusque & clarius tradere, quænam Terentij ætas fuerit: tum difficultates nonnullas enodare, quæ circa illam oriri solent, quæ ex re aliquid utilitatis ad eos perventurum scio, qui illo scriptore delectantur. Id autem ut recte institui, commodeque procedere possit, quatuor sunt, quæ mihi in primis ponenda & stabilenda videantur.

PROLEGOMENA TERENTIANA.

I. Quo anno Urbis conditæ mortuus sit Plautus.

II. Quo anno mortuus sit Scipio Africanus Major.

III. Quo anno natus sit Scipio Æmilianus.

IV. Quo anno natus sit & mortuus P. Terentius poëta.

His enim quasi terminis depactis, facile, uti spero, veritatem indagabimus, & ita undique circumcludemus, ut ne amplius effugiat, sed comprehensa teneatur. Nihil autem aptius & magis è re fuerit, quam diagramma, seu seriem aliquot Consulium ante oculos habere; En tibi.

SERIES CONSULUM.

Anni ab

Urbe cond.

569. Claudius Pulcer, Porcius Licinius.

570. Q. Fabius Labeo, M. Claud. Marcellus.

571. L. Æmil. Paulus, Cn. Bæbius.

572. P. Corn. Lentulus, M. Bæbius.

573. A. Postumius Albinus, C. Calpurnius Piso.

574. Q. Fulv. Flaccus, L. Manlius Acidinus.

575. M. Junius Brutus, A. Manlius Volfo.

576. C. Claudius Pulcer, T. Sempronius Gracchus.

577. Q. Petilius Sp. Cn. Corn. Scipio Hispallus.

578. P. Mutius Scævola, M. Æmilius Lepidus II.

579. Sp. Postumius Albinus, M. Mutius Scævola.

580. L. Postumius Albinus, M. Popilius Lænas.

581. C. Popilius Lænas, P. Ælius Ligur.

582. P. Licinius Crassus, C. Cassius Longinus.

583. A. Hostil. Mancinus, A. Atilius Serranus.

584. Q. Martius Philippus II. Q. Servilius Cæpio.

585. L. Æmilius Paulus II. C. Licinius Crassus.

586. Q. Julius Pætus, M. Julius Pennus.

587. C. Sulpicius Gallus, M. Claudius Marcellus.

588. T. Manlius Torquatus, Cn. Octavius.

589. A. Manlius Torquatus. Q. Cassius Longinus.

590. T. Sempronius Gracchus. M. Juventius Talna.

591. P. Cornel. Scipio Nasica, C. Martius Figulus.

592. M. Valerius Messala, Fannius Strabo.

593. L. Anicius Gallus, M. Cornelius Cethegus.

594. Cn. Corn. Dolabella, M. Fulvius Nobilior.

595. M. Æmilius Lepidus, C. Popilius Lænas II.

596. Sex. Jul. Cæsar, L. Aurelius Orestes.

597. L. Corn. Lentulus, C. Martius Figulus II.

598. L. Cornel. Scipio Nasica, M. Cl. Marcellus II.

599. Q. Opimius Nepos, L. Postumius Albinus.

600. Q. Fulvius Nobilior, T. Annius Luscus.

PROLEGOMENA TERENTIANA.

601. M. Claud. Marcellus III. Valer. Flaccus.
602. L. Licinius Lucullus, A. Postumius Albinus.
603. L. Quintius Flamininus, M. Acilius Balbus.

Sub his Consulibus III. bellum Punicum inchoatur; at anno
603. Scipio Æmil. Carthaginem capit, diruit.

Primum igitur, quod de Plauti morte positum est, id ex Cicerone in Bruto constat: *Nam Plautus, inquit, P. Claudio, L. Porcio Coss. mortuus est, Catone Censore, id est anno V. conditæ D. LXIX. seu CLXXVII. ante Christum natum. Fallitur itaque Hieronymus, cum in Chronico Eusebiano scribit. OLYMPIADE CXLV. Plautus ex Umbriâ Sarsina Roma moritur. Dicendum enim fuerat OLYMPIADE CXLIX. Quod an observatum à Scaligero fuerit nescio.*

Scipio autem Major, avus Scipionis Æmiliani, per adoptionem filij scilicet, anno sequenti, id est DLXX. ab Urbe condita, fato concessit, uti olim à Polybio scriptam fuerat, & ex eo docet Livius lib. xxix. Neque vero aliter sensit Cicero in admirabili libello de Senectute.

At Scipio Minor, seu Æmilianus, qui naturalis Æmilij Pauli filius fuit, adoptatus autem à filio Scipionis Africani prioris, eodem plane anno natus est, quo denatus est Plautus; Urbis conditæ scilicet, DLIX. id quod negaverit nemo, cum Livius scribat lib. XLIV. *Consulem, (id est Æmiliū Paulum) quum se in castra victor recepisset, ne sincero gaudio fruereetur, cura de minore filio stimulabat. P. Scipio is erat Africanus, & ipse postea deleta Carthagine appellatus, naturalis Consul Pauli, adoptione, Africani nepos. Is septimum decimum tunc annum agens, quod ipsum curam agebat, &c.*

Terentius denique sub Consulatu Cornel. Dolabellæ & Fulvij Nobilioris mortuus est, uti scriptum à Suetonio fuerat, quem Donatus transcripsit. *Ceteri mortuum esse credunt, Cn. Cornelio Dolabella, M. Fulvio Nobiliore Coss.* quod in annum Urbis conditæ D. XCIV. incidat necesse est. Sed quo anno natus est? hoc enim quæri utile fuerit. Id ita constitui potest: pro certo affirmavit Fenestella, scriptor Antiquitatis Romanæ peritissimus: *Inter finem secundi belli Punicæ, & initium tertij, natum esse & mortuum Terentium.* Verba hominis sunt apud Suetonium, qui olim de Poëtis Latinis scripserat; at secundum bellum Punicum desinit anno Urb. conditæ D. LII. Tertium autem inchoatum DC. III. Vides itaque annos XLIX. intra quos & natus sit & mortuus. Sed tempus illud à Fenestella positum; nec ab initio, nec à fine circumscriptum est; atque adeo, si pauculi anni utrinque demantur, facile intelligis quam hæc recte cum eo congruant, quod Suetonius observaverat, (*Ceteri mortuum esse tradunt Cn. Cornelio Dolabella, M. Fulvio Nobiliore Coss.*) Anni enim X. aut XI. qui à fine secundi & ante finem tertij belli Punicæ inter utrumque terminum partiendi & distrahendi, rem claram & ediffertatam dabunt. Quamobrem natus est Terentius anno urbis Romanæ D. LX. id est novem annis ante

PROLEGOMENA TERENTIANA.

mortem Plauti, totidem annis ante ortum Scipionis Æmiliani, undecim autem ante obitum Scipionis Majoris, qui, primus, Africanus dictus est. Neque vero ultra hoc tempus Consul Fulvii scripsisse Terentium apparet, cum postrema omnium Fabularum, ADELPHI scilicet, edita fuerit anno Urbis D. XCIII. L. Anicio Gallo, M. Cornel. Cethego Coss. quo tempore natus erat Terentius annos xxxiv. Hinc itaque est, quod, ubi de Plauto & Nævio loquitur, eos inter veteres Poëtas refert, in Prologo Eunuchi, scilicet.

*Quare æquum est vos cognoscere, atque ignoscere,
Qua VETERES factitarunt si faciunt novi.*

Neque hoc minus verum est quod dicam: non potuisse juvari Terentium in Fabulis scribendis à Scipione Majore, cum circa obitum illius, undecim, non amplius, annos natus esset. Sed en tibi fontem erroris, ex quo tot portenta profluxerunt; videlicet utrumque Scipionem confuderunt, & alterum pro altero sumere. Quo enim tempore edidit Adelphos Terentius, jam annos quinque & viginti natus erat Scipio Æmilianus, quo nihil majus habuit imperium Romanum. Verum enim Herois illius elogium est [*P. Scipio Æmilianus, vir avitis P. Africani paternisque L. Pauli virtutibus simillimus, &c. INGENIUM AC STUDIUM EMINENTISSIMUM, &c. Paterculus lib. I.*] At, qui talis erat, facile, ut arbitror, Terentium, si fuisset opus, adjuvare potuisset. Huic Paterculi testimonio addas licet quod de cura L. Pauli circa educationem institutionemque liberorum, de tot magistris è Græcia petitis, qui illos in omni artium genere erudirent, à Plutarcho scriptum est: at non transcribam, cum totum id apud ipsum legere possis. Aliud quoque fuit, unde in errorem inducti homines fuere; nomen Lælij scilicet. At hoc meminisse decuerat, Scipionem Æmilianum Lælij opera usum quoque fuisse, sed illum Lælium prioris filium intelligi debere. Quid autem, ut ad Æmilianum revertatur oratio, an cuiquam minus credibile videatur, potuisse illum ea ætate [xxv. an.] Menandreas Fabulas Latine convertere, quæ multi longè minori indole præditi quàm qua ipse erat, jam clarissima ingenij sui monumenta sæpius ediderunt? An quod Menandri Fabulæ difficiles erant? Imò nil facilius, nil apertius, uti ex latissimis fragmentis constat, quæ passim apud Auctores seu sacros seu profanos reperias. Sed nunc, ut rem absolvam, libet mihi illa percurrere, quæ ex Suetonio excerptæ sunt. *ÆL. Donatus, aut, quod verum est, qui nobis Donatum mutilavit. (Hic cum multis nobilibus familiariter vixit, sed maxime cum P. Scipione Africano, & C. Lælio: quibus etiam corporis gratiâ conciliatus existimatur, quod & ipsum Fenestella arguit, contendens utroque majorem natu fuisse.)* Hoc dextra lævaque falsum est, & fieri nequit. Qua enim ratione fieri possit ut Scipione Africano ætate major esset Terentius, cum tanto tempore post Plauti obitum floruerit, ut eum veterem vocet, uti ostendi superius? at Plautus uno

PROLEGOMENA TERENTIANA.

tantum anno ante mortem Scipionis Africani obiit. Quonam etiam pacto congruere hæc possunt cum illis ejusdem Fenestellæ verbis (*inter finem secundi belli Punicæ & initium tertij natum esse & mortuum Terentium?*) Itaque hæc à Fenestella scribi non potuerunt; sed videlicet eum Epitomistæ non est affectus. Id enim scripserit Fenestella de Scipione Emiliano; neque aliter sentiebat Nepos, cum *æquales omnes fuisse tradidit*; Quanquam, ut dixi antea, decem aut undecim anni inter ætatem Emiliani & Terentij intercedunt.

Propterea summa quoque titulo adscribitur] Titulus hoc loco *Didascaliam* significat. Ergo, ut hodie editur, mutila est.

Si modo in scribendo indignerit] Recte illud, *si modo*: quamvis enim admirabilis quædam puritas germanitasque Latini sermonis in Terentij Fabulis sit, non tamen inde probetur adjutum eum fuisse à summatis viris, cum Phædrus Thracij generis servus, qui sub Tiberio vixit, tam pure, tamque Latine, sine omni tamen adjutoris suspitione scripserit. Quamquam circa Heautontimorumenon Terentij aliquid est, quod me movet tamen; sed id aliàs fortasse agetur.

Non tam Scipione & Lælio uti potuisse, qui tunc adolescentuli fuerent.] Et tamen adolescentulus ille annum jam tunc vicefimum agebat. Sed & Salustius ulterius multo adolescentiam produxit; qui Pontificatum maximum Caio Cæsari mandatum ait, cum *adhuc adolescentulus* esset. Quot annos autem natus erat Cæsar? poteras dixisse xxxvi. & id ostendet Manutius, ni credis.

Consuetus redeuntem è Græciâ peritisse in mari dicit cum cviii. Fabulis conversis è Menandro.] Gravissimum verò damnum, inquires. Verùm ne lacryma, neque te afflictes, non quod illæ Fabulæ salvæ sint, sed quia nunquam à Terentio scriptæ fuerunt. Id enim nec vitæ tempus patitur, nec, si vel sæculum expleisset Terentius, centum & octo Fabulas è Menandro convertere potuisset, nisi ab Orco Græcus Poëta remissus fuisset qui novas denovo faceret. Nam ex his comædiis, quæ hodie leguntur, quatuor sunt Menandri; Menander autem, uti ex Suida & veteribus magistris constat, cviii. aut ad summum cix. quamquam alij cv. tantum prodiderunt, scripserat; at ex illis jam quatuor conversæ fuerant à Terentio. Quantobrem bono Consuetio ob istam tam insignem munificentiam vides quantum fidei debeatur. Antequam desino, dicendum aliquid arbitror de illo etiam quod multis persuasum esse video; fieri potuisse ut *secutus sit Scipionem triumphantem Terentius, pileo capiti imposto, omnique deinde vita, ut dignum erat, libertatis auctorem coluerit.* Illa verba, quæ Livij sunt, editioni suæ, quæ omnium politissima est & venustissima, præfixit Vir Clarissimus, cujus nomini parcendum. Sunt autem illa ex Livio lib. xxx. petita, sed quæ in Poëtam nostrum hæud conveniant; is enim Terentius, quo de agitur, tunc senator erat, ut ex ipsomet Livio constat; deinde prætor, dein legatus quoque P. R. Carthaginem missus

PROLEGOMENA TERENTIANA.

est. Adde quod & nomina diversa utrique; nam Poëta dictus est. P. Terentius, ille alter, Quintus Terentius Culleo. Sed Orosius tamen diferte scripsit: *Scipio jam cognomento Africanus, triumphans, Urbem ingressus est, quem Terentius, qui postea Comicus, ex nobilibus Carthaginensium captivis, pileatus, quod indultæ sibi libertatis insignie fuit, triumphantem post currum secutus est.* Ita, inquam, scripsit Orosius, sed nil est quod à vero magis alienum sit; neque hoc in Orosio novum. Si Livium diligenter consuluerit, tale quid hæud unquam scripsisset. Dein ea fabula, quoquò illam veritas, stare non potest; nam prior Scipio anno Urbis DLII. triumphavit; at cum ab Emiliano capta fuit Carthago, Poëta noster jam fato functus fuerat, uti superius ostendi; siquæ adhuc in vivis erat, quod contra est, Romæ tunc florere debuit. Videtur tamen & ei rumori sese credulum præbuisse Quintilianus Declamatione ix. cui responderi hæud necesse est, nam abunde dictum arbitror.

JUDICIA VETERUM DE TERENTIO.

V A R R O, *Parmenone. NON IVS in* Poscere.

I N argumentis Cæcilius poscit palmam; in ethesin Terentius; in sermonibus Plautus.

C I C E R O *de optimo genere Oratorum.*

In re quod optimum sit quæritur: in hominibus dicitur, quod est. Itaque licet dicere, & Ennium summum Epicum poëtam, si cui ita videretur; & Pacuvium Tragicum; & Cæcilium fortasse Comicum. Unum vero est genus perfecti, à quo qui absunt, genere differunt, ut ab Attio Terentius. sed in eodem non sunt pares.

Et infra.

Idem & Andriam & Synephebos, nec minus Terentium & Cæcilium, quam Menandrum legunt. Quod est igitur eorum in orationibus è Græco conversis fastidium, nullum cum sit in versibus?

Lib. VII. Epist. 3. ad Attic.

Secutus sum, non dico Cæcilium, Mane ut ex portu in Piræum; (malus enim author latinitatis est) sed Terentium: cujus Fabellæ, propter elegantiam sermonis putabantur à C. Lælio scribi, Hæri aliquot adolescentuli comus in Piræum.

In Lælio ex persona Lælij.

In Andria familiaris meus Terentius dixit. Et mox: in obsequio,
b ij

PROLEGOMENA TERENTIANA

quoniam Terentiano verbo libenter utor, comitas adsit,

HORATIVVS lib. Epist. ad Augustum.

*Ambigitur quoties, uter utro sit prior; aufert
Pacuvius docti famam senis, Accius alti.
Dicitur Afrani toga convenisse Menandro;
Plantus ad exemplar Siculi properare Epicharmi,
Vincere Cæcilius gravitate, Terentius arte;
Hos ediscit, & hos arcto stipata theatro
Spectat Roma frequens.*

OV ID IVS lib. II. Tristium.

*Nec liber indicium est animi; sed honesta voluntas
Plurima mulcendis auribus apta refert.
Accius esset atrox: conviva Terentius esset,
Essent pugnaces qui fera bella canunt.*

VOLCATIVS SEDIGIVS apud A. Gellium lib. XV. cap. 24.

*Multos incertos certare hanc rem vidimus,
Palmam Poëta comico cui deferant.
Eum, me iudice, errorem dissolvam tibi;
Ut contra si quis sentiat, nihil sentiat.
Cæcilio palmam Statio do comico.
Plantus secundus facile exsuperat ceteros,
Dein Nevius, qui servet pretium, tertius st.
Si erit, quod quarto, dabitur Licinio.
Post insequi Licinium facio Atilium.
In sexto sequitur hos loco Terentius.
Turpilium septimum, Trabea octavum obtinet,
Nono loco esse facile facio Luscium.
Decimum addo causam antiquitatis Ennium.*

VELLEIVS PATERCVLVVS, lib. I.

Dulcesque Latini leporis facietiam per Cæcilium, Terentiumque, & Afranium, sub pari ætate nituerunt,

FAB. QVINCTILIAN. lib. X. cap. I.

In Comœdia maxime claudicamus; licet Varro dicat, Musas, Ælij Stolonis sententiâ, Plautino sermone locuturas fuisse, si Latine loqui vellent: licet Cæcilium laudibus ferant: licet Terentij scripta ad Scipionem Africanum referantur: quæ tamen sunt in hoc genere elegantissima, & plus adhuc habitura gratiæ, si intra versus trimetros stetissent.

Idem Declamat. IX. sive Gladiator.

Terentium, quem inter ceteros captivos, secundo Punico bello,

PROLEGOMENA TERENTIANA.

Scipio Africanus vinculis exolverat, memoriæ tradidere majores, in signe receptæ libertatis pileo testantem, in triumpho ducis esse conspectum.

PLINIVS lib. I. Epist. 16.

Legit mihi nuper epistolas, quas uxoris esse dicebat: Plautum vel Terentium metro solutum legi credidi.

AGELIVS lib. VII. cap. 14.

Vera autem & propria hujusmodi formarum exempla in Latina lingua M. Varro esse dicit, ubertatis Pacuvium, gracilitatis Lucilium, mediocritatis Terentium.

Idem lib. XVII. cap. 21.

Neque magno intervallo postea Q. Ennius, & juxta Cæcilius & Terentius, ac subinde Pacuvius: & Pacuvio jam sene Accius, clariorque tunc in poematis eorum oblectandis Lucilius fuit.

AVSONIVS in Protreptico ad Nepotem.

*Tu quoque qui Latium lecto sermone, Terenti,
Comis & adstricto percurris pulpita socco,
Ad nova vix memorem diverbia coge senectam.*

LACTANT. de falsa sap. cap. 4.

Nemo potest de se recte judicare. Quod nobilis poëta testatur, ita enim comparatam esse hominum naturam, &c.

EVSEBIVS in Chronico.

Ptolomæi VI. id est Pilometoris regno decessit P. Terentius, quo tempore Aristarchus, Homericorum ille versuum censor, floruit.

HIERON. in Chronico, Olymp. 155. ann. 3.

P. Terentius Carthaginensis Comœdiarum scriptor, ob ingenium & formam libertate donatus, in Arcadia moritur: qui primam Andriam, antequam Ædilibus, Cæcilio multum se miranti legit.

Idem, de optimo genere interpretandi.

Terentius Menandrum, Plautus & Cæcilius veteres Comicos interpretati sunt. numquid hærent in verbis? ac non decorem magis & elegantiam in translatione conservant, quam veritatem interpretationis?

Idem ad Suniam & Fretellam.

Hanc esse regulam boni interpretis, ut idioma alterius linguæ, suæ linguæ exprimat, proprietate: quod quidem & Tullium in Protagora

PROLEGOMENA TERENTIANA.

Platonis, & in Oeconomico Xenophontis, & in Demosthenis contra Æschinem oratione fecisse convincimus, & Plautum, Terentium, Cæciliumque eruditissimos viros in Græcis comædiis transferendis.

Idem ad Paulinum.

Habet unumquodque propositum principes suos. Romani duces imitentur Camillos, Fabricios, Regulos, Scipiones: Philosophi proponant sibi Pythagoram, Socratem, Platonem, Aristotelem: Poëtæ æmulentur Homerum, Virgilium, Menandrum, Terentium.

PAVLVS OROSIVS lib. IV. cap. 19.

Scipio jam cognomento Africanus, triumphans urbem ingressus est, quem Terentius, qui postea Comicus, ex nobilibus Carthaginensium captivis pileatus, quod indultæ sibi libertatis insigne fuit, triumphantem post curram secutus est.

Livius lib. XXX. non Comicum hunc intelligit, sed ad Terentium Culleonem senatorem Rom. refert, qui pileo capiti imposto, secutus est Scipionem triumphantem. certe de alterutro Quintilianus etiam locus ex declam. I X. intelligendus est. Lindenbrogius.

SIDONIVS APOLLINAR. Carm. X X.

*Quid vos eloqui canam Latini,
Arpinas, Patavine, Mantuane,
Et te Comica qui doces, Terenti,
Et te tempore qui satius severo,
Gratos Plante! sales lepore transis?*

RUFINVS GRAMMATICVS Antiochenfis.

*Agnovit metrum, servatque Terentius artem;
Nam Prologos trimetro didicit componere versu,
Scenarumque actus primos pede claudit eodem.*

SERVIVS in illud lib. I. Æneid. Talibus incusat.

Sciendum est, Terentium, propter solam proprietatem, omnibus Comicis esse præpositum; quibus est, quantum ad cætera spectat, inferior.

FL. SOSIPATER CHARISIVS lib. II.

Hæc, ut ait Varro de Latino sermone lib. V. nulli alij servare convenit quam Titinnio & Terentio. Plæm verò Trabea, inquit, & Artilius & Cæcilius facile moverant.

ISIDOR. Origin. lib. I. cap. 39.

Fabulas poëtæ quædam delectandi causâ finxerunt, quædam ad

PROLEGOMENA TERENTIANA.

naturas rerum, nonnullas ad mores hominum interpretati sunt. Delectandi causâ fictas, ut eas quas vulgo dicunt, vel quas Plautus & Terentius composuerunt.

In antiquo Cod. Ms. in Bibliotheca Regis Gall. multisque aliis mss.

Natus in excelsis tectis Carthaginiis alta

Romanis ducibus bellica præda fui.

Descripsi mores hominum, juvenumque, senumque,

Qualiter & servi decipiant dominos:

Quid meretrix, quid leno dolis consingat avarus.

Hæc quicumque legit, sic, præto, cautus erit.

EVANTHIVS de Tragædia & Comædia.

Tum personarum leges circa habitum, ætatem, officium, partes agendi, nemo diligentius Terentio custodivit. Quin etiam solus ausus est, cum in fictis argumentis fidem veritatis assequeretur, etiam contra præscripta Comica, meretrices interdum non malas introducere: quibus tamen, cur bonæ sint, & voluptas per ipsum & causa non desit. Hæc cum artificiosissima Terentius fecerit: tum illud est admirandum, quod & morem retinuit, ut Comædiam scriberet, & temperavit affectum, ne in Tragædiam transiliret. quod cum aliis rebus minime obtentum & à Plauto, & ab Afranio, & Accio, & multis fere magnis Comicis invenimus. Illud quoque inter Terentianas virtutes mirabile, quod ejus Fabulæ eo sunt temperamento, ut neque extumescant ad tragicam celsitudinem, neque abjiciantur ad mimicam vilitatem. Adde quod nihil abstrusum ab eo ponitur; aut quod ab historicis requirendum sit: quod sæpius Plautus facit, & eo est obscurior in pluribus locis. Adde quod argumenti ac styli ita attente memor est, ut nusquam non caverit aut curaverit ea, quæ obesse potuerunt: tum quod media primis atque postremis ita nexuit, ut nihil additum alteri, sed aptum ex se totum & uno corpore videatur esse compositum. Illud quoque mirabile in eo primo, quod non ita miscet personas quatuor, ut obscura sit earum distinctio. Et item, quod nihil ad populum facit actorem, velut ex Tragædia, loqui: quod vitium Plauti frequentissimum est. Illud etiam inter cetera ejus laude dignum videtur, quod locupletiora argumenta ex duplicibus negotiis delegerit ad scribendum. Nam excepta Hecyra, in qua unius Pamphili amor est, ceteræ quinque binos adolescentulos habent.

ANNOTATIONES JOH. HENR. BOECLERI

IN JUDICIA VETERUM DE TERENTIO.

IN his judiciis quædam ne absurditate quidem carent. quale Volcatij Sedigitæ pridem doctis visum est. *Elegantia sermonis, & mores, consensu tribuuntur:*

PROLEGOMENA TERENTIANA.

etiam *ars & metri diligentia*. In *argumentis* quid valeat subinde videbimus. Diximus autem antea, aliud vulgi, aliud eruditorum de Poëtis iudicium esse. Certe, si quis attendat, *Horatii* versus allati, vulgi sententiam, non ipsius, summi sane Critici, exprimunt. Quid enim ipse admiraretur in principe Comicorum, noluit cuiquam occultum esse. Ipsi eruditi tantum inter se non discrepare videbuntur, si singulos intueamur, quin unius & alterius sententia, ceterorum auctoritate obrui queat. De *Horatio* dictum est: quem non legit, multo minus Terentianas in eo imitationes observavit, qui ad interpretes sibi hinc eundem existimat. *Servii* auctoritas tanti non est, ut loco rationis esse debeat. Nonne enim multa sunt, quæ eruditionis potius, quam iudicij facultatem in eo Grammatico testantur? *Fabius Quintilianus* pleno laudat ore Terentium; nisi quod incaute de trimetris addit: refutatus merito à *Georgio Fabricio*. Cæterum, qui paucissimos accuratæ criticæ successu omni ævo præstitisse, ignorat; illum pleraque interioris doctrinæ mysteria fugiant, necesse est. Non sufficit eruditio, quæ confidentiam persæpe generat; ut plus satis prompti sint, ad pronuntiandum, qui auctoris genium nondum perdidicerunt, ne dicam de pervulgatis opinionibus, quæ haud raro eximias quoque mentes devertunt, cum præsertim, quod probe notandum, de nova comœdia iudicaturis, respectus veteris subinde obstaret, animumque divorce traheret. Dicam iterum: Accedat vir ingenio & doctrina præstantissimus, ad ferendam paulo explicatius de magno aliquo & perfecto ex Veteribus Poëta sententiam: nisi iterum iterumque relegerit, nisi cogitaverit subtilissime, ac exegerit singula attentissime, facile linea excidet. Documenta nolumus jam nisi ex proximo petere. Sicut acerrimi vir ingenii *Franciscus Guictus* nuper admodum, rectissime & felicissime amplexus *Afranii* sententiam, omnes omnium Comicorum in uno Terentio eminere virtutes, iudicavit: ita superiore sæculo, nollemus summo viro, & quod caput rei est, *κλεινοτάτω*, *Iulio Scaligero* ea de nostro poëta excidisse, quæ nullomodo defendi, ac ne tolerari quidem possunt.

Illud quidem libenter sumimus, quod de iudicio populi fatetur. quo etiam si superatum esse legam à *Philemone Menandrum*, nondum tamen ideo *Menandro* major est *Philemon*. Debet enim, ni fallor, eruditis idem licere, quod populo: ut hic quidem pro suo captu, illi pro ingenio & doctrina sententiam ferant. At enim populi iudicio hinc standum est: populo dabantur fabulæ; & is non ad descendam sermonis puritatem ed confluebat, sed ad animum visu ac joci relaxandum, quæ *Scaligeri* verba sunt. Sed *περὶ τοῦ* populi non tollit artium instituta. Quando in foro reus accusatur ac defenditur, Populus non confluit ad descendam sermonis elegantiam; neque propterea non laudabitur Orator, qui ei studet. Confluxerit populus ad oblectandum animum visu & auditu rerum ridicularum: huic desiderio explendo, nemo opinor Poëta fabulam scripserit, histione enim quam Poëta dignior hæc opera esset, Poëtæ institutum ad philosophiam spectat: atque in Comœdia hoc ipsum agit, ut, dum putat populus ludicram rem geri, amore virtutum, odio vitiorum, quæque his affinia sunt, & ad emendandos mores pertinent, imbuatur. Rudioribus itaque temporibus, rudius hoc solebat fieri: animisque nec compositis nec excultis aliquid indulgendum erat. Accedente quodam cultu, ut in omnibus civitatibus ab inconditis moribus ad gradus quosdam disciplinæ proceditur, temperandum erat quicquid nimium videbatur; invitatis & placide traductis ad rectiora animis, ut voluptatem non jam ex solo risu, quod imperitissimorum est, sed ex consuetudine vitæ fortunæque humanæ, eleganti rerum textu ac consecutione per imitationem expressa, sibi petendam iudicarent. Quam ipsam rem cum Comœdia nova sibi proposuisset, aliorum industriâ sane profecerit; certe solius Terentij ingenio ad fastigium ascendit. Si igitur *Volcarius Sedigitus* de Comicis iudicium ferre voluit, cur tam diversa miscuit? Cur *Plautum* & alios idem prætulit, quod plus de antiquæ Comœdiæ

PROLEGOMENA TERENTIANA.

comœdiæ genio referrent; cur populo, etiam cultiori sæculo haud ægre ad solutiora respicienti, adulatus potius, quam Poëseos instituto, & doctrinæ legibus obsecutus est? Sed mittamus *Sedigitum*: qui tamen errandi *Scaligero* auctor fuit, nam ut ejus iudicium defenderet, suo non bene usus est. Quis enim porro ferat ista? At res putetur ipsa, profecto languidiores erunt Terentiana: quam apud *Plautum* scilicet aliosque. Quis demum ille languor? si omnia excutias, hoc dicendum fuerit: quæ res in Comœdia ita exhibentur, ut minus capretur risus, neque joci & faceris omnia impleantur, illæ languidiores sunt. Nunquam tulisset ille princeps Criticorum æquo animo, si quisquam alius pronunciaisset languidiorem esse Poësin, ubi retinetur, quod est difficillimum, sed Poëta accurato dignum, ex hilaritate modus. Quid? quod urbanitatis eruditæ ac festivitatis artificio nemini cedit Terentius. Tantum obest rationi auctoritas, cui te semel permiseris. Et excogitandum tamen aliquid fuit, ne sine ratione videretur disputari. Quando (inquit *Scaliger*) res eo perducta est, ut nos in lingua patria, hoc est, Latina simus peregrini, quam ex nitidissimi cujusque authoris operibus emendatam, ad ea, quæ sentimus, applicaremus; atque in ea Terentiana munditie potiores essent salibus *Plautinis*: quantum propter animi voluptatem tribuerunt *Plauto Prisci*, tantum etiam nostra ob linguæ Latinæ cultum, Terentio. Ille igitur illorum secunda fortuna commendatus: hic nostra miseria magnus factus est. Nam equidem *Plautum* ut Comicum, Terentium ut loquentem admirabor. Si miseria junioris ævi causam dedit *ἀμαρτία καὶ κέρκη*, quid ergo ante tot sæcula *Horatium* movit, ut stultitiæ postularet eos, qui sales *Plautinos* ad urbanitatem & leporem referrent? ut non phrasin magis Terentij, quam sales & lepores tanto studio confectaretur? At unus & item alter ob solum linguæ Latinæ nitorem nuper tantum Terentio rebuit. Nescio, quinam illi fuerint. omnium minime decebat *Scaligerum* in eo numero esse, qui, si tanta intentione animi tractasset Terentium, quanta *Virgilium*, non minus perfectum in suo opere illum per omnia iudicasset. Sunt autem, ut omnibus patet, inter eruditos non pauci, & fuerunt, qui orationem Terentij merito quidem adamarunt, longe plura autem, id est, omnia ea, quibus opera hujusmodi commendantur, in eo admirati sunt: nec ut loci oris (absit verborum vilitas, ubi plus quam verba spectantur) sed ut Comici, & Philosophi exacti hoc exemplar sibi proposuerunt. Enimvero, qui præter stultum nihil in Terentio amare didicit, eum à *Musis* & *Gratiis* cum maxime alienum esse, nemo abnuat. Sed hæc hæc hactenus ad *Iul. Scalig. Poët. lib. 3. cap. 96. & lib. 6. cap. 2.*

LOCA MENANDRI, ET APOLLODORI,
QUÆ TERENTIUS Latine est interpretatus.

SCHREVELIUS LECTORI.

Subjecit editioni Terentiænæ à se recensitæ Nobil. ac celeberrimus *Dan. Heinsius* Loca aliquot *Menandri*, quæ Terentius Latine est imitatus, ex collectione *Andrea Scotti*: nos iis alia ex eodem *Menandro* adjunximus, atque insuper ex *Apolloodoro*, quod illos duos proprie imitatus fuerit atque expresserit Poëta, quod ex Comœdiarum ejus *ἰνυγασίς* est manifestum. Ea autem nobis suppeditarunt, partim excerpta *Gratiæ* ex Tragœdiis & Comœdiis Græcis, partim quædam Terentij editio à *Martino Hainneccio* procurata, partim Doctiorum in Terentium Commentaria.

PROLEGOMENA TERENTIANA.

ANDRIA. ACTUS I. SCENA I.

Feci è servo ut effēs libertus mihi. *Versus Menandri legitur etiam in Elenchis:*

Ἐγὼ σε δούλον ὄντ' ἔθηκ' ἐλεύθερον.

Ego te, quum servus effēs, liberum feci.

Mala mens, malus animus. *Videtur Terentius allusisse ad illud Menandri:*

Γνώμης γὰρ ἐδληῖς, ἔργα χρηστὰ γίνεσθαι.

Bonæ mentis, bona sunt opera.

ACTUS I. SCENA II.

Nihil me fallis. *Menandri apud Donatum:*

Νῦν δὲ οὐδὲν λέληθας με ἄν.

Neque tu nunc me clam es.

ACTUS II. SCENA II.

Olera & pisciculos. *Menandri verba è Perinthia huc pertinentia, quæ ab Athenæo l. VII. Dipnosophist. referuntur:*

Τὸ παιδίον δὲ εἰσῆλθεν ἐψητὸς φέρον.

Intravit puer minutos pisciculos ferens.

ACTUS III. SCENA II.

Nunc primum fac istæc ut lavet. *Menander:*

Λέσσετε ἀντὶ τὸ τέχνα.

Lavate illam actutum.

ACTUS III. SCENA III.

Amantium iræ. *Expressit Terentius illud Menandri, & explicat Vitorius Var. lect. IV. l. c. XIV.*

Οργὴ φιλοῦντων ὀλίγον ἰσχύει χρόνον.

Amantium iræ exiguo durant tempore.

ACTUS IV. SCENA IV.

Mirum vero, impudenter mulier si facit meretrix. *Menander:*

Οὐδέ ποθ' ἐπαρῆσθαι καλεῖται πορνική.

Meretrix pudorem pensu nunquam habet.

ACTUS V. SCENA IV.

Sycophantas. *Menander Γεωργίου:*

Καὶ συκοφαντῆς εὐδύς, ὁ τὸ πειθάνιον

ἔχων καλεῖται, καὶ ἄδικούμενος πύχη.

Cui vestis squalida, sycophanta dicitur

Statim, quamvis patiatur ipse injuriam,

Sic est hic. *Menander:*

Οὕτως αὐτὸς ἔστιν.

EVNUCH. Prologo.

Responsum non dictum esse, quia læsit prius. *Hic versus congruit senario, ex Menandri Olynthia:*

Ὡς ἐχ' ὑπαρχῶν, ἀλλὰ πτωχέμενος.

Ut qui non prior incipiam, sed me vindicem.

PROLEGOMENA TERENTIANA.

ACTUS I. SCENA I.

Sed ipsa egreditur. *Menander in prologo fabula, Thais inscripta, elegantissimis verbis ejus ἡδως expressit, quos Plutarchus in commentario, De audiendis poetis, refert hoc modo:*

Ἐμοὶ μὲν οὐδ' ἀγὰρ τοιαύτην δεῖα,
Θεοσίαν, ἀρεσίαν δὲ, καὶ πιδανῶν ἄμα,
Ἀδικούσαν, ἀποκλείουσαν, ἀποδοσαν πυκνά,
Μηδενὸς ἐρωσαν, πορρωτικῶν δὲ αἰεί.

Nunc illam talem cane, quod te veneror, dea;

Ferocem, sed pulchellam, & illecebriloquam;

Injustificam, clusiforem, poscinummiam;

Et neminamantem, semper simulantem tamen.

ACTUS II. SCENA II.

Is quaestus. *Menander:*

Πραγὴ δὲ ὁ κόλαξ ἄεστα πάντων.

Cum adulatore agitur nunc omnium optime.

Nec fursum. *Menandro est, σφροδῶμαι ἀνὸς καίτοι. Sic enim:*

Ὡμῶν ἐγὼ τοῖς πλουσίοις, ὦ Φανία,
Οἷς μὴ τὸ δανείζεσθαι πορῶσιν, καὶ σένην
Τὰς νύκτας, καὶ δὲ σφροδῶμοις ἀνὸς καίτοι.
Οἷμοι λέγειν.

Putabam ego, divites, ὦ Phania!

Quibus nulla fœnore accipiendi necessitas incumbit, neque gemere

Noctu, neque fursum deorsum versando sese

Ejulare. —

Versus hi ita rectè leguntur in Plutarchi libellis, non modo impressis, verum etiam M. S. duobus quæ ἐν δομίαις. Nam apud Stobæum cap. xcvi. mendose est, σφροδῶμοις ἀνὸς νύκτα.

ACTUS II. SCENA III.

Liquet mihi dejerare. *Menander:*

Ὀρκον δὲ φεῶγε, καὶν δικαίως ἑρνήης,

Jusjurandum devitato, etiam quum juste jurare poteris.

ACTUS III. SCENA I.

Nunquam tibi dixi. *Menander:*

Ἐχω δὲ ὀπίκληρον Λαμίαν ἐκ εἰρηκῆσαι;

Est mihi Lamia; quæ nullos cohæredes habet. nonne dixi tibi?

ACTUS III. SCENA II.

Tacent; satis laudant. *Menander:*

Καὶν ὅπως μηδὲν λαλεῖ,

Διὰ τὴν σωσθῆν, πλείστα φησὶ αὐτῆς λέγει.

Eo ipso dum plane nil loquitur, tacendo quamplurima de se ipsa dicit.

ACTUS IV. SCENA IV.

Hic est vietus, vetus, veternosus senex, colore mustellino. *Voluit exprimere locum Menandri:*

PROLEGOMENA TERENTIANA.

Οὗτός ἐστι γαλεώτης γέρων.
Hic est mustella fenex.

ACTUS V. SCENA VI.

Sed tu quod cavere possis. *Translata à Menandro sententia, cuius hi citantur à Stobaeo senarii:*

Εὐήθεια μοι φαίνεται ἡ κωμῆ,
Τὸ νοεῖν μὲν ὅσα δεῖ, μὴ οὐλάττειν δ' ἃ δεῖ.

Manifesta mihi videtur hæc esse fatuitas,
Assequi, quid fieri oporteat, neque facere tamen.

ACTUS V. SCENA IX.

Quod vis donum præmium. *Menander,*
Εὐδῆσαι τί βέλτε, πάντα σοι γηθήσει.

Elige quod optes, optata ferēs omnia.

HEAUTONTIMOR. ACTUS I. SCENA II.

Illum infimulat durum. *Menander.*

Σκληρὸν πρὸς υἱὸν ἐν τῷ νεωτερεῖν.

Quod in increpando erga filium sit severus.

Periculum ex aliis. *Hinc pertinet illud Menandri.*

Βλέπων πεπαιδευμὸς εἰς τὰ ἄλλα κενός.

Mala intuens aliorum, doctus ego fui.

ACTUS II. SCENA II.

Occasio, locus, &c. *Menander:*

Μικρὰ πρὸς αἰεὶς ἐστὶ πρὸς κακῶς.

Ad prave agendum, parva fatis occasio est.

ACTUS II. SCENA III.

Texitentem telam studiose, &c. *Menander apud P. Victor. l. i. ix. cap. xv. Var. Lect.*

Εξ ἴσου εἶν γὰρ ἐκρέματο φιλοπόνως πᾶσι.

Animum à tela suspensum omnino studiose occupabat.

Vna ancillula erat, &c. *Menander apud Politianum:*

Καὶ ἑσπριανὴ μὲν μία, αὐτῇ

Συνόφρανε ρυπαρῶς διακείδου.

Et una ancillulla erat;

Hæc fordidi animi plena, texturam una faciebat.

Facinus magnum & memorabile. *Menander:*

Μέγα καὶ πειρώσιον ἔργον.

In aurem utramvis ut dormias. *Menand. Plantio.*

Ἐπὶ ἀμφοτέρων, ἴν' ὀπίκληρος ἢ, μέλλει καθευδῆσαι.

In aurem utramque, quandoquidem dotata est, cubet.

In eum jam res rediit locum, ut sit necesse. *Menander:*

Τεῖρα γὰρ ἐστὶ, δέσποτα, δι' ὧν ἅπαντα γίνεσθαι.

Ἡ καὶ νόμοις, ἢ ἀνάγκῃ, ἢ γε πείτον, ἔδει πύει.

Ad res gerendas his tribus compellimur,

Necessitate, lege, consuetudine.

PROLEGOMENA TERENTIANA.

ACTUS II. SCENA IV.

Formæ mores consimiles sient. *Menander apud Stobaeum:*

Ὅταν φύσιν τὸ κάλλος ὀπτικομαί τρέπος

Χρησὸς, διαπλασῶς πρὸς αἰσθησῶν.

Quando mores faciles naturali formæ ornatum adferunt, ventitans dupliciter capitur.

Nos quoque fenēs est æquum senibus obsequi. *Menander:*

Γέρον γέροντι γλώσσῃν ἡδίστῳ ἔχει.

Ποῖς παιδί, καὶ γυναικὶ πρὸς ἄλλο γυνή.

Νοσῶν τ' αἰνῆς νοσοῦντι, καὶ δυσπαραστήσῃ.

Λησθῆς ἐπὶ πρὸς ἐστὶ τῷ πειρωμένῳ.

Seni senilis lingua jucundissima:

Puerque puero, & apta mulieri mulier:

Et æger ægio: pressus infortunio,

Lenitrem est homini malis exercito.

Aliena melius ut videant. *In hanc sententiam Menander.*

Οὐθὲς ἐπὶ αὐτῷ κακῷ σωρῶ, Πάμφιλε,

Σαφῶς, ἔτερον δ' ἀγνοοῦντος ὄψεσθαι.

Aperte sua mala nemo videt, ὁ Pamphile,

Sed alterius peccatum conspicabitur.

ACTUS IV. SCENA II.

Nihil tam difficile quin quærendo. *Menander apud Stobaeum λόγῳ κα.*

Ἄλωτὰ γίνεσθαι ἐπιμελεία καὶ πόνῳ ἅπαντα.

Omnia queunt laboribus & industria comprehendi.

ACTUS IV. SCENA V.

Jus summum, summa injuria. *Menander apud Stobaeum sermone μ. ζ.*

ὁ δὲ ὁρᾶν τὸν νόμον

Δίαν ἀκελεύως, συκοφαντῆς φαίνεσθαι.

qui leges intuetur optimas

Nimis accuratè, ille sycophanta prorsus est.

ACTUS V. SCENA I.

Argentum ut dares. *Expressit hunc Menandri versiculum:*

Ἄργον, δεσπαινῶν, καὶ ἀργυρώματα.

Balcas, ancillas, & pecunias.

ACTUS V. SCENA II.

Modo liceat vivere, est spes. *Apollodorus:*

Οὐδὲ πῶς ἀδυμνίαν, τὸν κακῶς πρὸς ἄλλοντα,

Ἀνδρα, τὰ βελτῶν δὲ πρὸς ἄλλο ἀεί.

In miseriis nullis labescere convenit,

Meliora sed sperare semper adfore.

ACTUS V. SCENA V.

Quid istuc? video non licere, ut cœperam, hoc pertendere. *Menander:*

Ὁ σκληρότατος πρὸς υἱὸν ἐν τῷ νεωτερεῖν,

Τοῖς μὲν λόγοις πικρὸς ἐστὶ, τοῖς δὲ ἔργοις πατήρ.

PROLEGOMENA TERENTIANA.

Valde in monendo si quis asper filio,
Verbis acerbus est quidem: sed te, pater.

Sic idem *Menander*:

Πρὸς υἱὸν ὀργλῶ ἐκ ἔχθρ' ἤσπασεν πατὴρ.

Boni parentis ira nulla in filium.

Rufamne illam virginem, cæsiam, sparso ore, adunco naso? non
possum, Pater. *Menander*:

Δὺ' ἔδ' ἂ' κείναι πὺν γαμῆν μέλλοντα δέη,

Ἡπιὸν περὶ σωπῆν ὄψιν, ἢ χηρὸν πρόπον.

Τὴν ὁμόνοιαν γὰρ τὴν πρὸς ἀλλήλοις ποιεῖ.

In nuptiis spectare res decet duas,

Amabilem aut speciem oris, aut mores probos.

Concordiam nam continent hæc mutuum.

Formam cum probismoribus conjungit hoc versiculo, idem *Menand.*

Ὡς ἴδὲ τὸ κείνος ὅταν ἔχη νοδὸν σωφρονα!

Quam grata forma est cui comes modesta mens!

ADELPHIS. ACT. I. SCENA I.

Et, quod fortunatum isti putant, Uxorem nunquam habui. *Menand.*

Ὁ μακροτέρον με! γυναικὴ εἰ λαμβάνω.

O me beatum, qui uxorem habere nolo!

ACTUS I. SCENA II.

Quem neque pudet quidquam, nec metuit quemquam. *Menander*

apud *Priscian. lib. VIII.*

Ὁς δ' ἔτ' ἐρυθειῶν ὄψιν, οὐδὲ δεδέναι,

Τὰ πρῶτα πάντες τῆ' ἀναιδείας ἔχθρ'.

Ille vero, qui nec erubescere novit, neque metuere,

Universæ impudentiæ primas tenet.

Homine imperito nunquam quicquam injustius. *Menander*:

Οὐκ ἐπ' ἀνοίαν εἶδεν, ὡς ἐμοὶ δοκεῖ

Τολμηρότερον.

Nihil imperito videtur esse audacius.

ACTUS II. SCENA I.

Minime miror, qui insanire occipiunt ex injuria. *Menander*:

Ὁμοί! τὸ γὰρ ἄφρον' ἀδυσχερῆς μανίαν ποιεῖ.

Hei mihi, ut repentinum infortunium insaniam parit!

ACTUS II. SCENA III.

Fratrem homini nemini esse. *Menander*:

Ὡς ἴδὲ γὰρ ἐν ἀδελφοῖς ὅστιν ὁμονομίας ἔργος.

Quam jucundus est inter fratres concordiae amor.

ACTUS III. SCENA II.

Quid credas jam? aut cui credas? *Menand.*

Μὴ πάντα πιστῶ πάντ' ἀπὸ πάντων ἀεὶ.

Credenda cunctis esse cuncta ne puta.

PROLEGOMENA TERENTIANA.

ACTUS III. SCENA IV.

Quod vos vis cogit, &c. *Vide locum Menandri, quem hic & supra expressit ad Heautontim. Act. 2. Sc. 3.*

ACTUS IV. SCENA V.

Tacet. *Menander*:

Πολλοὶς δὲ πρὸς αὐτὸν τὴν σωπῆν τὴν ψυχῆς.

Apud multos silentium loco responfionis est.

Erubuit, salva res est. *Menander*,

Ἐρυθειῶν πᾶς χηρὸς εἶναι μοι δοκεῖ.

Qui erubuit, esse mihi videtur vir bonus.

An federe oportuit domi virginem tam grandem? *Menander*:

Θυγατρὸς ἐπιγάμιος, καὶ ὅλως μηδὲν λατῆ,

Διὰ τὸ σωπῆν πλείω πρὸ αὐτῆς λέγῃ.

Filia nubilus, etfi plane nihil loquatur,

Ipso tamen silentio plurimum de se prædicat.

Menses abierunt decem. *Menander Plotio*:

Γυνὴ κωεὶ δεκάμηνος.

Mulier, postquam concepit, mensē agit decimum.

Dormienti confecturos Deos. *Menander*:

Αὐτόματα γὰρ τὰ πρῶτα εἰ δὴ τὸ συμφέρον

ῥεῖ καὶ καθυπόδησι, πάλιν τάναντία.

Sponte sua nam res ad usum manant; sed &, dum quis dormit, rursum contraria.

ACTUS V. SCENA III.

Communia esse amicorum inter se omnia. *Menander in Adelpis*:

Εἰς τὸν ἀντίστοιχόν:

Τὰ πρὸ φίλων κοιν', εἰ μόνον τὰ χεῖματα,

Καὶ νοδὸν δὲ καὶ φρονήσεως κοινοῖα.

Communia amicos inter, non pecunia

Tantum, sed & mens pariter & prudentia.

ACTUS V. SCENA IV.

Duxi uxorem. *Huc spectat illud Menandri apud Stobæum*:

Τὸ γυναικ' ἔχειν, εἶναι τὰ παίδων, Παρμενίων:

Πατέρα, μερίμνας τὸ βίω πολλὰς φέρει.

Uxorem habere, liberorum, Parmeno,

Patrem esse, curas multas in vitam invehit.

Et:

Τὸ γυναικὸν πατέρα παίδων, ὡς λύπη, φόβος, φροντίς.

Liberorum patrem esse factum: mæror fuit, formido, & anxietas.

HECYRA. ACT. II. SCENA I.

Neque declinatam quicquam ab aliarum ingenio ullam reperias. *Menander*:

Γυνὴ γυναικὸς πόσι' εἶδεν διαφέρει.

A fœmina nil fœmina unquam discrepat.

PROLEGOMENA TERENTIANA.

Postmodum rescifces. *Menander* :
 Ταῦτ' ὑπερον λάβοις ἀπ' ἡικαρτηδύνα.
 Quænam sint commissa, hæc tu postmodum rescifces.
 ACTUS III. SCENA III.
 Omnibus nobis ut res dant se se, ita magni atque humiles sumus.
Apollodorus :
 Οὕτως ἔχουσιν διὰ τὰ πλεῖστα σικνὸς ἡὲν ἢ τυπεῖος.
 Ita quisque, ut res dant se se, & gravis, & humilis esse solet.

ACTUS III. SCENA V.
 Salvum atque validum. *Menander* :
 Εὐτυχόντων ἢ σισσομεθόν.
 Fortunatum, salvumque.
 ACTUS IV. SCENA II.
 Ut ne cui meæ longuinitas ætatis obstet, mortemve expectet meam.
Menander :
 Πικρὸν ἔστι δρέμμα γέρον ἐν οἴκῳ μένων.
 Amarulentus est alumnus senex domi manens.

ACTUS IV. SCENA IV.
 Amaræ mulieres sunt. *Menander apud Stobæum*.
 Φύσιν γυνὴ δυσλῶδόν ἔστι ἢ πικρὴν.
 Natura mala mulier atque effrænis est.
 ACTUS V. SCENA III.
 Abhinc menses decem fere. *Vide dictum Menandri. Adelph. act. 4. sc. 5.*

PHORMIONE. ACT. I. SCENA II.
 Quod fors fert, feremus æquo animo. *Menander*.
 Εὐεστὴ ἀτυχίαν ἢ β' ἀέλω ἀχρημόσως.
 Fortunam adversam, dispendiumque, decenter ferto.
 Istuc viri est officium. *Menander* :
 Τοῦτ' ἔστιν ἀνδρός.
 Hoc viri est.

ACTUS I. SCENA IV.
 Fortes fortuna adjuvat. *Menander apud Stobæum* :
 Τόλμην δικαίαν ἢ θεὸς συνλαμβάνει.
 Audaciam justam vel adjuvat Deus.

ACTUS II. SCENA II.
 Injuriam audisti. *Menander Mysogyno*.
 ὄμνυμί σοι τὸν ἥλιον
 Ἡ μὲν ποιήσῃ σοὶ ἴσα φιλῶ κακώσως.
 juro Solem tibi,

Injuriarum me tibi scripturum dicam.
 Cum Ratione.] Rationem, quod est in Palatino codice, magis placet. Nam ita quoque citat *Victor. l. v. c. xx.* ubi inter alios versus *Menandri hunc adducit* :

PROLEGOMENA TERENTIANA.

Τὸ γὰρ τρέφον με, τὸτ' ἐγὼ κείνω θεόν.
 Nam quod me alit, id ego plane judico Deum.
 ACTUS III. SCENA III.
 Solus amico amicus. *Apollodorus* :
 Μόνος γε ὄψεται φιλεῖν τοὺς φίλους.
 Ut qui solus amicos amare didicit.

ACTUS IV. SCENA I.
 Seneæus ipsa morbus. *Apollodorus* :
 Τὸ γένος ἔστιν αὐτὸ νόσημα.
 Ego meorum solus sum meus. *Apollodorus* :
 Ἐγὼ γὰρ εἰμι μόνος τῶν ἐμῶν ἐμῶς.

ACTUS IV. SCENA IV.
 Dicis quod mali est, &c. *Menander* :
 Ἄετις αἰὲν τὸ λυπούει,
 Μὴ δὲν ἀντιπαρρητικὸς τῶν προσλεγμένων.
 Semper, quod mœrorem affert, narras, nihil eorum addens, quod ex adversum alloquii sit idoneum.

EVANTHIUS DE TRAGOEDIA ET COMOEDIA.

Quæ hic de Tragœdia & Comœdia referuntur, ea non, ut alij, ex Cornuto, vel Aspro desumpta, sed ex Evanthij commentario in Terentium selecta esse arbitror. Ejusceque rei evidentissimum argumentum est, quod sub hujus eruditissimi Grammatici nomine (quem iidem cum Donato temporibus, hoc est, Olymp. 285. regnante Constantio fil. Constantini, C. P. floruisse notat Hieronym.) hæc verba adferat Rufinus Antiochenfis Grammat. lib. de metris Terentianis: Concinna argumento, consuetudine congrua, utilis sententiis, grata salibus, apta metro. Et postea sic: Veteres etsi ipsi quoque metris, &c. Quæ ipsissima in hisce prolegomenis nunc leguntur. Lindenbrogus.

Initium Tragœdiæ & Comœdiæ à rebus divinis est inchoatum: quibus pro fructibus vota solventes operabantur antiqui. Nam incensis jam altaribus, & admoto hirco, id genus carminis, quod sacer chorus reddebat Libero patri, Tragœdia dicebatur, ἑστὸς τὸ πρῶτον ἢ τὸ ὄψιν, hoc est, ab hirco, hoste vinearum, & à cantilena. Ejus ipsius rei apud *Virgilium* plena fit mentio; vel quod hirco donabatur ejus carminis Poëta; vel quod uter ejus musti plenus solemne præmium cantoribus fuerat; vel quod ora sua facibus perlinebant scenici, ante usum personarum ab *Æschilo* repertum. Fæces enim dicuntur Græce τρυγες. Et his quidem causis Tragœdiæ nomen est inventum. At vero nondum coactis in urbem Atheniensibus, cum Apollini Nomio, vel ΑΡΥΑΘΩ id est, pastorum vicinorumque præfidi Deo, constructis aris in honorem divinæ rei circum Atticæ vicos, villas, pagos, & compita, fe-

PROLEGOMENA TERENTIANA.

stum carmen solenniter cantarent : orta est Comœdia *ἄπὸ τῆς κομῆς* *ἢ τῆς πόλεως* composito nomine , vel *ἄπὸ τῆς κομῆς ἢ τῆς πόλεως*, quod est commessatum ire cantantes : quod à Poëtis solenni die , vel amatorie lascivientibus choris comicis , non absurdum est. Itaque ut rerum , ita etiã temporum ipso cœpto ordine , Tragœdia primo prolata esse cognoscitur. Nam ut ab incultis & feris moribus paulatim perventum est ad mansuetudinem , urbisque sunt conditæ , & vita mitior atque otiosior processit : ita res Tragicæ longe ante Comicas inventæ. Quamvis autem retro prisca volentibus reperiatur *Thespis* Tragœdiæ primus inventor : & Comœdiæ veteris pater *Eupolis* cum *Cratino* , *Aristophane*que esse dicatur : *Homerus* tamen , qui fere omnis Poëticæ largissimus fons est , etiã his carminibus exempla præbuit , & velut quædam suorum operum lege præscripsit : qui *Iliadem* instar Tragœdiæ , *Odyssæam* ad imaginem Comœdiæ fecisse monstratur. Nam post illius tale tantumque documentum , ab ingeniosissimis imitatoribus & digesta sunt in ordinem , & divisa ea , quæ etiã tum temere scribebantur adhuc impolita , atque in ipsis rudimentis haudquaquam , ut postea facta sunt , decora atque lavia. At nos ea , quæ proprie de Tragœdia dicenda sunt , titulo propositi operis instantes , in alia tempora differamus : & de his fabulis jam loquamur , quas *Terentius* imitatus est. Postquam demonstrandæ originis causa de utriusque generis initio diximus : quod necesse est , jam dicemus.

COMŒDIA fere vetus , ut ipsa quoque olim TRAGŒDIA , simplex carmen (quemadmodum jam diximus.) fuit : quod chorus circa aras fumantes nunc spatiat , nunc consistens , nunc revolvens gyros , cum tibicine concinèbat. Sed primo una persona substituta est cantoribus , quæ respondens alternis choro , locupletavit variavitque rem musicam ; tum altera ; tum tertia ; & ad postremum , crescente numero , per authores diversos , personæ , pallæ , cothurni , socci , & cæteri ornatus atque insignia scenicorum reperta : & ad hoc unicuique suus habitus ; & ad ultimum , qui primarum partium , qui secundarum , & tertiarum , qui quartarum , atque quintarum actores essent , distributa & divisa quinquepartito tota est fabula : quæ tamen in ipsis ortus sui velut quibusdam incunabilis , & vix dum incipiens , *καμῶνα ἐπειῶν* *ἢ ἀρχαία* dicta est : *ἀρχαία* idcirco , quia est de nobis parum cognitæ vitiis : *ἐπειῶν* autem , quia inest in ea velut historica fides veræ narrationis , & denominatio omnium , de quibus libere describebatur. Et enim per prisca Poëtæ , non ut nunc , penitus ficta argumenta , sed res gestæ à civibus palam cum eorum sapè , qui gesserant , nomine decantabantur. Ideo ipsa suo tempore moribus multum profuit civitatis : cum unusquisque caveret , culpa ne spectaculo cæteris esset , & domestico probro. Sed cum Poëtæ abuti licentius stylo , & passim lædere ex libidine cœpissent plures bonos , ne quisquam in alterum carmen infamè proponeret lege lata siluère. Et hinc deinde aliud genus fabulæ ,

PROLEGOMENA TERENTIANA.

id est , SATYRA , sumpsit exordium : quæ à satyris , quos illotos sentper ac petulantes Deos scimus esse , vocitata est. etsi aliunde nomen traxisse prave putant alii. Hæc , quæ satyra dicitur , ejusmodi fuit , ut in ea ; quamvis duro & veluti agresti joco , de vitiis civium tamen sine ullo proprii nominis titulo carmen esset. Quod item genus Comœdiæ multis obfuit Poëtis , cum in suspicionem potentibus civibus venissent , illorum facta descripsisse in pejus , ac deformasse genus stylo carminis , quod primo *Lucilius* novo conscripsit modo , ut Poësin inde faceret , id est , unius carminis plures libros. Hoc igitur , quo supra diximus modo , coacti omittere satyram , aliud genus carminis , *πῶς νέα κομῶν* *ἢ ἄλλῃ* , hoc est , novam comœdiam reperere Poëtæ , quæ argumento communi magis , & generaliter ad omnes homines , qui mediocribus fortunis agunt , pertineret , & minus amaritudinis spectatoribus , & eadem opera multum delectationis afferret : concinna argumento , consuetudine congrua , utilis sententiis , grata salibus , apta metro. Ut igitur superiores illæ suis quæque celebrantur authoribus : ita hæc *νέα κομῶν* *ἢ ἄλλῃ* cum multorum antea , tum præcipue *Menandri* , *Terentii*que est. de qua cum multa dicenda sint , sat erit tamen velut admonendi lectoris causa , quod de arte comica veterum chartis continetur , exponere. *Comœdia vetus* , ut ab initio chorus fuit , paulatimque personarum numero in quinque actus processit : ita paulatim velut attrito atque extenuato choro ad *novam Comœdiam* sic pervenit , ut in ea non modo non inducatur chorus , sed ne locus quidem ullus jam relinquatur choro. Nam postquam otioso tempore , fastidiosior spectator effectus , tunc cum ad cantores ab actoribus fabula transibat , consurgere & abire cœpisset : admonuit Poëtæ , primo quidem choros prætermittere , locum eis relinquentes , ut *Menander* fecit hac de causa , non , ut alii existimant , alia. Postremo ne locum quidem reliquerunt : quod Latini fecerunt *Comici* : unde apud illos dirimere actus quinquepartitos difficile est. Tum etiam Græci prologos non habent more nostrorum , quos Latini habent. Deinde *θεοὶ ἀπὸ μηχανῆς* , id est , Deos argumentis narrandis machinatos , cæteri Latini instar Græcorum habent ; *Terentius* non habet. Ad hoc *πρόσωπα πρὸς ἄλλῃ* , id est , personas extra argumentum accersitas , non facile cæteri habent : quibus *Terentius* sæpe utitur , ut per harum inductiones facile pateat argumentum. Veteres , etsi ipsi quoque metris negligentius egerunt jambici versus duntaxat in secundo & quarto loco , tamen à *Terentio* vincuntur resolutione hujus metri , quantum potest , comminuti ad imaginem prosæ orationis. Tum personarum leges circa habitum , ætatem , officium , partes agendi , nemo diligentius *Terentio* custodit. Quinetiam solus ausus est , cum in fictis argumentis fidem veritatis assequeretur , etiam contra præscripta comica , meretrices interdum non malas introducere : quibus tamen , cur bonæ sint , & voluntas per ipsum & causa non desit. Hæc cum artificiose *Terentius* fecerit , tum illud est admirandum , quod & morem re-

PROLEGOMENA TERENTIANA.

tinuit, ut Comœdiam scriberet, & temperavit affectum, ne in Tragœdiam transfileret. quod cum aliis rebus minime obtentum & à *Plauto*, & ab *Afranio*, & *Accio*, & multis fere magnis Comœdicis invenimus. Illud quoque inter Terentianas virtutes mirabile, quod ejus fabulæ eo sunt temperamento, ut neque extumescant ad tragicam celsitudinem, neque abiciantur ad mimicam vilitatem. Adde quod nihil abstrusum ab eo ponitur, aut quod ab historicis requirendum sit; quod sapius *Plautus* facit, & eo est obscurior in pluribus locis. Adde quod argumenti ac styli ita attente memor est, ut nusquam non caverit, aut curaverit ea, quæ obesse potuerunt: tum quod media primis atque postremis ita nexuit, ut nihil additum alteri, sed aptum ex se totum, & uno corpore videatur esse compositum. Illud quoque mirabile in eo primo, quod non ita miscet personas quatuor, ut obscura sit earum distinctio. Et item quod nihil ad populum facit actorem velut ex Tragœdia loqui: quod vitium *Plauti* frequentissimum est. Illud etiam inter cætera ejus laude dignum videtur, quod locupletiora argumenta ex duplicibus negotiis delegerit ad scribendum. Nam excepta *Hecyra*, in qua unius *Pamphili* amor est, cæteræ quinque binos adolescentulos habent. Illud vero tenendum est, post *νέα κωμῶδων* Latinos multa fabularum genera protulisse: ut *Togatas*, à scenicis atque argumentis Latinis: *Prætextatas*, ab dignitate personarum, & Latina historia: *Atellanæ*, à civitate Campaniæ, ubi actitatæ sunt plurimæ: *Rhyntonicas*, ab actoris nomine: *Tabernarias*, ab humilitate argumenti & styli: *Mimos*, ab diuturna imitatione vilium rerum & levium personarum. Inter Tragœdiam autem & Comœdiam cum multa, tum in primis hoc distat: quod in Comœdia mediocres fortunæ hominum, parvi impetus periculaque, lætique sunt exitus actionum: at in Tragœdia, omnia contraria, ingentes personæ, magni timores, exitus funesti habentur. Et illic turbulenta prima, tranquilla ultima. In Tragœdia contrario ordine res aguntur. Tum quod in Tragœdia, fugienda vita; in Comœdia, capeffenda exprimitur. Postremo, quod omnis Comœdia de fictis est argumentis: Tragœdia sæpe ab historica fide petitur. Latinæ fabulæ primo à *Livia Andronico* scriptæ sunt, cum etiam tum ad cuncta recentibus, idem & Poëta & actor fabularum suarum fuisset. Comœdia autem motorix sunt, aut statariæ, aut mistæ. Motorix, turbulentiæ: statariæ, quietiores: mistæ, ex utroque actu consistentes. Comœdiæ per quatuor partes dividitur, Prologum, Protasin, Epitafin, Catastrophem. Prologus est velut præfatio quædam fabulæ, in quo solo licet, præter argumentum, aliquid ad populum, vel ex Poëtæ, vel ex ipsius fabulæ, vel ex actoris commodo loqui. Protasis primus est actus, initiumque dramatis. Epitafis incrementum processusque turbarum: ac totius, ut ita dixerim, motus erroris. Catastrophe, conversio rerum est ad jucundos exitus, patefacta cunctis cognitione gestorum.

PROLEGOMENA TERENTIANA.

DONATI FRAGMENTUM
DE COMOEDIA ET TRAGOEDIA.

COMOEDIA, est fabula, diversa instituta continens, affectuumque civilium ac privatorum, quibus discitur, quid sit in vita utile, quid contra, evitandum. Hanc Græci sic definière, *κωμῶδία ἐστὶν ἰδιωτικῶν ἢ πολιτικῶν ὁμοιωμάτων ἀκινδυνὸς μελοχί*. Comœdiam esse *Cicero* ait, *imitationem vitæ, speculum consuetudinis, imaginem veritatis*. Comœdiæ autem à more antiquo dictæ: quia in vicis hujusmodi carmina initio agebantur, apud Græcos: ut in Italia Compitalitiis ludicris, admisto pronunciationis modulo, quo, dum actus commutantur, populus detinebatur. Aut *ὡς τὸ κωμῶδον*, hoc est, ab actu vitæ hominum, qui in vicis habitabant, ob mediocritatem fortunatorum: non in aulis regiis, ut sunt personæ Tragicæ. Comœdia vero, quia Poëma sub imitatione vitæ atque morum similitudine compositum est, in gestu, & in pronuntiatione consistit. Comœdiam apud Græcos dubium est quis invenit primus, apud Latinos certum est. Comœdiam & Tragœdiam *Togatas* primo *Livius Andronicus* reperit: aitque, *Comœdiam esse quotidiana vita speculum*: nec injuria; nam ut intenti speculo veritatis lineamenta facile per imagines colligimus: ita lectione Comœdiæ imitationem vitæ consuetudinisque non ægerrimè animadvertimus. Hujus autem originis ratio ab exteris civitatibus, moribusque provenit. Athenienses namque Atticam custodientes elegantiam, cum vellent male viventes notare, in vicos & compita ex omnibus locis læti alacresque veniebant, ibique cum nominibus, singulorum vitam publicabant: unde nomen compositum, ut Comœdia vocaretur. Hæc autem carmina in pratis primum mollibus agebantur. Nec deerant præmia, quibus ad scribendum doctorum provocarentur ingenia: sed & actoribus munera offerebantur, quo libentius jucundo vocis flexu ad dulcedinem commendationis uterentur. Caper namque pro donis his dabatur, quia vitibus noxium animal habebatur: à quo etiam Tragœdiæ nomen exortum est. Nonnulli autem ex amurca olei facie, quæ est humor aquatilis, Tragœdiam dici vocarique maluerunt. Qui ludi cum per artifices in honorem Liberi patris agerentur, etiam ipsi Comœdiarum Tragœdiarumque scriptores, hujus Dei velut Patris numen colere venerarique cœperunt. Cujus rei probabilis ratio exstitit: ita enim carmina inchoata proferebantur, ut per ea laudes ejus & facta gloriosa celebrari proferrique constaret: tum paulatim fama hujus artis increbuit. *Theſpis* autem primus hæc scripta in omnium notitiam protulit. Postea *Æschilus*, secutus exemplum, publicavit. De quibus ita *Horatius* in Arte Poëtica loquitur:

Ignotum tragica genus invenisse Camæna

PROLEGOMENA TERENTIANA.

*Dicitur, & plaustris vexisse Poëmata Thespis,
Quæ canerent, agerentque peruncti fœcibus ora.
Post hunc persona, palleque repertor honesta
Æschylus, & modicis instravit pulpita vgnis:
Et docuit magnumque loqui, nitique cothurno.
Succesit vetus his Comœdia, non sine multa
Laude: sed in vitium libertas excidit, & vim
Dignam lege regi: lex est accepta: chorusque
Turpiter obrucit sublato jure nocendi.
Nil intentatum nostri liquere Poëta:
Nec minimum meruere decus, vestigia Græca
Ansi deserere, & celebrare domestica facta,
Vel qui Prætextas, vel qui docuere Togatas.*

FABULA generale nomen est, ejus duæ primæ partes sunt, Tragedia & Comœdia. Si Latina argumentatio sit, Prætextata dicitur. Comœdia autem multas species habet: aut enim Palliata est, aut Togata, aut Tabernaria, aut Attellana, aut Mimus, aut Rhintonica, aut Planipedia. Planipedia autem dicta, ob humilitatem argumenti ejus, ac vilitatem actorum, qui non cothurno aut focco utuntur in scena, aut pulpito, sed plano pede: vel ideo quod non ea negotia continet, quæ personarum in turribus aut in cœnaculis habitantium sunt, sed in plano & humili loco. Personati primi egisse dicuntur Comœdiam Cincius & Faliscus: Tragœdiam Minutius & Prothonius. Omnium autem Comœdiarum scripta ex quatuor rebus omnino sumuntur, nomine, loco, facto, eventu. Nominè, ut Phormio, Hecyra, Gurgulio, Epidicus. Loco, ut Andria, Leucadia, Brundisina. Facto, ut Eunuchus, Afinaria, Captivi. Eventu, Commorientes, Adelphi, Heautontimorumenos. Comœdiarum formæ sunt tres: Palliatæ, Græcum habitum ferentes: quas nonnulli Tabernarias vocant. Togatæ juxta formam personarum, habitum togarum desiderantes. Atellanæ, salibus & jocis compositæ, quæ in se non habent nisi vetustam elegantiam. Comœdia autem dividitur in quatuor partes, Prologum, Protasin, Epitasin, Catastrophem. Prologus est prima dictio, à Græcis dicta πρόλογος, id est, antecedens veram fabulæ compositionem elocutio. Ejus species quatuor sunt: Συμπλοκή, commendatitius: quo fabula vel Poëta commendatur. Ανάφοικος, relativus: quod aut adversario maledicta, aut gratiæ populo referuntur. Υπερηπικός, argumentativus: fabulæ argumentum exponens. Μίστος, mistus: omnia hæc in se continens. Inter Prologum & Prologium quidam hoc interesse voluerunt, quia prologus est velut præfatio quædam fabulæ, in quo solo scilicet, præter argumentum, aliquid ad populum vel ex Poëta, vel ex ipsius fabulæ, vel actoris commodo loquitur. Prologium autem est, cum tantum de argumento dicitur. Protasis est primus actus initiumque dramatis, quo pars argumenti explicatur, pars reticetur ad populi expectationem retinendam. Epitasis

PROLEGOMENA TERENTIANA.

est incrementum processusque turbarum, actorius, ut ita dixerim, nodus erroris. Catastrophæ est conversio rerum ad jocundos exitus, patefacta cunctis cognitione gestorum. In plerisque fabulis ipsarum nomina priora ponebantur, quam Poëtarum: in nonnullis Poëtarum, quam fabularum. Cujus moris diversitatem antiquitas probat. Nam cum primi aliqui fabulas ederent, ipsarum nomina pronuntiabantur ante, quam Poëtæ pronuntiarentur, ne aliqua invidia à scribendo deterrent possent. Cum autem per editionem multarum, Poëtæ jam esset auctoritas acquisita, rursus priora Poëtarum nomina proferebantur: ut per ipsorum vocabula fabulis attentio acquireretur.

ACTUS diversis ludis manifestum est inscribi. Nam ludorum quatuor sunt species, quos Curules Ædiles munere publico curant. Megalenses, magnis Diis consecrati, quos Græci μεγαλήσιους appellant. Funebres, ad retinendum populum instituti, dum pompa funeri decreta in nomina patricii viri plene instruitur. Plebei, qui pro salute plebis eduntur. Apollinares, Apollini consecrati. In scena duæ aræ poni solebant, dextra Liberi, sinistra ejus Dei cui ludi fiebant: unde Terentius in Andria ait, *Ex ara hac sume verbenas.*

Hinc Ulysses palliatum semper inducunt: sive quod aliquando insaniam simulavit: quo tempore tectum se esse voluit, ne agnitus cogere- tur in bella prodire, seu ob singularem sapientiam, qua tectus munitusque plurimum sociis profuit. Hujus enim virtutis erat, animi semper decipientis ingenium. Nonnulli Ithacæ incolæ, sicut Locros, palliatos fuisse commemorant. Achillis & Neoptolemi personæ, diademata habent; quamvis regalia sceptrâ nunquam tenuerint: ejus argumenti probatio talis inducitur, quod nunquam cum reliqua Græciæ juventute ad gerenda cum Trojanis bella, sacramenta conjurationis intulerunt, nec unquam sub Agamemnonis imperio fuerunt.

COMICIS senibus candidus vestitus inducitur, quod is antiquissimus fuisse memoratur. Adolescentibus discolor attribuitur. Servi comici amictu exiguo conteguntur, paupertatis antiquæ gratia, vel quo expeditiores agant. Parasiti cum intortis palliis veniunt. Lato vestitu candidus: ærumnoso obsoletus: purpureus diviti, pauperi phœniceus datur: militi chlamys purpurea: puellæ habitus peregrinus inducitur: leno pallio varij coloris utitur: meretrici ob avaritiam luteum datur. Symmata dicta sunt ab eo, quod trahuntur: quæ res ab scenica luxuria instituta est. Eadem in luctuosis personis incuriam sui per negligentiam significat. Aulæa quoque in scena intexta sternuntur, quod pitius ornatus erat, ex Actalica regia Romam usque perlatus: pro quibus siparia ætas posterior accepit. Est autem mimicum velum, quod populo obstitit, dum fabularum actus commutantur. Diverbia histriones pronuntiabant. Cantica vero temperabantur modis, non à Poëta, sed à perito artis musicæ factis. Neque enim omnia iisdem modis in uno cantico agebantur, sed sæpe mutatis, ut significant qui

PROLEGOMENA TERENTIANA;

tres numeros in Comædiis ponunt, qui tres continent mutatos modos cantici illius. Qui hujuscemodi modos faciebant: nomen in principio fabulæ & scriptoris & actoris superponebant. Hujuscemodi adeo carmina ad tibias fiebant; ut his auditis, multi ex populo ante discerent, quam fabulam acturi scenici essent, quam omnino spectatoribus ipsis antecedens titulus pronuntiaretur. Agebantur autem tibiis paribus aut imparibus, & dextris aut sinistris. Dextræ autem & Lydiæ sua gravitate seriam Comædiæ dictionem pronuntiabant. Sinistræ & Serranæ acuminis levitate jocum in Comædiâ ostendebant. Ubi autem dextra & sinistra acta fabula inscribebatur, mistim joci & gravitates denuntiabantur.

DESID. ERASMUS ROTERODAMUS
DE METRIS TERENTIANIS.

COMICI Latini multam libertatem sibi usurparunt in versibus, sed nemo largius Terentio. adeo ut apud præcos quoque fuerint qui judicarent, in hujus fabulis nullam esse carminum legem. Sed hos falli manifestum est. Rursus fuerunt qui non negarunt, ab hoc servari metrorum leges, sed ob immodicam libertatem non esse operæpretium torqueri doctos carminum dimensione, quod & res sit immensi laboris, nec ita multum adferat frugis. At ego ab utroque genere dissentio. nam ut manifestius est, quam ut egeat probatione, Terentii comædias versibus constare, ita qui negligendam putarunt metrorum rationem, frequenter poëtæ sermonem corruerunt, dum aliam vocem pro alia subjiciunt, quod nimium sæpe usu venit scribis in auctoribus solutæ dictionis, dum addunt atque adimunt, dum verborum invertunt ordinem. Nonnihil etiam hinc peccarunt eruditi, qui dum carminum genera distinguunt ac dimetiuntur, parum attenti, interjecerunt verba quædam, ut explerent versus hiatus, aut rescuerunt quod videbatur superesse. Videtur autem studio factum à Terentio, ut dissimulato carmine quamproximè accederet ad orationem solutam: quod idem affectasse videtur Horatius in Sermonibus & Epistolis. Hinc tanta in dimetiendo difficultas, ut existimem ipsum Donatum, aut Cornutum, aut Asperum, si viverent, in locis aliquot vel hæsurus, vel inter se dissensuros. Proinde nos quatruiduanam oppellam sumpsimus, ut adolescentulis aliquam hujus difficultatis partem adimeremus, non quidem in omnes fabulas, sed in unam perpetuò, & in cæteris carptim: quo ceu filo adjuti, sese facilius è cæteris explicent labyrinthis. Constant autem hujus fabulæ his ferme metrorum generibus.

Jambico trimetro, qui & senarij dicuntur à numero pedum.

Jambico

PROLEGOMENA TERENTIANA.

Jambico tetrametro, qui ab alijs quadrati, ab alijs octonarij dicuntur. Monometrum ac dimetrum raro interjicitur. In hoc genere quovis loco pro iambo ponit tribrachyn, spondæum, dactylum, anapæstum, modò totius carminis penultima syllaba sit brevis. Siquidem in hoc versu:

Nullum est jam dictum, quod non dictum sit prius:

omnes spondæi sunt, excepto ultimo, cujus generis & alios aliquot reperias.

Eandem libertatem sumit in trochaicis, tetrametris catalecticis, satis habens si totius carminis penultima sit brevis. Illud tamen ubique cavetur, ne vel trochæus ingrediatur Iambicum carmen, vel Iambus trochaicum.

Iambicum tetrametrum interdum in fine fraudatur una syllaba, producta penultima, quoties Iambico dimetro acatalectico accinitur dimeter catalecticus. Veluti si, *Jam lucis orto sidere, accinas, Cultor Dei memento.*

Quamquam in hoc quoque genere usurpatur, cum communis, de qua dictum est, Comicorum libertas, tum illa peculiaris, quod pro penultima longa ponit interdum duas breves. Exemplum est in Actus quarti scena secunda:

Jam ubi ubi erit, inventum tibi curabo, & mecum adductum.

Hic penultima producta est. Ibidem.

Orare jussit, si se ames, hera, jam ut ad sese venias. Item.

Hanc expetivi, contigit, conveniunt mores, valeant.

In his pro penultima longa ponuntur duæ breves. Hos versus etiam scazontes appellant.

Est scazontis genus diminutum, quod dimetro Iambico accinit duos trochæos: velut in Actus tertij scena secunda:

Adhuc, Archillis, qua adsolent: Hic dimeter est. *quæque oportet:* Duo sunt trochæi. Contra in aliis additur pes legitimo numero: Interim prior carminis pars est trochaica, posterior iambica, & contra.

Admiscentur interdum & cretici, sive amphimacri, qui pes mediam habet brevem inter extremas longas: sic ut singuli versus habeant quaternos aut ternos creticos, nisi quod hinc quoque usurpatur libertas comica sicut in cæteris. Exemplum est in quarti actus scena prima:

Vt malis gaudeant, atque ex incommodis.

Quatuor cretici sunt, nisi quod tertius est spondæus. Ibidem:

Tum impudentissima eorum oratio est.

Tres habent creticos. Quamquam arbitror prius carmen vitiatum mutato dictionum ordine. Etenim si sic legas: *Et tamen res cogit denegare, ibi tum eorum impudentissima oratio est:* ut posterior versus excipiat synalæpham prioris, carmen probè constat. Quidam tamen malunt hinc esse trimetros trochaicos catalecticos.

Iambici trimetri facilior est dimensio, cum penthemimeris finit dictionem. *Velut, Effertur, immo. Et, Sic cogitabam.*

PROLEGOMENA TERENTIANA.

Difficilior cum contrà : Ut. *Honeste & liberali: accedo ad pedes-
guas.* In *be* cæsura est. Idem efficiunt crebræ synalæphæ : ut *ibi, Quæ
ibi aderant, forè unam aspicio adolescentulam.*

In tetrametris item iambicis ac trochaicis durior est dimensio, si prior
dimeter non finiat dictionem, præsertim si non sit iambus, aut si acce-
dat synalæphe, ut,

Meum gnatum rumor est amare. id populus curat scilicet.

Prior dimeter finitur in *ma*, syllabam productam, & excipitur à
synalæphe *re id.*

Rursus ibidem :

Qui postquam audierat non datum iri, &c.

Prior dimeter definit in *i*, admixta synalæphe.

Turbat & illud Lectorem minus exercitatum, quòd interdum repentè
miscet iambica cum trochaicis, trimetra interdum & dimetra aut mono-
metra cum tetrametris, acatalectica cum catalecticis, cretica cum iam-
bicis ac trochaicis : quòd locis aliquot annotavimus in margine. Ea
mixture maximè fit ubi res sunt turbulentiores. Fit interdum, ut scena
prior desinat in hemistichium, & ab hujus clausula incipiat scena pro-
xima: velut in Andriæ actus tertij, scena tertia, *Sed eccum video ipsum
foras exire.* Dimeter est plenus, cum sesquipedè. Perficitur initio sce-
næ sequentis, *Ad te ibam, quidnam est?* ut sit scæzon tetrameter ca-
talecticus. Nonnunquam dictio quæ pertinet ad sensum versus sequen-
tis, per elisionem annectitur fini præcedentis : ut in prologo Eunuchi,
Qui bene vertendo & eas describendo malè, ex Græcis bonis, &c. Du-
rius est, cum dissecta dictione, prior syllaba finit versus, reliquæ in-
cipiunt sequentem, ut Eunuchi actus tertij, scena prima :

Continud si quando illa dicet, Phædriam

Intromittamus comestatum, tu Pamphilam.

Elisiones item & synæreses, præsertim minus usitatæ apud recentio-
res, faciunt ut Lector impeditus frequenter hæreat in carmine. Eliditur
autem in comicis versibus *u* consonans, ut in 1. scena, *Sine invidia
laudem invenias & amicos pares.* Rursus ibidem, *Liberius vivendi fuit
potestas, nam antea, &c.* Item in scena tertia, *Enimvero Dave nihil
loci est, &c.*

Carmen enim incipit ab anapæsto. Et ante in scena prima, *Enimvero
spectatum satis.*

Eliditur & *s*, tum in fine, tum in media dictione. In fine, ut in pri-
ma scena,

Sed quid opus est verbis? Sed quid opust. Elisa simul & vocali *e.*

Idem fit in *satis, Nec satis digna cui committas, &c.*

Rursus in prologo Andriæ, fit in medio dictionis, *Idisti vituperant :*
aliisque locis compluribus, quorum aliquot in margine annotavimus.
Interdum elidunt *l*, ut in prima scena Andriæ, *Pro uxore habere hanc
peregrinam, ego illud sedulo.* ut *grinam ego il*, faciant dactylum.

PROLEGOMENA TERENTIANA.

Hanc libertatem frequenter usurpat Homerus, dum *s*, elidit in *ὀδὸν
αὐτοῦ, & l*, in *ἀχλαῦς.*

Sæpenumero contrahuntur vocales, velut in his, *fuit, Deos, dies,
meus, suus, scias, nihil, mihi*, ut sint monosyllaba. Similiter ei, ejus,
hujus, cujus, monosyllaba ponuntur subinde : *eorum, meorum* dissyl-
laba. *Liberius vivendi fuit potestas. Di fuit*, facit spondæum. *Scias
posse habere jam ipsum sua, &c.* *Scias posse* spondæus est : & *sua*,
unica syllaba est. *Meum gnatum rumor est amare. Meum gra*, spon-
dæus est. Item *antehac* dissyllabum est. *Nam quod antehac fecit.* Fre-
quenter eliditur *d*, in *quid, & sed* pro vocali, & sicut in *periculum*,
elidimus *u* : idem hic facit in *paululum & annulum.* *Quin & syllabæ
quædam aliter pronunciantur, quàm apud recentiores usurpatæ sunt :*
velut in *suspicio*, secunda producitur : unde factum est, ut quidam le-
gant *suspicionem*. Rursus in *cave, vade mane, & ubi finalis corripitur.*

Minimo momento mutatur genus carminis, velut in actus quarti, sce-
na 1. Si legas,

In denegando modo quis pudor est paululum. Trimeter est iam-
bicus. Rursus si *In* annectas fini versus præcedentis, versus constabit
quatuor creticis. *Denegan-do modo-quis-pudor-est-paululum.* Si in
modo, facias pyrrhichium, erit trimeter trochaicus catalecticus.

Dene-gando-modo-quis pu-dor est-paululum.

Porro inter iambicos tetrametros acatalecticos, & trochaicos tetra-
metros catalecticos, tanta est affinitas, ut interdum nihil referat eun-
dem versus utrum per iambo, an per trochæos metiaris. Velut in actus
tertij, scena quarta,

Vtinam mihi esset aliquid hic, quo nunc me precipitem darem.

Si *mihi* facias unicam syllabam, trochaicus est : si duas, iambicus est :
quale est & in actus v. scena 1.

Satis jam satis, Simo ! spectata erga te amicitia est mea.

Item sequens,

Satis periculi cepti adire, orandi jam finem fase.

Licet per iambo vel per trochæos metiri. Hujus generis sunt &
alij complures. Illud mihi monendus est Lector, ut meminerit à no-
tato metro idem carminis genus durare, donec repererit annotatum di-
versum.

IN CARMINUM GENERA

EX EODEM ERASMO.

IN titulo, *Cneo Sulpitio Coss. Glareanus legit Caio. Nam in prologis.* In prolo-
g. Aut non eliditur *m*, aut *prologi* dixit, ut Græci *polypus*, & nos *go.*
opilio. Non ita dissimili sunt argumento.] Nisi elidas in *argumento*,
syllabam, non constat trimeter : aut nisi legas, *dissimili argumento sunt.*

PROLEGOMENA TERENTIANA.

- Act. 1. sc. 1. *Id isti.*] Eliditur *s*, in *isti*. *Vos isthac*] Iambici trimetri.
Cognosces, & quid facere in hac re te.] Vel *te hac in re*.
Liberius vivendi fuit.] Nisi elidas *u*, in *vivendi*, carmen non constat : & *fuit* monosyllabum est. *Sine invidia.*] Eliditur *u*, consonans. & nisi sit proceleusmaticus, in *dia* fit Synæresis. *Ex Andro commigravit huc.*] Aliter *huic*. Nam qui cum ingenis conflictatur ejusmodi.] *Ejusmodi* trisyllabum est. *Quid obstat, cur non vera.*] Aliter. *Quid igitur obstat*, sed tum *vera* expungendum. *Pro uxore habere hanc peregrinam, ego illud.*] Eliditur *l*, aut versus non constat.
- Act. 1. sc. 2. *Sed quid opus est.*] *Opust?* Non dubium est.] Iambici Trimetri. *Futuras esse audivit.*] *Esse*, redundat in metro, ni facias synæresin in *audivit*, aut nisi elidas *e* in *sed*, quod aliquoties facere videtur Terentius *sd*, *ips*; ut sit interjectio veluti conticefcentis repente. *Mirabar.*] Iambicus tetrameter. *Verebar.*] Dimeter. *Nunquam cuiquam.*] Trochaici tetrametri. *Id voluit.*] Iambici tetrametri. *Ne esset.*] Trochaicus tetrameter. *Astutè.*] Iambici. *Si sensero hodie quidquam in his te nuptiis.*] Aliter *hisc*. Redit ad trimetros. *Verberibus casum.*] Rufus ad tetrametros.
- Act. 1. sc. 3. *Enimvero Dave.*] Iambici tetrametri. In *enimvero* eliditur *m*, & *u* consonans. *Si illum relinquo, ejus vita timeo: sin opitolor, hujus minas.*] *Ejus* & *hujus* sunt monosyllaba. *Quo iure, quaque injuria precipitem me.*] *Me* redundat. *Ad hac mala.*] Trimetri. *Sive ista.*] *Ista* redundat. *Mihi, quidem.*] Videtur Trochaicus Hypercatalecticus. *Sed Mytis.*] Trimeter Iambicus. *Conveniam Pamphilum.*] Iambicus tetrameter. *Audivi Archillis.*] Trochaici, tetrametri, catalectici. *Sed quidnam.*] Tetrameter Iambicus, nisi, *sed*, sit extra versum additum.
- Act. 1. sc. 4. *Hocine est humanum factum?*] Iambici tetrametri. *Quid illud est?*] Tetrametro accinitur monometer. *Vxorem decrevat.*] Tetrametri Iambici. *Miseram me.*] Dimeter. *Quid Chremes.*] Trochaici tetrametri. *Itane obstinatè.*] Tetrameter Iambicus. *Quod si fit.*] Dimeter. *Adeon' hominem esse invenustum.*] Prior dimeter est Trochaicus, alter est dimeter catalecticus, in penultima duas breves habens pro longa: potest tamen totus esse Iambicus, si legas, *adeon'*, aut in *invenustum*, elidas *s*, consonantem. *Pio Deum.*] Dimeter, redundante pede. *Chremetis pacto.*] Tetram. Iamb. *Contemptus.*] Iamb. trimet. *Repudians.*] Trochaici tetramet. *Nam quid ego.*] Dimeter Iamb. *Tantumne rem.*] Tetram. Iamb. *Quod si ego rescissem id prius.*] Prius unica syllaba est. *Aliquid facerem.*] Trochaici tetram. *Amor, misericordia.*] Iambicus tetrameter catalecticus, penultima longa. *Tum patris pudor, qui me tam leni passus est animo usque adhuc.*] Aliter *ad hoc.*] Iambici tetrametri. *Laborat & dolore, atque ex hoc misera sollicita est, diem.*] Alias *die. Ne deseras se.*] Trimetri Iambici. *Per tuam.*] *Tuam* unica syllaba est. *Bona nostra hac tibi committo, & tua mando fides.*] *Tua* & *dei* monosyllaba sunt, *Sed cur tu.*] Sunt duo dimetri catalectici: po-

PROLEGOMENA TERENTIANA.

- terior habet duas breves in penultima pro longa. *Ne ad morbum.*] Hic Senarius perficitur initio proximæ scenæ. *Quid ais, Byrrhia?* Act. 2. sc. 1. *Daturne illa.*] Dimeter. *Nuptum.*] Senarij. *Ita postquam.*] Tetrametri Iambici. *Quod possit.*] Senarius. *Ah, quanto.*] Monometer. *Te id dare.*] Duo trochaici tetrametri. *Facile omnes.*] Iambici tetrametri. *Abi hinc in malam.*] Suspicio *abin*, aut *abeas* legendum, ut constet versus. Iambici trimetri. *Ad te venio.*] Trochaici tetrametri. *Sed istud.*] Eliditur *s*, in *istud*. *Audi nunc jam.*] Si dividis *jam*, versus constat. *Cum is nihil promereat, postulare.*] Iambicus tetrameter, nisi elidas *u*, in *postulare*. *Nuptias effugere.*] Trochaici. *Nisi ea, qua nihil opus.*] In *opus* eliditur *s*. *Dij boni.*] Trochaici tetrametri. *Tuus pater.*] *Tuus* unica syllaba est. *Redeunti interea ex ipsare* Act. 2. sc. 2. *mihî incidit suspicio.*] In *suspicio* antepenultima producitur. *Maneo, interea introire.*] *Introire* trisyllabum est. *Quid igitur.*] Trochaici tetrametri catalectici. *Ipsus sibi.*] In *ipsus* eliditur *s*. *Egone dicam.*] Duæ syllabæ defunt. Fortè scriptum erat, *faciam Dave*, & quoniam sequitur nomen personæ, lector putavit idem bis positum. *Suadere noli.*] Iambici trimetri. *Sine omni periculo.*] *Omni* superest. Act. 2. sc. 3. *Patri dic.*] Iambici tetrametri. *Dabit nemo: inveniet inopem potius.*] In *inveniet* *u*, eliditur. *Potius* dissyllabum est. *Aliam otiosus.*] Alias *alia*. *Vide què me inducas.*] *Vide* Pyrrhichius est. *Dicam, puerum autem ne resciscat mihî esse ab illa.*] Alias, ex. *Re-* Act. 2. sc. 4. *viso quid agant.*] Iambici trimetri. *Hernus me relictis rebus.*] Iambici Act. 2. sc. 5. trimetri. *Neque istic.*] *s*, eliditur in *istic*. *Hic nunc me credit.*] Iambici trinaetri. *Propter hospita hujusce consuetudinem.*] Hic versus videtur depravatus, inverso dictionum ordine. *Constabit si legas, Hujusce propter consuetudinem hospita. Sub-* Act. 2. sc. 6. *ristis visus est.*] *Visust*. *Nihil propter hanc rem. sed.*] In *seu* eliditur *d*. *Quidnam est.*] Si legas quid id est, aut quidnam est, versus constabit. *Ait nimium.*] *Ait* unica syllaba est. *Quem, inquit, vocabo ad co-* Act. 3. sc. 1. *nam meorum.*] *Meorum*, dissyllabum est. *Hem illic est huic rei caput.*] *Rei*, monosyllabum est. *Ita pol quidem.*] Iambici trimetri. *Sed hic Pamphilus.*] In *sed* videtur elidi *d* littera, aut certè vocalis *e*. *Vix tandem sensi stolidus.*] In *stolidus* eliditur *s*, in fine. *Nunc hujus.*] *Hujus* monosyllabum est. *Adhuc Archillis.*] Iambici dimetri tres, qui- Act. 3. sc. 2. *bus accinuntur duo trochæi. Date.*] Dimeter catalecticus. *Peracastor.*] Iambicus trimeter. *Deos quaeso.*] Iambici tetrametri. *Non imperabat coram quid opus factu esset puerpera.*] *Puerpera* trisyllabum est. *Tibi videor.*] Si legas *videbor*, constat versus. *Credone tibi.*] Iambicus trimeter. *Teneo quid erret.*] Item hic. *Quid credas.*] Iambici tetrametri. *Certè enim.*] Trochaicus tetrameter. *Egone.*] Iambici tetrametri. *Hoc ego scio.*] Huic versui deest syllaba, nam est scæzon. *Sed nihilc.*] Trochaici tetrametri. *Idoc nisi fit, puerum ut*

PROLEGOMENA TERENTIANA.

tu videas, nihil moventur.] Aliàs *morentur.* *Quid ais.*] Trochaicus dimeter catalecticus. *Id consily.*] Rursus trochaici tetrametri. *Non impulit.*] Iambici trimetri. *Atque adeò.*] Iambicus tetrameter scazon catalecticus. *Jubeo Chremetem.*] Iambici tetrametri. *Ausculto.*] Iambicus dimeter. *Per te ego.*] Iambici trimetri. *Dehinc facile ex illis sese emerfurum malis.*] Emergere activè. *Neque illum.*] In illum eliditur *l.* *At istuc.*] In *istuc* eliditur *s.* *Sed quid ais.*] Iambici tetrametri catalectici scazontes. *Sed eccum.*] Aliàs *atque.* Hæc pars est scazontis sequentis. *Ad te ibam.*] Scazontes ut antè. *Cur uxor.*] *Uxor* redundat in versu, & videtur additum ab Interprete. *Ego dudum.*] Iambici tetrametri. *Nunquam quivi ego istuc.*] Aut eliditur *u,* in *quivi,* aut *s,* in *istuc.* *Hem.*] *Hem* pendet à priore versu. *Narro, qua tu dudum.*] Aliàs *narro huic.* *Quidram audio.*] Trochaicus tetrameter catalecticus. *Hem quid dixti.*] Rursus octonarij Iambici. *Nullus sum.*] In *nullus* eliditur *s.* *Sed eccum.*] Dimeter Iambicus. *Vtinam mihi.*] Trochaicus tetrameter catalecticus.

Vbi illic.] Iambici tetrametri. *Qua fiducia.*] *Qua* refertur ad dimetrum priorem. *Nec quid de me.*] *Nec* pertinet ad dimetrum priorem.

Hem quo fretus.] *Hem* additur extrametrum. *Hocine.*] Hic est Iamb. pentameter. *Tanta vecordia.*] Cretici dimetri, id est quatuor pedum. *Et tamen res cogit.*] Aliàs *premit.* Deest aliquid metro, nam pro quarto cretico posuit iambum. *Tum impudentissima.*] Cretici tres. *Quis tu es.*] Et hic pro quarto cretico ponitur iambus. *Proxumus sum.*] Cretici quatuor. *Si roges.*] Cretici tres. *Non verentur.*] Trochaicus scazon. *Sed quid agam.*] Trochaici tetrametri catalectici. *Multum molestus cerè.*] Iamb. tetrameter. *Etiam nunc me subducere.*] Aliàs *seducere.* *Quid istuc.*] Trochaici tetrametri. *Quantasque.*] Iambici trimetri. *Quid istuc.*] In *istuc* eliditur *s.* *Imò etiam.*] Iambici trimetri.

Quis ambo.] Iambicus tetrameter. *Nisi mihi Deos.*] Et hic tetrameter. *Factum est.*] Trimetri rursus. *Imò etiam, nam satis.*] In *satis* eliditur *s.* *Faciam.*] Iambici tetrametri. *Fam ubi ubi erit.*] Iambici tetrametri scazontes catalectici. *Optumè te mihi offers.*] Versus constat, si legas, *Opportunè te mihi offers.* *Nihil ne esse.*] Iambici trimetri. *Quò portas puerum.*] Hemistichium absolvitur proxima scena. *Mysis nunc opus.*] Iambici trimetri. *Nova nunc religio te.*] Aliàs *in te.* *Revertor.*] Iambici trimetri. *Illic est.*] Iambicus tetrameter. *Quid turba.*] Trochaicus catalecticus. *Quid illic hominum litigant.*] Aliàs *litigat.* *Tum annona.*] Rursus trimetri Iambici. *Qui hic neminem alium video.*] Aliàs *videam.* *Mirum verò, impudenter mulier si facit meretrix.*] Iambicus scazon catalecticus. Senarius erit, si legas. *Mirum impudenter mulier si meretrix facit.* *Ab Andria est.*] Iambici trimetri. *Eho, an non est.*] *Eho* est extra versum, aut annectitur priori. *Cum in pariundo aliquot adfuerunt.*] *Adfuerunt* trissyllabum est. *Tanto hercle magis.*] In *magis* eliditur *s.* *Quis hic*

PROLEGOMENA TERENTIANA.

loquitur?] In *quis* eliditur *s.* *Novi rem omnem, sed est Simo intus?*] Pentameter est, nisi legas, *intus est,* in fine. *Ne me attingas.*] Iambicus tetrameter. *Eho inepta.*] Trimetri.

Quid sciam.] Aliàs *qui.* *In hac habitasse.*] Iambici trimetri. *Quæ se inhonestè optavit parare hic divitias.*] Eliditur *u,* consonans in *divitias.* *Itane Chrysis.*] Duo trochæi, tres cretici. *Nosne? sic.*] Sic addunt Interpretes, & sine illo non constat versus trimeter. *Vt quimus.*] Iambici trimetri. *Tum ipsam despoliare non licet.*] Aliàs *libet.*

Optumè hospes.] Si addas morem in principio, constat versus: aut si pro *optumè* legas *opportunè,* & probabile est hoc commissum scriptoris vitio. Nam Donatus non addit morem.

Satis jam.] Trochaici tetrametri catalectici. *Vide, quàm iniquus.*] *Vide* corripit, sicut cave. *Animo jam nunc.*] Trochaici tetrametri. *Quid illud mali est.*] In *illud* eliditur *l.*

Imò verò indignum.] Nisi in verò elidas *v,* consonans, versus erit Iambicus tetrameter catalecticus. *Tristis severitas.*] In *tristis* eliditur *s.* *Quidnam apportas?*] Iambicus tetrameter. *Quid ait.*] Trochaici rursus. *Hem Dromo.*] Si *hem* est in versu, Iambicus est tetrameter. Si annectas versui præcedenti, trochaicus est tetrameter catalecticus.

Audi, obsecro.] Iambici tetrametri. *Ego jam te.*] Duo trochaici tetrametri. *Age nunc.*] Iambici trimetri. *Quis me volt?*] Iambici trimetri. *Num facti piget.*] Aliàs *puget.*

Vide num ejus color.] *Co,* corripitur. *Ego me amare.*] Trochaici tetrametri. *Vis me uxorem ducere? hanc vis.*] *Hanc* superest, nisi legas *uxorem hanc.* *Mitte orare.*] Trochaici tetrametri catalectici. *Sed hiccine.*] *Sed* redundat, nisi elidas *e.* *Ego istac.*] *s,* eliditur in *istac.* *Eadem hæc Chreme.*] Tetrameter scazon catalecticus. *Quod spero.*] Octonarius Iambicus, *Cujam igitur.*] Iambicus dimeter. *Cerè mea est.*] Trochaici tetrametri. *Tum illam hic.*] Iambici tetrametri. *Jube solvi.*] *Jube* pyrrhichius est. *Provisio.*] Iambicus tetrameter. *Non putare.*] Trochaicus tetrameter.

Ego vitam Deorum.] *Deorum* dissyllabum est. *Quod voluptates.*] In *voluptates* eliditur *u,* *Sed quem ego.*] Iambicus tetrameter. *Quid illud.*] Trochaicus tetrameter uterque. *Pamphilus ubinam?*] Iambici tetrametri. *Et quidem ego.*] Trochaici tetrametri. *Prius rescisceres tu.*] Si legas, *tu prius rescisceres,* versus probè constat. *Calliopius recensui.*] Dimeter Iambicus.

EX EUNUCHO.

ARGUMENTUM secundum, quod incipit Meretrix, non sunt versus. *Si quisquam est.*] Senarij. *Atque à thesauro.*] Aliàs, à thesauro. In prologo.

PROLEGOMENA TERENTIANA:

fauris. puto fuisse scriptum, à thesauro is. *Quam illic*.] *Illic* pro ille, ut aliàs sæpe. *Vnde esset*.] Aliàs, *is sit*. *Nullum est jam dictum, quod non dictum sit prius*.] Omnes spondæi, excepto ultimo. *Quid igitur faciam*.] Iambici trimetri. *Verum si incipies, neque perficies*.] Aliàs pertendas.

Et illas quas habet.] In illas eliditur l. *Miseram me*.] Iambici trimetri. *Quid hic stabas*.] In quid videtur elidi d. *Aut ego istuc*.] In istuc eliditur s. *Cupio aliquos*.] *Cupio* superest in trimetro. *Ego excludor*.] *Ego* prior syllaba pertinet ad finem metri præcedentis. *Egon id*.] *Idem hic*.

Si quidem biduum.] *Siquidem* corripit, cum videantur duæ dictiones. Ita Ovidius, *Siquidem est ventura senectus. Fac ita ut iussi, deducantur isti*.] Trochaicus tetrameter acatalecticis, nisi tollas è versu, *isti fiet*.] Trochaicus catalecticis. *Abrogitare*.] Iambicus dimeter. *Vtinam tam*.] Trochaicus tetrameter. *Ne istuc*.] Trimeter Iambicus. *Memini*.] Iambicus scæzon catalecticis. *Perpeti*.] Trochaici. *Opus faciam*.] Elide duo s. *Tandem ego*.] Iambicus tetrameter. *Universum triduum*.] Trochaici. *Vide quid*.] *Vide pyrrichius*. *Ni ego me turpiter hodie hic*.] Aliàs *hinc*. *Dij immortales*.] Trochaici tetrametri catalecticis. *Quid interest*.] In quid eliditur d. *Simul consilium cum re amisti? vide*.] Nisi elidas l, in simul, iambicus est, & in trochaico eliditur u, in *viden* nisi legas *vide*. *Sed his*.] In *sed* eliditur d.

Negat quis.] Iambicus tetrameter. *Omnia assentari*.] Trochaici. *Dum hæc loquimur*.] Iambicus scæzon trimeter catal.

Aucupes.] *Aucupes* videtur adjectum, nam & repugnat versui, nec ponitur à Donato. *Ille ubi miser famelicus videt me esse in tantum honorem*.] Aliàs, *tanto honore*. *Et rogitare*.] Aliàs, *rogare*. *Occidi*.] Creticus. *Neque virgo*.] Octonarii Iambici. *Tadet harum*.] Trochaici tetrametri.

Hic verò est.] Iambicus tetrameter catalecticis. *Dices fuisse*.] Iambicus acatalecticis. *Vt illum Dii*.] Iambicus tetrameter catalecticis. *Mæque aded*.] Tetrameter acatalecticis.

Ita prorsum.] Dimeter Iambicus. *Flos ipse*.] Senarius catalecticis uterque. *Quid virgo*.] Iambici tetrametri catalecticis. *Adveniens*.] Iambici trimetri. *Imò enimvero*.] Elide u. *Sex vel*.] *Vel* superest in versu. *Dum hæc dicit*.] Aliàs *loquitur*. *In hanc nostram*.] *Hanc* redundat in metro.

O Parmeno!] Aliàs, *Eho*. *Huc deducta*.] Trochaici tetrametri catalecticis. *Videbit*.] Iambici tetrametri. *Dixi pulchre*.] Trochaicus tetrameter. *Habent despiciatam*.] Si legas *despiciatam*, constat versus. *Magnas verò*.] Senarii Iambici. *Quod in te est*.] Donatus legit *Quod*, sed eliditur d. *Tuum obsecro ne*.] Aliàs, *te*. *Quod eam me amare suspicatur*.] Aliàs, *suspicata est*. *Par pari referto*.] Deest syllaba, si legas,

PROLEGOMENA TERENTIANA:

legas, *par sic pari*, aut *par mox pari*, constat metrum. *Metuet semper*.] Aliàs, *metuat*. *Ridiculum, non*.] Aliàs, *nec*. *Audire vocem*.] Senarii. *Quid, hunc non*.] In quid eliditur d. *Postea continuo*.] Aliàs, *post hoc*. *Profecto quanto magis*.] Senarii iambici. *Hæri aliquot*.] Iambici tetrametri catalecticis. *Num quis hic*.] Trochaici tetrametri catalecticis. *Nunc est*.] Iambici tetrametri catalecticis. *Sed neminem*.] Senarii acatalecticis. *Quoquò eam*.] Aliàs, *quique*. Iambici.

Adibo.] Catalecticis. *Narra istuc*.] Acatalecticis. *Nostin*.] Trochaicus tetrameter catalecticis. *Istam ipsam*.] Iambicus catalecticis. *Virgo*.] Trochaicus catalecticis. *Cum ipsum*.] Iambicus acatalecticis. *Erât quidam*.] E pertinet ad versum præcedentem. *Novitia*.] Trochaicus catalecticis. *Adhortor*.] Iambicus tetrameter. *Vbi inerat*.] Aliàs, *ibi*. *Venisse clanculum*.] Nisi legas *clâm*, metrum non constat. *Dum hæc*.] Catalecticis. *It, lavit*.] Trochaicus catalecticis. *Sto expectans*.] Iambicus catalecticis. *Ita me Dij*.] Iambicus tetrameter catalecticis. *Ne quam ille*.] Trochaicus catalecticis. *Nam postquam*.] Iambicus catalecticis. *Militem*.] Trochaici tetrametri acatalecticis. *Id faciebat*.] Octonarius catalecticis. *De sorore*.] Trochaicus catalecticis. *Hæus, inquit, puer*.] Nisi legas *puere*, non constat versus. *Accerse*.] Iambicus tetrameter, sed prima syllaba, *Accerse*, pertinet ad versum præcedentem. *Dum rus*.] Senarii. *Sed quid hoc*.] Trochaicus catalecticis. *Vbi ego*.] Iambici tetrametri catalecticis.

Hocine.] *Hocine* prima pertinet ad versum præcedentem. *Quinetiam*.] Trochaicus catalecticis. *Vestem omnem*.] Octonarius acatalecticis. *Hem*.] Dimeter. *Nescio*.] Trochaicus catalecticis. *Adibo*.] Iambicus tetrameter. *Hem, Phædria*.] Iambici trimetri. *Cum donis tuis tam lepidis*.] Aliàs, *inlepidis*. *Rogas*.] Iambici tetrametri. *Perii*.] Trochaicus. *Hæu obsecro*.] Iambici quadrati. *Qui fuerit*.] Trimeter. *Virgo ipsa*.] Tetrametri. *Quò ille*.] Trochaicus tetrameter.

Fortè ad nos.] Trochaicus tetrameter, redundante syllaba. *Perii*.] Trochaici catalecticis. *Sed nihil posse*.] Si legas *potesse*, iambicus est, & sic legendum arbitror: nam & sequens iambicus est. *Exi foras*.] Senarii. *Nunc eò*.] Trochaicus tetrameter catalecticis. *Tace obsecro*.] Senarii. *Respondeat*.] Iambicus septem pedum. *At ille*.] Trimetri. *Meam ipse induit*.] *Induit* disyllabum est. *Iam satis*.] Trochaici catalecticis. *Mirum*.] Iambici tetrametri. *Hæus tu*.] Trochaici. *Alio pacto honestè quo modo hinc abeam nescio*.] Deest syllaba, fortè *nunc*.

Inveniam hodie.] *Hodie*, prima producta, *hoc die*. *Tu pol*.] *Tu* superest. *At at*.] Iamb. tetram. *Sed Thais*.] Iamb. tetram. *Quod intellexi*.] d, videtur elidi. *Credo equidem*.] Trochaicus tetrameter catalecticis. *Te ipsam expectabam*.] Aliàs, *expecto*. *Militem secum*.] Aliàs, *Militum*. *Hæcine ego*.] Octonarii. *Mori me satius*.] In satius eliditur s. *Quid ignave*.] In quid eliditur d. *Qui istuc*.] Aliàs, *istum*.

legas, f

Act. 3. sc. 2.
Act. 3. sc. 3.
Act. 3. sc. 4.
Act. 3. sc. 5.

Act. 4. sc. 1.

Act. 4. sc. 2.
Act. 4. sc. 3.

Act. 4. sc. 4.

Act. 4. sc. 5.
Act. 4. sc. 6.
Act. 4. sc. 7.

PROLEGOMENA TERENTIANA.

Omnia prius.] Trochaici catalectici. *Siccine agis.*] Videntur cretici. *Scibus.*] Trochaici acatalectici. *Satis hoc est tibi.*] Donatus legit, *Satin' hoc est tibi*, & post *ais* addendum *Thais?* ubi rursus notata loquentis persona locum fecit errori. *Pergin'.*] Senarii. *Hera meatac.*] Nisi legas bis *tace*, versus non constat. *Apud Antiphonem.*] Iambici trimetri. *Aufugistin'.*] Prima *aufugistin'* pertinet ad versum præcedentem. *Paululum quiddam.* Py. *Eho paululum, impudens.* *An paululum hoc esse tibi videtur virginem.*] Nisi legas *paulum*, versus non constat. *Te mihi patronam cupio.*] Aliàs, *capio.* *Adest optime.*] In *adest* prior syllaba pertinet ad versum præcedentem. *Quid, quid?* Senarii. *Re-
Act. 5. sc. 1. verto quidnam.*] Senarii. *Prob fidem.*] Trochaici catalectici. *Hem
Act. 5. sc. 2. colligavit.*] *Hem* extra metrum est. *Ex meo propinquo.*] Senarii. *Sed
Act. 5. sc. 3. estne.*] In *sed*, aut *e* eliditur aut *d.* *Reliquom.*] Fortè *relictum.* *Nun-
Act. 5. sc. 4. quam adepol.*] Iambici tetrametri catalectici. *Quæ quid timeret scie-
Act. 5. sc. 5. bam.*] *Sciebam* disyllabum est. *Non possem satis narrare.*] Aliàs, *Non
Act. 5. sc. 6. pote satis narrare.* *Quid nunc.*] Trochaici catalectici. *O populares.*] Iambici tetrametri acatalectici. *Meo fratri gaudeo amorem esse omnem
Act. 5. sc. 7. in tranquillo.*] Non eliditur *m.* *Miles pellitur.*] Aliàs, *pellitur.* *Par-
Act. 5. sc. 8. meno modo.*] Trochaicus catalecticus. *Gaudeo.*] Octonarii.
Illam laudas.] Trochaici. *O Thraso.*] Suspisor carmen inversione ordinis depravatum. Constat si sic legas, *O Thraso, salvete. tu fortassis hic quæ facta sunt nescis. Scio, cur ergo in his te conspicio regionibus? Ut ego pronomen elidatur. Et quod des, paululum.*] *Paululum* disyllabum.

EX HEAUTONTIMORUMENO.

AR G U M E N T U M C, Sulpitii constat senariis. In titulo, *C. Cornelio*, aliàs legitur, *T. Sempronio*. Vide anno ab Urbe condita 591. *Ne cui sit.*] Senarii. *Quanquam hac.*] Senarii. *Vbi rem rescivi.*] Aliàs, *id.* *Nam usque dum ille vitam illam incolit.*] Aliàs, *incolet.* *Et illum obsequentem.*] In *illum* eliditur *l.* *Nihil adhuc est.*] Iambici quadrati hypercatalectici & acatalectici. dimeter unus acatalecticus, Quadratus unus catalecticus, brachycatalectici duo. *Nihil adhuc est.*] Catalecticus. *Et illam simul.*] Brachycatalectici.
Qui cum.] Trochaicus dimeter catalecticus. *Pater adest.*] Trochaici tetrametri catalectici. *Probè.*] Iambici octonarii hypercatalectici.
Atque etiam nunc.] Iambici quadrati acatal. *Quàm iniqui.*] Octonarii iamb. *Si mihi secunda.*] Octon. iamb. *Etiam caves ne videat fortè hinc.*] Aliàs, *hic.* *Ain' tu.*] Senarii & Octonarii iamb. permixtis Troch. catalectici. *Ain' tu.*] Trochaici catalectici. *Dum ego propter te.*] Iambicus octonarius acatalecticus. *Nam & vita.*] Senarii iambici. *Quantum ex ipsa re conjecturam fecimus.*] Aliàs, *cepimus.* *Ita timui.*] Proceleusmaticus & tres anapæsti. *Adducimus tuam.*] Octonarii iambici

PROLEGOMENA TERENTIANA.

acatalectici, permixtis trochaicis catalecticis. *Enimvero reticere.*] Octonarius. *Clitipho est.*] Trochaici. *Nam apud patrem.*] *Nam* redundat in versu. *Ibo obviam.*] Senarii. *Adepol te.*] Trochaici octo. catalectici permixtis iambicis quadratis acatalecticis. Porro senarii quinque. *Ergo mea.*] Iambici octonarii acatalectici. *Antiphila.*] Senarii. *O mi Clinia.*] Aliàs, *mi expectate*: tunc erit trochaicus catalecticus. *Salvum venisse.*] Aliàs, *advenisse.* *Luceſcit.*] Senarii. *Putabit pravum, an rectum fiet, quod petet.*] Aliàs, *petit.* *Abiturum se abs te esse ilico minabitur.*] Aliàs, *minabitur.* *Hacillac.*] Senarii. *At nunc.*] Aliàs, *& Causa.*] Proceleusmaticus in 2. *At heus tu facito dum.*] *d,* eliditur. *Nec cum malefacerem.*] Proceleusmaticus in 2. *Quid istuc quaeso.*] Iambici quadrati & acatalectici & catalectici. Denarius item unus, & fragmentum Iambici quadrati. Senarius unus. Fragmentum unum. *Vel heri in convivio.*] Aliàs, *vino.* *Facio conjecturam.*] Quadratus iambicus acatalecticus. *Posthac.*] Trochaicus catalecticus dimeter. *Censè' verè.*] Trochaici tetrametri. *Est meretrix.*] Senarius. *Vah; vide.*] Octonarius iambicus. *Hic huic.*] Trochaici quadrati catalectici. *Nisi me animus.*] Iambici quadrati acatalectici, trochaici acatalectici, unus acatalecticus, unus hypercatalecticus. *Nisi me animus.*] Iambici quadrati acatalectici. *Credo.*] Trochaici quadrati catalectici. *Si puellam.*] Trochaici catalectici. *Annulum.*] *Annulum* disyllabum est. *Nisi me animus fallit.*] Iambici octonarii acatalectici. *Nulla mihi res.*] Iambici quadrati catalectici, & unus senarius. Trochaici quadrati catalectici, & unus hypercatalecticus. *Nam qui ille.*] Senarius. *Huic equidem.*] Trochaici catalectici. *Tu fortasse.*] Hypercatalecticus. *Satis pot.*] Iambici quadrati catalectici, unus hypercatalecticus. *Ita me Dii.*] Senarii, unus quadratus. *Optabit rursus.*] Quadratus. *Eccum.*] Senarii. *Et quidem.*] Aliàs, *equidem.* *Fus summum saepe summa malitia est.*] Aliàs, *injuria.* *Nulla est.*] Senarii. *Apud Cliniam.*] *Apud* redundat in metro. *Vbi Clitipho.*] Senarii. *Multo omnium.*] Senarii. *Erravi.*] *Erravi*, prima syllaba pertinet ad versum præcedentem. *Ego me non tam astutum.*] Trochaici quadrati catalectici, & senarii iambici. *Ego me non tam.*] Trochaici quadrati catalectici. *Neque ita perspicacem esse, id scio.*] Aliàs, *cero scio*, tunc esset iambicus. *Quamobrem? nescio.*] Iambici tetrametri acatalectici. *Fily est amica.*] Senarii iambici. *Duo talenta.*] Trochaici catalectici quadrati. *Quæ in me fecit.*] Versus perficitur sequenti scena. *Itane tandem.*] Trochaici quadrati catalectici, & iambici quadrati acatalectici, & fragmentum. *Nec tibi, nec huic.*] Aliàs, *tibi.* *Ita nos abalienavit.*] Iambici quadrati. *Ego dicam, quod mihi in mentem.*] Aliàs, *in mente est.* *Mentem venit.*] Trochaici. *Quid autem hoc.*] Iambici tetrametri catalectici. *Profectò nisi caves.*] Iambici quadrati acatalectici. Trochaici varij numero septem. *Imò scis potius, quam quidem redeat ad integrum hoc eadem ora-*
f ij

PROLEGOMENA TERENCEIANA.

rio.] Denarius catalecticis. Divide imò: si tollas eadem, versus constat. *Non postulo.*] Trochaici. *Subditum se.*] Octonarius hypercatalecticis. *Confirere.*] Denarius catalecticis. *Egone.*] Tetrametri iambici catalectici. *Quod est.*] Dimeter. *Convinces facile.*] Trochaici. *Si unquam.*] Trochaici quadrati catalectici, permixti iambis aliquot. *Enimvero, Chromes.*] Trochaici quadrati catalectici mixtis iambicis quadratis. *Sine te.*] Iambicus tetrameter. *Non faciam.*] Iambicus. *Ignosce.*] Trochaici. *Nate mi.*] *Nate mi*, est extra versum.

EX ADELPHIS.

Torax.] Senarii. *Hem opportunè.*] Senarii. *Rogitas me.*] Aliàs, *Rogas. Amat? dabitur.*] *Amat*, prior syllaba pertinet ad versum præcedentem. *Obsecro populares.*] Iambici tetrametri catalectici. *Subvenite.*] *v*, eliditur. *Ego istam.*] Dimeter. *Aeschine audi.*] Trochaici tetrametri acatalectici. *Factam esse.*] Trochaici catalectici. *Novi ego.*] Acatalecticis. *Indignum injuriâ.*] Catalectici. *I intro.*] Iambicus acatalecticis. *Nimum istoc.*] Trochaici catalectici. *Ne mora.*] Iambici quadrati acatalectici. *O facinus.*] Trochaici. *I nunc.*] Iambici acatalectici. *Ob malefacta.*] Trochaici catalectici permixtis iambis acatalecticis. *Verùm enim.*] In *enim* eliditur *m*. *Tace, egomet.*] Iambici quadrati acatalectici & senarii. *Metuisti, si nunc de tuo jure concessisses paululum, atque.*] Elifio excipitur à versu sequenti. *Injeci scrupulum.*] Senarii iambici. *Quod ad te rediturum.*] Id quod elide *d*. *Per oppressionem.*] In *per* eliditur *r*. *Abs quivis.*] Iambici quadrati acatalectici. *Meum amorem.*] Aliàs, *laborem. Sed quisnam.*] Aliàs, *quidnam. Vbi ille.*] Iambici quadrati acatalectici. *Obsecro mea.*] Iambici quadrati acatalectici. *Nunc illud.*] Iambici quadrati acatalectici, & unus dimeter, permixtis trochaicis aliquot acatalecticis. *O hominem impium!*] Aliàs, *impurum. Sed cesso heram.*] Iambicus acatalecticis. *Hem, quisquis.*] Trochaici. *Nostram vitam.*] Iambici tetrametri catalectici. *Disperii.*] Senarii iambici. *Dementia.*] Quadratus. *Pro Diis.*] Senarii iambici. *Atque equalem.*] *Atque* prior syllaba pertinet ad versum præcedentem. *Quàm illas deseram.*] Aliàs, *illam. Bono animo.*] Senarii. *Ain' patrem.*] Iambici quadrati acatalectici, uno aut altero trochaico catalectico mixto. Dimeter unus iambicus. *Na ego homo.*] Trochaici quadrati catalectici, unus denarius, paucis iambicis immixtis. *Quonam.*] Videntur cretici. *Ego in hac re.*] Quadrati iambici & trochaici. *Omnes quibus res.*] Trochaici catalectici. *Quapropter te.*] Iambici tetrametri. *Discrucior.*] Iambici quadrati acatalectici. Senarius unus. Scazon trochaici catalectici quadrati. *Membra metu.*] Trochaici. *Emisse id.*] Trochaicus dimeter hypercatalecticis. *Nam ut hinc.*] Iambici tetrametri. *Nunc quid faciam.*] Trochaici catalectici quadrati. *Prodit nescio.*] Versus perficitur

PROLEGOMENA TERENCEIANA.

proxima scena. *Ita uti.*] Iambici quadrati acatalectici & catalectici. Dimeter unus. Cæteri trochaici quadrati catalectici iambici Senarii. *Facite*] Trochaici tetrametri. *Cur non ludo.*] Senarii. *Cur non ludo hunc aliquantisper?* melius est. Si addas *nunc*, versus constat. *Itane.*] *Ita* prima pertinet ad versum præcedentem. *Quid ipsa.*] Aliàs, *Quid ipsa aiunt? Quid lachrymas?*] Trochaici catalectici quadrati. *Ego eo intrò.*] Iambici quadrati acatalectici. *Quid hoc.*] Iambicus catalecticus scazon. *Sed cesso.*] Trochaici catalectici. *Defessus sum.*] Senarii. *Ibo, illis.*] Senarii. *Adepol.*] Senarii. *Heus, Syre.*] Senarii. *Parata à nobis.*] Senarii. *Nunquid minus.*] Aliàs, *num qui. Quàm mecum.*] Aliàs, *quod. Cum prima luce.*] Aliàs, *primo luce. Nunquam ita.*] Trochaici quadrati catalectici. *Quod mihi nunc*] Iambicus tetrameter acatalecticis. *Prope jam.*] Trochaici. *Heus, Demea.*] Senarii. *Hera ego.*] Senarii. *Occidunt me quidem.*] Senarii In *quidem* aliquid eliditur. *Fubet frater.*] Senarii. *Me ducere.*] Iambici tetrametri acatalectici. *Age, quid si.* Trochaici. *Et si hoc.*] Iambici tetrametri. *Factum est.*] Fragmentum. Trochaici catalectici quadrati, ultimus scazon. *Optimum quidem.*] In *quidem* fit elifio.

EX HECYRA.

Per pol.] Senarii. *Senex si quæret.*] Senarii. *Cum milite.*] Proceusmaticus. *Pro Deum.*] Iambici quadrati catalectici. Trochaicis quadratus catalecticis. *Me miseram.*] Senarii. *Itaque una.*] Iambici tetrametri. *Quo quisque.*] Senarius. *Multo melius.*] Trochaicus quadratus catalecticis. *Enim lassam.*] Iambici tetrametri. *Et si scio.*] Iambici quadrati acatalectici. *Adepol.*] Trochaici catalectici quadrati. *Adepol* autem est extra carmen. *Nemini ego.*] Trochaici quadrati catalectici. Iambici quadrati & catalectici & acatalectici senarii. *Nemini ego.*] Trochaici. *Cui quanto.*] Iambicus catalecticis. *Quàm huc.*] Acatalectici. *At sic citius.*] Trochaicus. *Si non redisses.*] Iambici catalectici. *Rursum in gratiam.*] *Rursum* abundat. *Profectò, Parmeno, me celas.*] Aliàs, *celant. Quonam modo.*] Iambici quadrati catalectici. *Nescio quid.*] Iambici quadrati catalectici. *Quid ais?*] Trochaicus catalecticis. *Hem istoc.*] Iambici catalectici. *Nequeo mearum.*] Trochaici octonarii catalectici, & senarii 6. *Adest Parmeno.*] Senarii. *Ain' tu.*] Senarii, & unus quadratus. *Nam aliàs ut omittam.*] Aliàs, *mittam. Dixtine*] Trochaici octonarii catalectici, & senarii iambici. *Quibus iris.*] Senarij. *Perii.*] Trochaici & iambici octonarii catalectici, & acatalectici mixti. *Dicam.*] Iambicus dimeter. *Sed ostium.*] Trochaici catalectici. *Atque eccam.*] Iambici catalectici. *Nam si utrumvis.*] Trochaicus catalecticis. *Non sit.*] Iambici catalectici. *Perii.*] Acatalecticis. *Credo.*] Acatalecticis trochaicus. *Quid sit.*] Iambici catalectici. *Adon' per-*

PROLEGOMENA TERENTIANA.


vicaci.] Trochaici acatalectici. *Vt eo essem.*] Trochaicus octonarius catalecticus. *Nullam pol.*] Iambici acatalectici. *Non clam.*] Iambici quadrati acatalectici. *Itaque ut esse ego illam.*] Aliàs, *illa. Ferantur.*] Senarius. *Quid vis.*] Iambicus catalecticus. *Quia de uxore.*] Trochaici catalectici. *Sed non minnam.*] Mixtum trochaicum cum iambico catalectico. *Nescias.*] Trochaicus catalecticus. *Quando hac.*] Iambici acatalectici. *Sumus.*] Dimeter iambicus. *Sed video.*] Iambicus catalecticus. *Tibi quoque.*] Senarii. *Non hoc de nihilo.*] Iambici quadrati catalectici & acatalectici. Trochaici catalectici mixti. *Ego pol quoque.*] Quadrati iambici catalectici. *Ne nomen mihi questus.*] Aliàs, *meo questui. Sed quid istuc.*] Trochaici catalectici. *Quis id ait?*] Iambicus acatalecticus. *Puerumque.*] Trochaici catalectici. *Lepida es.*] Iambicus acatalecticus. *Eas ad.*] Trochaici catalectici. *Aliter si facias.*] Iambici tetrametri acatalectici. *Nihil apud me.*] Iambici quadrati catalectici. *Benigne.*] Dimeter catalecticus. *Sed cum tu.*] Octonarii catalectici. *Adepol.*] Trochaici octonarii catalectici. Iambici quadrati catalectici. *Quantam obruli.*] Iambici quadrati catalectici. *Hommo se fatetur vi in via virginem.*] *Virginem superest. Dicitque sese illi annulum.*] *Annulum dissyllabum est. Vide, mi Parmeno.*] Iambici quadrati acatalectici mixtis senariis & trochaicis quadratis catalectici. *Egone.*] Iambici tetram. acatalectici. *Sed Bacchidem.*] Senarii. *Vt voluptati.*] Quadrati acatalectici iambici. *Myrrhina.*] Trochaici tetrametri. *Quantum hodie.*] Iambici acatalectici. *Sequere me.*] Trochaicus catalecticus. *Feci imprudens.*] Senarius Trochaicus acatalecticus.

EX PHORMIONE,

In prologo. *Postquam poeta.*] Senarii. *Per quem res agetur.*] Aliàs, *geretur. Amicus summus.*] Senarii. *Si quis me quæret.*] Senarii. *Quanto in periculo sim.*] Aliàs, *simus. Hanc amare cepit perdit.*] Aliàs, *perditus. Interea dum sedemus illinc.*] Aliàs, *illuc. Nunc omitte.*] Aliàs, *amitte. Imò nihil, nisi.*] Aliàs, *preter. Adeon' rem.*] Mixta carmina: pars est trochaici, altera iambos habet catalecticos. *Ne me cupidum.*] Trochaici catalectici. *Dum exspecto.*] Iambici catalectici. *Amore abundas, Antipho.*] Dimeter iambicus. *Quod si.*] Aliàs, *Et si. Nullus es, Geta.*] Iambici quadrati acatalectici trochaicis octonariis catalecticis permixtis. Senarii item iambici acatalectici. *Ad hanc rem.*] Senarius. *Quod cum audierit.*] Tetrametri acatalectici. *Ejus me miseret.*] Trochaicus acatalecticus. *Rectè ego.*] Catalecticus. *Aliquid convasssem.*] Iambicus acatalecticus. *Quam hic fugam.*] Dimeter trochaicus catalecticus. *Sed ubi Antipho.*] Iambici tetrametri acatalectici. *Ab, sanctus es?*] Iambicus catalecticus. *Hominem.*] Monometer hypercatalecticus. *Satis pro imperio.*] Trochaici catalectici.

PROLEGOMENA TERENTIANA.

Ne te iratus suis sevis dicitis protelet.] Aliàs, *sevidicis verbis protelet.* & *sevidicis* postulat carmen. *Non possum adeste.*] Senarius iambicus hypercatalecticus. *Mane, inquam.*] Senarius acatalecticus. *Si quid potest.*] aliàs, *potes. Itane tandem.*] Iambici quadrati acatalectici, & senarii. *Itane.*] Si corripis *ita*, trochaicus est. *Nec meum imperium.*] Trochaicus. *Revereri.*] Iambicus. *Monitor.*] Iambici acatalectici. *Mi patruæ.*] Senarii. *Quin quod meritis est.*] Aliàs, *fit. Itane patri.*] Trochaici octonarii catalectici, præter duos extremos. *Senex adest.*] Iambici quadrati acatalectici. *En, unquam.*] Senarii. *Si herum insimulabis avar.*] Aliàs, *malitia. Abi in malam crucem.*] Si legas *i*, pro *abi*, constat versus. *Quanta me cura.*] Senarii iambici. *Enimvero, Antipho.*] Iambici quadrati catalectici. *Te ipsum quærebam.*] Acatalectici. *Dorio, audi.*] Trochaici tetrametri catalectici permixtis iambis quadratis acatalecticis. *Nec cum huiusmodi.*] In huiusmodi eliditur *s*. *Quid faciam.*] Trochaici tetrametri catalectici, permixti paucis iambis quadratis acatalecticis. *Quid? qua profectus causa.*] Senarii. *Ego hominem.*] Senarii. *Exspecto.*] Senarii. *Venire saluum volupe.*] Aliàs, *volup. Vt ad pauca redeam.*] Si legas, *ad pauca ut redeat*, constat versus. fortè in *ad* eliditur *d*. *Geta.*] Senarii. *Quietus esto.*] Iambici quadrati acatalectici. *Nos nostro of.*] Aliàs, *digressos. Quid agam?*] Senarii. *Aut qui consilia.*] *A* postremum pertinet ad versus sequentem. *Nam vereor.*] Iambici tetrametri catalectici. *Nam quæ hæc est.*] Trochaicus catalecticus. *Quod ut fa.*] Iambicus acatalecticus. *Hasce esse.*] Trochaici. *Qui est ejus pa.*] Mixtus trochaico & iambico. *Ne me istoc.*] Iambici quadrati catalectici. *Eho dic mi.*] Iambici quadrati catalectici. *Nemo ex me scribit.*] Trochaicus. *Nostrapte culpa.*] Iambici quadrati catalectici. *Vorsuram si l.*] Aliàs, *vorsura. Agedum ut so.*] Iambici quadrati catalectici & acatalectici. *Faciã ut iu.*] Iambici quadrati acatalectici. *Quin tu.*] Aliàs, *quid. Quid non.*] Aliàs, *qui. Obsecro vi.*] Aliàs, *carve. Nemo est*] Aliàs, *homo nemo.*] *Itane par.*] Aliàs, *parum. Latius sum.*] Iambici quadrati catalectici. *Argentum ac.*] Iambici quadrati acatalectici. *O fortu.*] Trochaici octonarii catalectici. *Tantam for.*] Senarii. *Dys magnas.*] Senarii. *Vel oculus excul.*] Aliàs, *exclude. Quis nominat me?*] Senarii trochaici, octonarii catalectici. *Abi.*] *Abi* corripit. *Demipho, te appello.*] Trochaici octonarii catalectici.



GUILLELMO BELLAIO LANGEO
TAURINI PROREGI ANTONIUS

GOVEANUS. S. P. D.

CUM mihi esset id cum multis commune, ut divinas virtutes tuas in administrando utroque tempore, & belli, & pacis, mecum ipse tacitus admirarer: optavi semper mihi tempus dari, quo iudicii huius mei de singulari tua virtute & tibi darem significationem aliquam, & posteritati relinquerem testimonium. Quod cum meum esse vellem, neque conari ego tamen magna possem, danda mihi opera fuit, tale id saltem ut esset, quo neque dignius ego quidquam præstare omnino possem, neque à me tu majus expectare. Nam cum à puero studiis me literarum dedissem, & literis tradita à veteribus essent multa divinitus, quæ neque intelligendo, nedum imitando, assequeremur, essetque intelligere prius necesse quæ velles imitari, intelligere autem sanè nemo corrupta posset, atque depravata: operam digniorem nullam, quam quidem ego navare potuissem, nullam ad vetustatis cognitionem, & imitationem, tam esse necessariam putavi, quam eam quæ in veterum scriptis recensendis, recognoscendisque poneretur. Quod ut est, quoquò te veritas, arduum atque difficile, ita in Terentii Comædiis, velle id quidem, plenum est bonæ voluntatis, præstare, non nisi majoris cujusdam ingenii, atque ejus eruditionis, quam non recipit hæc ætas: post eos præferim viros, qui in ea re non mediocriter, neque infeliciter laborarunt. Tantæ difficultatis has reperio causas, quòd sermo penè est oratio omnis Comitorum, qui se corrumpi facile patitur, quòd versu conclusa, in quo intelligi vix numerus potest, atque mensura adeò varia est, atque multiplex, quæ si non notatur diligenter, detrahi multa possunt, addi quoque impune multa, loco plurima moveri: quòd tanta in exemplaribus varietas, tam nulla fides: quòd jam multis retro sæculis author hic à librariis fuerit depravatus, ipsius etiam Ciceronis, ut opinio mea est, eruditissimis temporibus, quibus erant ij versus, ut ipse scribit, usitatissimi. Id ut credam facit, quòd ab ipso interim Cicerone Terentiani versus multi malè citantur, qualis is est in illa ad Lentulum epistola longè optima,

Intromittamus comessatum, tu Pamphilam.

Ubi, *comessatum intromittamus*, scripsisse Terentium ratio indicat senarii. Ac eodem loco post,

Par pari referto, quod eam mordeat.

Ubi, ut id taceam, quòd pro *mordeat*, *remordeat* reposuit felicissimè Amylius

Amylius Ferretus, parens alter meus, (gratiorem tibi multo esse scio, Amyli, pietatis erga te meæ, quàm doctrinæ tuæ meam testimonium) id, inquam, ut taceam, legendum erat præterea, *Referto par pari*. Neque enim Trochaicum, quem Choreum Cicero vocat, ii versus recipiunt, ut neque Trochaici Iambum. Afferrem ejus generis permulta, si te docerem, non monerem. Iam à Nonio Marcello, Festo Pompeio, Prisciano, aliter citantur multa, quàm scripta esse à Terentio sit verisimile. Ne longius abeas, est in Andriæ scena prima versus hic,

Sine invidia laudem invenias, & amicos pares.

In eo suas nescio quas collisiones comminiscitur Priscianus: ubi si legas,

Sine invidia invenias laudem, & amicos pares,

Versui consulas, sine ullo aut sententiæ, aut venustatis detrimento. Equidem nunquam existimavi sua Poetas libertate tam uti libenter, quàm necessario. Quæ cum & ipsa die, & magnorum virorum testimoniis confirmata sint: non dubito quin nos, qui iis de rebus aliter sentimus, antiquitatem serò, neque tamen non temerè, reprehendere videamur. Hæc nos profectò, Guillerme Bellai, quæ in omnes partes periculi sunt plenissima, deterrere debuerunt, si præter bonam voluntatem nihil ad tantam rem afferre potuissemus. At cum & infinita propè primi nos quæ egerent castigatione deprehenderimus, & ab aliis animadversa, neque diu minus, neque minus fortasse diligenter confideravimus, nostrumque esse aliquod potuerit iis de rebus iudicium, rei interesse literariæ putavi, id omnibus per me fieri quam notissimum. Iudicii autem nostri causas erit fortasse cum explicabimus, quos in præsentia omnes persequi, ut quàm infiniti esset laboris taceam, hominis certè esset minus occupati: testificari tantum hoc tempore, liquidòque jurare possumus, nihil nos, nisi necessario, nihil nisi versus, elegantiar, sententiæque convitio immutasse: restituisse quædam, ut ab iis autoribus, de quibus antea loquebamur, citata reperiebamus: codicibus ita usos fuisse plurimis, ut plus semper apud nos valuerit iudicii ratio, quàm librarii manus indocta, atque temeraria. Atque ut animo præsumere possis, quid de toto hoc labore nostro debeas judicare, referam paucis, quæ in Andriæ Prologo, quæ in Scena prima corruptè legi animadverterim.

Ubi in Prologo legebatur,

Id isti vituperant factum, atque in eo disputant.

Non constare versus notarat Erasmus, nisi in pronomine *isti*, littera secunda elideretur, atque ita fieret *anapestus*. Huiusmodi nos elisiones tam duras, ut dicam levissimè, non agnoscimus in re minimè necessaria. Scripsisse Terentium *Isti id vituperant*, & versus clamat, & codices nonnulli testantur. Tale illud est, quod idem in Eunuchi Act. 3. Scena 2. versu illo,

Qui habet salem,

Quod in re est. extremam scilicet in quod elidi litteram, ubi *Qui*

PROLEGOMENA TERENTIANA.

legi debere & versus] & ipsa Latinitas ostendunt.

Ubi, *Vt pernoscat & quid spei sit reliquum.*

Nos scriptum fuisse dicimus, *Vt & is pernoscat, quid spei sit reliquum*: atque aliter scripsisse Terentium persuaderi non potest. Id porro locus habet sententiæ, fabulam vos cognoscite, ut & Poëta perspicere possit, quid sibi à vobis spei relinquatur de Comœdiis, quas in posterum scribet: an scilicet explodendæ vobis prius sint, quàm spectandæ, atque cognoscendæ. Præter quem unum locum, si alium nullum in opere toto emendassemus, satisfactum & officio nostro, & hominum expectationi erat abundè.

Ubi in prima Scena,

Propterea quòd serviebas liberaliter.

Nos, *serviebas*: generis ejus sunt *scibam, nescibam, serviebam*: *serviebas* non patitur versus.

Ubi, *Sed mihi hoc molestum est: nam isthæc commemoratio,*

Quasi exprobratio est immemoris beneficii. Nos, *Sed mi hoc molestum est: nam isthæc commemoratio est Quasi exprobratio immemoris beneficii.* Mi, postulat versus: eo & multis aliis locis utitur Terentius, usus antea fuerat Plautus, usi sunt postea Vergilius & Horatius. Est, quod in prioris versus sine posuerimus, fecit series verborum naturalis: ita *beneficij* syllabarum nihil detrahetur.

Ubi, *Id gratum fuisse adversum te habeo gratiam.*

Nos, *Gratum id fuisse*: & nescio quomodo magis placet auribus eruditis: omitto, id quoque versum postulare. Neque verò dubito quin *fuisse*, fieri disyllabum magis iis placeat, qui cum aures non habeant, esse religiose inepti volunt.

Ubi, *Ita faciam. Hoc primum in hac re prædico tibi.*

Nos, *In re hac*: quòd aliter stare non possit versus.

Ubi, *Liberius vivendi fuit potestas: nam antea.*

Ut versus ratio habeatur, elidi Erasmus in *vivendi, u*, voluit unum, fierique *fuit*, monosyllabum. Nos ut esse *fuit*, syllabam unam apud hunc authorem mille locis scimus, ita illas in *vivendi*, elisiones (penè scripseram illusiones) illas, inquam, elisiones non agnoscimus: cum præfertim tam esse ingeniosum nihil sit necesse. Scripsisse Terentium putamus, *Fuit vivendi liberius potestas: nam antea.* Nihil hîc novum, nihil non concessum committitur: neque tamen de orationis venustate quidquam deperditur.

Ubi, *Nunquam præponens se illis, ita ut facillimè.*

Præponens se aliis nunquam: ita & versus vult, & orationis efflagitat venustas.

Aliis esse legendum & codex me monuit pervetustus, & aliis quoque video placuisse: ut non modò ad eos, quibus cum Pamphilus unà erat; sed ad omnes homines referri possit, ut & id quod præcedit, *adversus nemini.*

PROLEGOMENA TERENTIANA.

Ubi, *Sine invidia laudem invenias, & amicos pares.*

Quod & Prisciani & nostrum esset judicium antea dicebamus: à quo si dissentimus, cogitare nemo debet, qui aut ille fuerit, aut nos sumus: sed quid quisque dicat, quid in judicando fuerit secutus.

Ubi, *Nam qui cum ingenii conflictatur ejusmodi.*

Nos, *Nam qui cum ingenii conflictatur ejusmodi.* Ita in Phormione, *Nunquam usus venit, ut cum hujusmodi conflictares malo.* Probari enim mihi non potest, fecisse hîc Terentium *ejusmodi* trisyllabum, quod quinque esse syllabarum concessa vocalium divisione solet. Non dissimile valde est, nisi quòd pudendum magis, quod idem notavit in illo Actus 3. Scenæ 2. *Non imperabat coram, quid opus facto esset puerpera.* Esse puerpera trisyllabum: cum si fiat trisyllabum, versus stare octonarius iambicus non possit.

Ubi, *Neque commoveatur animus in ea re tamen,*

Scias posse habere jam ipsum sua vite modum. Posterior hic versus, nisi *scias* unam facias syllabam, & *sua* item unam, numerum excedet. Ego in exemplari vetusto scriptum reperio,

Neque commoveatur animus in ea re, scias

Tum jam ipsum habere posse sua vite modum. Quæ sine controversia, vera est, atque germana lectio: non mutatur sententia, sua orationi gratia relinquatur, dura illa in verbo *scias*, vitatur collisio, facilis porro *tum*, in *tamen*, fuit mutatio.

Ubi, *Effertur, imus. Interea inter mulieres,*

Quæ ibi aderant, fortè unam aspicio adolescentulam.

Nos & quòd ita venustior sit oratio, & quòd versus impediri se tot pedibus penè clamet, legendum putavimus, *Quæ ibi aderant, aspicio fortè adolescentulam.* Aliter citatur ab Interprete, non nego: at aliter quoque citatur illud, *Isti id vituperant factum*: aliter alia, nec ea quidem pauca. Illud sanè argumento esse potest quàm ille parum versus horum rationem tenuerit, quòd cum invenire non posset, cur esset illud *unam* additum à poëta, non consideravit, num à versu quoque respueretur, quod non admitti à sententia videret.

Ubi, *Perculsi illico animum, at at hoc illud est.*

Nos *attat.* Idem erat flagitium in illo Eunuchi, *Sed quis hic est, hæc qui pergit, &c.*

Idem in illo Hecyræ Trimetris. *Oportet, at at eccum Phidippum & patrem*: in quo tertio fuerat interjectio repetenda.

Ubi, *Pro uxore habere hanc peregrinam: ego illud sedulo*

Negare factum. Ut Senarius constet, corripitur in illud, literæ de tractione priorem vult Erasmus. Nos legendum putamus, *Pro uxore habere hanc peregrinam, illi ego sedulo Negare factum est.* Atque ita scripsisse Terentium, etsi versus ratio non diceret, ex eo certè quòd sequitur, *Ille instat factum, judicare tu quidem posses.*

Ubi, *Satis vehemens causa, ad oburgandum. S O. quæ cedo? Sat ve-*
g ij

PROLEGOMENA TERENTIANA.

hemens legendum putabamus, ne vehemens fieret disyllabum: quod cum tamen fieri posse videremus, egere locus notatione, non castigatione visus est.

Ubi, *Ea primum ab illo est animadvertenda injuria.*

Nos ita versu postulante, neque minore tamen venustate, *Ea primum ab illo animadvertenda injuria est.* In iis vides omnibus admonitos nos à versu, secutos venustatem, non turbasse sententiam: quorum per se quodque tantum apud eruditos valere debet, ut contra omnium exemplarium testimonia possit ad emendandum locum sufficere. Venustas fecit, ut de illo Scenæ secundæ dubitarem. *D. Hoc quid sit? S. omnes qui amant, graviter sibi dari uxorem ferunt: sciebam enim Quid hoc? magis esse Terentianum, quam, Quid hoc sit? taceo quod ita concurrentes non hiant, ut antea vocales.* Cum ergo propter venustatem mihi jam esset locus suspectus, & scriptum postea in aliis exemplaribus adverterim, *Miror quid hoc sit,* judicavi Interpretis verba pro Terentianis in contextum irrepsisse. Fecit sententia ut illud Scenæ 4. *Audivi Archillis, jamdudum Lesbiam adduci jubes,* ita legeremus: *Audivi Archillis, jamdudum quod Lesbiam adduci jubes.* Quo in loco, quia scilicet corruptè legebatur, incertam esse distinctionem notavit Donatus. taceo id versum quoque postulare, qui Octonarius est Iambicus, ut, is qui sequitur, *Sanè pol illa temulenta est mulier, & temeraria.*

Fecit sententia ut illud Chærea in Eunuchò, *Occidi.*

Neque virgo est usquam, nec ego qui è conspectu illam amisi meo. Vbi quaram? ubi investigem? quem perconter? quam insistam viam? Incertus sum. una hac spes est, ubi ubi est, diu celari non potest: ita legeremus, Occidi, Neque virgo est usquam, neque ego, qui è conspectu illam amisi meo. Vbi quaram, ubi investigem, quem perconter, quam insistam viam? Certus sum. una hac spes est, ubi ubi est, diu celari non potest. Angitur nimirum animo Chærea & se virginem è conspectu perdidisse, neque scire tamen qua ad eam ratione rursus perveniret. Ei certè, quod penè præterieram, stare iambicus octonarius si legas, *incertus sum, non potest.* Operæ pretium est Donati audire in eum locum argutias. In Phormione verba sunt Getæ servi flagra timentis, & ea se vitare posse desperantis. *Ad precatorem abeam credo, qui mihi sic oret, Nunc amitte queso hunc, cæterum posthac si quicquam, nil precor, tantummodo non addas, ubi ego hinc abiero, vel occidito.* Ubi nos legendum putamus, *non cadas, nisi addere pro cadere veteres usurpabant: id postulat omnino sententia, indicat quod intulit, vel occidito.* In Andriæ Act. 1. Sc. 2. ita legebatur, *Ne temere facias, neque tu haud dicas, tibi non predictum, cave.* In eum versum ita interpretum unus. Duæ negationes vnam faciunt affirmationem, tres negationes pro affirmatione una sumuntur, ut *hic, neque, haud, non.* Alter tertiam negationem vult redundare. Uterque testis est, alios pro

PROLEGOMENA TERENTIANA.

haud, legisse hoc: quam ego lectionem veriorem puto, & Terentio digniorem. Paulò antè ita Simo, *Quid hoc? intellextin? an nondum etiam ne hoc quidem? Quod cum & postulet sententia, neque desit etiam codicis testimonium, qui haud malunt tamen, facere mihi videntur, ut Terentij verbis utar, nã intelligendo ut nihil intelligant: qui, Nève tu id dicas: pro, Neque tu haud dicas reposuit, qui ferre octonarius posset iambicus vidit parum. At neque hoc tantum loco pro hoc, Haud scriptum flagitiose animadverti.* In Hecyræ Act. 3. Sc. 1. *Ita Parmeno, Haud hercle quidem parum est: ubi legendum, Hoc hercle quidem parum est.* Nam cum singulari aliqua injuria inter uxorem & matrem, iram crederet Pamphilus excitatam, quæ tam durarat diu, animoque miserè ob eam causam torqueretur, velletque hero Parmeno consolationem aliquam adhibere, monet nihil id esse, quod tam grave ille existimaret: subicitque pueri inter sese quàm pro levibus noxiis iras gerunt? Quapropter? quia enim qui eos gubernat animus, infirmum gerunt: itidem mulieres sunt fermè, ut pueri levi sententia. Fortasse unum aliquod verbum inter eas hanc irem conciverit. Incredible est, quàm multa generis hujus, quoquò me verto, occurrant. Non discedam ab eo loco: totumque adeò referam, quo facilius res teneri possit:

*Sed magnum nescio quid necesse est venisse Parmens,
Vnde ira inter eas intercessit, quæ tam permansit diu.*

*Par. Hoc hercle quidem parum est. si vis verò veram rationem
exequi,*

*Non maximas, quæ maxima sunt interdum ira, injurias
Faciunt. Nam saepe est quibus in rebus alius ne iratus quidem est,
Cum de eadem causa est iracundus factus inimicissimus.*

Pueri inter sese quàm pro levibus noxiis iras gerunt?

Quapropter? quia enim qui eos gubernat animus, infirmum gerunt.

Itidem mulieres sunt fermè ut pueri, levi sententia.

Fortasse unum aliquod verbum inter eas hanc iram conciverit:

Quo in loco legendum puto,

*Nam maxima, quæ maxima sunt interdum ira, injurie
Faciunt.*

Nam cum ex iræ diuturnitate injuriæ magnitudinem Pamphilus colligeret, *levi,* inquit Parmeno, duceris here argumento: rationemque si quæris, maximæ interdum iræ à non maximis injuriis enascuntur. Vides iracundis hominibus id accidere, ut inimicissimi fiant iis de causis, quæ alios homines ne leviter quidem possent commovere. Quia in Hecyram me conjeci, nolo videri temerè venisse: ita post paulo eum locum, in quo eram, scriptum reperiebam,

Non usus factò est mihi nunc hunc intrò sequi:

Nam invisos omnes nos esse illis sentio.

Here nemo voluit Sostratum intrò admittere.

PROLEGOMENA TERENTIANA.

*Si fortè morbus amplior factus fiet,
Quod sanè nollem, maximè Heri causa mei,
Servum illico introiisse dicent Sofrata,
Aliquid tulisse comminiscuntur mali*

Capiti atque atati illorum, morbus qui autè sit.
Verba sunt Parmenonis. Ego capiti atque saturi illorum scripsisse Terentium puto, cum inter eas voces non levis affinitas sit, & alteram sententia requirat, & à Cicerone locis sint infinitis hæc duo conjuncta. Unum præterea locum si tibi indicaro, ab Hecyra discedam. In A&T. 2. Sc. 1. ita legebatur:

*An quia ruri esse crebro soleo, nescire arbitramini
Quo quisque pacto hic vitam vestrorum exigat?
Multo meliù hic quæ sunt, quàm illic ubi sum assidue, scio.
Ideo, quia uti vos mihi domi eritis, perinde ego ero fama foris.*

Verba sunt Lachetis senis: quo in loco fama redundare mihi videtur. Causam enim adfert Laches, quare tam bene sciret, quæ domi in urbe gererentur, cum esset ipse ruri: in eo, inquit, facio, quia ut in vos res meas domi administrabitis, ut mihi laborabitis, ut mihi obsequemini, ita ego vobis ero ruri: hoc est, vobis defieri nihil patiar, benignèque omnia præbebo, si mecum vos benevolentia officiique certetis: quod si contra à vobis fieri sensero, sinam & egere, & algere, & esurire, nihilque rure ad vos deferi patiar. Vnde huc tamen ea dictio irrepre-
rit, non dissimulabo. Sequitur,

Fam pridem equidem audiri cepisse odium tui Philumenam.
Ubi cum notatum esset, à fama argumentari Lachetem, Fama in proximum superiorem versum irrepsit. Hæc hæctenus fuisse excussa, explicata. omnium qui literas tractant, judicio approbata.

Quid ego nunc dicam, easdem dictiones corruptas in hoc autore ferè fuisse, atque depravatas? quot locis pro suspecto, suspicio: pro in gratiis, ingratus, pro gratiis, gratis: pro ecere, & certe, scriptum erat? Quid ego querar, verba flagitiose adeò transposita interim fuisse, ut totam orationem miserè perturbarent? Quid omisos librariorum incuria totos versus, sine quibus neque stare sententia poterat, neque versuum superiorum mensura? Nihil mentior, scriptum sic erat in Prologo Heautont.

*Ne cui sit vestrum mirum, cur partes senè
Poëta dederit, quæ sunt adolescentium,
Id primum dicam, deinde quod veni eloquar.*
Ubi erat legendum, Id deinde dicam, primum quod veni eloquar. Notatus à nobis hic locus est, & explicatus suo tempore. Scriptum sic erat in Phormionis A&T. 4. Sc. 4.

*Vt te quidem omnes Dii, Deaque superi, inferi
Malis exemplis perdant. hem si quid velis,
Huic mandes quod quidem rectè curatum velit.*

PROLEGOMENA TERENTIANA.

Quid versus postremus cum mensuram excederet, neque tamen posse detrahi quidquam viderem, neque absoluta etiam planè esse videretur, perfecta que sententia, incido in codicem, non illum quidem, qui sua auctoritate fidem facere debuerit, sed qui monere tamen dubitantem potuerit. In eo sic scriptum erat,

*Vt te quidem omnes Dii Deaque superi, inferi
Malis exemplis perdant. hem si quid velis,
Huic mandes, quod rectè curatum quidem
Velis, ad scopulum qui te è tranquillo inferat.*

Quem versum Terentianum esse negare nemo possit. Idem ejusdem fabulæ A&T. 5. Sc. 6. flagitium deprehendimus, ubi hæc decant Trochaico.

Curialis vernula est qui me vocat.

Quæ verba suo loco & Terentii esse ostendimus, & quid haberent sententiæ declaravimus.

Si quæ generis sunt hujus vellem omnia recensere, volumen à me haberes, non epistolam. Jam de versuum genere & distinctione puderet dicere quàm aliter sentimus nos, quàm ii, qui ante nos fuerunt, nisi ad te scriberem, qui iis de rebus judicare omnium optimè potes. Initium est Scenæ 5. A&T. 1.

P. Hæcne est humanum factum aut inceptum? hocine officium patris?
M. Quid illud est? P. Prò Deum atque hominum fidem, quid est, si non hæc contumelia est?

*Vxorem decrevat dare sese mihi hodie: nonne oportuit
Præscisse me ante? nonne prius communicatum oportuit?*

M. Miseram me, quod verbum audio?

P. Quid Chremes, qui denegarat se commissurum mihi
Gnatam suam uxorem? id mutavit, quia immutatum videt.
Itane obstinatè operam dat, ut me à Glycerio miserum abstrahat?

Quod si fit, pereo funditus.

*Adcõn' hominem esse invenustum, aut infelicem quenquam, ut ego
sum?*

*Prò Deum atque hominum fidem, nullone ego
Chremetis pacto adfinitatem effugere potero? quot modis
Contemptus, spretus? facta, transacta omnia. hem
Repudiatus repeto. quamobrem? nisi si id est quod suspicor.
Aliquid monstri alunt. ea quoniam nemini obtrudi potest,
Itur ad me. M. oratio hæc me miseram exanimavit metu.*

P. Nam quid ego dicam de patre? ah,

Tantamne rem tam negligentè agere? præteriens modò

Versum primum esse voluit Erasmus iambicum octonarium justæ mensuræ, id enim dicere solemus acatalecticum. Secundum octonarium quoque, cui tamen accinatur & adnectatur monometer, hoc est una, ut Græci vocant, *διπρόσιτα*: ea autem erit, *τῷ μὲν ἴσ' ἔστι. At non accini-*

PROLEGOMENA TERENTIANA.

tur iambico octonario, sed scazonti: octavus enim pes spondæus est: valde mihi præterea argutum videtur in eadem dictione & octonarii finem, & monometri quarere initium. Tertium iambicum octonarium esse voluit, quod fieri minimè potest, cum *hodie*, extremam producat: quartum generis ejusdem, dimetrum quintum, sextum trochaicum octonarium catalecticum, cum & priores omnes iambici sint, neque nisi iambici sequantur. Octavum octonarium fecit iambicum, nonum dimetrum iambicum. Decimum octonarium iambicum, si quidem in invenustum, *u*, primum elidas, quod quidem si verba modicè transponas, minimè est opus: undecimum, dimetrum redundante pede, novum sanè, ut dicam levissimè, genus carminis: hunc qui sequitur octonarium rursus iambicum, post quem trimetrum, sequi voluit trochaicos tres tetrametros, catalecticos eos quidem, quibus subjunxit dimetrum iambicum acatalecticum, cum dimetri ejusdem esse generis soleant cum iis, quibus fuerint adjecti. Hæc si, quemadmodum Erasmus vult, scripsit Terentius, mihi certè non est poëta: at neque ita scripsit, neque id nos putare est æquum. Quem locum antequàm in eos versus redigo, quibus esse à Terentio scriptum sit verisimile, notabo quanta sit in exemplaribus varietas, atque incertitudo. In versu primo utrobique *hoccine*, in aliis exemplaribus reperio, reperio & *factu*, & *inceptu*, quod à Donato quoque videmus annotatum. In secundo vetustum exemplar non habet *fidem*, quomodo interim locutus est poëta: in alio, atque *hominum* non reperio, atque ita quoque scripsisse aliquando Terentium animadverto: in tertio *dare*, in aliquibus codicibus non legitur: neque carmen postulat, & iratus suppressere multa solet, quæ cum adscribere soleant Interpretes, in versum sit saepe ut admittantur. *Se*, præterea video geminatum, & pro *denegarat*, *denegaverat* scriptum reperio. Jam in octavo pro *quia*, quoniam. Ubi postea Chremetis, Chremis: ubi *itur*, *itum*. Accipe nunc ut versus hos putarim & scriptos fuisse & esse distinguendos.

P. *Hoccine factum est humanum aut ineptum? hoccine officium patris?*

M. Y. *Quid illud est?*

P. *Prò deum atque hominum fidem, quid est, si hoc non est contumelia?*

Vxorem decreverat dare sese mihi hodie: nõne oportuit

Præscisse me ante? nõne prius communicatum oportuit?

M. Y. *Miseram me, quod verbum audio? P. Quid Chremes, qui denegaverat*

Se commissurum mihi gnatam suam uxorem, mutavit id,

Quoniam me immutatum videt. itane obstinatè dat operam, ut

Me à Glycerio miserum abstrahat? quod si fit, pereo funditus.

Adeon? hominem invenustum esse, aut infelicem quenquam, ut ego sum?

Prò Deum atque hominum fidem, nullo ego pacto Chremis

Adfinitatem

PROLEGOMENA TERENTIANA.

Adfinitatem effugere potero? quot modis

Contemptus, spretus, facta transacta omnia, hem

Repudiatu repetor: quamobrem? nisi, si id est

Quod suspicor, monstri aliquid alunt. ea quoniam

Obtrudi nemini potest, ad me itur. M. hæc

Oratio me miseram examinavit metu.

Omnes iambici sunt, octonarii partim, partim senarii, monometer unus, non is quidem quem esse Erasmus putabat, eum efficit Mysis: quæ dum à Pamphilo exaudiri non vult, pauca loquitur. Monometrum in re simili in Phormione observavimus, ubi taciti Antipho & Phædria Getam audiunt: ac cum à Geta Antipho nominaretur, ibi tum Phædria,

Te nominat. A. nescio quod magnum hoc nuncio expecto malum.

P. *A. Sån' ne es?*

G. *Domum ire pergam, ubi plurimum est. P. revocemus hominem.*

A. Sta ilico. G. hem.

Quo etiam loco nos valde à Erasmo dissentimus: qui cum ubi monometrum faceret non inveniret, & octonarium fecit catalecticum, qui, ut superiores omnes, esse debebat acatalecticus, & monometrum hypercatalecticum, qui si erat monometer faciendus, acatalecticus certè faciendus erat. Ad locum superiorem ut redeamus, in quo pro *hoccine*, nos *hoccine*: quod ideo Erasmus immutavit, ut trochæum posset evitare: verùm cum legi *hoccine* secundo loco sit necesse, priore scripsisse aliter Terentium persuaderi non potest, quare nemo non videt fuisse verborum seriem perturbatam. *Deum*, est utrobique monosyllabum: nisi posteriore dici interim productè, & à Grammaticis video notatum, & nos in hoc Poëta non semel observavimus. Atque ut ab ea Scena non discedam, sequitur paulo post,

Quid si ego rescissem id prius, quid facerem si quis nunc me roget.

In eo versu, quem iambicum esse vult, ut revera esse debet, prius syllabam esse unam vult Erasmus, cum si id fiat, iambicus esse octonarius non possit. Nos legendum putamus, *Quid si ego prius id rescissem, &c.* Sequitur,

Aliquid facerem, ut hoc ne facerem. Sed nunc quid primum exequar?

Tot me impediunt cura, quæ meum animum diversè trahunt:

Amor, misericordia hujus, nuptiarum sollicitudo. Hos cum faciat Erasmus trochaicos, rogarem eum libenter, an *amor*, non esset iambus, quem trochaici non recipiunt. Mihi certè iambici octonarii videntur, quales & qui præcedunt, & qui sequuntur, atque ita legendi.

Aliquid facerem, ut hoc ne facerem. sed quid primum nunc exequar?

Impediunt me tot curæ, quæ meum animum diversè trahunt.

Amor, hujus misericordia, nuptiarum sollicitatio.

PROLEGOMENA TERENCEIANA.

Verfus porro ille,

*Sed nunc peropus est aut hunc cum ipsa, aut me aliquid de illa ad-
versus hunc loqui.*

Cum sit octonarius, legendus sic est,

*Sed nunc propus est, aut hunc cum ipsa, aut me aliquid de illa ad-
versum huac loqui.* Ubi paulo post,

Bene & pudicè ejus doctum atque eductum, sinam

*Coactum egestate ingenium immutarier? Ejus, redundat, versui enim
officit, & venustati.* Ubi, *Et ad pudicitiam, & ad tutandam rem
fiert,* Ad secundum eisdem de causis tolli volumus: quas secuti etiam
sumus in emendando versu illo, quem penè præterieram ex octonariis,
abi domum. Id mihi visus est dicere, abi citò & suspende te. Quanto
elegantius, *Abi citò, suspende te,* ubi res postulat celeritatem? Taceo
quòd stare versus aliter non potest. Ubi, *Hanc mihi in manum das,*
mors continud ipsam occupat. M Y. legendum erat. Ubi P. *Sed cur
tu abis ab illa?* M Y. *Obstetricem accerso.* P. *Propera.* Abis, senarius
non patitur, comica non magnopere desiderat elegantia. Locum hunc
ut claudam, equidem ubi diligenter rem perpendo, nusquam inter
iambicos video trochaicos à Terentio temere interjectos, quæ vetus
doctorum fuit opinio, neque inter hos, illos: quibus tantum generi-
bus usum esse Terentium animadverto. Atque ut apertè videas, quan-
tahac in parte libros corruptio pervaserat, est Act. 3. sc. 2.

Adhuc Archillis qua assolent, quaque oportet

Signa ad salutem esse, omnia huic esse video.

Nunc primum fac isthac ut lavet, post deinde

Quod jussi ei dare bibere, & quantum imperavi

Date: mox ego huc revertar.

Per ecastor scirus puer natus est Pamphilo.

Primos tres versus iamb. dimetr. esse voluit Erasmus; quibus tamen
essent annexi duo trochæi: duo sunt trochæi, *Quaque oportet: duo, esse vi-
deo:* quoniam pro trochæo poni Tribachys potest, in quem scilicet dis-
solvitur, ut pote temporibus parem. Post deinde, duo trochæi. At hic ver-
sus, *Nunc primum fac isthac ut lavet:* estne dimeter iambicus? Erasmo
an fuerit nescio, mihi certè nunquam erit. Jam quartum versum, cu-
jus Erasmus genus non notavit, quem esse dicemus? Quintum etiam
quòd dimetrum faciat catalecticum, vidit meo judicio parum. Mihi
scenæ hujus versus generis sunt ejusdem: iambici enim sunt omnes,
mensuræ tamen disparis. Quatuor primi, quibus cum iis, qui domi
sunt, loquitur Lesbia, ea ratione sunt, ut primi & tertij extremæ syl-
labæ initia sint secundi & quarti: ita omnes acatalectici erunt. Octo-
narii omnes, præter quartum; is enim dimeter est, qui octonarius
quoque fuisset, nisi ad Spectatores & se & orationem Lesbia conver-
tisset. Sic illius in Eunuchò: *Ita fac ut jussi, deducantur isti, &c.* Et
illius quoque in eadem Scena, *Memini, tametsi nullus maneas, &c.*

PROLEGOMENA TERENCEIANA.

extremæ syllabæ initiis sequentium versuum sunt accommodandæ:
quod & aliis locis non paucis & animadvertimus, & indicavimus. Scri-
pti mihi sic videntur à Terentio,

Adhuc Archillis qua adsolent, quaque esse oportet ad salutem

Signa, omnia huic esse video. Nunc primum istac ut lavet

Facite: post deinde, quod jussi, ei date bibere, & quantum imperavi

Date: mox ego revertar huc.

Facite, ut pro *fac,* reponerem non fecit versus ratio; sed quòd, *date*
dixit postea, non *da.* *Date,* porro esse legendum, non *dare,* & codi-
ces nonnulli testantur, & ratio indicat loquendi: dictum tamen id In-
terpres putat consuetudine magis, quàm ratione: quòd si consuetudi-
nis id est, non scripturæ vitium, ostendere debuit, aut alibi Terentium
sic scripsisse, aut Comicorum omnino quenuquam ita locutum, quorum
de medio sumpta est omnis oratio. Quintum versiculum iambicum esse
puto octonarium: à quo quæ detracta sunt, sequenti adjecta sunt ver-
sui. Ita ergo legimus.

Per ecastor scirus puer natus est Pamphilo: quæso Deos.

Superstes ut fiet, quandoquidem ipse est ingenio bono.

Magis res erat desperata Actus quarti initio,

Hocine credibile est, aut memorabile,

Tanta recordia innata cuiquam ut fiet,

Vt malis gaudeant, atque ex incommodis

Alterius sua uti comparent commoda? ha

Idne verum est? imo id genus hominum est pessimum, im

Denegando modo queis pudor est paululum:

Post ubi est tempus promissa jam perfici,

Tunc necessario sese aperiunt, & timent,

Et tamen res cogit denegare. Ibi

Tum impudentissima eorum oratio est.

Quis tu es? quis mihi es? cur meam tibi? heus

Proximus sum egomet mihi. Attamen, ubi fides

Si roges, nihil pudet. hic, ubi opus est,

Non verentur: illic, ubi nihil opus est, ibi verentur.

Primum pentametrum iambicum fecit Erasmus, quos nullos scripsit
Terentius: sequentes duos dimetros creticos: quod (taceo eorum ver-
sum esse authorem Erasmus) fieri minimè potest: cum atque exin,
Molossium non creticum efficiant: quatuor sequentes qui essent non no-
tauit: creticos certè dimetros dicere non potest. In nono versu deesse
aliquid putavit, quòd pro cretico quarto iambus poneretur. At *res co-
git,* eratne creticus secundus, ut pro quarto positum diceret iambum?
In decimo creticos tres notavit, qui ubi essent, vellem profectò indi-
casset, ne nos in quærendo frustra laborassemus. In undecimo ut in no-
no, pro cretico quarto iambum poni notavit. Primum, si in nono pro
cretico esse iambum putabat, quòd versui deesse aliquid videretur,

PROLEGOMENA TERENTIANA:

quid hîc commissum est flagitij, ut qui creticus esse debuerat, factus sit iambus? Tum verò, *quis tu es*, creticum quis esse dixerit, ac non potius spondeum? Jam in versu sequenti ubi quatuor cretici? ubi in illo, *Si roges*, &c. tres? éstne, *nihil pudet*, creticus? equidem non arbitrator. Extremum esse voluit trochaicum scazontem, addere debuit caelesticum, quos nullos scripsit Terentius. Ego omnes esse arbitrator iambicos tetrametros, hoc est octonarios sive quadratos, quales sunt qui sequuntur omnes usque ad trimetros, quibus penè clauditur scena. Legendos autem ita censeo.

Hocine credibile, aut memorabile, tanta ut cuiquam vecordia

Innata fiet, ut gaudeat malis, atque ex incommodis

Alterius, sua uti commoda comparet? ha, verumne id est? genus

Immo hominum id pessimum est, in denegando queis pudor modo

Paululum adest, post ubi jam tempus est promissa perfici,

Tum se necessariò aperiunt, timent, & cogit res eos

Tum denegare. Ibi tum impudentissima eorum est oratio,

*Quis tu es? quis es mihi? cur meam tibi? heus proximus sum ego-
met mihi.*

Attamen ubi fides, si roges, nihil pudet: hîc, ubi est opus,

Nihil verentur: illic, ubi verentur, ibi non est opus.

Si qua vides immutata, quæ pauca vides, cogitare primùm debes, quanta in exemplaribus sit varietas, tum quàm facile fuerit est addere, e geminare, & in contextum venire, pro tum scribi cum, nihil & non suis se mutuo sedibus expulisse. Eos, quod additum à nobis eo loco quo Erasmus deesse nonnihil imprudens divinavit, addidimus certè codicis testimonio. Eiusdem sunt qui sequuntur & generis & mensuræ,

*Sed quid agam? adeamne ad eum, & injuriam hanc expostulem
cum eo.*

Mala ingeram multa? atqui aliquis dicat, nihil promoveris.

Multum molestus certè ei fuero, atque animo morem gesserò,

Ita enim sunt legendi. Plura Guil. Bellai capere epistolæ brevitatis non potest, & omnia persequi, negotii esset & otii majoris: unum si addidero, quia in eo sum loco, scribendi finem faciam. Legitur paulo post,

P. Cur me enecas? hoc audi. Nunquam destitit

Instare, ut dicerem esse ducturum patri,

Suadere, orare usque aded donec perpulit.

C. Quis homo istuc? P. Davos. C. Davos? P. Interturbat:

C. quamobrem? P. nescio.

Nisi mihi Deos satis scio fuisse iratos, qui auscultaverim.

Qui duo posteriores versus octonarii sunt iambici, ut nunc quidem sunt: iudicio tamen nostro trimetri esse debent tres, ac sic legi,

C. Quis homo istuc? P. Davos. C. Davos? P. Davos omnia,

PROLEGOMENA TERENTIANA.

C. Quamobrem? P. nescio. nisi mihi Deos satis

scio fuisse iratos, qui auscultaverim.

Quanta orationi accesserit venustas intelligis. quæ certè cum locus suspectus non esset vehementer, ad immutandum momenti nunquam satis habuisset, nisi in vetere satis exemplari ita scriptum reperissem,

Quis homo istuc? P. Davos. C. Davos? P. Davos interturbat omnia: Ego interturbat esse Interpretis affirmare ausim. Eius generis quàm sint multa neque credi, neque dici facile potest. In Phormione ita legebatur, *Itane tandem queso civem item ut meretricem*, ubi abusus sis: cujus versiculi duo illa verba. *Vt meretricem*, esse quoque Interpretis indicat apertè Senarius. In Andr. Act. 4. Sc. 3. scriptum sic erat,

M. Ne me attingas sceleste, si pol Glycerio non omnia hæc

D. Eho inepra, nescis quid sit actum. M. quid sciam?

Ego utrumque trimetrum esse puto. Illudque, *quid sit actum*, Interpretis esse, non authoris, proinde ita legendum,

Ne me attingas sceleste, si pol Glycerio.

Non omnia hæc. D. eho inepra, nescis. M. quid sciam?

Neque recusem quin quantum de iudicio hoc meo, tantum de existimatione detrahar.

Habes Guil. Bellai! conjicere unde possis, aut quid ego effecerim, aut quid efficere voluerim: neque verò dubito, quin ut post alios multa nos satis deprehendimus, post nos alii quoque multa sint animadversuri. Optamus autem gratus tibi sit conatus iste noster, & utilis. Studiosis, ut favore tuo cum publica utilitate conjuncto, in qua vigiliarum omnium mearum præmium semper putavi reponendum, in utriusque linguæ authoribus castigandis nostra in dies accendatur industria. Vale.

Lugduni ad Cal. Apriles.

ANTONIUS GOVEANUS

DE VERSIBUS TERENTIANIS.

TERENTIANI versus, aut Iambici sunt, aut Trochaici. Iambici pedes duos recipiunt, Iambum & Spondæum, & in quos ii dissolvuntur, nullos præterea. Trochaici item duos, Trochæum & Spondæum, & in quos ii dissolvuntur, nullos præterea. Iambici, aut monometri sunt, aut dimetri, aut trimetri, aut tetrametri. Monometri unam habent mensuram, hoc est, pedes duos, duas dimetri, tres trimetri, hoc est pedes sex, unde à Latinis Senarii dicti sunt. Tetrametri quatuor, hoc est, pedes octo: qui & octonarii à Latinis, & quadrati, & longissimi dicuntur. Monometri & trimetri justæ semper sunt mensuræ, & veri semper iambici, hoc est pedem ultimum semper habent iambum. Dimetrorum & tetrametrorum justæ quidem sunt

PROLEGOMENA TERENTIANA.

mensuræ, qui acatalectici vocantur, iique veri semper apud hunc auctorem sunt iambici. Injustæ quidam mensuræ sunt, & ii non semper veri sunt iambici, sed ut plurimum spondæum, aut dactylum ultima fede recipiunt, dicunturque scazontes. Injustæ autem esse versus mensuræ modis duobus accidit: aut enim iusto syllaba minores sunt, aut majores: illi catalectici, hi, hypercatalectici sunt nominati. Dimetri ut multi sunt catalectici, ita nulli hypercatalectici reperiuntur. Nunc trochaici, aut dimetri sunt, aut tetrametri, catalectici omnes, vel hypercatalectici, & ii octonarii: nulli siquidem dimetri hypercatalectici sunt. Nimis fuere ingeniosi qui denarios versus in Terentio sunt commenti, qui pentametros iambicos, qui dimetros redundante pede, qui dimetros creticos, qui creticos monometros, redundante pede, qui è cretico uno versus brevissimum, qui creticos in quibus pro cretico poneretur molossus, poneretur & iambus, qui senarios iambicos hypercatalecticos, qui monstra illa versus è trochaicis & iambis conflata. Porro nec ab iambicis ad trochaicos, nec ab iis ad illos transit Poëta, nisi (quæ vetus doctorum fuit opinio, longo à me intervallo renovata) res id aut postulet, aut certè ferat. Quomodo autem id res aut postulet, aut ferat, suis locis in iis Commentariis docebimus, quos in Terentium paramus. Quæ Poëtarum more licere sibi voluit Terentius, quæ quidem pauca sunt, hæc animadverti: in unam contrahit syllabam *meus, tuus, suus, deus, deum, deos, dea, prior, puer, rei, ego, fuit, ea*: in duas eadem, eodem, duarum. dissolvit *iam* in syllabas duas, in tres vero, in quatuor virginem, in quinque ejusmodi. *Redducere, redductus, reliquus* geminata effert consonante. Literam, quæ in *optimus* extrema est, tollit frequentissimè: extrema prioris versus vocali est cum ad inchoandum sequentem utatur: est cum, si fortè vocalis sit, à vocali quæ sequentem inchoat versus, elidi velit, quemadmodum quæ sequentem inchoat, ab ea interim absimitur vocali quæ præcedentem cludit. Hæc iudicio nostro sunt, quæ de versibus Terentianis & præcipi debuerunt necessariò, & verè potuerunt.

DE LUDIS MEGALENSIBUS.

DE Ludis Megalensibus quia certi nihil apud Auctores reperiebam, non abs re putavi, quæ colligere ipse potui, in medium afferre. *Μεγαλειούς* Magnos dici à Græcis Deos auctor est Donatus. *δίοις* enim *Æoles* Deos vocant: unde Sibyllas dici vult Aristò. quod Deorum mentes consiliaque perspiciant. Magnos verò Deos intelligo, quos Majorum gentium Cicero vocat, qui à terris in cælum non pervenere: tales habebantur Jupiter, Neprunus, Minerva, Juno. At neque magnis omnibus Diis, sed tantùm cœlestibus erant hi ludi consecrati. Hos esse quos Romanos interim videmus appellatos, ex eo colligo, quod Afce-

PROLEGOMENA TERENTIANA.

nus scribit, Romanos ludos Magnos quoque appellari, quòd magnis Diis erant instituti: quos eosdem Circenses dictos putat. Unde illud Virgilio, *Magnis Circensibus ætis*. Non esse eosdem ludos Megalenses, & eos quos Megalesia dicimus, ex Ciceronis Oratione de Aruspicum responsis apertè colligimus, ubi Megalesia Megalensibus celebrari dicit: Verba sic habent, Nam quid ego de illis ludis loquar, quos in Palatio nostri majores ante templum in ipso Matris magnæ conspectu Megalensibus fieri celebrarique voluerunt? qui sunt more institutisque maximè casti, solennes, religiosi, quibus ludis primum ante populi consessum Senatui P. Africanus iterum Consul ille Major dedit, ut eos ludos hæc lues impura pollueret: quò si quis liber aut spectandi, aut etiam religionis causâ accesserat, manus adferebantur: quò matrona nulla adiit propter vim consessumque fervorem. Ita ludos eos quorum religio tanta est, ut ex ultimis terris acersita in hac urbe confederit, qui & uni ludi ne verbo quidem appellantur Latino, ut vocabulo ipso & appetita religio externa, & Matris magnæ nomine suscepta declaratur, hos ludos servi fecerunt, servi spectaverunt, tota denique hoc Ædili servorum Megalesia fuerunt. Extrema hæc verba declarant illos ludos, quos Megalensibus in Palatio in ipso Matris magnæ conspectu fieri dicebat initio, esse Megalesia. nam & Livius scribit M. Junium Brutum ædem Magnæ Matris Deum in Palatio dedicasse, & ludos ob eam dedicationem factos, Megalesia appellasse. Megalenses porro ludi, sive Romani, sive Magni, sive Circenses, sub regibus fuere instituti: fiebantque sub initium mensis Septembris: durabant autem non amplius dies novem. Cicero in actione prima in Verrem: Nonæ sunt hodie Sextiles, hora nona convenire cœpistis: hunc diem jam ne numerant quidem: decem dies sunt ante ludos votivos, quos Cn. Pompeius facturus est: ii ludi dies quindecim auferent: deinde Romani continuo consequentur: ita propè xl. diebus interpositis, tum denique se ad ea, quæ à nobis dicta erunt, responsuros esse arbitrantur. Quorum dierum si quis rationem subducat, & sub initium Septembris cadere Ludos Romanos, & non amplius novem dies durasse deprehendet. De iis ludis Romanis ita Cicero libro quinto, in Verrem: Nunc sum designatus Ædilis, habeo rationem quid à populo Romano acceperim, mihi ludos sanctissimos maxima cum cerimonia Cereri, Liberæ, Liberoque faciendos, mihi Floram matrem Populo plebique Romanæ, ludorum celebritate placandam, mihi ludos antiquissimos, qui primi Romani sunt appellati, maxima cum dignitate ac religione Jovi, Junoni, Minervæque esse faciendos, mihi sacrarum ædium procuratoriam, &c. Quo loco Megalenses ludos non omisisset, quos Ædiles summa religione & dignitate faciebant, nisi iidem & Megalenses ludi fuissent & Romani. Hac tamen tota de re asseveranter dictum nihil velim.

PROLEGOMENA TERENTIANA.

DE TIBIIS PARIBUS ET IMPARIBUS.

Choros ad distinguendos actus adhibebant Græci Poëtae, Latini tibiis adhibuere, in gravi Comœdia dextras, in levi sinistras: quare gravem sonum dextræ, acutum sinistræ emittebant, ut sono comœdiæ vel levitati vel gravitati responderent. Quod ut fieret commodius, impares fiebant dextræ, hoc est unico foramine, sinistræ pares & geminæ, ut cum duobus foraminibus exiret sonus, distractus, & disiectus acutior ad aures perveniret. Adhiberi utraq; solebant, cum mixta è genere utroque erat comœdia.

ANTONIUS GOVEANUS
EX INSCRIPTIONE ANDRIÆ.

Mihi sic inscriptio hac videtur legenda.

ANDRIÆ Terentii. Acta ludis Megalensibus M. Fulvio, M. Glabrone Aedilibus Curulibus. Egere L. Ambivius Turpio, L. Attilius Prænестinus. Modos fecit Clau. Flaccus, Clau. Filius tibiis paribus & imparibus, hoc est, sinistris & dextris. Tota græca est. Menandrou. edita M. Marcello, Cn. Sulpitio Coff.

Ex act. 1. sc. 1. *Imo*, apud hunc authorem priore & producta & brevi reperio. Unde venio in opinionem scribi debere gemino *m*, alteriusque detractione corripisse priorem. Et sc. 2. *Circuitione* pentasyllabum. Et sc. 5. *Ne ad morbum hoc etiam M. teneo.* Versus hic finitur scenæ sequentis initio. Ex act. 2. sc. 1. *Quid ait Byrrhia?* Finis præcedentis versus. Et sc. 2. Notatu dignum id putavi, quod in illo, *Etiã puerum inde abiens conveni Chremis, Olera, & pisciculos minutos ferre obolo in cœnam seni, Conveni pro inveni, & occurri sumitur.* Eodem modo sumitur in illo Eunuchi actus 2. scenæ 2. *Conveni hodie adveniens quendam mei loci hinc atque ordinis:* quod non visus est Donatus intelligere. Cicero in Catone majore, *Equidem efferor studio patres vestros quos colui & dilexi, videndi:* neque eos verò solum convenire aveo quos ipse cognovi; sed illos etiam de quibus audiui, & legi, & ipse conscripsi. Quo in loco convenire Theodorus interpretatur *εὐπεῖν*: quod certè est invenire: ubi nos errasse Theodorum putavimus aliquando. Terentii illud in Hecyra apertè id demonstrat.

Pam. In arcem transcurso est opus. Par. cui homini? Pam. tibi.

Par. In arcem! quid eo? Pam. Callidemidem hospitem

Myconium? qui mecum unà advectus est, conveni.

Quid cessas? Par. quid vis dicam? an conveniam modò?

Ex act. 4. sc. 1. *Nisi mihi Deos satis scio fuisse iratos.* Nisi posteriore producta, sumitur autem hoc loco, ut multis aliis in hoc eodem Authore,

pro

PROLEGOMENA TERENTIANA.

pro *sed.* vide Eunuch. act. 3. sc. 4. versum ultimum. Et sc. 5. *Ab, ah, ah.* Histronis tertia interjectio esse videtur, proindeque extra versum est. Vide Eunuch. act. 3. sc. 1. & Heautont. act. 5. sc. 1. Et sc. 6. *Que se inhonestè optavit parare hic divitias.* Egere locus hic notatione visus est propter novitatem, malam favoris conciliatricem. Sunt qui parere non parare scripsisse Poëtam velint: at id facere, est non sanare vulnus: neque enim parare in causa erat cur suis numeris non constaret senarius, neque parere ut constaret. Ego *ditias* non *divitias* scripsisse Terentium puto. Idem in Heautont. Act. 1. sc. 2. *Parentes, patriam incolumem, amicos, genu, divitias,* ubi quoque *ditias* postulat octoniam bicus. Rursus act. 3. sc. 2. *Vicinum hunc nostin? at quasi is non divitiis,* ubi & *ditis* versus efflagitat senarius. *Dis* certè pro *Dives* idem dixit in Adelph. *Dis quidem esse Demea.* Cum igitur divitiæ nusquam reperiam apud hunc authorem, nisi his locis quos citavi, & his ipsis omnibus *Ditia* carmen postulet, & quemadmodum *Dis* pro *dives*, ita *Ditia* pro *divitia* dici potuerint, rem dignam putavi quam & indicarem ego, & in quam alii diligentius inquirerent. *Optumè hospes pol Crito antiquum obtines.* Opportunè pro *optimè*, qui legendum putant ut versui consulant, potiùs quam *morem* addant, vident meo iudicio parum: nam & opportunè sententia non postulat, & in Hecyra ita Terent.

At tu ecastor morem antiquum atque ingenium obtines. Non est quòd nos moveat interpretis autoritas in illud Gnatonis in Eunuchò, *Non cognosco vestrum tam superbum,* ubi ille *superbum* dici vult absolutè, ut hoc Andriæ, *Antiquum obtines:* non est inquam quod nos moveat: scriptum siquidem invenio eo loco, *Non nosco genu vestrum tam superbum.* Est quod Galli dicunt, *vous ne serez pas si mauvais, vostre pere estoit si bon.* Ex actus 5. sc. 4. *Andrium ego Critonem video? & certè is est, salvos sis Crito.*

Versus hic cum trochaicus esse debeat catalecticus, corruptè legitur: quem ut emendaret Erasmus, *Is*, detraxit. versui quidem certè consuluit, elegantia non habuit rationem, quæ *is* sibi detrahi non patitur. Ego post eam interrogationem, *Andrium ego Critonem video? Et certè,* subjici non puto commodè *Ecere*, non *Et certè* puto scripsisse Terentium. *Ecere* autem adverbium est jurandi, ac si diceres, *per eadem Cereris*, ut *Acastor, per eadem Castoris, Adepol, per eadem Pollucis.* Eo usus est Plautus, eo Terentius non semel. Ita & elegantia & versus Terentium scripsisse clamant. Idem erat flagitium in Eunuchi act. 5. sc. 2. Idem in Adelph. act. 1. sc. 1. idem multis aliis locis. *Itane verò obturbat.* Locus si, ut Interpretes volunt, accipiatur, ut *verò* adverbium sit, sintque hæc inter se distincta, *Itane verò? obturbat,* corruptum esse locum asseveratione omni confirmo. Quòd si vero nomen sit casu dandi, referaturque ad verbum *obturbat*, obturbare vero, erit veritati obstrepere. Miratur ergo Crito tam esse veritati adversum Simonem, ut ei obstrepat, & vera dicentes amet interpellare.

PROLEGOMENA TERENTIANA.

EX INSCRIPTIONE EUNUCHI.

Mihi inscriptio hac sic legenda videtur.

Publ. Terent. Afric. Eunuchus. Acta ludis Megalens. L. Posthumio Albino L. Cornelio Merula ædilibus curulibus. Egere L. Ambivius Turpio, L. Attilius Prænestinus. Modos fecit Claudius Flaccus Claudij filius, tibiis duabus dextra & sinistra. Acta secundo est. Græca est Menandru. Edita M. Valerio Messala, C. Fannio Strabone Coss.

Ex Prologo. *Postquam adiles emerunt.*] Antequam fabulæ ante populum agerentur, agebantur privatim apud ædiles.

Quam plurimis, & minimè multos lædere.] Quam plurimis, duæ sunt dictiones. Loci sententia, cujus nos Æmilius Ferretus admonuit, hæc est, *Si quisquam est qui bonis placere velit potius quam malis* (nam per plurimos, eosdem hinc intelligimus, quos Græci per πολλοῖς) neque tamen malos lædere, in iis esse se Poëta profitetur. Adverbium potius subintelligi non est novum: sic Ulpianus, sic Cicero lib. 3. In Verrem est locutus. Sic Homerus ὀδύσας. γ.

Αὐτὸν ἐχορτὶ σὲ βέλομι ἐπαιρέω, ἢ πνα τῆς δε.

Ex Act. 1. sc. 1. *Perficies.*] Alibi pertendes. in quam significationem dicitur à Terentio Heautontimor. Act. 5. sc. 5. *Videō non licere ut cœperam hoc pertendere.* Ex Act. 2. sc. 2. *Ad cœnam ut veniat.*] Cœna hinc pro prandio: nam quam nunc cœnam dicimus, veteres vespernam dixisse testis est No. Marcellus. vide Act. 3. sc. 2. vers. 26. *Ego illum.* Et sc. 3. *Caldum.*] Malè Interpres putat *Callidum* scribendum: nam & Græci θερμὸν dicunt, & versus aliter non constat. Ex Act. 3. scena 1. *Ha, ha, he.*] Posteriores duæ interjectiones histrionis sunt, & extra versus. vide Andr. Act. 4. sc. 4. & Heautonti. Act. 5. sc. 1. Et sc. 2. *Vel sobrius.*] Hinc colliges invitatum fuisse Thaidem à Milite non ad vespernam, ut veteres loquebantur, cum adhuc esset sobrius, vide quod supra notavimus Act. 2. sc. 2. vide Act. 4. sc. 7. versu penultimo. *Parata omnia. Gn. fiat. Tha. diligenter Pythias.*] Aut præsto omnia, scribendum est, aut fiat syllaba una faciunda: quod magis placet, parta omnia maluiffem, si proprietates sermonis passa fuisset, non enina parere cœnam dicimus, sed parare. Et scena 4. *Nisi quicquid est.*] *Nisi pro sed,* vide Adelph. Act. 1. sc. 2. versus ultimum. Ex Actus 4. scena 5.

Verum hercle hoc verbum est, sine Cerere & Libero friget Venus. Versum hunc scriptum etiam hoc modo reperio.

Verum hercle verbum hoc est, sine Cerere & Baccho friget Venus. Atque ita si legatur, iambicus erit octona. acatalect. quales & superiores & inferiores omnes. Nisi velis *Libero* esse dactylum. Vide quæ in versiculum illum Adelphorum Actus 2. Scenæ primæ est à nobis adnotatum, Et scena sexta. *Abi tu.*] *Abi* posteriore correpta.

PROLEGOMENA TERENTIANA.

Et sc. 7. *Domique, foctique, fac vicissim ut memineris.*] Hinc colligas non fuisse ad vespernam, ut antea dicebamus Act. 3. scena secunda invitatum Thaidem, cum eodem die Sanga coquus à Gnathone sui officii commonefiat. Præterea, quod multo maximum est argumentum, tot res post cœnam geri, eodem die non potuerunt, si cœnam pro vesperna sumimus. Ex Actus 5. scena 5.

Quod mœchis solet.] Athenienses mœchis pudenda & sedes expilabant: quod supplicii genus *μυετὰ πλοῦς* dicebatur.

EX INSCRIPTIONE HEAUTONTIM.

Inscripção hac mihi sic videtur legenda.

Publ. Terentii Afri Heautontimorumenos. Græca est Menandrou. Acta ludis Megalensibus L. Cornelio Lentulo, L. Valerio Flacco ædilibus curulibus. Egit L. Ambivius Turpio. Modos fecit Clau. Flaccus, Clau. Filius tibiis paribus. Acta deinde duabus dextris. Acta etiam tertio. Edita T. Sempronio Graccho: M. Juvéntio Helua Coss.

Ex Prologo.

Id primùm dicam, deinde quod veni eloquar.

Locum hunc, quo in hoc authore obscurior nullus, notare malui, quàm emendare: ut in re tam difficili, atque perplexa, suum cuique iudicium relinqueretur. Primum non eo ordine, quo res proposita est, narratur: neque enim hæc quæ sequuntur,

Ex integra Græca integram Comœdiam

Hodie sum acturus Heautontimorumenon:

Duplex quæ ex argumento facta est simplici. Hæc, inquam, non demonstrant, cur partes seni poëta dederit, quæ erant adolescentium: quod tamen dicturum se primum, pollicetur. Jam ubi post paulo dicit, Oratorem esse se, non Prologum, non docet cur venerit: venerat enim Histrion non ut Prologum recitaret, sed ut ageret Fabulam: id tamen fuerat quod secundo loco erat dicturus. Deinde quis ille senex, cui adolescentium erant datæ partes? quæ illæ ipsæ adolescentium partes? Ego ut quod sentio paucis dicam, verborum ordinem perturbatum tantas loco tenebras puto attulisse: quod si ita legamus, *Id deinde dicam, primùm quòd veni eloquar*, erunt omnia clariora. Nam cum prologi ab adolescentibus solerent recitari, essetque L. Ambivius senex, qui prologum recitaret, cur adolescentium partes seni essent demandata, mirari populus jure potuiffet: cuius facti causam dicturum se pollicetur, ubi quare venerat explicasset. Veni, inquit, ut ex integra Græca, integram comœdiam agam, quæ ex simplici argumento duplex facta est. Dicerem & cuius esset Græca, & Latinam quis fecit, nisi partem vestrum maximam scire arbitrarer. Habetis cur venerim, dicam jam nunc cur partes has prologi, quæ erant adolescentium, senex didicerim. Non Prologum voluit me esse poëta, hoc est fabulæ

PROLEGOMENA TERENTIANA.

argumentum narrare, sed Oratorem fecit, qui pro se apud vos causam dicerem, adversus eos rumores, quos de se malevoli distulerunt. Contaminasse scilicet Græcas multas, dum facit paucas Latinas. Orator ergo ad vos venio ornatu Prologi. Ex actus 4. sc. 3. *Vosrum Senem. Sy. imo ut.* [*Imo priore brevi.*

EX INSCRIPTIONE ADELPHORUM.

Mibi sic inscriptio hac videtur legenda.

A Delphi Terentii. Acta ludis Funebribus L. Amyl. Paul. Q. Fab. Maxim. P. Cornelio Africano ædilibus Curulibus. Egere L. Attilius Prænestinus. L. Numidius Posthumus. Modos fecit Clau. Flaccus, Clau. Filius, tibiis dextris. Facta Latina est è Græca Menandru, L. Anitio Gallo, M. Cornelio Cethego Coss.

Ex Actus primi, scena secunda. *Nisi quicquid est.*] *Nisi pro sed.* Ex Actus secundi, scena prima.

Dômō mē eripuit, verberavit, me invito abduxit meam.

Domo me e, anapæstus esse videtur: alioquin non constabit Trochaicus. Ablativos esse, primo, vero, cito, sedulo, mutuo, crebro, sero, ultimisque correptis dici interim, nemo nescit. Actus quinti, scena octava: animo extremam corripere adnotavimus. Et Actus quarti, scena prima. *Quasi puero.*] *Puero* dissyllabum. Et scena secunda. *Nisi me credo.*] *Nisi pro sed.* *Quonam?* Sy. illic ubi, &c.

Versum hunc denarium catalecticum trochaicum faciunt, quos nullos scripsit Terentius. Alibi *quidnam?* Sy. *Illuc,* &c. Ego legendum putarim. *Vbinam?* Sy. *ubi etiam,* &c. ut sit Trochai. octona. hyperca. *Quonam,* non videtur sententia postulare: illic Donatus non legit. Et sc. 5. *Domi virginem.*] *Domi* posteriore correpta, nisi virginem quadrisyllabum facis. *Abi domum.*] *Abi* poster. correpta. Ex Act. 5. sc. 8. *Corpore & animo, M. Gaudeo.*] *nimō gau,* anapæstus. hoc idem etiam Actus 2. sc. 1. adnotavimus, in *domo nre eripuit,* &c.

EX INSCRIPTIONE HECYRÆ.

Hac inscriptio iudicio nostro ita legenda est.

Terentii Hecyra. Tota Græca est Apollodorou. edita Cn. Octavio, T. Manlio Torquato Coss. Acta primò ludis Romanis Sex. Jul. Cæsare. Cn. Corn. Dolabella Ædilibus Curulibus, sine Prologo. non est placita. Relata est iterum ludis Funebribus L. Emilii Pauli, non est placita tota. Relata est tertiò. Q. Ful. L. Martio ædilibus curulibus. Egit L. Ambivius Turpio. modos fecit Claudius Flaccus. Claud. Filius tibiis paribus Placuit.

Ex Actus tertii, scena quarta. *Imò quòd.*] Anapæstus, vide versum ultimum scenæ quartæ, Actus quarti. vide Hecy. sc. ulti. Ex

PROLEGOMENA TERENTIANA.

Actus quarti scena quarta. *Imò ve.*] Anapæstus. vide actus tertii scena quarta.

EX INSCRIPTIONE PHORMIONIS.

Hac inscriptio iudicio nostro ita legenda est.

Pub. Terentii Afri Phormio. Acta ludis Romanis L. Posthumio Albino L. Cornelio Merula Ædilib. curul. Egere L. Ambivius Turpio, L. Attilius Prænestinus. Modos fecit Clau. Flaccus Clau. Filius tibiis paribus. Tota Græca est Apollodorou, *ἄνδρα σοφόν.* Acta quartò est. Edita C. Fannio Strabone, M. Valerio Messala Coss.

Ex Actus primi scena quarta. *Nam absque eo esset. Rectè mihi vidissem.*] Scriptum in alio exemplari reperio, *Nam absque eo rectè ego mihi vidissem.* Quòd si esset legamus, aut notandum novum erit locutionis genus: aut ita oratio distinguenda, *Nam absque eo, esset rectè, ego mihi vidissem.* Ex Actus secundi, scena prima. *Nil suave meritum est.*] In hæc verba ita Interpres, *Ordo & sensus hic est, Nihil mihi mercedis suave est, ut ego illam cum illo nuptam feram. Suave enim meritum, suavem mercedem significat. Ego scriptum fuisse puto, Nil suave meritum est: ut ad Antiphonem ea verba sic referantur, Ego ne illam cum illo ut patiar nuptam unum diem? non faciam, non enim meritum à me est, ei ut esse dulce aut suave aliquid patiar. Potest & sic id intelligi, Nihil mihi fecit Antipho suave, ut ei aliquid esse suave permittam. Mereri, pro facere non hoc tantum loco usurpavit. Ita in Hecyra Actus tertii scena quinta.*

Qua nunquam quidquam erga me commerita est pater

Quod nollem, & saepe quod vellem meritam scio.

Nempe Phormionem.] Alia exemplaria habent, *Num Phormionem?* atque ita constat Senarius. Vide an malis literarum transpositione, in Phormionem primam breviter dici: cum & Apollodorus, cujus hæc fabula est, ejus dictionis syllabam primam corripuerit. Quod qua ratione fecerit non video, nisi pro Phormio Phromio scripserit. De his literarum transpositionibus, vide Theodorum Grammaticæ libro quarto. Et scena 3. *Eho tu sobrinum tuum.*] Apud Ciceronem in Oratore ad Brutum legimus, *Eho tu cognatum. Id quod lex jubet.*] Vide num legendum, *Ei quod,* &c. ut paulò post, cum Senis verba repetit Phormio, *Mercedem dare lex jubet ei, atque amittere? Non agam i,*] *Dactylus.* Ex Actus tertij scena secunda.

Dorio audi obsecro. D. non audio. P. parumper. D. quin omitte me.] In hunc versum ita Interpres, sunt qui sic legant, ut Dorio Phædria dicat: *Leno, audi: iterum Phædria obsecro.* Certè qui ita orationem distinguebant, id viderunt, non petere Phædriam à Lenone ut audiret. sed ut parumper Leno pecuniam expectaret. Neque enim respondisset Leno, non audio, si audientiam tantum adolescens postularet: id si

PROLEGOMENA TERENCEIANA.

quidem responderé solemus , cum quod petitur non concessuros nos significamus. Ego distinguendam ita orationem non puto : cum illud *Audi*, Lenoni tam obstinato ad denegandum minus convenire videatur. Versum esse trochaicum constat, si *Audi* non detrahimus, hypercatalecticum cum Dorio primam habeat longam : à muneribus enim, non à hasta nomen habet, & in hac ipsa Scena bis prima producta reperitur : si detrahimus, & sententiæ consulitur, & versus Trochaicus fiet catalecticus, quales qui sequuntur omnes, qui quidem trochaici sunt. *Parumper* illud Phædræ ad expectationem pecuniæ, non ad audientiam referri debere omnino confirmo : sequitur enim, *Nequeo exorare ut maneat triduum hoc?* Locus hoc habere sententiæ videtur, Dorio, inquit Phædræ, expecta obsecro dum pecuniam conficio. Surdos, inquit Dorio, fabulam narras. Missum me fac, molestus es. Hic Phædræ, *Audi quod dicam Dorio, non me capis.* quod parumper peto ut expectes, est ut triduum tantum expectes, ne quod parumper ut expectes peto, putes petere me hominum aliorum more ut in multos dies, aut menses expectes.

A. Misericum est. P. heu veris vincor. G. quàm est uterque similis sui?] In hac scena versus non est alius difficilior intellectu. *Misericum est*, dicere per ironiam Antiphonem vult Interpres : quod ego illi assentior. At quid sit *veris vincor* : quid, *Quàm est uterque similis sui*, neque ille dicit, neque ego assequor. Scriptum fuisse credo, *Heu verbis vincor*. Vincebat enim Lenonis in negando pertinacia & loquacitas, adolescentis ingenui atque liberalis pudorem. Quamobrem secum Geta, quàm Leno is, inquit, mores Lenonis habet, & Phædræ pudentis atque liberalis adolescentis, qui verbis à Lenone vinci se fateatur. Et scena tertia. *Dum igitur diem licet.*] *Diem* una syllaba, hunc versus citat Priscianus, sine *diem*. Ego malo propter elegantiam syllabam facere unam quàm tollere, cum ea dictione sublata versus etiam aliquid desideret. Ex Actus quarti scena quarta. *Aruspex.*] *Aruspex* quia ab *Haruga* derivatur, primam vocalem habere debet aspiratam.

Ex Actus quinti scena secunda. *Vorsuram solvis.*] *Vorsura* potius legendum septimo casu, quàm *vorsuram*, etsi Budæo aliter videtur. Et scena tertia. *Capiebat statim.*] *Statim* priore longa, pro perpetuo & æqualiter. Et scena sexta.

G. Vapulabis. A. id tibi jam quidem fiet, nisi resistis verbero.

G. Familiariorem oportet esse hunc qui minitatur malum.

Scenam hanc trochaicis constare catalecticis versus metientibus clarum est. Quare cum prior ille versus neque trochaicus esset ejus mensuræ, quam Terentiani versus nunquam excedunt, hoc est, cum neque octon. esset catalecticus, neque hypercatalecticus, incidit animo suspicio, loco aliquid esse additum, vel certè detractum : quid id esse posset, cum reperire non possem cogitando, in codicem incidi, vix dignum, qui mihi fidem facere deberet, nisi iudicii ratio accessisset. In eo ita scriptum reperi.

PROLEGOMENA TERENCEIANA.

G. Vapulabis. Curialis vernula est qui me vocat.

A. Id tibi quidem jam fiet, nisi resistis verbero.

G. Familiariorem oportet esse hunc qui minitatur malum.

Quæ lectio propter multas res mihi probatur : versus enim consulitur, & id quod subjecit, *Familiariorem esse oportet, qui minitatur malum*, explicatur magis : vocare enim potuit quivis, vernula etiam, minitare malum (ut loci hujus verboutar, quo usos antiquos notatum video à Prisciano) non nisi qui in eum jus habeat & imperium : unde in suspicionem venit Geta, herum esse, à quo vocaretur, non vernulam, quemadmodum initio putabat, cui verbera etiam minitaverat. Id unum relinquebatur dubium, quid Curialem vernulam dixisset Poëta, cum Curiales hi dicantur, qui curiæ sint ejusdem, curiamque servi non haberent, neque apud Romanos, neque apud Græcos. Ea de re duc animo subibant opiniones, aut legendum, *Familiaris vernula est*, nam & subjecit, *familiariorem*, & versus utrumque patitur trochaicus : aut servos curiales dici posse, qui dominis serviunt ejusdem curiæ. Populares enim dicuntur etiam servi, qui dominis populi ejusdem serviunt : ita enim sumendum illud puto Actus primi scenæ primæ, *Amicus summus meus & popularis Geta*. Palliatam enim esse fabulam ineminisse debemus, civitatèque Atheniensem in *ἄμους* hoc est populos divisam fuisse, quemadmodum hodie est Florentina. Nam putare ideo à Davo popularem Getam appellatum, quòd essent nationis ejusdem, quod Interpreti video placuisse, ignorare est populos fuisse diversos Getas & Davos, & servis nomina dari solita ab eo populo unde esset quisque. Diversos autem fuisse populos Strabo libro septimo his verbis testatur. Fuit & alia regionis divisio ex antiquis permanens temporibus, alios enim Dacos alios Getas appellant. Getas quidem qui ad Pontum in orientem vergunt, Dacos autem qui in oppositum versus Germaniam & ad Istri fontes, quos olim Davos vocatos esse reor. Ex quo apud Athenienses Davorum & Getarum nomina servilia plurimum abundabant. Hoc sanè credibilis est, quàm à Scytharum gente derivari, quos Daas vocant : longè enim illi ad Hyrcaniam positi sunt, nec ex eo loco Athenas mancipia deportata putandum est. Hæc Strabo. Regio ergo eadem erat & Davorum & Getarum, & lingua eadem, quemadmodum post paulo scribit idem Strabo, proinde gens eadem, sed in populos varios divisa : neque protinus ejusdem populi dici debent, qui ejusdem gentis sunt, & nationis. Et scena septima.

In angiportum hoc.] Priscianus legit *hunc*, ut probet etiam genere masculino *angiportum* reperiri. Et scena nona. *D. Ut voles faciet. N. imò ut jam scias.*] & *imò ut*, anapæstus.

JULII CÆSARIS SCALIGERI
LIBER DE COMICIS DIMENSIONIBUS.

Ad Silvium Cæsarem filium.

QUIBUS artibus Poëtarum ingenia excolerentur, cum esset à nobis duobus libris explicatum: non prius absolutum fuisse opus illud videbatur, quam addita de versibus comicis commentatione institutum teneremus. Nam cum de origine, generibus, partibus fabularum, quæ in scenam afferrentur, & ab aliis olim, & à nobis ipsis suo loco sit disputatum: in animo habebamus, totum hoc negotium legare iis, qui de pedum quantitate, deque versuum ratione conscripserant. Verum cum & maximus vir Erasmus, & post eum plerique alii ita hanc conficere Provinciam aggressi sint, ut & ille his non pauca reliquisset, & hi eadem illa aut nescisse, aut præterisse visi sint, coactus sum Sylvio filii, hac quoque opera ostendere animum erga te nostrum: ut quem in locum Naturæ ope te ipsum evehere mirabamur, nostris auspiciis promoveri, ac provenire eò possis. Nam cum perneccessaria per se cognitio est ipsa, tum etiam si non esset, videntur tamen viri illi talem effecisse: sive ad eorum magnitudinem intueare, quam ad hujusmodi lucubrationem demississent: sive negligentiam spectes, qua mutilam depravatamque relinquerent.

Ac primum quidem quam Erasmus affert, vereor ut accipienda sit dubitatio: sit, necne certis pedibus astricta comœdia. Nam quanquam Quintilianus hoc dixisse videtur, non tamen pedum leges potius, quam trimetrorum præscriptionem desideravit: neque in omnibus, sed in Terentianis tantum: quarum gratiam, quam elegantia orationis atque puritate consequutæ essent, diminutam putabat licentia versuum longiorum: cum tamen Plautus nihilo sit in trimetris frequentior. Hoc autem amplius eadem in quæstione peccat Priscianus: quosdam esse, qui in Terentii fabulis extare metra negent, atque eosdem tamen ait, illa quasi arcana quædam, sibi que solis cognita profiteri. Quid enim est hoc? negare numeros in versu quopiam, eosdemque numeros in eodem versu se solos dimetiri posse? Hanc sententiam more suo de illo mutuatus Erasmus, commodiorem fecit: dividit enim eam, ejusque partes ad diversa refert judicia. Alios inquit negare, alios quasi inutilem eam investigationem existimare. Quorum utrumque cum ipse rejecisset, quod erat priore loco, merito quasi judicatum omisit. Alterius autem rationem hanc reddere instituit. Non operam perdere nos indagandis versuum generibus. hac enim diligentia effici, ut quæ librariorum incuria transpositæ voces sint, suis ex sedibus restituantur. Ego

verò

verò neque hoc esse necessarium video, & plus conferre ad solutæ orationis libertatem. Nam neque ubivis transpositæ voces, versus tolerant connexionem: & frequentissimè deprehendimus, ob numeri necessitatem ita transpositas, ut si eandem sententiam in epistolam sis alaturus, cogaris aliis sedibus digerere: veluti cum Terentianus Simo ait,

Si sensero hodie quicquam in his te nuptiis

Fallacia conari, quo fiant minus.

Nam priore versu multa invertas sine dispendio numerorum: in altero autem, & quotidiano sermone, & forensibus contentionibus aliter loquere. Itaque si librarij ita scripsissent:

Fallacia conari, quominus fiant: ex eorum temeritate hoc fructus capiamus, ut minore negotio imitemur. Hoc igitur non negamus nos, versuum legibus duci nos ad verborum sedes investigandas: sed in eam nullam esse utilitatem, hoc negamus: imò verò conducere interdum magis, si transposita sint, quo ordine orationem nostram instituiamus. Sed profectò hac opera plus fuit laboris sumptum, quam captum utilitatis: ut non sine causa miraremur, summos viros tantum studij in dimetiendis illis versibus posuisse, Priscianum, Donatum, Asperum, Jubam, Scaurum, Probum, Sulpitium, Varronem ipsum. Quorum frequentia cum mihi in mentem venit, apparet illico aut obscura diligentia, qui infecto negotio eguerint successore: aut res ipsa perdita, quæ vel ab uno alterove tantorum virorum nequiverit confici. Quare ea quoque causa, sed potissimum ea, inquam, esse potuit, ut ad hanc contemplationem studium nostrum adhiberemus. Neque enim sola res petenda jam est nobis, sed ipsa contentione de clarissimis autoribus victoria reportanda. Atque ut eorum judicia hac quoque in parte emendemus, simul ad hanc operam incitemus ingenia literatorum: ut non minimam pronuntiandi rationem ex hac commentatione consequi sese posse putent: quemadmodum cum intellexerint neque aspirationem, neque sibilum, neque mutam inter se conspirare potuisse, ut prima syllaba in voce hac, *isthic*, produceretur. Qua in voce eadem qui putant sibilum extrudi in pronuntiando, neque morem servarunt, neque etymologiam observarunt. Nam *Æoles*, quos Latini maximè sunt imitati, quod alii *ἔσλον*, dicerent, ipsi, *ἔσλον*, pronuntiabant. ita in verbo, *isthic*, satius fuit mutam abjicere. Et fuit ratio: nam, *is*, pronomen integrum manet: cauda autem illa, quam vocant syllabicam adjectionem, nullo dispendio expuncta etiam leniori relinquit locum conjunctioni. Præterea multis in locis animadvertas, posituram consonantium non producere vocalem: sed suapte natura niti brevitate: ut, *in, sed, ad, quod, aliud, simul*: in quibus qui putarunt oportere postremum elidi elementum, vehementer errarunt. Sed longè facilius in disjunctis vocibus correptam vocalem tenuere, quam in conjunctis. At in conjunctis ita pronuntiabant, ut positura nihil afferret moræ bre-

PROLEGOMENA TERENTIANA.

vitati. Sic *insidias*, & *ineros*, primam producere dixerunt: *indicacionem* autem & *incautum* corripere. Quare si hoc in uno tractu ac tempore faciebant, multò commodius interposito eo intervallo, quod separatis vocibus debetur, efficere debuerunt. Nam si dicas, *in sedibus*, atque ibi præpositio brevis sit, quæ in ea compositione longa fuisset, quantò aptius brevis erit, si dicas, *in diem*: quæ si compones, brevis quoque erit? Præterea animadvertemus, quàm celeriter multas vocales pronuntiando expediverint, ut etiam cum sequentibus obscurarint. Sic enim in illis, *scias*, *sua*, *tua*, *fuit*, *dies*, *deos*, *prius*: quæ efficiebant monosyllaba: ita ex duobus comparativis, *potius*, *melius*, duos constituebant pyrrhichios. Nam quemadmodum mensuremus versum illum ex Andria?

Dabit nemo. inveniet inopem potius, quàm te corruppi sinat.

Necesse enim est ex duabus vocibus his, *potius quàm*, unum pedem fieri: quod ut efficias, multà prius, ac mirabili eget interpolatione. Ergo vulgò ita quoque locutos puto, non laturus scenarum barbariem, quæ de medio sumeret sermonem. In hac tamen re & disceptarunt multi, & non pauci errarunt: sicut & illi, qui reddere voluerunt rationem versuum: cum alii essent curtissimi, alii adeò longi, ut mihi libeat cum Plautino trapezita joculari, dum unum scribo explevit mihi totas ceras quatuor: quantus ille est ex Eunucho:

Et magnifica verba: verba dum sint. verùm si ad rem conferentur, vapulabit.

Quanquam, hîc quoque ab illis dissentio, aiòque duos versus esse: priorem trochaicum dimetrum brachycatalecticum, alterum octonarium. Nam sic pronuntiavit; ut cum dixisset,

Et magnifica verba: substitit, affixitque ibi propositum in verbis: postea simul cum re mutavit sententiam, ut pro factis facta redderet, & verbera minitaretur. Priscianus distinctionis causa breviores insertos versus dicit. Verùm neque ille distinctio hæc quid esset, declaravit: neque nos, quid sibi velit, sanè scimus. Nam quæ distinctio esse debet, non solum eadem in scena, sed etiam persona? quæve in prima scena gravissimæ comædiæ Amphitruonis? Ipso enim ingressu statim nusquam sibi constat. Aut qualem in ea scena, in qua Pamphilus de patris duritia queritur? qui in eodem argumento propositoque persistaret conquestionis, & tetrametris illud inseruit dimetrum:

Quod si fit, pereò funditùs.

Alii, ut sibi videbantur, acutiores, è rebus ipsis duci, non solum pedum statum, aut cursum, sed etiam versuum tractus prodidere: in re perturbata mutari versus, pedesque ipsos confundi: in celeritate trochaicos trudi: gravibus personis statarios sermones confieri ex spondæis. Afferunt huc non tam pro teste, quàm pro iudice Virgilianam prudentiam, divinam illam sanè mihi: qui rem, verborum nitore ac numerorum concinnitate oculis subjiciat. Ego verò ut horum diligen-

PROLEGOMENA TERENTIANA.

tiam veneratus sum, quam equidem tanto studio in meis poëmatis exprimere conatus fuerim: ita in comædiis falsam simul atque supervacaneam animadverti. Nam si in personarum statibus diversis, si in contrariis negotiis, si in fabularum partibus maximè inter se dissimilibus, idem pes, idem pedum ordo, idem carminum genus ostendatur: jam nulla causa est, quin horum sententia, tanquam vana explodatur. Ergo in divina fabula, ac verè thesauro, quam levi nimis de causa Trinunium inscripsit Plautus, Protasis trimetro iambico tota constat: item Epitasis, tum Catastrophe. Stichus è contrario, tota trochaicis longis. In Mostellaria adolescenti Philolacheti, homini perditio luxu, atque otio corrupto, quique unam modò rem ageret, ut inserviret ventri, dati versus sunt omni pedum penè genere pleni. Tranioni autem servo trepido, in re desperata, versus compositi, atque sibiipsis constantes. Seni Teuropidæ, viro gravi, parco, lato, aucta re, amoto maritimum metu periculorum, senarii iambici. Quid gravius Amphitruone? quid magis statarium, quàm finis fabulæ conversæ? concluditur tamen fabula trochaicis. In Sticho autem tam iambis potant, quàm trochaïs. Gurgulio currens in re nova, novo nuntio vehitur trochaï rotis. At Acanthio in Mercatore haud absimili in re quadratis utitur iambicis, at iisdem in Terentiana Phormione Geta pari in negotio. Ergasilus verò parasitus in Captivis, tam trochaicis, quàm aliis: cum tamen similem ageret cursuram. Quemadmodum & Dinacium puer in Sticho nuntii autor novi, utrisque mistim usus est. Præterea trochaicis Harpax Cacula militaris in Pseudulo dum Lenonem quærit. Trochaicis Erotium meretrix in Menæchmis, ut obsonium comparandum curret. At è contrario trochaicis Lyfiteles adolescens, & gravis, & frugi in Trinunio: & Chremes senex, vir bonus, ac prudens in Andria, seria in primis de re, paterno animo, constanti conquestione. Quod si ad Davum respiciant, qui sequenti scena jam otium atque tranquillitatem imperando sibi, bellissimos fundit trochaicos, jam ipsi illa de celeritate aliquid consultius remittant. Poëtas profectò istos comicos nostrates, ut in mentem venerant res arripuisse, eisque numeros accommodasse reor. Isti verò legumlatores novi, plerique hoc suis obtinent ingeniis peculiare: semel alicubi si quid deprehendère, illico pro lege habent. Atqui longo multoque opus est studio, est opus consilio prudenti, acri iudicio opus est: quanquam equidem non negarim, fabularum initiis, ubi animos auresque spectatorum trimetris versibus imbuissent, ipsi sibi suo quasi jure agerent, deinceps interspersis alicubi ejusdem generis senariis, idque neque semper, neque coactos, neque consultò factitasse existimamus. Fuit tamen hoc illis in more positum, ut narrationibus trimetros majore ex parte adaptarent: neque solum in Argumentis, aut Prologo, aut Protasi; sed etiam apud personas eas, quæ etiam aliud agerent. Quemadmodum cum Davus in Andria, de aliis rebus loquens, alia utitur versuum dimensione: ubi ad narra-

PROLEGOMENA TERENTIANA.

tionem deventum est, de navi fracta apud Andrum, ad trimetros divertitur.

Ad hæc mala, hoc mihi accedit etiam. hæc Andria.

Eadem diligentia in epistolis. In Pseudulo ab longis in senarios deflectitur. In Afinaria quoque quod pactum conscriptum est inter adolescentem, & lenam, senariis expletur: quoniam sit narratio quædam: quamquam ne hic quidem semper. Nam longis versibus narrat in Rudente Grippus, eventis fortunæ sese bene acceptum. At in eadem senex somnium trimetris. Ex utrisque verò, atque etiam aliis mistis Sofia Amphitruonis: quanquam ubi ad manus ventum est, iamborum vim atque alacritatem minutiore gyro flectit, ac vibrat. Cùm igitur tam inconstantem legem videamus, ut illis poetis neque curæ fuerit, uti facerent, neque salvo puri sermonis nitore efficere potuere, uti numeris essent astrictioribus: nos sic inventa, aut quemadmodum existunt, permittamus, aut si quid sinistri sese offerat, ne odiose extorqueamus: præsertim cùm licentiæ vitium cum Græcis, unde sumpsissemus, sibi commune, licentia, uti solet, auxere.

Illud verò, quod aliqui dubitando, quidam etiam asseverando negabant, fabulas Terentianas trimetris circumscriptas, falsum esse deprehendimus. Nam & apud eum Poëtam plus esse hujus carminis invenies: & contrà, apud Plautum quadratos, aliâque longiorum genera. Andria penè ex æquo divisa in utrumque genus est. Haud enim ita multò ab longis senariorum numerus superatur. In Eunuchò, & Heautontimorumenò, item. At in Adelphis penè ex quadrante longi ab senariis exceduntur. Phormionem potior senariorum numerus conficit. Hecyra laxior fabula, ac pedestrior est: itaque omnium Terentianarum, ad sermonem quotidianum quàm proximè accedit. est tamen in ea senariorum plus tertia parte. At contrà, Plautina Amphitruo, & Rudens, vix totus quadrans expletur senariis. Afinaria, Epidicus, quam tantopere ipse autor laudat, Mostellaria, Menæchmi, Miles, Mercator, Pseudulus, Aulularia, Casina, Gurgulio, Bacchides, aut ex utrisque æquè constant, aut etiam minus habent senariorum. Captivi verò, & Persa, & Pœnulus, plus dimidio textæ sunt longis. Trinummus legebatur hæctenus tota quadratis, aut non multò brevioribus. Eam nos ita restituimus pristinæ sinceritati, ut ad quingentos senarios excusserimus. Quorum tamen numero præstant longi versus duplo. Quam operam etiam cùm Truculento impendissemus: paulò minus ducentis reformatis, tantam longiorum invenimus multitudinem, vix ut illorum hi essent pars quinta. Atque is labor non temerè susceptus est: cùm tam facile mendacium, Quintiliani autoritate tegetetur. Nam isti magni viri, dum nihil inexcussum volunt, & fastidiunt leviora, plus profectò nominis usurpant, quàm ponant operæ. Quemadmodum Priscianus quoque, cui de anapæsto sententia excidit satis absurda, cùm dixit: Erit autem probabilis iambicus versus, & tragædiis

PROLEGOMENA TERENTIANA.

aptus, si secundum, & quartum pedem, non alios feceris, quàm iambos, aut eum, qui tribrachus est, aut anapæstus: quoniam sunt pares. Quæ enim audacia fretus anapæstum tribracho parem dixit? Nam quod ait paribus sedibus anapæstum recipi: verum est. Sic enim extat in Pluto Aristophanis:

Ὅς ἀρχαλέον παρὰ γὰρ ἔστιν, ὃ ζεὺς καὶ θεοί.

Et bis in eodem versu:

οἱ δ' ἄγε τρέποντο, καὶ ἐκ ἑδούκου μὲ ὄρεον ἔπι.

Verùm hoc est illi adeò frequens, ut nullus pudor Latinis sit jam futurus, quibus linguæ ratio persuasit, ne hoc attentius curarent: præsertim cùm tragædia quoque hoc admiserit, gravius sanè ac longè castius poëma. Observantior Sophocles: Euripides minus obnoxius: nam minus pepercit illis sedibus.

Γλατταν δὲ ὀπορευθὲν σαζάν ἰδία τὸ φρενός.

Et in Hecuba:

Κεῖ σμίκρον ἔχρισσι, πῶτ' ἂν ἀκούσῃς ἔχρη.

Neque solùm anapæstum paribus sedibus posuit illis, sed etiam in ultima, ut in Oreste:

Ἀυτοεργός. οἵπερ καὶ μόνοι σὸ τίσι πρόλι.

Quem si tribrachyn voces, syllabam nunc respicias, non legem illam, qua ultima habetur indifferens.

Erasmus autem rectè sedibus imparibus dicebat, pro iambo receptum spondæum, dactylum, tribrachyn, anapæstum: proceleusmaticum autem omisit, quoniam excidisset memoria: & creticum, quem sanè putaret non admitti. Nam si in eam sedem posse recipi sperasset, non multa carmina subvertisset. Proceleusmaticus autem proximè ad naturam dactyli accedit, differens syllabarum numero, temporum tractibus par. Tribus autem modis excipitur pes ille. Aut enim mollis est, atque adminiculis quibusdam similior factus dactylo: ut, *Genua labant: ariete: parietibus*. Duabus enim vocalibus constitutis, prior consonantis vim quandam videtur obtinere. Aut est apertior, ut in versu Enniano:

Capitibus nutantis pinus, rectòsq; cypressos.

Aut est coactus, ademptis consonantibus quibus syllabarum brevitatem impeditur. cujusmodi est in Andria:

Sine invidia laudem invenias, & amicos pares.

Itaque ad eum versum cùm devenisset Erasmus, neque agnoscere vellet proceleusmaticum, quem in suis legibus non constituisset, & putaret duriusculè fieri, si Æolicum digamma auferretur, ut exiret proceleusmaticus: sustulit tamen, ut exciperetur tribrachus in duabus primoribus syllabis hujus nominis, *invidia*, & ex duabus postremis vocalibus una syllaba concreta esset. Verùm ut in natura, ita in arte illius imitatrice faciendum nobis est, nihil aut otiosè, aut superfluò agere. Ergo ut constet ratio dimensionis, si recipias proceleusmaticum, unum tan-

PROLEGOMENA TERENTIANA.

tum moliris, cum tollis digamma. Si malis tribrachum, & hoc tibi idem curandum est, ut tollas: & præterea duabus confertis syllabis obscuranda oratio. Nam si nihil refert pronunciesne *invidia*, an *invida*, quid intelligamus? quod si (ac verius quidem est) ita pronunciemus, ut quasi sonum consonantis prior vocalis obtineat, jam non sit tribrachus amplius, sed anapæstus. Nam ita pronunciari in quibusdam proceleusmaticis jam diximus, & apparet ex illo versu Poëtæ:

Stellio, & lucifugis congesta cubilia blattis.

Et apud Horatium:

Vt Nasidieni juvit te cœna beati.

Nam idem nomen aliter:

Nasidienus ad hac.

Quare in priorē versu, omnes erunt spondæi præter quintum. Sic enim etiam Catullus, *pituita*, primam cum produxit:

Mucosque & mala pituita nasi.

Non corripuit Horatius:

Nisi cum pituita molesta est.

Sed trisyllabum posuit: ita ut media litera Æolicum sit digamma: quod & elicitur ex judicio Ælii Stolonis, qui à petendo vitam duci ratus est. Verum quod in, *invidia*, fecit, ut unam ex duabus efficeret syllabam, commodius confecisset in, *injuria*, illo versu:

Quo jure, quaque injuria præcipitem me in pistrinum dabit.

Sicut in, *perfidia*, prologo Amphitruonis:

Non ambitione, neque perfidia, qui minus.

Id quod si animadvertisset, non sustulisset pronomen, *me*, quod magna cum emphasi, ac gestu ad timorem personæ positum est: & omnibus in exemplaribus legitur. Tolli autem Æolicum elementum in ea voce, palam est etiam versu illo Phormionis:

Qui saepe propter invidiam adimunt diviti.

Neque enim mirum est adventitiam literam de medio tolli quasi peregrinam. Est enim *video*, *ιδω*: sicut in verbo *vivo*: fuit enim *βιω*: eo versu:

Liberius vivendi fuit potestas. nam antea.

Puto enim non admodum vegetam, contentamque fuisse literæ illius pronuntiationem: sicuti neque in *ovo*, neque in *ove*, cum libitum esset. quæ ut asperrima est apud Germanos, ita penè vocalis apud Vascones, non consonans: nedum ut duplex uspiam sit. Sed nequaquam par ratio fuit aut necessitas, ut elideretur idem digamma, in verbo hoc, *inveniet*: eo versu ex Andria:

Dabit nemo. inveniet inopem potius, quam te corrupti sinat.

Nihil enim mutatur versus dimensio, sive tollatur. sive relinquatur: quare, contra quam sensere, nullo pacto debeat tolli. In conjunctione quoque hac, *enimvero*, durius fit, si eximatur. Quid enim esset, *enimvero*? Sed unam syllabam fuisse, *enim*, cum vellent arbitror. E-

PROLEGOMENA TERENTIANA.

quidem Græcum fuit. *iv*, & *in*. At quasi pro consonante accepere, ut ostendimus, in *Stellio*, *invidia*, *injuria*. Quod si cui paulo asperior videatur pronuntiatio: is non meminit, ea ratione, *cui*, esse monosyllabum: & *Pompei*, disyllabum: &, *Cai*, monosyllabum, &, *hui*: & quod omnium durissimum est, *huic*. Proceleusmaticos autem aliis duobus versibus animadvertere quidam, utroque ex Andria:

Mala mens, malus animus: quem quidem ego si sensero.

Tibi generum firmum, & filia invenies virum.

Ac de priorē quidem non est disceptandum. In posteriore autem molior est: propterea quod antiqui pronomina, *mi*, & *ti*, monosyllaba pronuntiabant ab Æolensibus accepta, *μῖ*, *τῖ*: *tu*, *τί*: *τῆ*, *te*. Sic enim in Gurgulione accipiendum est:

Curato. ego tibi quod amas, jam huc adducam.

Tibi, proceleusmaticum hinc quoque facient, neque errabunt. Hoc tantum agebamus, ut intelligeres secundiorē fluxum earum syllabarum ad proceleusmaticum, quarum duæ in unam redigi atque coalescere possint. De cretico autem, quem isti omni conatu subterfugere, pluribus rationibus, atque exemplis est disputandum. Nam si in heroicū admittitur, si in tragædia, quod est poema clarum, nobile, elatum, castum, locum invenit: quare in medium ac vulgatum sermonem non recipiatur? Est igitur apud Poëtam:

Et naufragum syllacæum.

Dicent non fuisse emendatum librum. At Vari & Tuccæ judicio emendatum fuit hoc. At est in emendatissimo libro Georgicôn, quod supra adduximus:

Stellio, & lucifugis.

At est Euripidæ cum alibi, tum in Hecuba:

Δουὶν δὲ πειθὴν δῖω νεκρῶ καδύλαται.

Cum tamen dicere potuisset: *Πειθὴν δουὶν.*

Itaque nos quoque in Nemesi, studuimus gravitati, & auribus:

Heu genus nefandum.

Nam abjecta interjectione, exanguis oratio est: item si dicas,

Heu genus nefanda.

Et alio loco posuimus, *sinistra*: potuisset dici, *scava*. Sed paucis aures poëticae datae sunt. Præterea si dactylus & anapæstus in iambi loca suffecti sunt, quorum utervis una illum & syllaba & tempore superaret, quare eam licentiam sermonis eadem puritas non coegerit recipere quasdam voces, in quibus esset creticus? præsertim cum è puris creticis aliquot versus constent. Præterea, ea nomina, verbaque, *deus*, *dies*, *fuit*, *mea*, *sua*, *tua*, eò pertinent, ut cum collectionem in unam syllabam patiantur, doceant nos in cretico idem quoque fieri posse, ut emolliantur pronuntiatione. Ad hæc, si omnium morosissimus pes, ac penè ferus, *ἀνθεραρχεῖος*, in heroicū receptus est apud Homerum: cum *ἀνθρῆιον*, & *ἀνθροῖητα*, facit ut dactylum primoribus syllabis am-

PROLEGOMENA TERENTIANA:

plectantur : nulla causa est, quin rationes etiam autoritatibus fulciantur. quas Erasmus si diligentius recensuisset, non transtulisset propositionem, *ex*, in Andria prologo: sic,

*Qui bene vertendo, & eas describendo malè, ex
Græcis bonis, Latinas fecit non bonas.*

Quod equidem ut non improbo, ita consilium non laudo: quo adductus est, ut id faceret, ob amphimacrum vitandum. At si his rationibus non acquiescat, exemplis saltem credere cogatur: quæ quanquam habebam penè infinita, tamen & multa omisi, in quibus possent tergiversari: & alia firma penè innumera, ne tædium parerent. paucis igitur contenti sumus. Ex Hecyra igitur cum illud possemus adducere:

Eam calamitatem vestra intelligentia:

Superfedimus duabus de causis: quoniam & ipsi liquidam non geminant in postrema dictione: & nos, pronomen, quod primo loco positum est, monosyllabum agnoscimus. quare audiamus ex Asinaria:

Fortè si tussire occæpsit, ne sic tussiat.

Puto autem sic legendum præcipient: *Fors si tussire.* Nam ii magis erunt ferendi, quàm qui putabunt conjunctionem, *si*, corripì: ut in, *nisi*, & in, *siquidem*. Quare alia quæramus. ex Gurgulione:

Sitit hæc anus, quantillum sitit. modica est. capit.

Item in his duobus, binos:

Pervelim sepultam. sed quom adhuc naso odos meo.

Sedatum te. quàm longè à me abest. lumen hoc vide.

Videamus alios multos, in eadem:

Sed grandiore gradum ergo fac ad me obsecro.

Ubi, *fac*, longum est, contra recentiores.

Salve anus. egon' salva sem, quæ sicca sum siti?

Famne ego huic dico? quid dices? me periisse, age.

Item ex Andria:

Sive ista uxor, sive amica est, gravida è Pamphilo est.

Quo è versu ut creticum tolleret, non veritus est universæ orationis detrudere ornamentum: pronomen illud scilicet, quod in secundo loco statim legitur. Videamus ergo etiam ex Eunuchis:

Quæ cum amatore suo cum cœnant leguriunt.

Nam hîc non possumus effugere, quin aut prima in sede creticus sit, aut in quinta. Nam si secundam vocem non collidas, sed integram relinquis in dimensione, sicut frequenter fit, & Plautus voluit sibi licere in Pseudulo:

Si de damnosis natis, aut de amatoribus.

Creticus sit inevitabilis in quinta. Nam prima syllaba naturâ, non positione longa est. *Cœnare* enim mediam naturâ producit. Sin collidas, jam in prima sede hoc eveniat, eadem validissimus ratione: qualis etiam ex Heautontimorumenis:

Itane comparatam esse hominum naturam omnium.

Quem

PROLEGOMENA TERENTIANA.

Quem versum qui trochaicum putent, nugas agant. hæc enim fuga neque necessaria est, & est frustra. Nam in prologo Adelphorum, quæ pars esse debet politissima:

Indicio de se ipse erit: vos eritis iudices.

In eadem fabula.

Quam aut hîc nunc manere tandiu. aut nunc persequi.

Ineptè divertunt ad trochaicos. Quid enim in illo dicent?

Ille futillis, somnium. sineres verò illum tuum?

Etenim trochæos extorquere nequeant ex eo. Et in Eunuchis:

Sed neminem curiosum intervenire nunc mihi.

Quem Erasmus versum pro senario imprudenter sese metitum esse putat. Et in Hecyra:

A Myrrhina hæc sunt mea uxore exorta omnia.

Et in Pœnulo:

Pérque meos amores, pérque Adelphasum meam.

Et in Amphitruone:

Inimicos osa sum semper obtuerier.

Item in Asinaria:

Deam sibi invocet, quam lubebit, propitiam.

Et in Aulularia:

Nempe sicut dicis. quid hic? non poterat de suo?

Ex Casina:

Aut quasi lumbricus terram quidem te postules.

Sicut ex Captivis:

Inde me continuo recipiam rursus domum.

Ex Casina alterum:

Quid facies? concludere in fenestram firmiter.

Quòd si dicant elidi sibilum, quemadmodum in Rudente:

Illustriores fecit: fenestrasque indidit.

Objicies illud ex Aulularia:

Adepol mortalem parcè parcum pradicat.

Quo loco si jurandi adverbium pronuntiarum autument ab antiquis per mediæ syllabæ exemptionem: alium opponas è Pseudulo:

Nunc tuo cum filio liber accubat. omnia.

Ubi si dicant, *ad*, præpositionem in compositione etiam correptam enuntiarum consuevisse: quæramus nos, quare in aliis carminum generibus nullis licuerit hoc. Quòd si respondeant in causa esse pedestrem ac vulgarem orationem: hinc instemus nos, non valde meritam esse illius vilitatem, ut tam accuratis astricta numeris creticum aspernaretur. Itaque verbum substantivum aliquando miris torfere modis: ut in Milite Plautus:

Censen' verò aded esse parcum, & miserè vivere?

Dicas uxorem tibi esse necessum ducere.

Apertiùs verò in Gurgulione, simplici sibilis pronuntiarum:

PROLEGOMENA TERENTIANA.

Hinc anui non satis est soli. canem esse hanc quidem.
Cæterum quis eximet à cretico versum illum ex Trinummo ?

Sit taciturnitati clàm fidei ac fiducia.
Nisi qui ad trochaicam aram illam miserè confugerit? Quare illo ob-
ruantur ex Gurgulione, quem iambicus, ut sese in omnia vertant,
quin sit, efficere nequeant:

Liberi lepos, ut veteris vetusti cupida sum.
Atque in initio quidem arbitror vocalium tenuiorum mollitie factum, ut
subirent pedes alieni: sic dicimus,

Χρῆώ, πλινιάδεω, πλίως, πλέων:
Ut bacchium etiam receperimus illo versu:

Et leveis ocreas lento ducunt argento:
At hunc versum spondaicum putat Diomedes vir doctus: non malè:
ut mollior vocalis subeat fortiolem. Sic creticum interposuit, ut spon-
dæum faceret, in verbo, *aureo*. Quòd si in tragœdiâ cretici sunt, in
heroicis bacchius & antibacchius, ut taceam anapæstum, tum Ho-
meri, *βοῆς Ζεφύρος τε*: tum Virgilii, *Fluviorum rex Eridanus*: non vi-
dentur fuisse tot monstra necessaria, quot isti eximendis elementis crea-
runt, in *quidem*, in *sicut*, in *simul*, atque aliis: neque excludendas
integras fuisse voces, aut alias spurias ingenuis supponendas, quod fe-
cisse Erasimum & supra ostendimus, & ex his patet. Nam in Eunuchò,
despectam, posuit: *despicatam*, sustulit:

Habeat despicatam, & qua nos semper omnibus cruciant modis.
Auxit etiam errorem alia culpa, cum ex eadem fabula versum fingit
ex puris creticis:

*Siccine agis? quis tu homo es? quid tibi vis? quid cum illa rei
tibi est?*

Quem tamen iambicum quadratum agnoscas. Pari infelicitate & illum
ex Andria creticis conclusit, qui esset senarius integer:

In denegando modò quis pudor est paululum.
Restituta nanque per initium præpositione, quam ille nimis confiden-
ter sustulerat in prioris finem, tolles illius & errorem, & audaciam:
simul deprehendes crassam culpam: qui creticum ex tribus vocibus con-
fectum iri speravit illis, *quis pudor est*. Verùm ille vir curiosior paulò
fuit emendandis autoribus. Nam & apud Senecam:

Arcum intensio frangit, animum remissio:
Eum ibi dixit esse inversum senarium, atque ipse sic invertit:

Remissio animum frangit, arcum intensio.
Dixisset commodius, quòd ad pedes attinet, sic legi posse: nunc cum
necessitatem affert, causam suam facit deteriolem. Nam & sic sena-
rius est: & in aliis apud eundem autorem senariis non observatas magis
leges intelligas, quam in comœdiis aut aliis fabulis, unde ille sume-
ret. Quòd si acrius contemplare, longè concinnior sententia est: quam
deformat ille inversione sua. Nam sententia tametsi æqualiter de arcu,

PROLEGOMENA TERENTIANA.

& de animo, pronuntiat per contraria, tamen vult arcum referre ad
animum, quoniam de animo quærit statuere. Itaque non ab eo inci-
pere; sed in eo sententiam terminare oportuit: præsertim cum præter
expectationem de animo sentiat. Nihil enim mirum, in intensioe arcum,
at mirum remissione animum frangi. Quare & crescit oratio, & talis
est, ut quavis pedum dispositione potior sit. Ita curiosa hæc ingenia
sæpenumero iudicio carent.

De comicorum versuum materia, partiumque quantitate, satis dis-
putatum est. de ipsarum partium numero deinceps videamus. Princi-
pio, quòd antea in libris *De arte Poëtica* statuimus, hinc repetendum
est, Versus per initia curtos fuisse, duobus ad summum contentos pedi-
bus. Id quòd & ratione comprehenditur: siquidem partes toto corpore
prioris sunt. & exemplis: sic enim ortum esse primum senarium in
Apollinis pugna, quam cum Pythone conferuit, ex illa simplici ac-
clamatione:

ὦ Παιῖ.

Quam cum & iterarent, & frequentarent, natum aiunt senarium:
quo tantopere in suis oraculis postea ille celebravit.

ὦ Παιῖ, ὦ Παιῖ, ὦ Παιῖ.

Qua de causa apud autores fabularum, invenias unica voce contentum
versum: ut in Eunuchò:

Ὀκιδί.

Sed & monosyllabum interdum: ut in Hecuba:

ὦ Ἰ.

Et eadem geminata voce, distinctæ voces, ut in Pluto, ut in Oreste:
ἄ, ἄ.

Et conjuncta: ut in Philoctete Sophoclis:

Ἀτλατά.

Repetitis deinde tractibus productiores facti: ut in Nubibus:

ἰού, ἰού.

Hoc quoque ita in Trinummo duplicatum fuit, ut dimeter fieret:

ὦ Καλλίκες, ὦ Καλλίκες.

Ergo cum duo pedum essent genera, alterum motorium, alterum sta-
tarium: qui versus ex motoris constarent, in iis binos pedes singulis
collectos tractibus feriebant: qui autem è statariis constabantur, satis
habebant suum cuique sedi pedem referre. In priori classe fuit pyrrhi-
chius: cujus versus Enoplios dictus est: quo usi sumus nos toto poë-
matio, quòd dicaveramus Sileni natalibus.

Modò citus ego pede celere magis ago numeros:

Ἀβέσθη Venere duce loca super alia volans.

Et Euripides in Oreste:

Χρῆος ἐμὸς ἐπὶ ποτε:

Ἀνὰ κέλευθος ἀπὸ λέχους.

Eiusdem generis est, iambus, trochæus, tribrachus. In secundo censu

PROLEGOMENA TARENTIANA.

spondæus habetur, dactylus, anapæstus, proceleusmaticus, creticus, amphimacrus, bacchius, palimbacchius. Neque verò sine ratione fuit hoc. In his namque vocibus, accentuum natura quatuor, aut quinque temporibus frequens est. Ergo statarij versus ex pedum numero nomen obtinere: ita ut heroiçi, quoniam sex spondæis constarent, senarii dicerentur: motorii autem non item: qui ob celeritatem satis habuerunt, ex dimidio tantum nomen sibi retinere: propterea quòd bini prodirent simul: atque ita factum est, ut quibus essent pedes bini, bini monometri vocarentur: quibus quatuor, dimetri: quibus sex, trimetri: quibus octo, tetrametri. Hæc apud Græcos. Latini autem his nominibus etiam alia addidere: non ab dimensionibus, quæ binos caperent pedes, sed à pedum numero, quaternarios, senarios, octonarios: tanto commodius, cum unica voce etiam imparibus constitutos pedibus nominabant. Quinarios, septenarios. Nam hos Græci brachycatalectici adjectione agnoscunt, quanti sunt. Octonarios autem etiam quadratos appellavimus: quemadmodum in cubica figura anguli octoni sunt: ita cum eandem quadrantalem dicerent, eodem nomine hosce versus insignitos voluere. Nam constituta quadrata superficies, si fluat atque postea sistatur, quadrantal creat. quare corpus hoc Latini Græca voce tesseram vocitarunt: non à laterum numero, sicut quidam putavere, sunt enim sex; sed ab radice constitutionis: sic enim appellant Mathematici. Præterea cum senarii plus in usu fuissent, primusque Boistus produxerit octonarios, ab illo tractu longos nominavere. Ergo neque Gellius Ennianos versus quadratos rectè appellavit trochaicos illos:

Hoc erit tibi argumentum semper in promptu situm.

Ne quid expectes amicos, tute quod passis agere.

Neque Varro in septimo De lingua Latina, illos ex Eunuchis:

Hæc aliquot adolescentuli coimus in Pyrao:

Siquidem Ruffinus autor est, eundem Varronem ita sensisse, versus septenarium fieri, cum ad senarium pes trisyllabus adderetur: additque exemplum iisdem numeris, ex Hecyra:

Nam si remittant quippiam Philumena dolores.

Non solum igitur à se dissentit ipse, verum etiam errat definiendo. Nam & major est septenario, & trisyllabus pes brachius præsertim, iambo non solum est adventitius, sed etiam alterius tractus diversi, neque dignus qui in iambici definitionem admittatur. Et ridiculum est, non potius septenarium ex septenis fieri, sicut ex senis senarium, quam è senario & uno pede, tanto minus trisyllabo. Sed profectò magnos viros autoritas sæpe texit, etiam malè sentientes: sicut Ciceronem quoque fugit ratio, cum in prima quaestione Thusculana septenarios vocat illos:

Hæc reliquias semiassi Regis denudatis ossibus,

Per terram sanæ delibatas foedè diu vexarier,

PROLEGOMENA TARENTIANA.

Erasmus Varronem secutus, tetrametrum nihilo feliciter explicavit illis verbis: iambicum tetrametrum interdum in fine fraudari una syllaba producta penultima, quoties iambico dimetro accinitur dimeter catalectica. Nam quid attinebat dicere penultimam productam? neque enim necessarium hoc est: quo loco & tribrachus esse potest & dactylus: quorum syllabæ postremæ breves sunt. At quæ est illa explicatio? quasi cum dicas, Homini interdum pes deest, quoties integro semihomine, alteri semihomini pes deest. At verò quis nescit tetrametros non è duobus dimetris; sed ex quatuor dimensionibus constare? si quis vel partium consideret rationem, quarum singulis æquale jus sit in versu: vel originem ipsam intueatur. Neque enim Boistus ille, aliudve quispiam, dimetro dimetrum aptavit: sed trimetrum, quem tum longissimum invenerat, monometrum addidit. Præterea quis hoc audiens, non putet esse nefas casuram facere in quinto pede? siquidem ex duobus dimetris tetrametrum est consarcinandum. Quid quod idem abusus est dimetri trimetricque appellatione? Nam imprudenter versus illum ex Andria iambicum pentametrum dixit esse:

Hocine credibile est, aut memorabile?

Qui esset trimeter brachycatalecticus. Neque enim idem esse *μέτρον*, & pedem, supra diximus: sed *μέτρον* capere motorios pedes duos: quare si pentametrum iambicum exigas & à Græco poeta, & à Latino, tanto altero majorem ostendat, quem errorem etiam in illo continuavit:

Novi rem omnem, sed est Simo intus? est?

Ergo nihil mirum sit, qui motoriiis pedibus auferat sua jura, ad statarios immeritò transferre. Illum enim versus ex Andria:

Vt malis gaudeant, atque ex incommodis:

Ausus est creticum dimetrum nominare, qui tamen pes cum non solum syllabarum numero, sed etiam temporum quantitate prolixior, quam spondæus sit: quare solus unam dimensionem non expleat, si spondæus implet? Eum tamen secutus Rivius, parem erroris admisit proportionem. Siquidem trochaicis anapæstum inseri nonnunquam scripsit causa celeritatis, quod dictum cum illo superiore maxime convenit, idem namque sentiunt: cum ille creticum ad iambum, hic anapæstum referat ad trochæum. At qui pes ita esset quatuor præditus temporibus, ut duo simul unam syllabam efficerent plenam ponderis & gravitatis, non potuit inter cursores illos annumerari: præsertim cum iambo similior esset anapæstus quam trochæo, uterque enim à brevibus incipit, in longam desinit. Quanto enim gravior est iambus trochæo, tanto est anapæstus dactylo. Quare non levi de causa factum est, ut gravissimi poematis gravissima pars chorus ad gravissimi pedis majestatem sese conferret, scilicet anapæstum. Quid quod ille nullam posuit rationem, propter quam trochæus esset iambo volubilior? At verò & nomen Græcum excitabat nos, & suberat ratio. Nam qui & syllabarum numero, & temporum ratione par esset iambo, non po-

PROLEGOMENA TERENTIANA:

tuit eo esse celerior, nisi sanè temporum, temporaque deferentium syllabarum situ, qua una re illi fieret dissimilis. Trahit enim trochæus syllaba priore vocem ita, ut in posteriore emollescat, ac quasi evanescat. Iambus è contrario celeritatem professus, gravitatem præstat. Itaque sanguinarius pes, & promptus ad vulnerandum, indicat & impetum primò, & statariam pugnam mox. Id quod Hipponax cum acerrimo ingenio vir animadverteret, quam rationem impetus in pede agnovisset, eam in peculiarem pedi versum transtulit: ut sicut iambus in syllaba longa pertinax pugnaret, sic iambicus versus in longum pedem incumberet. Leviorem enim ratus iambum, quam ut ad impressionem faciendam satis esset, in quintam prælato sedem, succedere ei spondæum fecit. Quare id quoque iudicio consecuti sumus nos, propius ad naturam partium accessurum fuisse totum versum, si iambus imparibus, trochæus paribus sedibus constituti fuissent. Cujus rei exemplum, quoniam res est minus usitata, è nostris poematiis subjiciemus unum ex iambicis:

Malis fortuna Cornucopiæ fundit.

Alterum ex trochaicis:

Si plaudit malis fortuna, quid justis fit?

Qui flexus numerorum si cui absurdus videtur, is meminerit aurium consuetudinem violentam esse: novaque atque inusitata non tam semper admirari, quam sæpe respuere. Verùm magnoperè nostra interest, qui quoad licet Aristotelis exemplo rerum causas vestigamus, venari rationem, propter quam cum iambo sedem assignarent præsci, maluerint pares retinere. Nam si in dactylico senario una tantum satis fuit, quinta scilicet: sive ille fuit spondaicus, una item fuit satis, quippe sexta: quare trochæo impares, alias iambo constituere: nam hoc sanè præter naturam factum videtur. Etenim per initia si solis aut iambis aut trochæis versus constabant, videtur sanè primam quamque sedem illos arripere debuisse. Quibus verbis ut respondeam, sanè primum sic agam. Non esse rerum naturam secutos veteres poetas: multa illis pro libidine facta fuisse, multa fortuito excidisse, quæ postea pro legibus probarentur. Unum illud satis constat, cum trochæo sedem primam retinerent, non inconsulto diversam ab ea, & aliis imparibus adverso pedi iambo assignasse. Quare autem hanc huic, illam illi reddiderint, sanè haud facile est intellectu. Atque hinc quidem ita sentit Priscianus: Quoniam, inquit, in secundo pede cum dimetiendo feriretur versus, minor ei loco mora debita est. Nam mihi contra videtur, majorem moram deberi in pronuntiando, ubi tempore ipso immoramur. Et falsum esset ibi positum pedem, quoniam feriretur: sed contra, verum esset, ibi feriri, quoniam pes poneretur. At hoc quærimus nunc nos, quam ob causam ibi positus sit. Præterea si ea ratio est, quomodo constabit in trochaicis, qui ibidem feriuntur? Ut igitur quæstionis rationem apud nos putemus, intelligamus secundum verborum inventio-

PROLEGOMENA TERENTIANA.

nem esse, ut à longis incipiamus, & in breves deducamur. Nam quamquam brevis syllaba natura sua prior est, quam longa, quippe simplicior est: tamen per initia inventionum cunctabantur primum, quæ ratio est, ut vocum fines in pronuntiatione obscurerentur. Ita enim meditantis, & consulti animi suspendere vocem, non præcipitare. Quamobrem tam in versibus, quam in prosa oratione, postremarum syllabarum habita ratio est nulla. Trochæum igitur antiquiorem fuisse iambo, & dactylum anapæsto par est. Ergo trochaicum versum iambico priorem. Quare cum primæ quæque sedes trochæo fuerint peculiæres, alteræ illi relictæ sunt. Præterea cum trochæus esset pes volubilis, statim sese ingessit in versum. Iambus autem grassator ille idem fecit, quod civilibus in rebus plurimis consuevimus. In oratione ipsa, ut principis gravis ac sedata sit, pugnam quoque cautius aggredimur: tum illa incitatu effervescit: sic ad saltum ubi comparamus nos, fortius pedem figimus, ut statariæ moræ majorem impetum subjiciamus. Sic Aristoteles omnium bonarum artium dominus, motum omnem sub finem esse probavit concitatorum. Ita proposito spondæo, & iambo, fatius fuit ab hoc illum excipi. Præterea recentissima quæque memoria ferè metimur ipsas res, quare assignata prima sede trochaico, ultima quoque necessario trochæo finitur. Quæ sedes, primam dico, si iambi fuisset, in ultima iambum nullum haberemus: nunc ut in eaille sit, pares sedes illi attribuendæ fuere: ut recentissimo sono, quippe novissimo, aures spectatorum caperentur.

Quæ de universa re dicenda erant, ferè habes Sylvi: quare deinceps ad ea, quæ particulatim animadversa sunt, descendamus. Atque equidem, ut sese offerent, ita ea describam. Sit ergo quod affert ab Adelpis eo versu:

Quid is fecit? quid ille fecerit? quem neque pudet.

Cum enim agnosceret senarium, neque rationem inire posset dimensionum, abstulit alteram ex liquidis in pronomine, *ille*: id quod ut ego quoque fateor, & posse, & solere fieri: ita hinc duo dico. Primum, ab eo creticum quarta in sede esse constitutum: quem tamen pedem adeò evitarit, ut everterit multa. Deinde versus aut ipsum disjecisse, aut aliorum incuria solutos præterisse. Sic enim legendi sunt:

Quid tristis es? rogitas me, ubi nobis Æschinus

Siet, quid tristis ego sim? dixitne hoc fore? quid is

Fecit? quid ille fecerit? quem neque pudet.

Ubi verbum, *siet*, unica syllaba concretum fit. Sic etiam ex Andriæ illo sibilum abstulit, non unde debuit:

Quis igitur est relictus objurgandi locus?

Sibilum, inquit, in pronomine, *quis*, eliditur. At verò cum necessario iambicus sit, nullo pacto ad eum modum secare possis, sed ex participio tollendus est. Sed & illum malè dimetitum est:

Perii obsecro: tam infandum facinus mea tu, ne audivi quidem.

PROLEGOMENA TERENTIANA.

Quem dicit esse trochaicum catalecticum : cum sit integer quadratus iambicus , neque ad trochaicum torqueri possit. Sicut & præcedentem illum :

Forè ad nos redierit. visè , amabò , num sit jam. faxo scias.

Nam ut evaderet amphimacrum , non est veritus trahere sui trochaici caudam etiam ultrà octo pedes : nisi arguet , *scias* , esse monosyllabum. Sed cum omnes illi sint quadrati , etiam hunc iambicum malim , nulla facta in prima voce collisione.

Quò ille abire ignavos possit longius , nisi si domum.

In prologo autem Andriæ , eo versu :

Nam in prologis scribendis operam abutitur :

Cum diceret vocis hujus , *prologis* , primam syllabam esse à Terentio productam , addidit sanè rationem frivolam : Latina , inquit , consuetudine : quibus mos est eam præpositionem productam habere. Nam in Latinis verbis producant , in Græcis autem abstineant , nisi alia vis subfit : sicut in hac voce , ubi liquida illa geminatur , sicut in Heautontimorumenos :

Oratorem voluit esse me , non prologum.

Ex ex prologo Truculenti :

Sed reliquam dat operam , ne sit reliquom.

Et illo :

Ut pernoctatis ecquid spei sit reliquum.

Nam nisi hoc soliti essent facere , mille aliæ viæ erant ad eadem penè verba versu concludenda , ut rem novam evitaret. Verùm nova nequaquam erat : sed ab Homero usque. Nam in hymnis μέλος , in Iliade ελωεα , atque alia produxit. Etiamque nunc multæ nationes adeò crassè eam literam pronuntiant , ut intus esse aspiratio videatur , Galbali , Arverni , Græci , Germani , Ligures , Taurini. Cæterùm etiam alia ratio est , ut & versus ille prologi constet , neque liquida geminetur. Sanè si eam vocem quæ in eo versu prima est , non collidas : quod sæpe alibi & in ea , & in aliis factitatum est. sicut in Eunucho :

Vnà ire cum amica imperatorem in via.

In secunda enim sede dactylus est , neque præpositio colliditur. Ita in illo si conjunctionem , *nam* , non collidas , nihil innovabis : præsertim cum in promptu habuit , ut pro , *nam* , subjiceret , nanque. Verùm , ut diximus , etiam in alio prologo idem factum est , ut geminaretur , & rectè. minus verò rectè à Donato in Hecyræ prologo.

Propè jam remmotum injuriâ adversariùm.

Nam tamen geminari consuevisse fatemur , tamen non eum fuisse locum , eam affectandi novationem , qui sibi iambum , quandocumque possit , ascisceret. Sicuti non minus infeliciter Priscianus : qui cum reducit geminare mutam diceret , idque exemplo probare vellet , attulit dimetrum Horatianum ex Epodo :

Redduces in sedem vice.

Nam

PROLEGOMENA TERENTIANA.

Nam quid aiat . si negem ? neque enim necessitate pedis persuadebitur nobis. Quid si contendam non esse factum ab Horatio , qui quoad potest , iambo etiam aucupatur ? Quare igitur abjecerit genuinum pedem , quare admiserit spuriam literam , ut illum excluderet ? Melius fecisset , si ex Hecyra illud :

Remissum opus sit vobis , an reductam domum.

Neque mirum , quæ in , *reddo* , geminetur. In scena quoque primi actus quinta , cum Pamphili orationi intervenisset Mysis , atque suis uterque seorsum affectibus uteretur , versus interseruit diversos quoque poeta , quos Erasmus confudit : sic igitur legendi sunt :

Hocne est humanum factum , aut inceptum ? hoccine officium patris ?

Quid illud est ?

Proh Deùm atque hominum fidem , quid est , si non hæc contumelia est ?

Sic enim etiam alio genere Mysis utitur iterum :

Miseram me. quod verbum audio ?

Cui responderet illud Pamphili :

Quod si sit , pereo funditus.

In eadem autem scena versum illum :

Proh Deùm atque hominum fidem , nullone ego :

Appellat dimetrum pede redundante , laxè sanè nimis. Nam quamobrem non quinarium ? quare non trimetrum brachycatalecticum ? quis unquam audivit versum ullum pede esse redundante ? nonne ipse ille versus talis est hoc ipso pede , quem dicis redundare ? Illud quoque malè dignoscere visi sunt : cum actus secundi putarunt initium , caudam esse postremi versus , quo clauditur actus primus : sic ,

Ne ad morbum hoc etiam , teneo. quid ais Eyrhia ?

Nam ut hoc primum dicam , multo satius est , ut initia actuum integra sint , quam fines. Deinde appareat properatio in Myside abeunte , ut Glycerium consolaretur. Itaque abruptus sermonem , atque abiit. Præterea inter actus vetus comœdia intersererebat *χοροίματα* , choros , deverbis , apostrophas , atque alia ejusmodi. Nova comœdia rarò gregem , nisi in fine. Aliquando etiam Choragum legimus apud Plautum. Omnino autem tibicen canebat : quod è Pseudulo licet perspicere.

Dum concenturio in corde sycophantias ,

Tibicen vos interea hic delectaverit.

Tanto igitur intervallo , quomodo Charinus Mysidis explestet versum , quem non audiret ? In eadem verò scena , ita perversè legit , ut alterum novenarium faciat , alterum , senarium relinquat : sic ,

Quæso adepol Charine , quoniam id fieri quod vis non potest , velis

Quod possit. nihil aliud nisi Philumenam volo.

Cum tamen duo priores optimi sint octonarii : sic ,

Quæso adepol Charine , quoniam id fieri , quod vis , non potest ,
Velis quod possit. nihil aliud nisi Philumenam volo.

PROLEGOMENA TERENCEIANA.

Etiam priore consilio monometrum vocat illum :

Ab quanto satius est.

Dimeter enim est brachycatalecticus. Sed & nulla necessitate mutæ ; *abi* in, *abin'*, sive, *abeas*, cum frustra putat alioqui constare non posse versum. Nam & trochaicus est, si collidas : & iambicus, si non collidas. Nam & maxima est vis ejus vocalis quæ est ultima in verbo, *abi*. Sic Virgilius, eo pulcherrimo versu, quo Theocritum æmulatus est :

Vt vidi, ut peris, ut me malus abstulit error.

Et aspiratio prohibet collisionem, sicut illi :

Hecyra est huic nomen fabulae. hac cum data est.

Sic imprudenter nimis elidit sibilum ex pronomine illius versus :

Sed istud quidnam est? hodie uxorem ducis? ament. Pamphile.

Qui tamen rotundissimus sit octonarius, neque usquam coactus : nam quod monet, in nomine, *suspicio*, tertiam à fine produci, verum est : Sed neque nova res, neque sine ratione. Nam & Plautus ita scripsit :

Et ne in suspicionem ponatur stupri,

Et clandestina ut celatur suspitio.

Et satis liquet coaluisse duas vocales in unam. Namque ab eo quod esset suspitum, suspitio fuit : itaque cum erit brevis, tunc intelligetur syncope, cum longa, synæresis : ex eo quoque versu in Andria :

An non dixi hoc esse futurum? dixi, quid meritis es? cruce.

Prisciani autoritate dicit tolli verbum substantivum. Quo in loco mihi oblatam sententiam occasionem duos simul emendandi magnos viros : illum qui errarit, hunc qui non correxerit. Est enim integer octonarius. Illud verò ejus proprium est, cujus culpam in alium transferre nequeas. Nam verbum substantivum, *adfuerunt*, trisyllabum professus est eo versu :

Cum in pariundo aliquot adfuerunt libera.

Qui tamen versus senarius iambum habet in quarta : ferendus tamen erat quasi lapsus, nisi altero errore culpam cumulasset, cum primam auferri jubet syllabam ex eo versu,

Aufugisti? hera, factum. satin' id tibi placet?

Integer enim senarius est, etiam citra ablationem, spondæis duobus, anapesto, duobus dactylis, & postremo iambo. Ibi temere transfert syllabam inferioris in superiorem : contra debuit transferre in Hecyra, neque transtulit :

Quæ dico parvipendent. porro hoc iurgium ad

Uxorem, hæc cujus sunt consilio omnia.

Sicut interjectionem quoque debuit ascribere priori versui in Adelpis, ut sic legeretur :

Syre præceptorum plenus istorum ille. phy,

Domi habuit unde disceret. fit seduid.

Restituisset etiam in Hecyræ versu verbum, ut sit septenarius, ac par priori : sic

PROLEGOMENA TERENCEIANA.

Tecum ferantur. dixi. ita ut iubes faciam pater.

Non debet errati censeris loco, illud in Andria eo versu :

Tu rem impeditam, & perditam restituas? hem quo fretus sim.

In quo dicit, *hem*, extra versum ab alio additum potius, quam positum à Poëta : cum tamen mutila sit sine eo sententia : & sibilum elidi videmus etiam in multis locis. Sic audacter nimis aufert verbum, *cupio*, ex illo Eunuchi :

Cupio aliquos parare amicos beneficio meo.

Cum tamen commodius eximeret vocem sequentem, sine ullo carminis detrimento, etiam sententiâ rotundiore. Sed aut sit proceleusmaticus primus pes, & alter amphimacrus : aut pronomem possessivum : quod postremo in loco est, demittatur in versum alterum subsequentem, qui nihilominus sit senarius : sic :

Meo. id amabo adjuta me, quò id fiat facilius.

Nam, *facilius*, eodem modo trisyllabum est, quo, *potius*, bisyllabum. Eligat autem Lector, quod magis erit ex animi sententia : quandoquidem etiam apud Lucretium, *aliud*, ita bisyllabum accipitur, ut cauda dactyli sit. Iniquior fuit illi versui ex Hecyra, ex quo, *dum*, particulam expletivam exemit : qui tamen cum sequentibus, cumque precedentibus octonarius sit :

Mane dum sodes. timeo, ne aliud credam, atque aliud nunties.

Hoc ibi cum adimit, ita alibi æquè importunè addit de suo : ut ad eum versum ex Eunucho :

Par pari referto, quod eam mordeat.

Modò addit *nunc*, modò *mox*, modò *sic*, modò nescio quid. Ego verò nihil immutandum censeo de consilio Poëtae : qui integrum proverbium, sicut circumferrebat, ita interferevit trochaico tractu. Quare audacius etiam, *remordeat*, suppositum est. Nam si quid addas, versus non constet : si nihil addas, ad concinnandum trochaicum nihil est opus. Et non solum hoc exemplo in omnibus legitur exemplaribus : sed etiam eadem fide recitatum à Cicerone in epistola ad Lentulum. Verùm apposuit pari audacia adverbium, *nunc*, ei versui :

Alio pacto honestè quo modo hinc abeam, nescio.

Neque enim vocalis eliditur, sed perstat longa ante aspirationem adverbii, *hinc* : & trochaicus decurrit octonarius catalecticus. Sicut in verbo monosyllabo nulla item collisio fit, neque in adverbio, eo versu :

Ora me. obsecro te verò Phadria, i intrò. hoi, hei.

Corruptit etiam syllabarum quantitates : ut in illo ejusdem fabulæ :

Sic est, inveniam hodie parem ubi pol referam gratiam.

Ausus est dicere adverbium, *hodie*, primam producere : quoniam, inquit, idem fit, ac si dicas hoc die. At quod nusquam est, narrat. Nam cum est, hoc die, propter positionem producitur. Nam suapte natura breve pronomem est : sicut ejus compar, *hic*. Græcum enim est, *h*. Quare illud Virgilianum :

PROLEGOMENA TERENTIANA.

Hoc erat alma parens.

Non solum propter interrogationem, sed etiam ob syllabæ servitutum, legunt, *hocce*, ii qui existimati sunt doctiores. Breve enim fuisse vel inde deprehenditur, ubi consonante amissa in adverbio, *hodie*, correptum est: quod etiam exemplo invenias ex versu Hecyræ:

Visum est. certone? certe Deus sum, si hoc ita est, verum reperies. Est enim pronomen, *hoc*, secunda syllaba dactyli, qui in quinta sede est: quamobrem versus, de quo nunc controversia est, septenarius est iambicus. In convivio autem poetico, illum ex Eunuchi prologo:

Habeo alia multa, quæ nunc condonabuntur.

Ait mendosum esse: neque enim scazontes in ea genera carminum admitti: itaque ut metrum corrigeret, linguam Latinam depravavit, cum supposuit, *condonabitur*. Nam quis dicat, *Tu condonaberis à me commentarios?* An verò etiam *ἀποδοῦναι* ausus est, & rectum apponere tamen casum? At ego puto veteres excitandi spectatores gratia, nævos hosce aspersisse: neque in ea re falsus sum. Nam qui decuit minus, spondæo claudere iambicum, quàm dactylicum sistere? At quantum decoris addit affectui, cum diximus in inferiis filiolæ nostræ, sororis tuæ lectissimæ Sylvi:

Heu heu quonam animam, quo carmine compellabo?

Sed de his numeris in tertio libro Poëtices tibi satis est disputatum. Ita gravitatem, & lenitatem, & constantiam animi ostendens Terentius, remisit de iambi acerbitate: néve sine exemplo fecisse eum arbitrare, habebis ex Prologo Amphitruonis unum:

Quod ego huc processi sic cum servili schema.

Est enim, *ἄμα*. quanquam non sum nescius viros doctos sublata aliunde syllaba, schemate, legere solitos: quare aliud habeas ex Asinaria:

Agè nunc reside jam cave modò ne graxis.

Neque enim sequentur analogiam, qui *graxeris*, legerint. nihilo sanè melius, quàm si *faxeris* & *occeperis*, pro *faxis*, & *occepsis*, malint. sicut in Captivis:

Nunquam isthuc dixis, neque animum induxis tuum.

Accipies etiam unum ex eadem fabula:

Avis me ferè consimilem faciam, ut predixti.

Adducere & ex Casinæ prologo, nisi suspicarer verba esse transposita:

Clerumena hæc vocatur comædia Græcè.

Sicut ex eodem alterum:

Ratione utuntur, ludis neminem poscunt.

Sed profectò & alibi multis locis, & in Pœnulo:

Gerra germanæ, atque adepol λῆγοι λῆγον.

Ac ne in illis quidem servavit Latinitatem:

Ne te iratus suis servis dictis protelet, scio.

Substituit enim pro *servis dictis*, *sevidicis*. at *sevidicum*, mobile no-

PROLEGOMENA TERENTIANA.

men est, cui igitur hærebit? an ille invenit usquam in naturæ legibus, accidens sine substantia? In eadem autem scena etiam pedum numerus eum fugit. nanque iambicum senarium hypercatalecticum dixit illum:

Non possum adesse, ah quid agis? quò abis Antipho? mane.

Habet enim duos dactylos alterum alteri subeuntem ante postremum iambum. Equè autem incommodè ex Heautontimorumenò brachycatalecticum nominavit illum, in quo periculum potius imminet, ne quid redundet:

Et illam simul cum nuncio tibi hæc ego affuturam hodie scio.

Est enim quadratus iambicus. Sicut illum quoque minus bene octonarium hypercatalecticum:

Prohè. huic filium scis esse? audi vi, in Asia. non est pater.

Nam si iambum in prima sede statuas, & creticum in secunda ob positionem, aut dactylum ex natura syllabæ, septenarius est. Sed, *audi*, pronuciandum est, ut, *Asia*, sit anapæstus. Sin malis trochaicum, non collidas adverbium, *prohè*, & erit anapæstus prima in sede, eritque octonarius, trochaicus, catalecticus, & *Asia*, bisyllabum. In Phormione frustra laborat transponendo verba, ut numeris consulat, eo versu:

Vt ad pauca redeam, ac mittam illius ineptias.

Mavult ita legi:

Ad pauca ut redeam.

At verò verbum, *redeam*, bisyllabum esse, vel sexcentis locis, ubi opus est, constat. Eximit etiam vocalem hujus præpositionis, *per*, eo versu Adelphorum.

Per oppressionem ut hanc mihi eripere postulet.

At verò, quid fuerit dicere, *proppressionem*? nempe frigidum admodum est, ne dicam absurdum, novum fugæ genus, quò evitet creticum fatalem illum: cum tamen adeò molliter pronuciari possit, ut vix divertat à natura spondæi. Sed jam vereor ne quis eorum, quos ille multis locis premit fabulis atque irridet, reponat ei gratiam: cum in verbo, *postulo*, sciant ab ipso exemptam mediam vocalem. Magno enim in periculo est, ne ab illis barbarus appelletur: propterea quòd Germani, præsertim nostrates Vindelici, Carini, Norici, item Suevi, Saxones ita illud verbum pronuciant, vix ut eam vocalem exaudias. Verùm equidem, neque irridebo maternos avos meos, neque hominis consilium, quippe qui memor sim ejus versus ex Casina: Nunc ne tu respondere postules me tibi. Non igitur iudicium reprehendo, sed iudicij locum. Ei enim versui optimo atque pulcherrimo quadrato, ex Andria, hanc injuriam faciebat:

Cum is nihil promereat: postulare, id gratia apponi sibi.

Verùm & hæc nihil necesse habeas concidere, & primam natura cum corripiat, non potuit sibilus impedimento esse in illo Casinæ versu, quin unico tantum tempore proferretur. factum enim est ex posse, & tolerere. Neque enim literas geminabant, quod etiam durat in præterito,

PROLEGOMENA TERENTIANA:

tetuli: & *teram* simplici elemento scriptam in libris augurum, ait Varro. & hoc monet nos plurimis locis Verrius, ejusque Interpres atque imitator Festus. Cæterum Erasmus utinam eam curam alium in versum transtulisset, ad nomen hoc, *periculo*, potius quàm tolleret omnem sermonis elegantiam, atque adeò Atticismum: quippe pronomen, *hoc*, est autem ex Andria is:

Sine omni periculo. nam hocce haud dubium est, quin Chremes.
Præfertim cum anapæstus esse potuerit in primo pede. Nam, *omnis*, primam corripit naturâ. ductum enim est *περὶ τὸ ὄμως*. Universitas enim fit ex rerum conjunctione. Est enim universum, extra quod nihil est. Neque illas mutam ac liquidam potuisse cogere syllabam ad producendum, & pueri sciunt, & Priscianus docet ex Callimachi versu. Major verò difficultas objicitur in nomine hoc, *voluptas*: ex quo ille vocalem mediam auferendam censet, eo versu Andria:

Quod voluptates eorum propria sunt. nam mihi immortalitas.
Nonnihil verò est si fit ita pronunciandum, *volptas*. nihil enim ad Theutonicum sonum accedere potest propius: atque hoc ut effugeremus, aut constitueremus creticum in prima, aut etiam anapæstum. Correpta enim conjunctio est alibi, vel judicio illius: quare hîc quoque esset. At frustra viderer laborare: quoniam duo versus in Casina sunt, nihilo nobis secundiores.

Sine tuos oculos deosculer voluptas mea.
Quid deosculer te? qua res? qua voluptas mea?
Nam nisi, *volup*, legas, aut facias anapæstum, sanè aspera est pronunciatio. Sed *voluptas*, fuit voluptetas, à volo & peto. quæ omnia cum sint brevia, non immutarunt naturam. Nam sic quoque corripas in versu ex Heautontimorumeno, si ita legas ex Bembi codice:

Nec mihi fas esse ulla me voluptate his frui.
Quamquam codex ille, de quo vir doctissimus atque sanctissimus metitur nostros, plus habuit tum apud nos venerationis, ob vetustatem, tum apud illum opinionis ob novitatem, quàm quantum re ipsa præstare valuerit. Omitto enim quæ ad privatarum vocum pertinent rationem. nam eas in Originum libris tibi satis explicatas puto. At quod ad versuum ipsorum tractus spectat, operæ pretium est animadvertere multos, qui non consent: veluti è Phormione hunc:

Quæ si astu non providentur, me aut herum pessundabunt.
Ita dico apud hosce qui creticum recipiunt nullum: in nostratibus autem mollius legitur sic:

Quæ si non astu providentur.
Ubi octonarius est. Item ex Heautontimorumeno sic legitur:

Pergin' mulier odiosa esse? nullamne ego rem in vita mea.
At in nostris sic legitur:

Venire in mentem. mi vir. ob pergin' mulier esse? nullamne ego.
Ubi vides, si addas omnia illa verba, quæ præcedunt exprobrationem

PROLEGOMENA TERENTIANA.

senis, versus fiat stadio longior. at illi octonarii sunt. Verùm lepor quoque in verbis est illis, *Ob pergin' mulier esse*. plus enim est esse mulierem, quàm odiosam. In altero autem sequente:

Rem unquam volui, quin tu in ea mihi adversatrix fueris Sostrata?
Videtur syllaba redundare. sed *mi*, pronunties, non *mibi*. Bembus autem ita legit, ut una defiat: sic:

Volui: quin tu in ea mihi fueris adversatrix
Sostrata?

Locutionem quoque non leviter pertranseas. Ille enim dicit, nullamne rem volui? sanè tolerabilis sermo, cum verbo hoc, *volui*. Nam negatio quæ est in nomine, in verbum transit, & fit, ullam rem nolui. Non possis verò dicere cum verbo substantivo, nullamne res est? quoniam modo nanque esset, si non est? neque melius procedit ille ex eadem, quem nos sic:

Sustulisti. sic est factum. domina, ergo herus damno auctus est.
Ille sic:

Sustulisti. sic est factum. domin', ergo herus damno auctus est.
At duo sunt, quæ dissuadent esse recipiendum. Primum versus, qui trochaicus sit: quare in quinto pede iambum statuit: nos anapæstum. Et minus simile veri fuit, domi educatam, atque herum latuisse. erat enim modica domus, quæ vel cæna Bacchidis premeretur. quare inepta fuisset interrogatio. Neque fuisset auctus damno, quoniam domi educasset: sed quoniam filiam, cui dos paranda esset. Itaque non foris educandam dedit, sed exponendam. Præterea plus impendii est, si foris educantur liberi, quàm si domi. Sed & ille in Eunuchio, toto verbo longior est, temere repetito.

Idque adeò visam. visam si domi'st. quis nam hinc à Thaide exit?
Sed ubique videtur non minimi iudicii quispiam neglectis numeris leporum quæsisse orationis. sicut in eadem fabula:

Nihil præter promissum.

At nos legebamus:

Nihil prætermisum.

Verùm hîc argutia etiam dimensionibus suum reliquit locum, si *nihil*, sit monosyllabum, quod frequentissimum est, Vult dicere, Phædrum nihil præstaturum eorum, quæ militi pollicebantur, neque quicquam illum præter promissum laturum: Sed in eadem lepor quoque nitidissimus est, iis versibus:

Illum liquet mihi dejerare mensibus
Sex, septem prorsus non vidisse proximis.

Nostri vulgatè nimis legebant, sex vel septem. Cæterum & à numero excluditur conjunctio, & à sermonis puritate: sicuti, cum dicimus, quinquaginta plus minus annos natus sum. Illud quoque lepidius videtur in Heautontimorumeno:

Confutere tu? an obsecro, isthuc inimicis fiet:

PROLEGOMENA TERENTIANA.

Quàm quod legitur ab Erasmo & aliis :

Confitere tuum non esse? ab obsecro te, isthuc inimicis fiet.
Splendidior est oratio repetita negatione sensu non verbis : & necesse est ita legi, quoniam præcipientes versus hic concinnat : quos versus tam Bembus, quàm Erasmus malè disponit. Bembus sic :

Subditum se suspicatur. subditum? ain' tu certè. sic erit mi vir.
Erasmus sic :

Subditum se suspicatur. subditum? ain' tu? certè inquam mi vir.
Verùm uterque longior est, Erasmanus una syllaba : alter autem etiam pluribus. quare ita legendi sunt, ut sint trochaici octonarii catalectici :

Subditum se suspicatur. subditum? ain' tu? certè inquam
Mi vir. confitere tu? au obsecro, isthuc inimicis fiet.

Sic etiam ex Adelphis, illis duobus versibus, neuter est audiendus. Bembi codex sic :

Obsecro mea nutrix, quid nunc fiet! quid fiet rogas?
Rectè adepol spero. moad dolores mea tu occipiunt primulum.
Erasmus sic :

Obsecro mea tu nutrix, quid nunc fiet? qui fiet rogas? rectè.
Ergo Erasmus malè collocat adverbium, *rectè* : Bembus malè omittit pronomen, *tu* : ut sint iambici quadrati. Hæc quidem manifesta lectio, at illa ambigua, utra probior sit? In Heautontimorumenno vetus exemplar sic habet :

Huncine erat æquum ex illius more, an illum ex hujus vivere? &
Quod illum insimulat durum, id non est. nam parentum injuria
Uniusmodi sunt ferme: paulò qui est homo tolerabilis.
Scortari crebrò nolunt, nolunt crebrò convivari.
Bembus & aliquot eximit verba, & alia serie digerit numeros
Huncine erat æquum ex illius more, an illum ex hujus vivere?
Et quod illum insimulant durum, id non est.
Nam parentum injuria, uniusmodi sunt ferme.
Scortari crebrò volunt, volunt convivari.

Sed numeros obterit Bembus, quarto versu : in quo & trochæum invenias tertia sede, & iambum sexta : quare errorem subesse necesse est. & confundit versuum tum genera, tum quantitates. Nostra autem lectio horum nihil : sed asperior visa est in sententia : cum tamen non sit. nam ita dicit : patres duos nihil remittere de imperio, quod exerceant in liberos : omnia animi laxamenta prohibere. at qui paulò est tolerabilior, aliqua sanè patiatur : sed non crebrò ea fieri. Mutavit autem numerum verborum Terentius, cum in singulari dixit, *paulò qui est tolerabilis* debuerat subdere, *non vult crebrò scortari liberos suos, non vult crebrò convivari.* Sed retulit numerum ad universitatem patrum. At in singulari tolerabilem posuerat, quoniam rariores sunt. Ita mutat numerum in Eunuchò :

Eunuchum porro dixi velle te.

Quia

PROLEGOMENA TERENTIANA.

Quia sola utuntur his regina.

Quam mutationem aliquis minus commodam cum putaret; sublatis illis verbis, *paulò qui est homo tolerabilis* : quæ vitia prohiberent patres in nostra lectione, ea fecit patrare flagitia filiis in sua.

Hæc sunt Sylviole filii, quæ laboriosissima opera excussi tibi : majorè tædio tot ineptiarum, an metu, ne pari incitia caperere, nescio. Omisi verò multa carmina controversa, aut ambigua, alia vasta : quæ etiam si ad sanitatem redigantur; at cura ista nostra vel sic longè minor sint.

Verùm enim verò neque tibi puerilia videri debent, qui ista ætate literariæ laudis aditum omnem explorare juberis ab indole tua, quæ magna ac multa promittit nobis : neque mihi plebeia adeò, in quibus, omissis studiis gravioribus, tantos illos viros elaborare aliquid non pœnituit. Qui si quibus in locis lapsi sunt, vel hoc ipsum eis debeat, quòd nos excitant ad veritatem. Cujus splendorem, fili mi, quovis nomine charioriam habere debes. Magnum fuit Erasmi nomen, præsertim in Germania literis renascentibus : majus futurum, si ille minor esse voluisset. Nunc fretus ingenij sui magnitudine, multa tractare aggressus est, paulò minus accuratè : ita à nominis claritate profecta confidentia præcipitem illum egit, non sine dispendio multorum studiosorum : qui omnes cum docti esse vehementer exoptarent, pauci autem laborarent, omissis ærumnis, quæ ipsis in antiquorum lectione multæ exequendæ erant, compendium nacti eorum quæ Erasmus in unum coëgisset, ei de omnibus fidem ita habuere, ut etiam extraneis præcorum monumentis, unde, ille vel aliquando non bona fide accepisset, Erasmi nomen non pro teste, sed pro iudice, citent, atque alieni laboris non quasi beneficiarium faciant autorem. Quare vobis omnibus ejus nominis studiosis, inter quos me quoque sanè esse non nolim, commodè ostendimus, atque opportune quid cuiusque iudicii sequeremini. Quòd si quis, ut est ingenium quibusdam barbarum ac ferum, pertinacius negligat, foveatque ignaviam suam : te saltem habeamus ab erroribus ejusmodi segregatum.

PETRUS BEMBUS

DE TERENTII FABULIS.

COLLOQUENTVR POMPONIVS ET HERMOLAVS.

POMP. EST jam tempus, ut tu mihi item afferas aliquid e Terentii nostri fabulis, quemadmodum recepisti te facturum, quòd hic etiam Phædrus, qui ea lectione plurimum delectatur, habetque eum librum fere semper in manibus, sese augeat probis &

PROLEGOMENA TERENTIANA.

incorruptis locis. Nam te librum habuisse Terentianum pervetustum majoribus scriptum literis, iis quas verà antiquas dicimus, sæpe audivi. HERM. Est istud quidem verum, quod dicis: nam & habui eum librum, & legi, & notavi multa, quæ delectare Phædrum poterunt: si quidem est, ut dicis, in legendo illo plurimus. Quanquam quid prohibet nos etiam, Pomponi, ejus Poëtæ vel candore elegantiaque sermonis, vel pudore gravitateque delectari? quibus Cicero ipse tam est delectatus, ut non pauca inde sumpserit, transtuleritque in sua scripta non minus libenter, quam etiam ambitiosè, ut mihi quidem videtur. Sed geram tibi morem, referamque non planè omnia quæ antiquo in libro probè scripta animadverti esse, sunt enim propè innumerabilia: sed ea, quæ meminero. Itaque attende, nun hoc aliquid sit, quod primum mihi in mentem venit. Nam quæ leguntur argumenta fabularum in Terentianis libris, ea Terentii non sunt:

Sororem falso creditam meretricula

Genere Andria, Glycerium vitiat Pamphilus. Itemque:

Sororem falso ditatam Thaidis,

Id ipsum ignorans miles abduxit Thraso. & reliqua quæ habentur fabularum reliquarum argumenta, ea dico Terentii non esse. POMP. Tunc hoc dicis, Hermolae, Terentium Poëtam argumenta illa non scripsisse? HERM. Verò. POMP. Neque illum ea composuisse? HERM. Id ipsum. POMP. Cujus autem sunt? nam te putò id scire, qui scias Terentii non esse. HERM. Sunt illa quidem C. Sulpitii Apollinaris, ejus quem sæpe citat Gellius, docti & eruditi viri, quique Pertinacem Imperatorem Latinas literas docuit. Nam in eo vetusto libro, quem dixi, is est eorum argumentorum titulus: C. SULPITII APOLLINARIS PERIOCHA, unis idemque omnium. POMP. O præclarum librum: siquidem ejus edicto Sulpitius tanto post tempore in possessionem suorum carminum restituitur. Sed ista Sulpitii sive argumenta, sive periochæ, ut est in libro illo, Hermolae, ab iis quæ vulgò habentur, ecquid discrepant? ut si ea nobis recensueris, aliquid lucri uterque nostrum faciat. HERM. Discrepant sanè illa: sed quantum, jam de Politiano intelliges. Is enim sibi ea descripsit modò, cum ei librum ostendissem: fidemque mihi dedit, se impressoribus mandaturum, ut ea in vulgus darent. Itaque te ad Politiani libros rejicio. Sed mirum est, quam aliter multa scripta eo in libro sint, ac sunt in aliis: ut appareat singulas omnino paginas etiamnum probam illam antiquitatem redolere. Nam & in Heautontimorumenno est:

Quid seni erit nostro miserius? non sene.

Et paulò post:

Ejus annis causa opinor, quæ erat mortua.

Non anus: quod etiam notat Gellius: & quomodo, si rectè memini, Varro in libro de Agricultura primo dixit, ut Minervæ caprini generis nihil immolarent propter oleam, quòd eam, quam læserit, fieri di-

PROLEGOMENA TERENTIANA.

cunt sterilem: ejus enim salivam esse fructuis venenum; pro eo quod est, fructus, quem quidem casum aliter in Adelphis protulit, antiquè tamen.

Nunc exacta aetate hoc fructui pro labore ab iis fere

Et in Hecyra:

Ne nomen quæsti mihi obstet: nam mores facile tueor. Itemque:

Quid fuit tumultui? dic mihi. an dolor repente vasis?

Et in Phormione:

Vbi in mentem ejus adventi venit.

Est & in Funucho *QVI*, dandi casu positum, pro *CVI*.

Nam in me planè Di potestatem suam

Omnem ostendere, qui tam subito tot congruerint commoda.

Et in Phormione:

O fortunatissime Antipho. Ant. Ego ne? Phæ. Qui quod amas, domi'st.

Quod tamen rectè dictum videtur: ut à *QVIS* nominandi casu, dandi casus in hanc potius formam exeat *QVI*, quam in illam, *CVI*. Quod quidem miror latuisse Quintilianum. Is enim in eo Virgilii versu,

Qui non risere parentes,

Nec Deus hunc mensa, Dea nec dignata cubili est.

QVI nominandi casum dixit esse pluralis numeri. Itaque rectum sensum etiam pervertit Poëtæ. nam quod ait Virgilius,

Incipe parve puer risu cognoscere matrem:

Non id vult, ut puer arrideat matri, sed ut cognoscat matrem ab ejus risu: magis enim mulieres omnes suis arrident filiis, quam aliarum; quippe quæ magis etiam illis intuendis gaudeant, necesse est: vel quoniam extra laborem ferendi ventrem, pariendique dolores & pericula jam sunt, vel quod pueros ex sese natos vident, quod est omnium rerum jucundissimum. Itaque repetit, *Incipe parve puer*. Nam cui puero parentes non riserint, quoniam id accidere nisi propter eximiam aliquam deformitatem non potest, hic jam ex iis esse qui Diis chari sunt non videtur, neque dignus qui vitæ cum muneribus maximis, tum hilaritatibus egregiè perfruatur. An non tibi ita Pomponi videtur? POMP. Mihi quidem videtur: eoque magis, quòd in meo illo Virgiliano pervetusto libro, quem dixi, ita scriptum est, *Cui non risere parentes*. ut jam ne liceat quidem aliter credere. Error autem omnis in eo est, quòd risum ad puerum referunt: nam si ad matrem retulissent, nihil ambigeretur. Puto autem te memoria tenere ea, quæ Politianus quoque hoc ipso de Virgilii loco scripserit. HERM. Quid ni teneam Pomponi? quem quidem locum ex facili atque aperto, etiam durum & à Virgiliana loquendi simplicitate alieniorem facit. Sed de eo ipse viderit. Antiquitatis autem amatorem fuisse Terentium, etiam illa indicio sunt in Hecyra:

Fors fuerat pol. ab eo deductum verbo perantiquo, quod est *FVO*,

PROLEGOMENA TERENTIANA.

valétque idem, quod *Sum* : quò etiam est Virgilius usus, *Tros Rutulufos fuit*, pro *fit*. Et illa in Phormionè, *Prabit*, pro eo quod est, *Prabet*.

Ea qui prabit, non tu hunc habeas planè præsentem Deum? Et Ductis, pro *Ductes*.

Ut me phaleratis ducas dictis, & meam ductis gratis?

Et *Tacis*, pro *Taces*: & *Enicas*, pro *Enecas*.

Eho tu consobrinum tuum non noras? Dem. Enicas:

Dic nomen. Phor. Nomen? maxumè. Dem. Quid nunc tacis?

Et postea:

Satine etiam, si te delibutum gaudio reddo? Ant. Enicas.

Quin tu has pollicitationes auferis? Et item postea:

Abi, tange: si non totus friget, me enica.

Et *Restitis*, pro *Restitas*.

Id quidem tibi jam fiet, nisi restitis verbero. Et in *Adelphis*:

Vestitu nimio indulgis, pro indulges. Et

Membra metu debilia sunt: animus timore obstipuit, pro, *obstupuit*: quemadmodum dicunt quidam scripsisse Virgilium, *Obstupui, steteruntque coma.* Et:

Obstupuit simul ipse. Tum in *Heautontimorumeno*:

Quisnam hic adolescens est, qui intruitur nos? pro, Intruetur,

Et, *Luciscit*: hoc jam cur cesso pultare ostium? pro *Lucescit*. Et in *Adelphis*:

Peri hercle: hac illi spe hoc inciperunt, pro *inceperunt*. & alia item ejusmodi multis in locis. quibus quidem verbis illud contraria oratione dictum ab eo est in eisdem *Adelphis*:

Dedit præterea in sumptum dimedium mine. pro *Dimidium*.

Et in *Eunucho*:

Interea aurum sibi clam mulier demet. pro *Demit*. Et in *Phormione*, *Neglegitur*, pro *negligitur*.

Quia egens relicta est misera, ignoratur parens,

Neglegitur ipsa. Vide avaritia quid facit. Et paulò infra,

Sape interea mihi senex

Narrabat se hunc neglegere cognatum suum.

Et alibi etiam. Nam quod dixi *relicta est*, ita sapissime scriptum eo in libro invenies, pro *relicta est*. & *futurum est*, pro *futurum est*.

Quòd verò in *Phormione*, ubi *Sophrona* & *Chremes* colloquuntur, hæ duæ visuntur literæ sic positæ, *ST*.

Deobsecro vos, estne hic Stilpho? Chr. non. Soph. negas?

Chr. Concede hinc à foribus paululum istorum sodes Sophrona,

Ne me istoc posthac nomine appellassis. Soph. Quid? non obsecro is,

quem semper te esse dictitasti? Chr. St. Soph.

Quid has metuis fores:

Silentii est illa quidem nota, *St*, ut eo quasi nutu & signo potius quàm voce, ostendamus velle nos sileri ab iis quibuscum sumus:

PROLEGOMENA TERENTIANA.

quemadmodum volebat *Chremes* silere *Sophronam*, ne ab uxore ipsius exaudiretur. quam notam cum non perciperent ii qui legebant, e literam addiderunt, estque fecerunt: quo sanè verbo mirificum Poëtæ sensum perturbaverunt. Quod autem in eadem legi fabula,

Interea dum sedemus illi, intervenit

Adolescens quidam lachrymans.

Illi, est pro *illic*, vetusto sanè more: ut etiam in *Hecyra*:

Itaque ineptus hodie dum illi sedeo, ut quisque venerat

Accedebam. Quo verbo etiam Virgilius est usus:

Patet isti ianua letho.

Tum illud etiam, quod in eadem *Hecyra* est:

Horunc ea ad nos de lege redibat hereditas.

Pro eo quod est, *horum*. Est antiquè dictum, addita e litera, ne collisio fieret.

Quid illud in *Phormione* autem *Pomponi*, quàm venuste dictum?

Heus quanta quanta hac mea paupertas est, tamen

Adhuc curavi unum hoc quidem mihi esset fides.

Non ut est in reliquis, *Quantamcunque*, quod quidem etiam in *Adelphis* legitur:

Tu quantus quantus, nil nisi sapientia es.

Aut quid etiam illud in eodem *Phormione*?

Nam qua hac anus est, exanimata à fratre qua egressa est meo?

Non autem, *quanam*, ut habent omnes. A quo mihi quidem loco sumpsisse Virgilius videtur eam loquendi figuram, qua est in *Georgicis* usus tam aptè, tamque venuste, ut nihil supra,

Nam quis te juvenum confidentissime, nostras

*Fussit adire domos? Quamquam venuste etiam illa per literæ detractionem sunt dicta in *Andria*:*

Ne istam tuam multimodis inveniri gaudeo.

Et in *Eunucho*:

Quid is obsecro ad nos quamobrem adductus est?

*Amabant enim veteres multum, ut scis, s literæ abjectionem. quamquam quidem alias etiam literas abjiciebant, ut in ipsa *Eunucho*:*

Anni? Chre. Anni? Sedecim. Et item:

At ille alter venit annos natus sedecim. Et in *Hecyra*:

Nam abducta à nobis pregnas fuerat filia.

Nec fuisse pregnatam antè hunc unquam scivi diem.

Et in *Adelphis*:

Sed vereor ne indiliges nimium sis.

In quo illud mihi mirum admodum videri solet, quòd quam literam abjiciebant multis in verbis, ut vides ex his, *Pomponi*, veteres homines ad gratiam, eandem in multis addebant: ut in *Andria*,

Ex ipsa miliens audivi. Et in *Phormione*:

At enim tædet etiam audire eadem miliens. Et in *Heautontimorumeno*:

PROLEGOMENA TERENTIANA.

Vt nihil credas intelligere, nisi idem dictum sit centiens.
Quo etiam more in antiquissimo Virgilio libro legisse me, memoria teneo illum versum:

Et noviens Styx interfusa coerces.
Quanquam in eodem libro etiam illud legi:

Nec face tantum
Cisseis pragnas ignis enixa jugales.

Sed est etiam in Eunuchis:

More hominum evenit, ut quid sim nactus mali
Prius rescisceres, quam ego illud, quod mihi evenit boni.

Sed & *unctum* pro *fecto* & *thesaurum*, pro *thesauro*, & *formosior* rem, pro *formosiore*, aliis idem in locis Poeta dixit: tum illud etiam in Eunuchis, *offum*, pro eo quod est, *os*. In quo cognosci potest, quam rectius in vetusto illo, quem totiens jam dico, libro scriptum id sit:

Viden? Offum & cibus quid faciat alienus?
quam in ceteris, qui habent *Ocium*, non *Offum*. Sed jam vereor ne vobis planè videar minuta nimium & pusilla confectari. POMP. Nobis verò, Hermolae, nihil pusillum potest esse, quod ejusmodi sit, in quo videas Poetam tanti nominis etiam diligentiam adhibuisse, ut illo modo potius, quam alio conscriberet. Quin etiam, credas mihi velim, majorem in modum nos minuta ista delectant, quae attulisti: valde enim faciunt ad Terentianam industriam probitatemque cognoscendam. Itaque sequere. HERM. Est igitur, quoniam ita vis, in Eunuchis, ubi Thais ancillas suas properè alloquitur, mandans ea quae curari vult, sic:

Quid, quid aliud volui dicere? ehem,
Curate istam diligenter virginem.

quasi Poeta suspensam Thaidem ostenderet secum ipsam querere; quidnam illud esset, quod mandare ancillis in animo habuerat suo, neque reminisceretur. Itaque ait, *Quid, quid aliud?* Quo item sensu Cicero est usus in suis illis ad Atticum verè familiaribus epistolis.

Quid praterea? quid? etiam: Gabinius ad IV. Calendas Octobris noctu in urbem introit. Et alibi: *Novi quidnam scribam? quid? etiam: Messala consul Anthronianam domum emit.* Et item: *Aliud quid? etiam: Quando te proficisci istinc putes fac ut sciam.* Quibus in locis, *etiam*, non addentis est, sed annuentis affirmantisque, se scilicet illud habere, quod scribat, ut loco ejus verbi, quod Terentius dixit *ehem*, quod quidem erat Poeticum sanè verbum, ipse *etiam* diceret, castius mediusfidius & moderatius. Apud Ciceronem autem non uno in loco, sed pluribus, *etiam*, affirmantis esse notam cui contrarium inferitur, *non*, non te arbitror fugere. Sed visne tibi, Pomponi, recenferi à me eos Poetae versus qui mihi in mentem venient, in quibus insit aliquid, quod te delectare possit: sinamque te

PROLEGOMENA TERENTIANA.

illud aliquid querere ex tuo Terentii libro, cum voles, domi tuae? POMP. Ego verò maxime. Vult autem etiam Phaedrus hic ita te facere: qui quoniam est, ut vides, admodum adolescens, retinebit illa melius, quae dicentur abs te, quam ego, qui senex. Vacillare autem saepe memoriola senes homines, non te fugit. Itaque utar ipso, si erit opus, quare sequere. HERMOLAEUS: Ego verò sequor. Sunt igitur in eodem Eunuchis prima haec:

Si quisquam est, qui placere studeat bonis
Quam plurimis, & minime multos ledere,
In his Poeta hoc nomen profitetur suum.
Tum si quis est, qui dictum in se inclementius
Existimavit esse, sic existimet:
Responsum non dictum esse, quia laesi prior.
Qui bene vertendo & eisdem scribendo male
Ex Grecis bonis Latinas fecit non bonas.

Sunt & haec:

Opus faciam ut defatiger usque ingratis ut dormiam.
Par. *Vigilabis lassus: hoc plus facies?* Phæ. *Ab isis, nihil dicis Parmeno.* Et haec:

Illum liquet mihi dejerare his mensibus al' nihil
Sex septem prorsus non vidisse proximis. Et haec:
Ipsist, ilicet: desine: jam conclamatum est.

Quemadmodum & alibi. Nam in Adelphis etiam,

Hem tibi:
Rescivit omnem rem: id nunc clamat: ilicet:
Parata lites. Et in Phormione:
Hoc nihil est ô Phedria: ilicet: quid hic conterimus operam frustra?

Sed sunt in Eunuchis & haec:

Agè, eamus intrò nunc jam, orna me, abduc, duc, quantum potest.
Et subinfra:

Quae nos nostramque adolescentiam habent Despectam.
Tum & haec:

Labore alieno magno partam gloriam
Verbis saepe in se transfert, qui habet salem,
Quod in te est. Thr. *Habes.* Gn. *Rex te ergo in oculis.*
Thr. *scilicet.* Gn. *gestare.* Thr. *Verò: credere omnem exercitum,*
Consilia. Et haec:

Aut dicat quod vult, ut molesta ne fiet. al'. aut
Non hercle veniam tertio. Heus heus, ecquis hic est?
Ego sum Chremes. Et haec:

Idque aded visam, visam si domist. Quisnam hinc à Thaide exit?
Is est, an non est? ipse est. Quid hoc hominis? Qui hic ornatus est?
Et haec:

Nunc quis hic est? nemo est. Nunc quis hinc me sequitur? nemo homost.

PROLEGOMENA TERENTIANA:

*Famne erumpere hoc mihi licet gaudium? proh Juppiter
Nunc est profectò interfici, cum perpeti me possum.
Ne hoc gaudium contaminet vita aegritudine aliqua.
Sed neminem curiosum intervenire nunc mihi,
Qui me sequatur quoquo eam, rogitando obtundat, enicet. Et hæc:
Certè extrema linea
Amare, haud nihil est. Et hæc:*

*Quid nunc agimus? Gn. Quid? redeamus. Fam hac tibi aderit
supplicans Vltro. Et hæc:*

*Nam jamdiu aliquam causam querebat senex,
Quamobrem insigne aliquid faceret iis: nunc repperit. Et hæc:
Si quid conlibitum, novi te. hoc si feceris,
Quod vis donum, premium à me optato: id optatum feres. Et hæc:
Accipit homo nemo melius neque prolixius.*

Demum & in extremo hæc:

Nihil præter promissum est: ite hæc.

Sed quid est Pomponi quod te cogitare attentè admodum video? an hæc quæ dixi, memoriæ commendas tuæ? POMP. Minimè verò, Hermolæ: nam mihi satis est Phædrum ista de te audivisse. Sed id dispicio potius, mecumque ipse computo, quàm diversa sint multa eorum, quæ à te recitata sunt, ab his, quæ vulgò habentur: redeunt enim mihi in mentem ferè singula: tum quàm parvæ illusiones momenta sæpe non parva afferant Poëtæ sensibus, ut illud est, quod dixisti: *Nam jamdiu aliquam causam querebat senex, Quamobrem insigne aliquid faceret iis: nunc repperit.* Illud enim, iis, quod in tuo est, ut sit dandi casus pluralis numeri, memini me legere sic, ut esset nominandi, senique tribueretur: itaque una addita literula, Terentianam sermonis elegantiam candorèmq; qui deperierat, planè restituit. Sed nolo te interpellare: & quoniam Eunuchum, ut video, jam explicasti, ex Andria si quid habes, affer. Haberete autem æquè multa puto. HERM. Habeo, & afferam, sed non multa: nam ex illo libro maxima ejus fabulæ pars desideratur, fugientibus vetustate literis, ut cognosci nequeant. Sed percepta mihi tamen sunt, atque agnita, quod meminerrim, hæc perpauca:

Dave perii. D A. Quin tu hoc audi. P A M. Interii. D A. Quid timeas scio.

CAR. Mea quidem hercle certe in dubio vita est. D A. Quid timeas scio.

*P A M. Nuptia mihi. D A. Etsi, scio. P A M. Hodie. D A. Ob-
tendis, tametsi intelligo.*

Tum hæc:

*Ego istuc moveo aut curo? num tu tuum malum equo animo feras?
Ex Heautontimorumenno autem illa primùm mihi sese offerunt Mene-
demi senis cum fratre verba:*

Putavit

PROLEGOMENA TERENTIANA:

*Putavit me atate & sapientia
Plus scire & providere, quàm seipsum sibi.*

Tum & illa:

*Ancillas, servos, nisi eos qui opere rustico
Faciendo facilè victum exercerent suum,
Omnes produxi, ac vendidi. Inscripti illico
Ædis: mercedem quasi talenta ad quindecim Coëgi.*

Et infra:

Nec mihi fas esse ulla me voluptate his frui.

Ejus autem in pagellæ margine, ubi hi erant versus, legi etiam illius verbi *Exercerent*, interpretationem minutulis adscriptam literis, ita: *Exercerent, resarcirent: hoc est, in sumptu exercerentur suo.* Virgil. *Ferrum exercebant:* pro, *In ferri fabrica exercebantur.* An non hæc eruditi hominis declaratio illius verbi tibi, Pomponi videtur? POMP. Mihi sanè videtur. Nam quid potuit afferri aptius? Te verò, Hermolæ, valde amo, quem ne ista quidem præterierint. Sed perge ad reliqua. HERM. Pergam igitur ad illa, quæ sunt in eadem fabula:

Huncine erat æquum ex illius more, an illum ex hujus vivere?

Et quòd illum insimulant durum, id non est:

Nam parentum injuria uniusmodi sunt fermè.

Scortari crebrò nolunt: nolunt crebrò convivari.

Quod extra versus eadem in margine, pusillisque literulis est & hoc. Virgilius:

Huncine te, Euryale, aspicio?

Quo lecto animadverti non tam bellè dici, *Hunc ego te Euryale aspicio*, quod est in libris omnibus, quam *Huncine*, quod in illo. POMP. Rectè id quidem animadvertum abs te est, Hermolæ. Illa enim interrogantis vox, *NE*, doloris & querelis aptissima, quam repetit eodem versu Virgilius:

Tùne illa senectæ

Sera mea requies.

Si desit prioribus iis in verbis, quæ quidem verba eadem vi, eodem oris spiritu mærorèque proferuntur, desit etiam egregia sensus & figuræ concinnitas, necesse est. Sed velim scire ex te, posteaquàm hunc in locum sermo me perduxit tuus, ut de Euryali matris lamentatione loqueremur, existimes ne rectè illa dici, quæ de eo, qui paulò inferius est, versu attulit Servius, *Nec te tua funera mater*

Produxi:

Ut funera sit pro funerea positum, ad mulierèmq; referatur? HERM. An tu me tam ignarum, Pomponi, Virgiliani moris, candoris, atque judicii existimas, ut quod alibi nusquam legitur, credam à Poeta gravissimo novandisque verbis omnium castissimo hoc in loco fuisse dictum? mihi quidem non sit verisimile. Illi si erat, afferre eum oportebat exemplum aliquod quo niteretur, asperitatèmq; leniret verbi.

PROLEGOMENA TERENTIANA.

Sed de illo hætenus. Mihi sic legendum videtur, si tibi uni probabitur:
Nec te tua funere mater Produxi.

Quo in sensu atque verbo nihil durum aut violentum, aut insolens, sed summa etiam cum sermonis, tum consuetudinis observatio, summa lenitas atque facilitas inest. Indoctos autem librarios, ut sunt plerique vicinitate deceptos puto possessivi nominis, tua funera primum scripserunt, cum funere scriptum legissent in eo quem describebant ipsi libro, mendumque esse existimavissent. P O M P. Mihi quidem ista, Hermolae non probantur solum, sed magnas tibi etiam gratias ago, quod Virgilio restitueris hoc quoque in loco & candorem & dignitatem suam, addo etiam & diligentiam: meque nihil omnino frustra abs te petere, valde gaudeo. Sed refer te ad Terentium tuum. HERM. Sunt verò in eodem Heautontimorumenno, quæ tibi explicem, & illa:

Scio quid feceris:

Sustulisti. Sof. sic est factum. Chr. dominus? Syr. ergo herus damno auctus est. Et illa:

Quid malum? me etatem censet velle id adsimularier? Et illa: Huius mihi res semper comminiscere,

Vbi me excarnifices. Syr. Is hinc, quo dignus es.

Quo in loco videre est veteres homines Indicandi verborum pro Imperandi usos modo. *Is hinc*, pro *I hinc*. ut etiam alibi non semel, *Animo hono es*, pro *Esto*. qua dicendi figura utitur sæpe Cicero. Sed sunt & hæc eadem in fabula:

Quid mittis istam quaso? jube maneat. Bac. Ii. Syr. qui est paratum argentum. Et paulò post:

Cape hoc argentum, ac defer. Syr. Ii. Quid stas lapis, quin accipis.

Ut videre liceat Antiquorum in scribendo morem, qui *ii*, pro *i* dixerint, eo quo nos utimur. Sunt & hæc:

Pergin' mulier odiosa esse? nullamne ego rem unquam in vita mea Volui, quin tu in ea mihi fueris adversatrix Sofrata?

Et paulò infra:

Subditum se suspicatur. Chr. Subditum? ain' tu? Sof. Certè sic erit, mi vir.

Chr. Confirere tu? Sof. An obsecro, istuc inimicis fiet.

Hæc autem quæ tibi recensui, Pomponi, quantum ab iis differant quæ leguntur, tute facillè perspicias, cum tuum sumpseris librum: quamquam, ut video, jam perspicias. Sed volo te scire, plura esse quæ me fugerint (neque enim reminisci possum omnia) quam quæ recordor, quæque affero. Veruntamen hæc ipsa satis multa esse poterunt, ut videas, huic omnino Poëtæ, qui quidem in hominum manibus valde frequens est, quantum caliginis offuderit dies: Sed ad eluendas aliarum fabularum maculas, ut possumus, depravationesque transeamus, Itaque memini me in Adelphis legere hæc:

PROLEGOMENA TERENTIANA.

Naturâ tu illi pater es, consiliis ego.

Dem. *Tum' consiliis quicquam? Et hæc:*

Tu quod te pesterius purges hanc injuriam mihi nolle

Factam esse, huius non faciam: crede hoc, ego meum jus persequar.

Et illa:

Egon' debacchatus sum autem? an tu in me?

Esch. *Mitte isthæc, atque ad rem redi. Et illa:*

Fratrem homini nemini esse primarum artium magis principem.

Syr. *O Ctesipho. Cte. O Syre. Eschinus ubi est? Syr. Ellum te expectat domi. Cte. Hem.*

Syr. *Quid est? Cte. Quid sit? illius opera Syre nunc vivo, festivum caput.*

Qui omnia sibi post putavit esse præ meo commodo. Et illa:

Obsecro mea nutrix quid nunc fiet? Cant. Quid fiat, rogas?

Rectè adepol spero, modò dolores mea tu occipiunt primulum.

Jam num times, quasi nunquam adfueris: nunquam tute pepereris?

Et illa:

Fortiter. Syr. Perquam: quia miseram mulierem, & me servolum,

Qui referre non audebam, vicit: hui perfortiter. Et illa:

Nisi si me in illo credidisti esse hominum numero, qui ita putant

Sibi fieri injuriam, ultrò si quam fecere ipsi, exoptules,

Et ultrò accusant: id quia non est à me factum, agis gratias.

Sed legi etiam in Phormione, si rectè memini, hæc inverfa in aliis, ut mihi videntur libris:

Quæ si astu non providentur, me aut herum pessundabunt.

Nam non potest celari nostra diutius audacia. Tum & hæc:

Sed ego nunc mihi cesso, qui non humerum hunc onero pallio:

Et hæc:

Familiarum oportet esse hunc, qui minitatur malum. Esne est.

Quem quero, an non? Ipsus est, congregere actutum.

Ant. *Quid. Ge. O omnium quantum est, qui vivunt, homo hominum honoratissime.*

Demum hoc:

Vel oculum exculpe: est ubi vos ulciscar probè.

Restat Hecyra, cujus item, ut Phormionis, non omnino multa mihi in mentem veniunt è re nata nunc quidem, quæ aliter se habeant illo in libro: sed veniunt tamen, atque ut opinor. hæc:

Quid ais? cum virgine unâ adulescens cubuerit

Plus potus, sese illa abstinere ut potuerit? Et hæc:

Adepolne nos sumus iniquè aequè omnino omnes invise viris.

Item hæc:

Nam nos omnes, quibus est alicunde aliquis objectus labor,

Omne quod est interea tempus, priusquam id rescitum est, lucro est.

Atque hæc:

PROLEGOMENA TERENTIANA,

*Sanè hercle homo voluptati objèquens
Fuit, dum vixit: & qui sic sunt, haud multùm heredem adjuvant:
Sibi verò hanc laudem relinquunt, vixit, dum vixit, bene.*

Postremò hæc:

*Vosmet videte jam Laches & tu Pamphile,
Remissan' opus sit vobis, an reducta domus.
Neutra in re vobis difficultas à me erit.
Sed quid faciemus puero?*

Quo in loco animadverti, hunc dicendi sive morem, sive figuram; *Quid faciemus puero?* qua etiam aliis in fabulis sæpè est usus, *Quid hic faciet sua?* *Quid te futurum censes?* usurpasse Ciceronem sanè percupidè. *Quid me fiet?* *Quid pecunia fiet?* *Quid hoc nomine facias?* *Quid factum est Stratone & Nicostrato?* Quemadmodùm alia permulta: ut facile eum appareat ad Terentii sermonem suum libenter sermonem accommodavisse. Quod si hic etiam faciet Phædrus, ut quemadmodum ab Apelle ii, qui post illum pingendi artem assequi cupierunt, multas umbrarum ejus & luminum positiones, multos membrorum motus, in suas ex ejus imaginibus tabulas simulachràque transferebant, sic ipse hujus Poëtæ plurimos dicendi modos, sermonisque figuras & lumina, suis in scriptis expresserit, non vereor quin multò sit facilius in magnum illum virum evasurus, quem adhuc quidem nostra ætas desiderat, multæque supra eam frustra videre concupiverunt. Quanquam quidem non puto ipsum meis monitis & præceptis egere, qui te magistrum habeat, cujus de pleno fonte cum hæc, tum longè meliora haurire quotidie possit. Sed quoniam jam advesperascit, vel hora ipsa, vel tua ætas me admonet, ne te hîc diutius detineam. Quæ cum essent dicta, sine loquendi facto, illi domum abierunt, Hermolaus in cubiculum se recepit.

JOHANNIS RIVII CASTIGATIO.

CUM prodiisset anno abhinc fere septimo Terentius, doctissimi viri Philippi Melanchthonis operâ diligentiaque restitutus, unâ cum argumentis ejusdem & annotatiunculis: non mehercle dici potest, quantum hoc nomine statim gratulandum Studiosis omnibus existimarem: idque jure adeò ac meritò. Videbam enim fore brevi, ut optimus Latinitatis Author, qui innumeris antè mendis scatebat, nunc paulò castigatior majori cum voluptate, atque adeò majore cum fructu quàm antea, à ludimagistris pueritiæ prælegeretur. Quæ adeò non fefellit conjectura, ut distractis magno Bibliopolarum commodo exemplaribus, rursus excudi cœptus sit Vvittembergæ, mox à Joanne Secerio Haganoræ: post etiam Norimbergæ: præterea apud Coloniam

PROLEGOMENA TERENTIANA.

Agrippinam, ab Euchario primum Cervicorno: iterùm à Joanne Sotere: tertio denique à Joanne Gymnico viro optimo, & mihi veteri necessitudine conjunctissimo: ad hæc Moguntia aliquoties & Argentorati; ut de cæteris taceam. Interim cum ipse quoque eum Authorem Studiosis quibusdam enarrandum suscepissem, sensi tandem id quod erat, Melanchthonem gravioribus rebus occupatum, utque ipse pro sua modestia, ingenuè fatetur, veteribus exemplis haud satis instructum, non ab omnibus omnino mendis (absit invidia dicto) Comici nostri fabulas vindicare potuisse. Et jam per totam prope Germaniam nulla facilè præter Philippi exemplaria probabantur, aut manibus studiosæ juventutis terebantur. Id eximii viri autoritas effecerit, an ipsa res atque utilitas extorserit, nihil habeo dicere. Quæ nos quidem res primum movit, ut perquisitis antiquis exemplaribus, & manuscriptis, & impressis, locos plurimos depravatos, quos ille inemendatos reliquerat, corrigere conaremur. Quid nostra diligentia consecuti simus, aliorum esto judicium. Hoc certè jure affirmare posse videor ex impressis nullum uspiam extare hodie exemplar, quo in exemplari plures loci correcti sint, quàm in eo quod nos aliquando in publicum daturi sumus. Id ita esse cum res, ut puto, testabitur, tum editio olim nostra, si cum aliis conferatur. Etenim vi summa jampridem, atque omni ope, & plus demum quàm pro virili parte, uti omnium ante nos recognitionem vinceremus, admittendum mihi existimavi. Interim locos plurimos à nobis, quanta licuit cum fide & religione, tum diligentia, studio, labore castigatos, pristinoque, ut opinor, nitore, integritatique redditos publicavimus; & quidem nullo majore verborum apparatu; quandoquidem, ut ille canit: *Ornari res ipsa negat, contenta doceri.* Quod si laude merita qui unum alterumve in Authore quopiam illustant, aut restituunt locum; non fraudantur, cur non ipse quoque sperem nonnullam me à Studiosis gratiam initurum qui tot in Terentio locos fortasse non ineptè prorsus, diligenter quidem, & magna cura certe ab omnibus mendis vitiisque repurgarim. Tametsi haud sanè dissimulavero, hæreere ipsum me plerisque in locis, & quædam, de quibus parum adhuc liqueat, ampliare: & quid in his potissimum sequar, haud dum exploratum satis habere in tanta præsertim exemplarium antiquorum, cum dissensione & discrepantia, tum monstrosa alicubi etiam depravatione: ut suis locis ostendemus. Quod cur tandem me fateri ingenuè pudeat? Par est autem quod publicæ à nobis Studiosorum utilitati datur, id quale etiam cunque boni consulere. Præstet alius quivis quantum nos: nec dubitem omni asseveratione confirmare parum adeò fore quod in Terentio quis desiderare habeat. Variam interdum ex veterum Authorum citationibus, & antiquorum inter se codicum repugnantia lectionem indicavi; ita demum quid mihi videatur conjecturis subditis ostendens, liberum ut tamen lectori judicium semper relinquam. Qua in re mihi nihil fuit potius quàm ut

PROLEGOMENA TERENTIANA.

Donati, ubicumque liceret, fidem sequerer, Interpretis undecumque doctissimi, ab eoque, ne transversum quidem, ut aiunt, digitum, discederem; sed citra superstitionem tamen, & cum iudicio semper. Ceterum cum plerisque fore suspicemur, qui quod carminis rationem ignorent, vix apte satis his de rebus iudicare queant: visum est subjicere nonnullam hanc, quæ velut januam patefaciant & viam, ut dicitur, præmuniant imperitioribus, quo certius de recognitione nostra iudicium facere, & sententiam ferre possint. Igitur Comici Plautus & Terentius metro fere utuntur vel iambico, vel trochaico, vel utroque simul confuso. Iambicum, vel Monometrum est, quod duobus pedibus simplicibus constat; vel dimetrum, quod quatuor; vel trimetrum, quod sex, qui & senarii dicuntur M. Tullio & Fab. Quintiliano; vel tetrametrum quod octo, qui & quadrati appellantur & octonarii. Ex hisce trimetro comici, & tetrametro maximè utuntur: aliis rarò, & in medio fere (sicut Priscianus annotavit) distinctionis causâ. Quod ad pedes attinet, iambici, magnâ libertate Comici indifferenter ubivis ponunt iambum, tribrachium, anapæstum, dactylum, spondæum. In fine ple-runque aut iambum, aut pyrrihichium, nunquam nisi in scazonte spondæum. Utitur Terentius sæpe in iambico, pede quatuor syllabarum brevium proceleusmatico, idque per resolutionem spondæi, ut in Andria, mala mens, malus animus, quem quidem ego si sensero. Hic secundo loco est proceleusmaticus: in eadem; tibi generum firmum & filiarum invenies virum: hinc prima regione idem pes. Est autem duplex iambici genus, alterum rectum perfectum ve vocatur; alterum *σχιζορ & χοειδύλορ*; cujus penultimam in fine longam esse oportet. Utriusque meminit Ovidius, cum canit:

Liber in adversos hostes stringatur iambus

Sen celer extremum, sen trahat ille pedem.

Utitur identidem Poëta iambico tetrametro catalectico, id est cui syllaba in fine desit: quo in catalectico sibi inter alia hoc quoque permittit, ut pro penultima longa, haud rarò duas breves ponat, quod facile qui versus in suos pedes digerere volet, sic habere comperiet. In trochaicis Comici indiscretè interdum dactylos vel trochæos ponunt, nimirum quo penè dissoluta & pedestri simillima esse videatur personarum sermocinatio; cujus ipse Priscianus meminit; apud quem Victorinus non minus liberè, quam verè ait, Comicos, dum quotidianum sermonem imitari nituntur, metra vitare studio, non imperitia; quod & Terentianus testatur hisce versibus.

Eidemque fictis dum procurant fabulis

In metro peccant arte, non inscitâ.

Tanta autem affinitas est inter trochaicos & iambicos tetrametros, vix ut discernere interdum possis: unde nimirum fit aliquoties, ut quos forte aliquis iambicos esse crediderit, iidem trochaici veriùs censerentur. Cujus rei cum alia multa exempla sunt, tum commodissimum fuerit

PROLEGOMENA TERENTIANA.

ex Andria, scena prima actus quinti, ubi duos primos versus, vel per iambos aliquis, vel per trochæos metiri possit, nisi quod insequentibus versus per trochæos esse metiendos indicant. Inde error eorum qui iambicos quadratos esse adnotarant, cum quivis non rudissimus planè harum rerum, trochaicos esse videat. Hic illud obiter, quamvis leve admonendum puto: mirè interdum Poëta, de industria sententiam genere ipso metri juvare videtur: velut ibi:

Dii boni, boni quid porro? sed ubi inveniam Pamphylum?

Vt metum in quo nunc est adimam, atque expleam animum gaudio? &c.

Ubi trochaici carminis cursu & volubilitate festinationem repræsentat servuli insolenter exultantis & alacritate nimia gestientis. Quocirca passim trochæos, tribrachios, anapæstos admiscuit, pedes scilicet, quibus celeritas plerumque à ceteris item Poëtis exprimi solet. Similiter in Eunuchò subitum egressum puellæ perturbatæ, celeritate ipsa pedum expressit. Ubi Phædria:

Sed quid hoc est, inquit, quòd timida subito egreditur Pythia?

Hoc dedita opera Poëtam ita fecisse, vel illud indicio fuerit, quòd cum ceteri hujus scenæ versus iambici sint, unus hic trimeter trochaicus esse videatur. Et alioqui solet interdum Poëta mutare metri genus, cum ventum est ad *προσμενὴν* scenæ sequentis: velut in Andr. Act. 1. Sc. 3. & rursus Act. 3. Sc. 4. iterum Act. 4. Sc. 1. In Hecyra Act. 3. Sc. 3. Præterea in Phorm. Act. 2. Sc. 2. Sic aliàs sæpe. Tale illud quoque ex Adelphis.

Ceteros ruerem, agerem, raperem, tunderem, & profternerem.

Cui est aliquod aurium iudicium, is facile sentiet cur sit Poëta trochaico usus hoc loco, nimirum ut sensum quodam veluti cursu pedum citorum juvaret. Quod & Poëtarum Principem Virgilium sæpe factitasse constat: nam ut tarditatem rei, difficultatemque exprimere cum vult, crebris spondeis; ita cum celeritatem & velut impetum, & festinationem, dactylis frequentibus utitur. Prioris exemplum illud est ex tertio Æneidos.

Annixi torquent spumas & carula verrunt.

Posterioris illud ex quarto.

Idem omnes simul ardor habet, rapiuntque, ruuntque.

Littora deseruere, &c.

Sed nimis multa de re præsertim levi. Observabit hæc, aliaque id genus per se ipse Lector studiosus. Illud non ignorandum comicos, s. litteram consonantem haud secus elidere solitos ac si vocalis esset, idque frequentissimè. Quod & Ennium in Heroicis, & vetustissimos quoque facere consuevisse, ut & Virgilium interdum Docti adnotarunt; velut in Andria,

Heru me, relictis rebus, iussit Pamphilum.

Hic prima regione anapæstus est, s. eliso. In Eunuchò.

PROLEGOMENA TERENTIANA

Jugulara' hominem. Quid ille? TH. Mutus illico.
 Hic in verbo *jugularas*, s, eliditur, ut sit secundo loco anapæstus, tertio iambus. Nisi quis dicere ausit pronomen *ille*, velut ablato altero l, corripit, more, imitationeque Græcorum, quod (ut ego sentio) paulò fuerit coactius. Quamvis apud hosce fateor alteram nonnunquam de geminatis consonantibus in versu tolli κτ̄ παράληψιν quo syllaba posita longa corripit queat. Et solent Latini in multis (ut diligenter adnotavit Priscianus) initium aliquod accipientes à Græcis, ab angusto in effusum licentiæ spatium hoc dilatare. Sed hoc suæ cuiusque conjecturæ relinquo. Illud quidem non est ut inficiari queam, videri interdum l, elidi apud Comicum nostrum, quoties adest pronomen *ille*, ut in Eunuchis:

Manendum est soli sine illa? quid tum postea?

In Heautontim.

Nec tibi ille est credere ausus, quæ est æquom patri.

In Adelphis.

Quid is fecit? DE. Quid ille fecerit? quem neque pudet.

In Hecyra.

Non tibi illud factum minus placet, quàm mihi, Lache!

In Phormione.

Ille qui illam amabat fidicinam, tantummodo, &c.

Sunt id genus sexcenta apud Terentium. Fuisse autem cum non geminaretur l, in hoc pronomine, videor ex Sex. Pompeio deprehendisse lib. 1. παράληψιν contraria figura est διπλασίασις, qua ipsa frequenter Poëta utitur ad producendam syllabam alioqui brevem, ut in Adelphis, *reliquum*, pro *reliquum*; & alibi, *rettuli*, *repperi*, atque id genus alia. Sed pergamus. V quoque consonantem Comici perinde ac vocalem in media dictione elidunt: quod apud Terentium, in dictionibus, *invidia* & *enimvero* fieri videmus, apud quem ipsum, *cujus*, *hujus*, *ejus* similesque particulæ monosyllabæ ferè sunt, quod ita demum frequens est, ut non putem de eo subjicienda exempla. Illud præterea sæpenumero usu venit, ut prima versus sequentis qui à vocali incipiat, ab ultima superioris absorbeatur, velut in illo.

Ex Græcis bonis Latinas fecit non bonas.

Ubi ex absorbetur ab adverso *malè*, quo versus præcedens clauditur.

Et in Prologo Hecyræ.

Ego interea meum non potui tutari locum.

Prior syllaba in pronomine *ego* pertinet ad versum superiorem: contra apud Virgilium ultima præcedentis initio quandoque insequentis absorbetur: quale est,

Ecce furens animis aderat Tyinthius omnemque

Accessum lustrans.

Cujusmodi versus ὑπόμνησις dicuntur; sicuti, præter alios, Diomedes ostendit. Qualis ille etiam apud Terentium in Andr.

Tuus

PROLEGOMENA TERENTIANA

Tuus pater modo meprehendit, ait tibi uxorem dare se se

Hodie. item alia multa, &c.

Sic enim ex observatione antiquorum codicum legimus; nec secus Donatus, ut quidem & Romana habet & Veneta Editio, consentientibus & aliis quibusdam: hinc igitur illud *se* in fine prioris absorberi necesse est initio sequentis: quod & aliàs fit apud eundem. Sunt autem versus Trochaici, & qui valet metiri, sic planè habere comperiet. Talis est ille ex Hecyra:

Disjunctum illum ab illa, postquam ipse se se

Et illam & hanc quæ domi erat, cognovit satis.

Tales autem apud Plautum sæpè occurrunt velut in Aulularia:

Censen' talentum magnum exorari potesse

Ab istoc sene, &c.

Quid autem mirum, si in trochaicis, iambicisque reperias ὑπόμνησις, cum in Sapphicis etiam invenias apud Horatium? Utuntur Comici & diæresi identidem; quomodo in Adelphis iam semel atque iterum dissyllabum legitur, ut & apud Plautum nonnunquam. Ita apud Catullum soluit apud Horatium *Silva*, apud Statium *suavit*. Et contraria huic figura synæresi quæ & ὑποσυναρτησις dicitur, quæ duas in unam syllabam contrahunt, ut *servibas*, pro *serviebas*; *scibas* pro *sciebas*. Sicuti apud Virgilium:

Ferreique Eumenidum thalami.

Et sæpè aliàs. Frequens est etiam apud Terentium in versuum mentione συναρτησις quæ fit cum in diversis dictionibus, vocalium inter se coeuntium altera velut obliteratur & ἐκθησις, quoties m cum vocali præcedente excluditur. Quanquam non semper idem elidi solitum apud veteres testatur Priscia. lib. 1. velut apud Terentium in Eunuchis Act. 3. Scena 3.

Vnà ire cum amica Imperatorem in via.

Est enim secundo loco tribrachys. Quod si m elidatur, erit ibidem pyrrichius cui nullus in iambico locus. Sic alibi:

Primum istam quam habes unde habes vestem? taces.

Eodem modo apud Juvenalem:

Cum propter plurima, tum his

Præcipue causis. Satyr. 9. De figuris ceteris nihil hinc dicendum: puto.

JOANNIS THEODORICI
 BELLOVACI SPICILEGIUM.

COMOEDIA plurimi dictam tradunt ἀπὸ τοῦ κόμου, id est à commestratione, & ἀπὸ τοῦ ὠδῆς, id est à carmine: ut sit convivale car-

PROLEGOMENA TERENTIANA.

men. Nam in conviviis primùm jocosò quodam carmine, civium vitia juvenus liberius taxabat. Postea ars accessit, & theatrorum consuetudo. Nec desunt qui dictam putent à Co insula, in qua Comœdiæ inventor exulavit Epicharmus. Sunt tamen qui de nominis etymo sic censuerunt. Quum apud Athenienses jam bella sedata essent, & ad otium cives se contulissent, cœperunt agrestibus injurias inferre. qua de causa, agrestes ipsi in urbem quidem se recipere solebant, interdumque de acceptis injuriis apud cives conqueri. At quum nullus eis opem auxiliùmque ferret, tum illi noctu, mortalibus omnibus somno & quieti indulgentibus, urbis vicos obeuntes, nominatim cives compellabant, à quibus essent injuriis affecti, eorùmque in se malefacta atque facinora in publicum proferebant. Et hæc quidem noctu quum sæpe vicini audirent, postridie audita inter se referre solebant: eique civi dabatur vitio, cujus noctu fuissent audita conuicia. Quum verò ea res plerisque prodesse videretur, nec in rusticos adeò favirent divites, cognitum fuit id civitati utile esse, quòd ea exprobratio esset veluti quoddam malorum remediùm. Hac igitur de causa principes urbis ea jusserunt in theatrum deferri, quæ in malos cives noctu jactabantur, quòd videlicet ea res civitati simul & placeret & prodesset, sanxeruntque, ut qui ingenio præstarent, de hujusmodi rebus carmina facerent, eaque publicè in theatro recitarent, idque liberè & impunè: quin & præmia addita. Propterea autem quòd id noctu agi cœptum esset, *δὴ καὶ κωμῶντος*, hoc est à somno, Comœdiam dictam voluerit. Primi verò qui hujusmodi carmina fecerunt, fuisse dicuntur Sufarion, Rhullus, & Magnes. Apud Latinos primus Comœdiam scripsit Livius Andronicus: dixitque Comœdiam esse quotidianæ vitæ speculum. Quem imitatus Cicero, sic ait in oratione pro Roscio Amerino: Et certè ad rem nihil interfit, utrum hunc ego Comicum adolescentem, an aliquem ex agro Veiente nominem. Etenim hæc conficta arbitror à poëtis esse, ut effectos nostros mores in alienis personis, expressamque imaginem nostram vitæ quotidianæ videremus. Hactenus Cicero: Quoniam autem de Comœdia & fusissimè scripsit, & doctissimè Diomedes Grammaticus, visum est ejus verba hîc attexere. Comœdia, inquit Diomedes libro tertio, est privata civilisque fortunæ, sine periculo vitæ, comprehensio: apud Græcos ita definita, *Κωμῶδία ἐστὶν ἰδιωτικῶν ἢ πολιτικῶν παραγμάτων ἀκίνδυνος πελοχή*. Comœdia dicta ἀπὸ κωμῶν. *Κωμῶν* enim appellantur pagi, id est conventicula rusticorum. Nam juvenus (ut ait Varro) Attica, circum vicos ire solita fuit, & quæstus sui causa hoc genus carminis pronuntiabat. A ut certè à vicis: Nam posteaquam ex agris Athenas commigratum est, & hî ludi constituti sunt, sicut Romæ Compitalitij, ad canendum prodibant, & ab urbana come & oda Comœdia dicta est *δὴ καὶ κωμῶντος*, id est viculis, quòd ea humilium domuum fortunæ comprehendantur, non (ut in Tragœdia) publicarum regiarumque. Vel *δὴ καὶ κωμῶντος*, id est comestatione, quòd olim in hujusmodi fabulis aman-

PROLEGOMENA TERENTIANA.

tium juvenum *κῶμοι* agebantur. Comœdia à Tragœdia differt, quòd in Tragœdia introducuntur duces, heroës, reges: in Comœdia humiles atque privatae personæ. In illa luctus, exilia, cædes: in hac amores, virginum raptus. Deinde quòd in illa frequenter & penè semper lætis rebus exitus tristes, & liberorum fortunarumque priorum in pejus agnitiō: in hac tristibus lætiora succedunt. Quare varia definitione discretæ sunt. Altera enim *δαιδύων φρονη*, altera *πύχης φρίσεως* dictæ sunt. Tristitia nanque Tragœdiæ proprium. Ideòque Euripides petente Archelao rege, ut de se Tragœdiam scriberet, abnuvit, ac precatus est ne accideret Archilao aliquid Tragœdiæ proprium: ostendens nihil aliud esse Tragœdiam, quam miseriarum comprehensionem. Poëtae primi Comici fuerunt, Sufarion, Rullus, & Magnes. Hi veteris disciplinæ jocularia quædam minus scitè & venustè pronuntiabant: in quibus hî versus fuerunt.

Ακούετε λέξι, Ξυσσεύων λέξι τὰ θε.
Κακὸν γυναικες, ἀλλ' ὁμοῦς ὡς δημότι,
Οὐκ ἔστιν οἰκείν οἰκίαν ἀνευ κωμῶν.

Secunda ætate fuerunt, Aristophanes, Eupolis, & Cratinus: qui & principum vitia infectati, acerbissimas comœdias composuerunt. Tertia ætas fuit Menandri & Philemonis, qui omnem acerbiter Comœdiæ mitigaverunt, atque multiplicia argumenta Græcis authoribus secuti sunt. Ab his Romani fabulas transfulerunt: & constat apud illos primùm Latino sermone Comœdiam Livium Andronicum scripsisse. Sunt qui velint Epicharmum in insula Co exulantem, primum hoc carmen frequentasse, & sic à Co, Comœdiam dici. Antea itaque galeris, non personis utebantur, ut qualitas coloris, indicium faceret ætatis, quum essent aut albi, aut nigri, aut rufi. Personis verò uti primus cœpit Roscius Gallus, præcipuus histrio, qui oculis obversis erat, nec satis decorus in personis, nisi parasitos pronuntiabat. Initio Togatæ Comœdiæ dicebantur, quòd omnia in publico honore confusa cernebantur: quæ Togatæ postea in Prætextatas & Tabernarias dividebantur. Togatæ fabulæ dicuntur, quæ scriptæ sunt secundùm ritus & habitus hominum togatorum, id est Romanorum (toga nanque Romana est) sicut Græcas fabulas ab habitu æquè Palliatis Varro ait nominari. Togatas autem, quum sit generale nomen, specialiter tamen pro Tabernariis, non modò communis error usurpat, quia Fannius Togatas appellat, sed & Poëtae, ut Horatius, qui ait, *Vel qui Prætextas, vel qui docuere Togatas*. Togatarum fabularum species tot ferè sunt, quot & Palliatarum. Nam prima species est Togatarum, quæ Prætextatæ dicuntur, in quibus Imperatorum negotia agebantur & publica, & reges Romani vel duces inducuntur, personarum dignitate & argumentorum sublimitate tragœdiis similes. Prætextatæ autem dicuntur, quia ferè regum vel magistratuum, qui prætexta utuntur, in hujusmodi fabulis acta comprehenduntur. Secunda species Togatarum, quæ Tabernariæ di-

PROLEGOMENA TERENTIANA.

cuntur, humilitate personarum & argumentorum similitudine, Comœdiis pares, in quibus non magistratus regesque, sed humiles homines & privata domus inducuntur: quæ quod olim tabulis tegerentur, communiter Tabernariæ vocabantur. Tertia species est fabularum Latinarum, quæ à civitate Oschorum Attella, in qua primùm cœptæ, Attellanae dictæ sunt, argumentis dictisque jocularibus, similes satyris fabulis Græcis. Quarta species est Planipedis, Græcè dicitur *μῖμος*. Ideo autem Latinè Planipes, quod actores planis pedibus, id est nudis, profcenium introirent, non ut tragici actores cum cothurnis, neque ut comici cum soccis olim, non in suggestu scenæ, sed in plano orchestrae positris instrumentis mimicis agitabant. Cujus Planipedis, Accius Togatarum scriptor ita in *Ædilitia* fabula meminit: Datum est aurum, exultant planipes. Si quas tamen ex soccis fabulas fecerant, palliati pronuntiabant. Togata prætextata, à Tragœdia differt. In Tragœdia heroës introducuntur. Pacuvius Tragœdias nominibus heroicis scripsit Orestem, Chrysem, & his similia. Item Accius. In prætextata autem scribitur Brutus, vel Decius, vel Marcellus. Togata tabernaria, à Comœdia differt, quod in Comœdia Græci ritus inducuntur, personæque Græcæ, Laches, Softrata: in illa verò Latinæ. Togatas tabernarias in scenam ductaverunt præcipuè duo, Afranius & Quintus Ennius. Nam Terentius & Cæcilius Comœdias scripserunt. Latina Attellana, à Græca Satyrice differt, quod in Satyrice ferè Satyrorum personæ inducuntur, aut si quæ sunt ridiculæ similes Satyris, Autolycus, Burris: in Attellana, obscenæ personæ, ut Marcus. Dramata autem dicuntur tragica aut comica *μῆτρα τὸ δῶρον*, id est agere. Latinæ fabulæ appellantur, sive factubulæ. In Latinis enim fabulis plura sunt cantica quæ canuntur. Vel à faciendo. nam & agi fabula, non referri ab actoribus dicitur. Itaque Horatius utraque significatione interpretatur, quum ita de fabula dicit: *Aut agitur res in scenis, aut acta refertur*. Dramaticæ verò tres personæ solæ agunt. Ideoque Horatius ait: *Ne quarta loqui persona laboret*. quia quarta semper muta. At Latini scriptores, complures personas in fabulas introducere, ut speciosiores frequentiam facerent. Satyrice est apud Græcos fabula, in qua item tragici poetæ, non reges aut heroës, sed Satyros induxerunt, ludendi causa jocandique: simul ut spectator inter res tragicas seriasque, Satyrorum quoque joci & lusus delectaretur, ut & Horatius sentit his versibus: *Carminibus qui tragico vilem certavit ob hircum. Mox etiam agresteis Satyros nudavit, & asper Incolum gravitate jocum tentavit, eo quod Illecebris erat: & grata novitate morandus Spectator*. Minus est sermonis cuiuslibet motus sine reverentia, vel factorum cum lascivia imitatio. Mimus dictus, quasi solus imiteretur. & quum alia poemata idem faciant, solus tamen quasi privilegio quodam, quod fuit commune, possedit. Similiter atque is qui versum facit, dictus *πρῶτος*, quum tamen artifices, qui æquè quid faciunt, non dicantur poetæ. Membra Comœdiarum tria sunt, di-

PROLEGOMENA TERENTIANA.

verbium, canticum, chorus. Membra Comœdiæ diversa sunt: definitio tamen numero continetur, à quinque usque ad decem. Diverbia sunt partes Comœdiarum, in quibus diversorum personæ versantur. Personæ autem diverbiorum, aut duæ aut tres, raro autem quatuor esse debent, ultrà augere numerum non licet. In Canticis autem una tantum debet esse persona: aut si duæ fuerint, ita debent esse, ut ex occulto una audiat nec loquatur, sed secum (si opus fuerit) verba faciat. In choris verò numerus personarum definitus non est: quippe junctim omnes loqui debent, quasi voce confusa, & concentum in unam personam reformantes. Latinæ verò Comœdiæ chororum non habent, sed duobus tantum membris constant, diverbio & cantico. Primis autem temporibus (ut asserit Tranquillus) omnia quæ in scena versantur, in Comœdia agebantur. Nam & Pantomimus & Choraules in Comœdia canebant. Verum actores comœdiarum, pro facultate & arte potiores, principatum sibi artificio vendicabant. Sic factum est ut nolentibus cedere mimis cum artificio suo cæteris, separatio fieret reliquorum. Nam dum potiores inferioribus, qui in omni magisterio erant, servire designabantur, seipso à comœdiis separaverunt, ac sic factum est, ut exemplo semel sumpto, unusquisque artis suæ rem exequi cœperit, neque in Comœdiam venire. Cujus rei indicia produnt nobis antiquæ Comœdiæ, in quibus invenimus, Acta tibiis paribus, aut imparibus, aut ferranis. Quando enim chorus canebat, choricis tibiis, id est choralicis, artifex concinebat. In canticis autem pyraulicis responsabat. Sed quod paribus tibiis vel imparibus invenimus scriptum, hoc significat, quod si quando monodio agebat, unam tibiā inflabat: si quando synodio, utranque. Hæc ad verbum Diomedes:

Monodium est, quum unus aliquis à scena cantum profert, nec chorus simul.

Servius in illud Virgilio libro nono *Æneidos*:

O vera Phrygia (neque enim Phryges) ire per alta

Dindyma, ubi assuetis biforem dat tibia cantum.

Biforem, inquit, bifonum, imparem. Et servavit eis tibiaram suarum naturam. Tibiæ autem Serranæ dicuntur, quæ sunt pares, & æquales habent cavernas: aut Phrygiæ, quæ & impares sunt, & inæquales habent cavernas. Ergo biforem, dissimilem, dissimilem. Non enim sunt pari modulatione compositæ. Ut enim ait Varro, tibia Phrygia dextra unum foramen habet, sinistra duo: quorum unum, acutum sonum habet, alterum gravem. Hactenus Servius.

Varro libro primo, *De re Rustica*, cap secundo:

Certè, inquit Fundanius, aliud pastio, & aliud agricultura, sed affinis. Et ut dextera tibia alia, quam sinistra, ita ut tamen sit quodammodo conjuncta: quod est altera ejusdem carminis modorum incentiva, altera succentiva. Et quidem licet adjicias, inquam, pastorum vitam esse incentivam, agricolarum succentivam, authore doctissimo homine

PROLEGOMENA TERENTIANA.

Dicæarcho, qui Græciæ vita qualis fuerit ab initio, nobis ita ostendit, ut superioribus temporibus fuisse doceat, quum homines pastoritiam vitam agerent, neque scirent etiam arare terram, aut ferere arbores, aut putare, ab his inferiore gradu ætatis susceptam agriculturam. Quo circa & succinit pastorali, quod est inferior, ut tibia sinistra à dextræ foraminibus.

Scena, sive σκηνή, verti Latinè potest Umbraculum, vel tentorium. Erat autem antiquis Scena, umbraculum ex arborum frondibus, umbræ causâ à rusticis excitatum: ubi festis diebus convenientes, diversa ludorum & jocorum genera exercebant. Id quod hodièque in pagis videmus plurimis in locis observari. Nam (ut olim ante usum Theatrorum) scenæ super plaustra ductilia extruuntur, ac per compita ductæ, populo præbent fabularum oblectationem.

Theatra erant ædificia in populi gratiam extructa, ad hemicycli sive semicirculi speciem, dicata ludis spectandis. Latinè Spectacula possis dicere, sic enim à commodè prospiciendo ac videndo sunt appellata. *θεατρῖς*, *spectator* *θεατρία*, *spectatrix*: *θεατρῖον*, & *θέατρον*, *spectaculum*, *theatrum*. Porro, ut scribit Cassiodorus, theatri frons, sive ea theatri portio quæ inter duo cornua protenditur, Scena vocatur. Ita autem componebatur theatrum, ut eò conveniens, & ibi commodè sedens turba, è longinquo facile spectare posset, concavo æqualique parietum circumjectu, ut vel leni sono dicta verba, ad alterum theatri caput facilius perferrentur. Ita enim erat conformatum, ut æquè gestus prospicerent, ac voces audirent ii, qui ad latera & in summis federent gradibus, atque ii qui in imis juxta scenam. Postea verò excogitatum est theatrum in rotundam formam extructum, alio longè excellentius atque capacius: quod quia velut ex duobus constaret theatris, nec amplius hemicyclum, sed rotundam formam referret, ob id Amphitheatrum dictum est. Amphitheatrum tamen scribit Dion ex hoc dici, quod per ambitum sedilia disponderentur absque scena.

Proscenium locus erat, seu velum, aut etiam pulpitum, ante scenam. Ex proscenio in scenam evocabantur Mimi sive Histriones ad fabulas agendas: vicissimque è scena illuc revertebantur. Unde Actuum in Latinis Comædiis internoscitur distinctio: sicut in Græcis choro in Orchestram demigrante.

Scenam etiam vocant Comici, quicquid duæ pluresve personæ sermonis integri & absoluti colloquuntur, illicque finitur scena, ubi aut aliqua persona introgreditur, aut alia ad forum, aut aliò quolibet ad viciniam currit.

Actus unus plures scenas comprehendit. Estque in Comædia Actus, pars quodammodo absoluta & integra, nondum tamen rem omnem finiens, sed ita dimidiatam relinquens, ut respirent spectatores, & facilius commutetur quicquid in reliquis Comædiæ partibus superest. Id autem, adlus commutare dicebant. Interea Mimi dicteria & diverbia

PROLEGOMENA TERENTIANA.

referabant: recitabanturque nescio quæ jocularia, quæ populum nova oblectatione afficerent. Comædiarum recitatio in scena, Actio dicebatur, unde etiam qui agebant, & fabulas pronuntiabant, Actores dicti: qui & Comædi, Histriones, Ludiones, Ludii, & Hypocritæ, id est alienæ personæ simulatores.

NOMINUM COMICORUM RATIO,
PER EUNDEM THEODORICUM.

NON est de nihilo, quod poëtæ Comici aut hæc aut illa nomina indiderunt suarum personarum fabularum. Hujus rei amplissima tibi damus testimonia. Donatus in Adelphos: Nomina, inquit, personarum in Comædiis habere debent rationem & etymologiam. Etenim absurdum est Comicum apertè argumenta confingere, vel nomen personæ incongruum dare, vel officium quod sit à nomine diversum. Hinc servus fidelis, Parmeno: infidelis, vel Syrus, vel Geta: miles Thraso, vel Polemon: juvenis Pamphilus: matrona Myrrhina: & puer, & ab odore Storax: & à ludo, & à gesticulatione Circus: & item similia, in quibus summum poëtæ vitium est, si quid è contrario repugnans contrarium diversumque protulerit: nisi per Antiphrasin nomen imposuerit joculariter: ut Misargyrides in Plauto dicitur trapezita. Et ferè hoc modo apud alios à poëtis nomina componuntur describenda per Antiphrasin, quod designat Storax.

Idem in Andriam: Semper, inquit, nomina Comicorum servorum, aut à nationibus sunt indita: ut Mysis, Syrus: aut ex accidentibus, ut Lesbica, velut ebriosa, à Lesbica insula, quæ est ferax suavissimi candidissimi que vini: aut à vernilitate, ut Pseudulus: aut ex negotio, ut Chrysalus: aut ex qualitate corporis, ut Chylacus: aut ex specie formæ, ut Pinacium.

Strabo libro septimo. Fuit & alia regionis divisio, ex antiquis permanens temporibus. Alios enim Dacos, alios Getas appellant. Getas quidem, qui ad Pontum in Orientem vergunt: Dacos autem, qui in oppositum versus Germaniam, & ad Istri fontes, quos olim Davos vocatos esse reor. Ex quo apud Athenienses Davorum & Getarum nomina servilia plurimum abundabant. Hoc sanè credibilis est, quàm à Scytharum gente derivari, quos Daas vocant. Longè enim illi ad Hircaniam positi sunt, nec ex eo loco Athenas mancipia deportata putandum est. Servos enim aut è populorum nominibus vocabant, à quibus vehebantur, ut Lydum & Syrum: aut iis maximè quæ illis in locis magis ac magis usurpata erant, ut Manem & Midam, ex Phrygia: Tibiumque, è Paphlagonia.

Servius in primam Eclogam Virg. Etiam hoc sciendum, & personas hujus operis ex majori parte nomina de rebus rusticis habere conficta: ut Melibæus, ὃ π' μέλη αὐτῶ τῶ βούβη, quod curam gerit boum. Et Ti-

PROLEGOMENA TERENTIANA.

tyrus. nam Laconum lingua Tityrus dicitur aries major qui gregem ar-
teire consueverit. sicut etiam in Comœdiis invenimus. Nam Pamphi-
lus, est totus amans: Glycerium, quasi dulcis mulier: Philumena,
amabilis.

Qui de nominum priorum etymo & interpretatione plura scire
volet, huic adeundus est Cratylus Platonis.

Erasmus in Commentario, *De rerum copia*. Comici præcipuè varie-
tatem in ejusdem quoque generis personis affectasse videntur. Quid
enim dissimilius, quàm Demea ac Mitio apud Terentium? Quorum
hic quum etiam gravissimè filium objurgat, blandus est: ille quum ma-
ximè blanditur, amarulentus: & tamen uterque senex, atque adeò fra-
tres. Quid diversius, quàm Chremes semper placidus ac civilis, & Si-
mo vehementer ac suspiciosus? Item quàm Pamphilus cordatus, & Cha-
rinus inops animi consiliique? Quid tam dissimile, quàm Phædria cum
morbo pugnans, & Chærea nihil habens pensi? Multum item interest
inter Davum pertinacissimum sperandi authorem, & Byrrhiam nihil
præter desperationem afferentem. Plurimum inter parasitum Gnatho-
nem, & Phormionem: & ab utroque longè dissident parasiti Plautini,
quemadmodum & hujus meretrices à Terentianis plurimum discrepant.
Terentius meretrices propemodum bonas fingit, veluti Philotim &
Bacchidem in Hecyra: Plautus senes amantes, ac festivos, & uxoribus
veteratoriè imponentes: quanquam aliàs Euclyonem prodigiosè tena-
cem ac suspiciosum facit. Hactenus Erasmus.

Andros insula est, una ex Cycladibus, in mari Ægæo, ab Andro
Anii filio qui in ea regnavit, nomen sortita. Porro Ægæum mare ho-
die nautis, vulgò dicitur *Archipel*, nonnullis Archipelago. Andros nunc
iisdem vocatur Andro, plerisque Andria. Hinc adjectivum Andrius,
unde & huic fabulæ nomen. Æneas, ait Lactantius, cum patre Anchise
& filio Ascanio profugus Delum venit. Hic ab Anio sacerdote Apollini-
nis recipitur hospitio, qui illis indicat, quinque se filiarum parentem
orbium relictum. Andrum enim, à quo Andros insula, reliquisse pa-
triam, &c. Ovidius libro decimotertio *Metamor.* de Ænea loquens,

Hunc Anius, quo Rege homines, antistite Phœbus

Rite colebatur, temploque domoque recepit.

Virgil. quoque libro tertio *Æneid.* de insula Delo verba faciens,

--- egressi veneramur Apollinis urbem.

Rex Anius, rex idem hominum, Phœbique sacerdos.

Vittis & sacra redimitus tempora lauro

Occurrit: veterem Anchisen agnoscit amicum.

Fungimus hospitio dextras, & tecta subimus.

Pasibûla, verti potest, Omnibus consulens. *πας, omnis, universus.*
βουλή, consilium. Ejus quippe agnitionemini non consuluit, omnium animos
alioqui turbatissimos feliciter tranquillans. Id quod luculentissimè do-
cet hujus Comœdiæ catastrophæ.

Philumena,

PROLEGOMENA TERENTIANA.

Philumena, In amore perseverans ac persistens. Manens in amicitia.
φίλος, amicus: *μείνω*, maneo. Scribendum autem esset Philomena, se-
cunda & tertia brevibus. at causa productionis assumit *ο* post *ο* ut sit
diphthongus *ου*, quam nos in *u* longum vertimus, dicentes Philume-
na. Sic dicunt Græci *φίλος, οὐνομα*, pro *νόσος, ὄνομα*. Sic dixit Virg. *Uprilio*,
pro *Opilio*. Nisi fortè quis malit ducere à verbo *φιλοδομα*, id est con-
cilior: ut sit participium fœmininum, quasi conciliata, vel amata.

Chrysis, Aurea. *χρυσός*, aurum. Chrysidēs, aureæ crepidæ, vel phia-
læ. Aureos mores apud Horatium libro quarto *Carm.* ode secunda,
enarratores intelligunt bonos & sanctos, pulcherrimos, elegantes, &
amabiles, ut apud Virgil. libro octavo. *Æneid.* *Aurea seculum*. Et rursus
apud eundem libro x. *Aurea Venus*. Erit igitur Chrysis, aurea, elegans,
amabilis.

Simo, Pamphili pater, senex naso sumo & presso, à specie nomen
habet, quòd simi sunt iracundi & biliosi.

Pamphilus, adolescens, à fideli amore, *Totus amans*, vel *Omnibus*
amicus. *πᾶν, totus, omnis. φίλος, amicus.*

Davus, servus, à patria. ut paulo antè ex Strabone.

Dromo, servus, à cursu. *δρόμος, cursus. δρομαῖος, velox*. Servorum
est, velociter currere, quò jufferint domini.

Sofia, libertus, *Quòd sit in bello servatus*. Unde & servus nomen in-
ditum. *σώζω, servo*.

Charinus, adolescens, *Ab animi benevolentia*. *χαρίζομαι*, facio gra-
ta, obsequor, & beneficium gratiamque confero.

Byrrhia, servus, *Apatria*, inquit Donatus. Sunt qui Phrygiam his
Donati verbis putent innui. Didymus certè existimavit Aphroditem
nuncupari *πρὸς τὸ ἀβρὸν ἢ διαίης*, hoc est à mollitie vitæ. *B* enim cogna-
ta videtur literæ *φ*: nam Philippum, aliqui *βίλιππον* appellant: sicut
Phrygas, Brygas. Author Cælius lib. xxix. cap. xviii. Idem quoque
tradit Lilius lib. xi. i. i. A Phrygia igitur seu Brygia nomen esset Byr-
rhia: idque per litterarum metathesin. Porro Phryges ingenio fuisse
servili, vulgatum testatur adagium, Phryx plagis emendatur. Plinius
lib. v. cap. xxix. Pyrrham urbem facit Caria. Quintilianus lib. i. docet
B literam fuisse interdum pro *P* usurpatam: ut Byrrhus, pro Pyrrhus.
Itaque fieri potest, ut à Pyrrha urbe nomen ductum sit Byrrhia, idem
prorsus valens quod Car. Herodotus in Euterpe ostendit Cares barbaro
servilique fuisse ingenio, & ad quidvis malorum ferendum paratos,
mercede proposita: Unde & natum proverbium, *In Care periculum*,
subaudi, *facito*. hoc est, in homine aut re viliori fac periculosam ex-
perientiam, in qua si parum feliciter cesserit, non multum dispendii
capiendum.

Crito, Quòd controversiam dirimat. *κρίτης* iudex, arbitrator. *κρίνω*,
judico, interrogo, examino, quæstionem de aliquo habeo: Sanè Crito
Andrius Athenas veniens, totam hujus comœdiæ litem & controversiam
diremit, indicans quæ esset Pasibûla.

PROLEGOMENA TERENTIANA.

Chremes, Pasibulæ & Philumenæ pater, Senex, A screando, quod fenes tussi expurgent pectus. *χεμπλομαι, screo.*

Glycerium, meretrix, A voluptate, vel dulcedine. *γλυκερός, dulcis.* Hinc Glycyrrhiza, dulcis radix vulgus Liquiritiam vocat. Glyceræ hujus glyceres, nomen mulieris proprium, verti etiam potest *dulcis*: ejus diminutivum Glycerium, *dulcicula.*

Mysis, ancilla, A Mysia patria. Strabo refert Mysorum populum usque adeo contemptum fuisse, ut proverbio locum fecerit. Id usurpat M. Tullius in oratione pro Flacco: *Quid, inquit, porro in Græco sermone tam tritum atque celebratum est, quam si quis despiciatni ducitur, ut Mysorum ultimus esse dicatur?*

Lesbia, obstetrix, A Lesbo insula. Rationem habes paulo antè.

T. FABRI OBSERVATIUNCULÆ

MISCELLANÆ AD METRA TERENTII.

Illi se mihi magna quadam voluptate, & fructu haud mediocri, privare videntur, qui Terentium studentes legere, nec metra tamen illa, queis uti Terentius consuevit, novere. Memoria enim tam venustum, tamque amabilem, scriptorem quis mandare possit, & mandatum custodire, nisi si & ipse metra illius senserit? Dein, multo sibi majorem admirabilitatem Poëta comparet, ubi intellexerint Lectores quo genere carminis hinc aut hinc utatur. Nam, apud Terentium quidem, plane ita videmus fieri ac apud Virgilium solet, ut carminis ratio, & modus, rei, qua de agitur, naturam fere plerumque exprimant, quod in primis observandum est, & acri quodam aurium judicio confectandum. Est aliud etiam, in quo maxima utilitas posita est: Si qui enim forte errores in carmine fuerint, quod perquam facile potest evenire, & nimium sæpe evenit, eos errores deprehendere possit nemo, nisi qui versuum rationem calleat. Sed hæc satis; neque enim hoc loco artem metiendi carminis docere decrevi.

Paucas igitur observatiunculas proposuisse suffecerit, quæ & certæ sunt & perspicuæ. Eas autem priusquam ingredior, hoc audi, quod apud Ciceronem in Oratore Perfecto scriptum est. (At Comitorum Senarii,) propter similitudinem sermonis, (quod nos Galli vulgo vocamus conversation & entretien) sic sæpe sunt abjecti, (id est neglecti & populares, & ut Græci vocant, ΛΟΓΟΒΙΔΙΣ) ut nonnunquam vix in his numerus (id est rhythmus, ut Græce dicitur) & versus, (id est dimensio) sentiri possit. Vides Ciceronem ipsum fateri que fatetur de dimensione, de rhythmo; utrumque, scilicet, vix sentiri posse. Quid nos Barbaros homines, & à felicitate, ac doctrina illius sæculi tam magna in-tercapidine distitos judicare deceat? Sed, quod mirere, de senariis tan-

PROLEGOMENA TERENTIANA.

tum loquitur Cicero; Quid, si de trochaicis, de anapæsticis? de universo genere iambicorum? quid si de universis anapæsticorum formis agendum ipsi fuisset? Quid de aliis generibus, quæ in Græcorum comædiis celebrata olim fuerunt? Tum vero magis dixisset, *vix sentiri possunt.*

Sed ad rem venio. Sic igitur docti existimant, duo tantum versuum genera esse apud Terentium iambicos & trochaicos. Id ego in universum esse verissimum scio. Sed quid ad hos versus Act. IV. Andriæ sc. I. dicas?

Hocine credibile est aut memorabile,

Tanta vecordia innata cuiquam ut fiet,

Vt malis gaudeat alienis, atque ex incommodis

Alterius sua ut comparet commoda! ab!

Ibi nihil Faernus, vir in isto genere diligentissimus. Muretus autem altro fatetur, horum quatuor versuum rationem explicare difficile esse. Scio quid Goveanus, quid Scaliger, quid Erasmus dixerint ad hunc versum. At non est senarius, &c. Arbitror esse Dactylicum quaternarium perfectum; & talis necessariò fuerit, si modò tollatur illud, *est*, quod ex glossemate huc irrepit. Possit referri & ad genus choriambicum. Secundus potest esse trochaicus senarius catalecticus; sed fortasse iambicus trimeter fuerat, sic ad formam suam redigendus:

Innata cuiquam tanta ut fiet vecordia.

Tunc, *fiet*, fuerit monosyllabum. Exempla infinita sunt. Tertius est trochaicus septenarius catalecticus, cujusmodi non memini me multos legere.

Vt malis gaudeat alien' at-qu' ex-in-commodis

Tamen, quod minus credibile videatur, ex regula & observatione, quæ inferius ponetur de elidendo S. poterit esse senarius sic:

Vt mali-gaudeat a-lienis-atqu'ex-incom-modis.

Erit synizefis in secundo pede, ut & in tertio, nil frequentius.

Quartus est:

Alterius sua ut comparet commoda. ab.

Puto scribendum esse, *Alterius ut sua commoda comparet-ab.*

Erit dactylicus quaternarius. Illud autem *ab* extra versum erit, ut solent esse exclamationes, interjectiones, in fine & initio, apud Sophoclem, Euripidem, Aristophanem. Quin & apud Terentium ipsa exempla reperies.

De Cretico, seu Amphimacro.

Joachimus Camerarius, vir inter Germanos superiori sæculo insignis; honoratissimus, & longe optimus, putat, Creticum in iambico & trochaico genere locum habere non posse: multi contra nituntur. Sed videamus. In Andria pag. 8. legitur:

Liberius vivendi fuit potestas. nam antea.

Debet autem esse versus senarius iambicus. Itaque *liberius* erit Creticus extrito E, quod breve est, quasi pronuntiares *librius*. exempla

PROLEGOMENA TERENTIANA.

ejus rei sunt innumerabilia in comicis & tragicis antiquis. Quin & apud Virgilium diligentissimum scriptorem, legas, *aspris*, pro *asperis*; *semustum*, pro *seminustum*; *vinculis*, pro *vinculis*; *oraclum*, pro *oraculum*; *gubernaclo*, pro *gubernaculo*; *circlos*, pro *circulos*, & *maniplis*, pro *manipulis*. Ac si elidatur *S.* in *liberius*, quod olim fiebat, erit tantum dactylus *librii*. At illud *fuit*; erit monosyllabum; quod & verum esse interdum scio. Tunc Creticus exclusus fuerit. Ergo quærat^r aliud, & aliud etiam. Pag. 13.

Pro uxore habere hanc pere-grinam, ego il-lud sedulo. manifestissimus esse videtur creticus in *grin' eg' il*; sed in *ille, illa, &c.* olim prior syllaba erat communis; quo nihil certius. P. 14. *Nunc tuum est officium has bene ut assimules nuptias.* est autem hic versus plane trimeter; ergo Creticus in prima sede. Ad id negatur, per collisionem, scilicet, & *synizefin*, ita ut sit spondæus in prima parte senarii.

Pag. 16. paulo inferius.

Dave. Hem. quid est? ehodum ad me. quid hic volt? quid ais? qua de re? rogas?

Nemo, videtur certe, negare possit, quin hic sit Creticus in quarta regione, nam versus est octonarius acatalectus iambicus. Sed vide: aiunt *D. elidi*: itaque spondæus ex Cretico fiet.

Pag. 35. *Nil propter hanc rem, sed est, quod succenset tibi. Et mox: Quidnam est? pueril' est. quid est, &c.*

In utroque exemplo affirmant miserum illud *D. exteri debere*, ob quod meritum, nescio;

Pag. 57. *Vestri cuius vestri? Pamphili. Hem. quid, Pamphili?*

Est indubitatus iambicus senarius: itaque Creticus secundam sedem occupabit, quo te cunque verteris, nisi priorem in *cuius* brevem olim fuisse contendas, quod an fieri possit dubito. Tamen & ad hoc respondent, syllabam illam *ju'* plane perire. unde pro Cretico habebis spondæum.

Pag. 81. *Sed ecce ipsa egreditur nostri fundi calamitas.*

Pag. 100. *Dedu-cam sed ec-cum militem. est istuc datum.*

Nemo non deberet esse Creticum in locis notatis, at multi negant. Nam olim dicebatur *ecum, ecam*, quia non geminabant eandem consonantem.

Pag. 103. *Tu par pari referto quod e-am re-mordeat.*

Est planissime senarius, seu trimeter. Quamobrem in quinta sede erit Creticus. Sed & qui Creticum hinc ablegant, scin' tu quid dicant? dicunt illi versus esse aliter metiendum, sic: *Tu par-pari-refer-to quod e-am-re-mor-deat.*

Et tunc erit anapæstus in quarta dimensione versus. Id autem verum esse potest; nam olim, *eum, eam, eas, suum, suas, suis, &c.* monosyllaba erant, ut ex Lucretio constat; ne ad Ennium usque, & ad Livium Andronicum ascendamus. Sed & falsam ibi lectionem esse, dixi, opinor, in Notulis.

PROLEGOMENA TERENTIANA.

Pag. 72. *Quod voluptates eorum propria sunt: nam mi immortalitas.*

Est octonarius iambicus acatalectus; debet igitur esse Creticus initio dimensionis. At contra aiunt secundam syllabam in, *voluptates*, esse brevem, quod mihi quidem videtur incredibile. Melius dicas primam syllabam, quæ brevis est, ita raptim pronuntiatam fuisse, ut non audiretur; & pro, *volu*, diceretur, *ulu*, per *V* consonum. Verum hæc factis de Cretico. Dices, quid ais, tandem? An admittendi sunt Cretici in iambeos, in trochaicos? Non arbitror: cum in Cretico plus temporis absumat pronuntiatio, quam in spondæo, cui tamen in iambicis comicis & tragicis locus est. At sunt tamen Cretici in illis versibus superius positus? Fateor id quidem: sed ii non pronuntiandi ut Cretici. Quid ita? Hæc regula certa esse videtur, cum à natura proficiscatur: Syllaba brevis inter duas longas posita vix pervenit ad sensum. Id autem nō esset, quī tandem Virgilius potuisset dicere, *aspris*, pro *asperis*? *circlos*, pro *circulos*, &c.

De tribrachy nihil necesse est dicere; cum pes ille tempus iambi impleat, & eundem motum habeat.

Proceleusmaticus, id est duo Pyrrhichii, seu quatuor breves, cum spatium spondæi consumat, cui spondæo jus est sedendi in iambicis & trochaicis, mirum esse non debet, si apud comicos frequens reperitur; nam & in tragicis recentioribus illum interdum reperias.

In Andr. *Ita faci-am hoc primum, &c.*

Pag. 13. *Sati' vebe-mens causa ad objurgandum, &c.*

Nisi dicas esse anapæstum, cum apud Horatium legas,

Vemens, & liquidus, pueroque similimus amni.

Pag. 37. *Num immemor es discipuli? ego quid narres nescio.*

ad quem versus notant quidam pro *discipuli*. pronuntiandum *d'scipuli* trisyllabice, id quod tamen minus necesse est ad dimensionem versus deprehendendam. Verum plura addere nihil opus est.

Nunc quod dicam, id esse verum videbitur, & non est tamen; Molossus scilicet, is ex tribus longis constat, pro iambo, spondæo, aut anapæsto sumi, pagina decima octava: *Sive ista u-xor, sive amica est, gravida è Pamphilo est.*

Sed ibi errorem esse puto, de quo in Notulis; neque enim mihi credibile fiat, Molossus, qui tanto longior & ponderosior sit aliis pedibus, hinc à Terentio usurpatum fuisse. Dein posset etiam esse Creticus, ex ea observatione quæ superius posita est, circa pronomen *iste*, & *ille*; quod tamen hinc verum esse non puto.

Bacchus, seu Bacchæus, id est brevis, longa, longa videtur alicubi reperiri, quod tamen minus verum est.

Pag. 36. *Sed hic Pam-philus. quid dicit? firmavit fidem.*

Non est, inquam: nam versus ita scribere, ita metiri debemus:

Sed hic Pamphilus, quid dicit? firmavit fidem.

Extrito *S* finali. quia de re mox.

PROLEGOMENA TERENTIANA.

Pag. 42. *Neque illum hanc perpetuo habere . neque me perpeti.*
Non est Bacchêus ; est anapæstus , nam prior in *illum* communis est apud veteres.

Ibid. *At istuc periculum in filia fieri , grave est.*

Neque hic Bacchêus est , cum priorem in *istuc* , *isthic* , & aliis bene multis id genus nominibus modo longam facerent Antiqui , modo brevem . nam *ih* , ut *θ* apud Græcos , est levis sibilus tantum , id est pæne nihil . Adde quod *periculum* necessario longum est in secunda , nam illud *I* ante ipsam decurtationem longum erat.

S. perit ante consonantem . Lucretius . Ennius . Plautus . Tragici veteres . ita , *heru'* , *magi'* , *tristi'* , *omni'* , &c.

S. perit ante vocalem . exemplum insigne est , pag. 36.

Bonum ingenium narras adole-scentis . optimum.

Ubi necessario pronuntiandum est , *scnt'* *optimum* . perit enim *S.* & fit synalæpha . est autem trimeter iambicus .

Pag. 59. *Itan' Chrysis ? hem ! nos quidem pol' miseris perdidit.*

Ubi cum *S* pereat in *Chrysis* , pronuntiabis , *Chrys'* , *hem* .

Ibidem . *Semper enim d. eta est eius hac , atque habita est soror.*
pronuntiandum est *ju' hac* una syllaba per synizesin , seu confidentiam . Sed exemplis parco , sunt enim innumerabilia . Hinc , obiter dicam , facile discas quæ apud veteres Latinos pronuntiandi fuerit ratio , & quantopere illa sub Julio & Octaviano Cæsaribus variare cœperit .

Confidentia , seu : ut Græcis dicitur , synizesis , aliis synæresis , in his poëtis frequentissima est ; ea autem fit , cum duæ syllabæ ex vocalibus compositæ in unam coalescunt , ubi id res fieri postulat . Exemplum in duabus primis fabulis en tibi , sed de multis pauca . *Deos* monosyllabum , ut & *suo* . *Quiesci* disyllabum , *grandinacula* , tetrasyllabum , p. 60 . *ait* monosyllabum . p. 35 . & alibi . Ita *fuit* monosyllabum , ut apud Græcos *yi* in harpyiæ , & in omnibus præteritis participiorum activæ aut medialis formæ , quæ sint secundi sexus . Ita & *fiet* monosyllabum , *possiet* , duarum interdum est syllabarum . Sed & hujus figuræ exempla sunt apud Virgilium satis multa .

M. In medio dictionis eliditur . p. 10.

Quidquam attine-re , enim ve-ro spectatum satis.

Pag. 18. *Enim ve-ro , Dave , &c.*

Est anapæstus . versus autem est octonarius .

Pag. 39. Ante consonantem in voce sequenti , eliditur .

Certe enim scio . non satis me pernocti etiam qualis sim , Simo.
Est dactylus in prima sede . Versus est tetrameter perfectus .

Pag. 59. *Itan' Chrys' hem ? nos quidem pol' miseris perdidit.*

Eliditur *L* in *ille* , *illos* , *illis* , &c. Et aliis quibusdam . Exempl. pag. 13 . 18 . 42 . 70 . 73 &c. Eliditur & *D* , ut in Eunuch . Actus 2 . scena 2 . eliditur quoque *R* , ut bene à Faerno observatum fuit . Graviter itaque lapsus est Muretus , qui non viderit in versu Æschyli , quem ipse pro-

PROLEGOMENA TERENTIANA.

fert , primam in morphen . Gr. esse brevem , propter *R* . liquidam . at qui sic est . Unde apud poetam Græcum , ut ostendi olim ad Phædrum . pherbe boas , pherbe mêla , &c. est autem hexametrum . Secundum illud *pherbe* . junctum cum syllaba *as* effecerit palimbacchium , qui pes plane ab hoc genere alienus est .

Elisio interdum nulla est , ut pag. 14 . & alibi sæpius .

Breviant interdum Comici quæ alii producunt , ut *I.* in *abi* p. 21 . bis ; & p. 74 . ita Terentius ultimam corripit in *mane* pag. 56 . in *juba* p. 71 . in *tace* p. 110 , &c. quia , ut opinor , ea verba erant & secundæ & tertiæ inflexionis .

ME. TE. SE.

Pro *ME* dicebant *MED.* ut p. 55 . act. 4 . scen. 4 .

Reliquit med homo , atque abiit , &c.

Sic enim omnino legendum est . Ita Plautus *med erga* .

Ita fit & *sed* pro *se* ; Terentius p. 59 . act. 4 . scena 6 .

Que sed inhoneste optavit parere hic divitias.

IAM . disyllabum est , pag. 26 .

Profer , dum proficiscar aliquo , ne videam . audi nunc iam.

Est trochaicus . Sed hoc plus decies apud Plautum invenias . Pronuntiandum quasi si scriptum esset *Tam* .

Hoc in primis necesse est meminisse , ne quis fallatur in metiendo carmine , Terentium ab uno genere ad alterum interdum transilire ; quin & trochaicos iambeis , & contra , sic intermiscere , ut , absque diligenti observatione , id haud facile sentias .

EHO , ut aliæ quædam exclamationes , indignationes , interjectiones , interdum extra metrum censentur , ut p. 57 .

Eho , an non est ? recte ego semper fugi has nuptias.

Cum autem sit iambicus senarius , *Eho* debet esse extra versum ; & id Græci facitabant , ut supra notavimus .

Postrema omnium observatio est , omnes omnino fabulas Terentii in trochaicos definire ; quod idem de omnibus Plauti comædiis verum esse scio . Excipienda tamen videtur *Pseudolus* , cujus postremus versus est : *Atque approbare hunc gregem , & fabulam ; in crastinum vos vocabo.* Sed audacter affirmare possum duobus in locis versus unum corruptum esse . eum sic leges : *Atque hunc approbare gregem , & fabulam ; in crastinum vos voco.* Quod miror à nemine animadversum fuisse . At isthuc *fabulam* disyllabice pronuntiari debet , ex regulis & exemplis superius positis . Cetera bene procedent . In extremo versu *Asinaria* est etiam error : Nam ille versus ex Trochaico legitimo factus est octonarius vitiosus duobus locis . Sic habet .

Remur impetrari posse , si plausum sic clarum datis.

Sic autem ille scribendus :

Remur impetrari posse , si plausum clarum datis.

Ceteri , qui à Grege pronuntiantur , & hunc præcedunt , sunt certissimi Trochaici .

PROLEGOMENA TERENTIANA.

Hæc paucis quidem, sed, ut spero, ea satis fuerint ad illa intelligenda quæ in ceteris Terentii fabulis paulo impeditiora videbuntur. Neque vero mihi ad credendum difficile est, quæ dixi modo, non ex æquo omnibus probatum iri; sed ad eos provoco, qui scriptores antiquos bene ac diligenter legerint.

DANIELIS HEINSII,
AD HORATII DE PLAUTO ET TERENTIO
JUDICIUM, DISSERTATIO.

*At nostri proavi Plautinos, & numeros, &
Laudavere sales; nimium patienter utrumque,
Ne dicam stulte, mirati: si modo ego & vos
Scimus inurbanum lepido seponere dicto,
Legitimumque sonum digitis callemus & aure.*

DURUM equidem iudicium, & quod non nemo hac ætate de leporum omnium parente, summo critico, ac maximo poëtâ excidisse nollet: cujus tamen vernæ melius de Plauto judicabant, quam qui familiam in literis tueri hac ætate creduntur. Qui nec sæculi, quo vixit, & quo, cum poësis, tum Latina lingua, ad supremum culmen ac fastigium evecta fuit, ignorare potuit iudicium; vir tantus, & quod rei caput arbitror, principibus, qui inter se quotidie de iis judicabant, intime familiaris ac amicus. Augusto autem, optimo ingeniorum iudici, tam gratus atque acceptus, ut non rarò lepidissimus homuncio ab eo diceretur, & quem, si antiquitati habenda hic fides, etiam habere ab epistolis optavit. Qui cum contra tanti Terentii fecerit fabellas, ut & integras ex iis *ρήσεις* descripserit, & ubique accommodet, soli denique artem tribuat; hominis *ἀνδράδης* potius quam eruditi effer, ita dissentire à tanto viro, ut ne caussam quidem prius cognoscendam crederet. Quare videamus saltem, quid adferri pro utroque possit. Ne vel Flacci iudicium in posterum, ut solent, aut Terentium securè nimium damnare quidam pergant in Comœdia. Omnia autem pro Horatii iudicio, qui Plautum sic amamus ut è manibus rarissimè putemus deponendum, dicentur potius quam nostro. Ac de numeris quidem nonnulla Donatus: qua etiam in parte haud parum veteribus nonnullis placuit Terentius. Rufino quidem Grammatico, cum inquit:

*Agnovit metrum, servatque Terentius artem:
Nam prologos trimetro didicit componere versu,
Scenarumque actus primos pede claudit eodem.*

Quanquam

PROLEGOMENA TERENTIANA.

Quanquam certe Fabius, non stetit intra trimetros deplorat, de quo forte aliàs dicturi sumus. Ad alterum priusquam veniamus, quædam præmittenda erunt. Cum eadem Comœdiæ propemodum sint partes ac Tragœdiæ, finis quoque ex parte idem, ex parte diversus, multa esse utrique communia necesse est. Delectare enim ac docere est Comœdiæ: neque minus Comici *διδάσκαλοι* & *καμφοδεδιδάσκαλοι*, quam Tragici à Græcis dicuntur. Nec movere risum sane constituit Comœdiam, sed plebis aucupium est, & abusus. Nam Ridiculum, ut recte Aristoteles, *vitium est & fœditas, doloris expers; quæ partem in homine aliquam corrumpit absque morbo.* Sicut fœda & detorta facies, si nullo cum dolore id fiat, risum movet. Unde ipsum quoque risum, omnes fere antiquissimi philosophi indignum sapiente judicarunt. Adeo ut Plato, tanquam sacrilegum, traducere non dubitet Homerum, qui ridentes introduxit Deos? quod in homine non *τὸ κτὶ λόγον*, verum *τὸ κτὶ αἰσθησι*, quemadmodum philosophi loquuntur, *δυσχεστίας* sit signum, à quo longe abest Deus: *ἀπὴ ἢ εἶσα λόγον, ἢ ἀπτόνοισ.* Unde Theſpis:

*Ὁράς ὅτι Ζεὺς παρδὲ κερσετύχῃ θεῶν,
Οὐ χεῖρδός, εἰδὲ κόμπον, εἰ μωρὸν γέλων
Ἄσκων, τὸ δ' ἰδὸ μόνος ἐκ ὀπίσθῃ.*

Quare divinitus ab Aristotele dictum est, partem turpitudinis esse, id quod est ridiculum. Diserte enim ait, *ὅτι τὸ γελοῖον, μέγιστον τὸ ἀγέροδ ὄσιν.* Ita quæ vel in verbis autorum vel sensibus, vel in sermone hominum & factis, aut detorta sunt aut depravata, animos plebeios vehementer movent, & hoc ipso risum ut plurimum excutiunt. Ideoque inusitata dicta & obscœna, optimorum cavillationes, singulorum contumelias, sententias perverſas, ideòque inexpectatas, aliaque id genus (qualis imitatio dictorum vel factorum, & imprimis improborum) risum maximè in Comœdia, quam Veterem dicebant, expressisse constat. Quod intelligunt, qui genium ridiculi intelligunt atque indolem. Cujus segetem largissimam vel unus Aristophanes suppeditat; qui non modò Plautum, sed quoscunque hac in parte superavit, omnesque *τὸ γελοῖο* modos ac figuras lepidissimè expressit. Denique ut acetum, nisi vinum sit corruptum, bonum nunquam erit; ita quæ sincera sunt & vera, risum nunquam excitabunt. Appositè Quintilianus, ubi de Ridiculo: *Et hercule omnis falsa dicendi ratio, in eo est, ut aliter quam est, rectum verumque dicatur.* Quare & compositus ad risum sermo, ab oratione recta, quam *πολιτικῶ* magistri vocant, quam longissime abeat necesse est, cujus propriæ virtutes, *ἡ σαφής, ἡ ὀπίσθια, ἡ ἀφίλητα, ἡ ἀλήθεια, perspicuitas, æquitas, simplicitas, veritas,* ponuntur. Qua in parte supra admirationem omnium Menander apud Græcos, Terentius Romanis fuerit necesse est, qui ut viris sapientibus ac eruditis voluptatem potius afferrent, quam quacunquæ ratione risum extorquerent, duplici jucunditate utilitatem (imitatione vitæ scilicet humanæ, & inimitabili lepore) condierunt. Metu enim Macedonicæ potentis, licentia antiquæ,

PROLEGOMENA TERENTIANA.

ut observant Critici, defecit. Cujus locum occupavit Nova. Cujus & formam nondum penitus vidisse absolutam, sed jam concepisse animo, putatur Aristoteles. Ejus vero unicum propositum, humanos nosse atque imitari mores. Quò & D. Hieron. Epistola ad Furiam, De viduitate servanda respicit, cum inquit: *Nec mirum, hoc figulum sensisse de vasculo, quod ipse fabricatus est, cum etiam Comicus, cuius finis est humanos mores nosse atque describere, dixerit: Sine Cerere, & Libero, friget Venus.* Omnis autem imitatio, ut postea dicemus pluribus, natura placet & delectat. Hoc enim proprium est hominis, ut recte Aristoteles, qui & μιμητικώτατος τῶν ζώων merito ab eo dicitur. Joci vero, si petantur undique, molesti ac frigidi, aut theatrales fiunt, si à vita sint alieni. Qui ut plebi forte, ita doctis placere ac sapientibus non possunt. Constantis enim viri ac sapientis animus, laxari vult, non solvi. Illam autem constitutionem, καὶ πῶς, ut cum Stoicis hic loquar, ἐν τῷ πρὸ τῶν ἡθῶν μονῶν risus solvit. Quem præclarè, ὃ ἀρχαίως ἐπερέκχυσαν ὃ Ἀρχαίως, antiqui vocant. Ideoque & Socratici, quorum libri penurarium leporum omnium fuerunt, ac facetiarum, quod è Xenophonte & Platone etiam hoc tempore apparet, χαλεπὸν πῶς εἶναι, non γλωττοποιεῖν, solent. Ac ne ipsi quidem Siculi, ad festivitatem nati, & qui primi omnium Comœdiæ putantur inventores, alium illius finem, quam τὸ χρησίμων, id est, utilitatem, posuerunt. De Epicharmo Theocritus:

Πολλὰ γὰρ ποτὲν ζῶν τῶν πῶσιν εἶπε χρήσιμα.
Μεγάλα χάρις ἂν πρὸ.

Id quia secus in Comœdia Antiqua, statim defecit. In qua omnia, à veritate & consuetudine aliena, hoc est, vere γλοῖα, & ad risum erant comparata. Quis non ridet, cum exemplum vitæ, pater omnium virtutum, ipsa innocentia, probitas, ac virtus, Socrates ridetur; cum in corbe festivissime philosophatur? cum, quot pedes pulex saliat, subtiliter ac geometricè metitur? Pleraque enim falsa de sententiis opinionibusque veterum philosophorum, & ad risum facta aut excogitata sunt. Quæ præcipue hunc excitare solent. Ideo nec omnes Plauti, tantam materiem ridendi, quantam una quævis ex Aristophanicis suppeditat. Alteri enim omnia, alteri pauca per leges licebant. Cæterum, ut modo dicebamus, quicquid maxime ab agendi consuetudine aut dicendi alienum est, risum maxime movere solet. In sententiis, qualis illa Comici Nebulis,

Καὶ τοι σέθενρον τὸν Δι' ἀληθῶς ἔμελλε δὲ κοπίνην εἶρεῖν.

In verbis, ut cum furacissimus servus, κλεπίσαι τοσ à domino vocatur; qui laudare taciturnitatem in eodem videtur.

Ἄλλ' ἔσε κρύψω; τῶν ἐμῶν γὰρ οἰκετῶν

Πρώτου ἡ γοῦμαι σε καὶ κλεπίσαιτον.

Quod ipsum aliquanto castigatius Nero extulit, qui de tali servo, *Nulli apud se plus fidei haberi dicebat: nihil enim ei neque inclusum neque si-gratum esse.* Vox enim κλεπίσαι τοσ, tantum abest, ut sermoni conve-

PROLEGOMENA TERENTIANA.

nire possit, ὡς ἐδὲ ἀπὸ πῶς διάλυσιν (dicerent subtiles harum rerum judices) πολιτικῶν εἶναι: hoc est, ut ne quidem voce alia quæ eam exprimat, consuetudini aut usui accommodari possit. Itaque corrumpit vocem, plane ut faciem, qui sic movere risum cogitat. Qualia prope infinita Aristophanis. Exemplo sint diminutiva, quæ tam diligenter tertio Rhetoricorum in illius Babylonis Rex Criticorum Aristoteles notavit: χρυσιδάειον, λοιδορημάτιον, ἱματιδάειον, καὶ νοσημάτιον. Quod & in sermone ejus passim & in sensibus observes, quos non raro risus causa effert corruptissimos. Sæpe tamen cum illudit aliis. Quare voces, phrasas, sensus, etiam structuram, Novæ, ut imitari cuiusvis tutum est, ita Antiquam si quis imitari velit, maximo delectu ac judicio est opus, quod si quisquam, recte Aristoteles notavit. Atque hæc causa, cur, ut multo perfectior utiliorque, ita minus ridicula, sit Nova, in qua omnes, ut jam absoluta, acquiescunt. Cum antiqui Comici, iis pariter quæ dicunt, & dicendi ratione, urbanitatem, quia nihil aliud spectarunt quam ridiculum, plerisque in locis, imprudenter excedant: ideoque & vitium plerumque, quod βωμολοχίαν dixit Aristoteles, incurrant. Qui vir magnus Ethicorum quarto, ubi de urbanitate agit, quæ in primis locum in his habet, eosdem & urbanos & honestos vocari ait: εὐτραπέλιες enim, quasi εὐπέλιες, dici. Sicut autem de corporibus ex motu, ita ex urbanitate judicari de animo: utrum nempe honestus sit an turpis. Qui de corporibus locus, cum obscurus nobis videretur, neque quicquam in recentibus scriptoribus, qui interpretati eum sunt, præsidii ad manum esset, ad Andronicum Rhodium, cujus Paraphrasin in illos libros, plane admirandam, primi & edidimus. & in Latinum convertimus sermonem, ut sæpe alias, confugimus. Qui hoc modo: ἢ δὲ μέσσης, εὐτραπέλια, καὶ οἱ ἔχοντες, εὐτραπέλοι, οἷον εὐτραπέλιος καὶ γὰρ τῶν ἡθῶν δοκῶσι τοιαύται κινήσεις εἶναι δὲ εἶναι οἱ παύσοντες ἐμμελῶς, καὶ ὡς δὲ, καὶ ὅτι. ὡς γὰρ αἱ κινήσεις τῶν σώματι χρεωκτικῆς εἰς, οἷον πρὸς μὲν ἢ εἰς τὸ αἶμα κινήσεις καὶ πᾶν κοῦρον βαρὺ δὲ ἢ εἰς τὸ μέσον, καὶ ὅτι τῶν ἡθῶν ὁμοίως ἔπαυται καὶ δὲ τῶν ἔξω καὶ φαινομένων τῶν αἰθρῶν κινήσεων, ὡς ἔξω τῶν ἡθῶν φαίνονται καὶ τὰ ἡθῶν. Quod est ex interpretatione nostra: *Medium vero, εὐτραπέλια, id est, urbanitas, quique in eo excellent, εὐτραπέλοι, quasi εὐτραπέλιος, hoc est, bene morati, dicuntur. Etenim potissimum à moribus videntur esse hi motus. Hi autem sunt, qui concinne, & quemadmodum, & cum oportet, jocantur. Sicut enim corpora distinguunt sui motus; ut, exempli gratia, ignem & quicquid leve est, motus qui in altum fertur, grave contra, motus qui ad medium, eodemque modo in alius; ita ex iis qui extra sunt, & qui in oculos incurrunt hominum moribus, habitus quoque apparent anima & mores. Quia autem risus iis, ut plurimum, qui minus sunt honesti, quales homines plebei sunt aut scurræ, gratus esse solet; hinc fit, inquit idem Aristoteles, ut qui scurriles sint, urbani etiam dicantur. Addit autem, quod spectare huc propius videtur: *Discrimen vero ex Antiqua Comœdia apparet & Nova.**

PROLEGOMENA TERENTIANA.

Nam in illa id quod obscœnum, in hac autem, quod suspicionem tantum ejus movet, risum quoque exprimit. quæ non parum differunt ad venustatem. Idem de cavillis quoque addit & conviciis. Quibus abstinuisse Plautum constat, cum obscœnitate nemini concedat. Hujus autem in utroque ex Aristotelis judicio discrimen videamus. Byrrhæia apud Terentium Andria:

Ego illam vidi virginem. formæ bona
Memini videre. quo æquior sum Pamphilo,
Si se illam in somnis quam illum amplecti maluit.

Vides in his, non obscœnitate, sed suspicionem rei parum verecundæ, & ὑπόνοιαν. quæ tam est honesta, ut à quavis virgine id, urbanitate salva, dici possit. Quid enim suavius, quam in somnis amplecti? & quidem, si de viro & formosa conjuge dicatur! Non enim dicit βινεῖν, quod Aristophanes dixisset, nec quæ in re tali Plautus usurpare solet, qui nec honeste ea dicit, & obscœne circumloquitur. Nam qualia sunt ista Casina!

OL. Vbi locus sumptus porro est, continue stricto gladio, atat! papa! papa! CL. quid id papa?

OL. Flagitium ob erat maximum. gladium ne haberet metui: id querere occæpi.

Dum gladium ne habeat quero, arripio capulum.

Nam cætera in quibus plane loquitur, præfertim cum de Venere ἀρρήτη agit, ea vero, ne commemorare quidem malo. Puto autem satis esse manifestum, etiam cum circumloquitur quæ parum sunt honesta, ne honeste quidem, & cum honestarum aurium fastidio, id fieri. Vides ergo passim veteris imaginem. Etiam, de quo mox paulo post, dicitur ac maledicentia. Quæ Athenis partim leges, partim metus, partim ipsa emendavit ratio: cum tamen sola risum felicissime moverent. Novæ autem rex princepsque Menander fuit: cujus expressa imago ac effigies Terentius. Quem cum uterque accepisset, Aristophanis virtutes hac mercede expressit Plautus, ut nec omnes posset (quod & linguæ diversitas, & Romanorum leges, & tempora, ac Rerumpublicarum ratio verabat, sublata jam maledicendi libertate, quæ præcipua, quod nemo nescit, τὸ γελοῖον pars est,) & quæcunque in Aristophane Plutarchus à communi consuetudine loquendi abhorrere notat, retineret. Nam & κτὴν πὸν λευκὸν, ut Critici loquuntur, & τὸ δὲ δὲ ἀγνοίας τρέπον, δουλικὸς est, & theatralis, non πολιτικὸς, neque τῆ κτὴν πλὴν ἀγνοίας ἰδέα, ἀγνοίας: neque pauciora addidit. in quibus dum ridiculus videri vult, frigidus ac odiosus fit. quod non nostrum; sed Horatij judicium est, & Donati. quos utrosque emundæ naris, utrosque Criticorum primos suo tempore fuisse, constat. Sed & in diceris, de quo jam dicebamus, ita Veterem Comœdiam amavit Plautus, ut ad eam sæpe flectat, &, quod proprium in illa erat, ἐπιονύμως, & expresso nomine, aut circumscribendo, non tam vitam hominum, quam hominem, perstringat. Ut in illo:

PROLEGOMENA TERENTIANA.

Etiam Epidicum, quam ego fabulam æque ac me ipsum amo. Nullam æque invito specto, si eam agit Pellio. Sed & crudelissime infelicem Nævium Milite excepit:

Nam os columnatum poeta inesse audiivi barbaro,
Cui bini custodes semper totis horis accubant.

Videor audire κάθιον Κρατίνου, & quæ reliqua in Veteri Comœdia occurrunt, ὅση κόις. Nam ad Aristophanis πὸν εὐδοκτον, frustra sane aspiravit. Quis enim risu non emoritur, cum vinositatem Cratini excepit Irene:

ΕΙ. Τί δὲ Κρατίνος ὁ σόρος ἔστιν; Τε. Ἀπέθανεν,
Ὅδ' οἱ Λάκωνες ἐπέβαλον. ΕΙ. πὶ παῖων; Τε. Ὁ, π;
Ἀεθιάσας (εἰ γὰρ ἔβλεψατο)
Ἴδων πῖδον κερταγνύμερον οἴου πλέον.

Id est,

P. Sapiens autem Cratinus quid agit? T R. Obiit.
Cum Lacones huc irruerent. P. Quo morbo? T R. Quo?
Misere pallere cepit (ferre enim hoc non potuit)
Frangi cum videret vino plenum dolium.

Alter enim vitium Cratini ridet: alter Nævii miseriam. Ridiculum autem à miseria prudenter Aristoteles sejungit. Risus enim cum atroci alijus malo aut calamitate si conjunctus sit, immanis fit ac barbarus. Illa autem plane extra novæ legem Comœdiæ:

Qui perjurum convenire vult hominem, mitto in comitium;
Qui mendacem & gloriosum, apud Cloacina sacrum.

& quæ deinde sequuntur. Quod profecto est à pulpito ad plaustrum redire. Legat cætera qui volet. Sed hæc ὡς ἐν ἀποδείξει μέρη, obiter sint dicta. Nunc, ingenii exercendi causa ac judicii, ad singula eamus, & utrumque paulo quam plerique accuratius inspiciamus. Primum in Comœdia Tragœdiaque, est dispositio. Neque dubitandum, quin cum Aristoteles de dispositione disputat Tragœdiæ, etiam Comœdiæ ex iis convenire pleraque existimaverit. Nisi quod ut Tragicus disponit, ita Comicus quoque invenit. Alter enim accipit ab aliis, alter ipse sibi dat quod disponendum est. nisi si ab alio desumat argumentum. Certe apud Græcos. Nam Latini fabulas Græcorum, dispositione aliquantulum plerunque immutata & personis, expresserunt. Ut cum è Menandri Eunuchō, suam paucis immutatis Terentius expressit. Ea ratione, ut Davus, Parmeno, Chrysis, Thais, Chærestatus hic esset Phædræia. Plautus in Tragico comico Amphitryone, more Tragicorum fabulam accepit & disposuit: sed & nomina retinuit ex parte, quod non solet in Comœdia: ex parte fecit. Unde raro, invenisse argumentum Tragicus poeta dicitur. (quod aut è relatione aliorum aut è scriptis, ut plerique ex Homero aut Cyclo Epico, petebant.) contra autem Comici. Aristoteles, τὸ δὲ μέγιστον πειρὴν, ἐπιχειρῶν & φόβους ἤρξαν. Ita eam vocem, non ut quidam, hic accipio. Μῦθος enim, ut ubique fere Aristoteli, non drama est; sed ea actio, è qua drama constituitur, ἢ ἀποδείξει,

PROLEGOMENA TERENCEIANA.

ἢ ἢ περιμειρίας σύσεις. Quomodo & accipit, cum dixit, μῦθος δ' ἔστιν αἴς, ἔχ' ἄσπερ πινέες οἰόνται, ἐὰν ᾗ ἐνα ἦ. Et ipse περιμύθους eos vocat, qui vel varias, vel quæ tempore eodem, ab alio, non uno & eodem, gestæ sunt, conjungunt. Ideoque fabulam eligere, & electam recte ac ordine disponere, ut prima virtus, ita primum maximumque opus est. In Amphitryone maneamus. Nam ut argumentum hoc accepit, ita ipse ex animi sententia disposuit. Quare potuit, ut voluit, ligare fabulam ac solvere. In ea igitur divina δέσις: mira enim ratione impeditur fabula & intricatur actio. At transitio, quæ non est Tragica sed Comica (μετάθεσιν vocavit Aristoteles) pars quæ opponitur τῇ δέσει. (quam & λύσιν, seu solutionem vocant) ex sententia succedere non potuit. Quare impeditus, & oblitus sui, ire cogitur ad Deum: hoc est δὲ μυχῶν ἡσιν finire. quod est ultimum refugium Poætæ, cum πῶ δέσει, hoc est, nodum, quem ligavit ipse, solvere non potest, & rem parum provide tractavit. Nam cæteræ quæ ibi adhibentur machinæ, ad scenæ & choragii ornatum, ἢ πῶ ὄψιν, ut philosophus de iis loqui solet, referuntur: quale est brontium, & ceramuscopium, quorum altero ad tonitru, hoc ad fulmen exprimendum, in Amphitryone opus fuit. Finem vero quæ à machina, lubentius in Tragico quam Comico excusat Aristoteles. quia argumento Tragicus astringitur, quod accipit. Quanquam ne huic quidem eam fecit gratiam, cum inquit: φανερόν οὐδ', ὅτι ἢ τὰς λύσεις τῶν μύθων ἢ ἀπὸ δέει τῆ μύθου συζωνίῃ, ἢ μὴ, ὡσπερ ἐν τῇ Μιδείᾳ, δὲ μυχῶν ἡσιν, ἢ ἐν τῇ Ἰλιάδι τὰ ᾗ δὲ δὲ πῶ λην. id est, *Manifestum ergo est, etiam exitum fabulae, è fabula ipsa peti debere, non à machina, ut in Medea, aut quemadmodum in Iliade, in iis quæ circa relictum Græcorum sunt.* Medeam, autem, non Euripideam, sed alterius intelligit poætæ. Idem & Horatius, è Pariano credo Neoptolemo, è quo pleraque præcepta sua in hoc scripto hausit, fugiendum monet.

Nec Deus interfit, nisi dignus vindice nodus

Inciderit.

Ubi nodus est ἢ δέσει, quæ interdum ope humana solvi non potest. Qui quidem, nisi præter Poætæ voluntatem aut ex argumenti eveniat necessitate, non à Deo, quod cuiusvis etiam imperitissimi est hominis, verum à Poætâ solvi debet. Rursus, sicut pictor primo ambitum delineat, deinde singula absolvit, ita sapiens poëta actionem suam circumscribit. Primum, ut sit tota: hoc est, ut principium, ut finem habeat, & medium: quæ in minimis quoque esse possunt. Minima autem sensum vix admittunt: magna nimium dispergunt. Sic formicam vix videmus: in conspectu elephantis, visus vix colligitur. Quare, Comædiæ Tragœdiæque magnitudo & periodus, ut cum Philosopho hoc dicam, è natura utriusque & ratione peti debent. Et mutatione prima, hoc est, cum infelicitate ad felicitatem in Comædia, contra autem in Tragœdia, mutari potest actio: ita ut ex argumento nihil, quod ad rem spectet,

PROLEGOMENA TERENCEIANA.

prætermitti sit necesse. Summus Aristoteli ambitus unius Solis est: potest esse aliquot horarum. Qua in parte admirandus Sophocles Terentiusque. Plautus vero novem menses uno dramate complexus est. ut vix major ampliorque Homericæ Iliados quam Amphitryonis sit periodus. Alcumena autem concipit & parit. quod si fieret ubique, nullo episodio jam opus esset: Ideoque nec ars esset, scribere Comædiam. Præterquam quod sit monstri instar, & cum ratione ac natura pugnet, ut quæ simul & concipiat & pariat. Qualia nonnulla in scriptore hoc summus Criticorum Cæsar Scaliger notavit. Atque hæc vitaverant poëtæ Græci, quorum scripta hic tantopere commendat Flaccus: Technici Græcorum, quomodo vitanda essent ac cavenda, sæpe inculcarunt suis. Plautus susque deque habuit. ut in Captivis. Quam incuriam Poëta cum videret, continere se non potuit, quin exclamaret:

--- vos exemplaria Græca

Nocturna versate manu, versate diurna:

contra negligentiam suorum, & incuriam gravissime taxaret. Quidni enim? qui hoc tum agebat, quod ante eum Aristoteles: qui ubique Euripidem & alios in istis reprehendit; nam de Comicis quæ scripsit, hodie non extant. Porro simul ac Poëta Actionem habet, locum quoque ut actioni det, necesse est. Quia sine loco, fieri nil potest. Hic autem locus, οὐκ ἔστιν ἀνάγκη à Criticis vocatur. cujus finem transilire nefas. Nemo enim tempore eodem, quod à Plauto recte dicitur, alibi atque alibi versari potest: nisi aliquid monstrum fiat in Comædia. Idem tamen, cum Curculionis scenam, Epidauri posuisset, Romam transit in eadem, & in Romanorum mores, scenæ suæ jam oblitus, libere invenitur. & quidem, ut antiqui Comici, tributim. Ita ut & singula describat loca. Act. 4. scena *Ædepol.* Jam τὰ ἄλογα in Fabulis quam multa? Ita voco, quæ nil verisimile habent. Tale est, Soficlem Menæchmum, qui veniret è Sicilia, surreptum item, qui in Illyria jam habitaret, habitu, eodem tempore, ita simili fuisse, ut dignosci à spectatoribus non possent; cum nil simile haberent istæ gentes. Quod vitium, ne à chorago quidem emendari potest. Nam Mercurius, Amphitryone; & Jupiter, Dii sunt: quibus omnia concedi, etiam hîc, solent. quare incurrere τὸ ἄλογον non possunt. Ubi enim Dii agunt, cessat ratio. Quidvis enim posse eos, nemo est qui non intelligat. In Terentio, cui soli artem Flaccus noster assignavit, nihil tale. Omnia cum judicio, cum ratione, circumspicte, ex arte, & cum cura. Nam & Fabulæ insignem fere cum agnitione mutationem habent: quas inter τὰς μὴ ἀσπλάγξαις sive πικρὰς λέξεις, esse perfectissimas necesse est, qualis & in reliqua ubique dispositione est. Quod ad dictionem autem, quis negabit quædam esse in Plauto, quæ nec locum extra scenam, neque usum nisi inter histriones habent: unde solo & exiguo theatri ambitu circumscribuntur? Nam & ἀγανιστικὸν in foro, neque minus γραφικόν, sive usitatum in scribendo characterem, longe excedunt. quo ubique Nova, & jam emendata,

PROLEGOMENA TERENTIANA.

respicit Comœdia. Quare Varro cum sermonis laudem illi tribuit, idem quod ubique in scriptis, quanti faceret antiquitatem, proficitur: ut qui τὰ ἀρχαῖα, quæ in Plauto partim ævum quo hæc scripsit, partim quæ plerisque placet, ipsa desita Antiquitas commendat. Unde & ipse qui sic judicavit ut nimium antiquitatis in scribendo studiosus, neque satis ævi sui memor, Varro ab antiquis Criticis notatur. Qui cum sentiant sic judicentque; nobis qui ab illis merito pendemus, equidem tacendum reor. Autor de causis eloquentiæ corruptæ: *Neminem nominabo, genus hominum signasse contentus: sed vobis utique versantur ante oculos, qui Lucilium pro Horatio, & Lucretium pro Virgilio legunt, quibus eloquentia tui Ausidii Bassi, aut Servili Noviani, ex comparatione Sisennæ aut Varronis, sordet.* quod ex vocibus antiquis patet, quas ex libris ejus Critici legerunt, cum non pauca alia ex scriptis ejus peti possint. Ideoque Cicero, qui de ætatis suæ & sermone & venustate maxima cum cura judicabat, laudem hanc Terentio cessisse merito pronunciat. Sic enim ad Atticum: *Secutus sum, non dico Cæcilium; Mane ut ex portu in Pireæum: malus enim Latinitatis autor est: sed Terentium, cujus fabelle propter elegantiam sermonis, putabantur à Lælio scribi:*

Hæc aliquot adolescentuli coimus in Pireæum.

Et Servius, proprietate cæteris præpositum hunc notat. Idem de sententiis, quas ἄγνοιας vocant, judicari potest. omnes enim fere Plauti & Σουίτου sunt; & ab usu alienæ, quales passim habet. Inprimis cum philosophatur: ἢ γνώσιον. Ut ecce:

Insanum est malum, in hospitium divorti ad Cupidinem. vere scenicum & illud:

Et postremo, nisi me auscultas, atque hoc, ut dico, facis,

Tute pone te; latebis facile, ne inveniat te honor.

Et quis illud extra scenam usurpare auit?

Benefacta benefactis aliis perlegito, ne perpluant.

Quare nunquam effugient quin sint inepti, qui hæc & alia id genus, ad serium dicendi genus transferunt. Consequuntur enim, quod non vident, ut inviti risum moveant. quod non pauci hodie in scriptis maximo molimine à Lectore impetrant. Sequitur τὸ ἦθος, quod, ut docet Aristoteles, in oratione, uniuscujusque institutum indicat & voluntatem. Quodin singulis repræsentare, nisi viri aut prudentis aut philosophi, nullius est. Nam quemadmodum è singulis experientia, ita nemo singulorum mores sine hac exprimit. Quare omnium accuratissime & optime, quid sit facere ut sit. ἢ δὲ ἡδὲ oratio, Philosophus ostendit: quod vel solum tanti est, ut nihil minus nonnulli, qui ad Rhetoricarum suarum leges, magnorum quoque & sublimium ingeniorum orationes exigere audent, hac in parte videant: in qua, ad ipsius quoque antiquitatis stuporem, Afer iste regnat. Recte ergo Varro: *In argumentis Cæcilium poscit palmam, in ethesi Terentius.* Significat enim, Cæcilium εὐρητικόν,

PROLEGOMENA TERENTIANA.

εὐρητικόν, aut potius εὐοικονόμητον fuisse: quemadmodum ἀνοικονόμητος nonnunquam præ reliquis videtur Plautus. cui sermonis idem assignavit laudem. Quod, si quicquam sapimus, Terentium est Plauto præferre. Ut cum eum, qui excellit in majori, magis quam qui in minori, dicimus excellere. Neque causa fuit alia, quare, quod observant veteres, idem Varro, etiam Menandro, in quibusdam prætulit Terentium. Exempli causa, Adelphorum initio. Neque immerito. Mirifice enim, cum alibi, tum ibi regnat τὸ ἦθος. Idem Varro, cum Tragœdiæ, Comœdiæ, ac Satyræ effingat formas, quid de nostro judicet, diferte expressit. Ubertatem enim tribuit Tragœdiæ, quam dat Pacuvio: gracilitatem Satyræ, quam tribuit Lucilio: mediocritatem vero Comœdiæ, quam dat Terentio. Ut si quis uberrimo sermonis genere heroicum definiat poëtam: & hoc tribuat Virgilio. Aulus Gellius lib.7. cap.13. *Vera autem & propria ejusmodi formarum exempla, in lingua Latina, M. Varro esse dicit, ubertatis Pacuvium, gracilitatis Lucilium, mediocritatis Terentium.* Quæ est de Comœdiæ, quemadmodum in scholis loquimur, essentia. Cum Plautus sæpe Tragico, nonnunquam quoque serio, utatur. Quanquam ibi sane sermo, ut priore loco à Varrone accipitur. Sermo enim & τὸ ἦθος differunt, ut homo prudentissimus, & fœmina quæ pure loquitur. Qualis dicitur Gracchorum mater. Unumquemque enim recte exprimere, & humanam optime delineare vitam, summus atque extremus viri atque autoris maximi conatus est. Recte Grammatici ad Sophoclem: Ἔστι δὲ τὸ μέγιστον ἐν ποιητικῇ, διὰ τὸν ἦθος. *Est autem illud maximum in poëtica, exprimere ethos.* Debat addidisse, in Dramatica præsertim. Et Horatius tam multis, vitam Tragœdiæ τὸ ἦθος esse docuit. Aristoteles vero, etiam in Tragœdia, post Actionem, (quam Fabulam plerunque vocat) quæ essentia pars prima, partem essentia secundam constituit, τὸ ἦθος. Mirum est autem, locum Varronis à nemine intellectum. Qui cum palmam in argumentis Cæcilio concedit, principem Comœdiæ haud dubio Cæcilium constituit. Quare? Pars Tragœdiæ præcipua, est Argumentum. Aristoteles modo μῦθον, modo τῆς πρὸς μίμικτον συνέθεσιν, vocare solet: qui & multis probar, eum qui hac parte excellit, etiam si cæteris destituitur, Dramaticum poëtam dici posse. Pars secunda est τὸ ἦθος, quod cum Terentio assignat Varro, locum illi proximum concedit. Quod non potest ignorare, qui antiquos Criticos, inprimis autem Aristotelem, cum cura legit, ac intelligit. Sermone enim laus, quam Plauto tribui ab eo volunt, tantum abest ut cum reliquis conferri possit, ut postremo loco, & post τὸ δίδουσαν, ponatur. Quare ex sententia Varronis, qui hic Aristotelem expressit, primus est Cæcilium, secundus est Terentius: quos deinde Plautus sequitur. Quod debebat cogitasse Siren ævi nostri Justus Lipsius: qui profecto locum summi Romanorum Critici non penetravit. τὸ ἦθος autem Plauto Horatius abjudicat, cum inquit,

aspice Plautus

PROLEGOMENA TERENTIANA.

Quo pacto partes tutetur amantis ephēbi.

Et videtur Charinum habuisse in animo : qui Mercatore , τὸ μαρικὸν καὶ τὸ ἐρωτικὸν confundit ἡδὼς. hoc est , ita amat , ut Menæchmus furit. Furere autem præ amore , Comœdiæ non ἡδὼς , sed Tragœdiæ est πῆδος : ut ex Phædra aliisque patet. Quare ? quia πῆδος aliquod immane expectatur , quod Tragœdiam constituit , ut μεταβολῆς conveniat furenti. Sed hæc triviales non intelligunt : qui summum virum Aristotelem tam facile contemnunt , quam nos & judicia illorum & magistrōs merito contemnimus , quibus persuasum est , omnem veram eruditionem ex hoc uno fonte limpidissimo petendam. Charinus autem Plauti , ad frigiditatem usque calet , quam non potuit vitare. Qualia sunt ista , Scena Divinam atque hominum :

— jam Cyprum veni , &c.

Item ,

Porro proficiscor quesitum. nunc perveni Chalcidem.

Video ibi hospitem Zacyntho. dico quid eo advenerim :

Rogito quis eam vexerit , quis habeat , si inaudiverit.

Hospes respondit , Zacyntho fides fieri non malas.

Vides hominem tam tristem , ut festivus esse quærat. At divinus hac in parte , duos amatores in Eunuchō , suo more , Phædriam & Chæream , divinitus utrumque , ἡδὼσι. Quare cum poëtæ omnes , quorum imitatione constat institutum ac consilium , pictorum instar , teste Criticorum Rege ac Principe , aut similes , aut (quod non raro evenit , vel imperite καὶ ἡ ἀδελφείας , vel captandi risus causa) nunc pejores quam sunt , expriment , nunc meliores , servos pejores Plautus , ut plurimum , Terentius hos semper similes , non meliores ; meretrices vero partim similes , partim meliores aliquando introducit. Similes , ut Thaidem : meliores , ut Bacchidem. Parasitos semper deteriores & voraciores Plautus , nunquam meliores. ut & Dossennus , qui hos solos propemodum curabat , in personis reliquis ἐπιπέλων. Phormio Terentianus plane est admirandus : ut & Gnatho. Plautini quia risum quærent , veritatem & sermone & sententiis amittunt. Tres virtutes enim sermo , quem non sine causa ἡδὼσι dixerunt Græci , nos Moratum dicimus , Æquitatem nempe , Veritatem & Simpliciter , postulat : quæ τὸ ἐνδιδάσκον , hoc est , id quod unicuique est insitum , ob oculos proponit. cum ridiculum , ut violentum , quia à natura alienum , quod recte de eo Aristoteles pronuntiat , corruptum sit , & à corruptis causis , quod jam dixi , moveatur. Moratum quia simile est naturæ , leniter deletat : quod atatum singularum , hominum , ac nationum , totiusque vitæ , simulacrum quoddam ac imaginem , in scena repræsentat. Plane ut pictura quæ à vero abit , & vel cubitalem nasum , vel distortum os facere repræsentat , risum movet : similis deletat. Atque hoc est quod omnes tribuunt Menandro , quem Terentius expressit. Ut Hermogenes : πᾶσι τὸ ἀπὸ Μενάνδρου ἀπὸ μὲν ἀλλοῖς τοιαῦτα καὶ γυναικῶν λεγούσας , καὶ νεανίσκους

PROLEGOMENA TERENTIANA.

ἐρωτικῶν , καὶ μαζείων , καὶ παρθενῶν ἀρτυροποιῶν , καὶ πῶς ἄλλας ἄλλως τε δὲ τὸ ὑπερίπλητον τὸ ἡδὼσι λόγῳ καὶ τῆς ὁμοίῳ , πῶς τε πάντα ἢ τὰ πλεῖστα ἀπὸ τῆς ὑποκειμένη τῆς ἀφελείας δέ. Quemadmodum Hieronymus Menandrum & Terentium , cum maximo iudicio , conjungit. Ad Paulinum enim : Poëta emulentur Homerum , Virgilium , Menandrum , Terentium. Audi orationem patris irati. Heaut. Act. 5. Scena Si unquam.

— non si ex capite sis meo

Natus , itidem ut ajunt Minervam esse ex Jove , ea causa magis Patriar , Clitipho , flagitiis tuis me infamem fieri.

Et quæ sequuntur. Audi mitis viri potius quam boni.

Auscultra. ne me obtundas de hac re sapius.

Tuum filium dedisti adoptandum mihi.

Is meus est factus. si quid peccat , Demea ,

Mihi peccat : ego illi maxumam partem feram.

Opsonat , potat , olet unguenta de meo.

Amat ? dabitur à me argentum , dum erit commodum :

Vbi non erit , fortasse excludetur foras.

Foras effregit ? restituentur. discidit

Vestem ? resarciatur. est , Dis gratia ,

Et unde hæc fiant , & adhuc non molesta sunt.

Et divina illa.

— credo hercle : nam ingenium novi tuum

Liberale. sed vereor ne indiligens nimium sis.

In qua civitate tandem arbitrare te vivere ?

Et quæ sine motu animi & suavissima voluptate legi non possunt. Hecyra :

— odiosa hæc est ætas adolescentulis :

E medio æquum excedere est. postremo jam nos fabula

Sumus , Pamphile , senex atque anus.

Et cætera : pluscula sunt enim. Quis cum illa Phormione legit , non uxorem honestam adulteri agnoscit ?

— an quidquam hodie est factum indignius ,

Qui mihi , ubi ad uxores ventum est , tum sunt senes.

Hæcine erant itiones crebra , & mansiones diutina ,

Lemni ? hæcine erat quæ nostros fructus minuebat calamitas ?

Quid ? ego æquo animo cupio misera in hac re defungier.

Sed quid sperem ? ætate porro minus peccaturum putem ?

Fam tum erat senex , senectus si verecundos facit ,

An mea forma atque ætas jam magis expetenda est , Demipho ?

Quid mihi nunc adfers , quamobrem expectem , aut sperem porro non fore ?

Et quandoquidem simplicitas , maxima moratæ orationis virtus , si intendatur , suavitatem parit ; nemo sine incredibili ac summa voluptate illud Bacchidis leget ;

PROLEGOMENA TERENTIANA.

— recte amasti, Pamphile,

Vxorem tuam: nam nunquam ante hanc diem meis oculis eam,
quod nossem, videram.

Perliberalis visa est.

Ideoque fabulæ Terentianæ, doctiorem histrionem, quam reliquorum, desiderabant. Semper enim quæ morata est oratio, τῆ ὑποκρίσει fulcienda. Nam quæ moribus affectibusque destituitur, teste Philosopho, est αὐτοπόνητος. neque ulla fere apud eum syllaba extat, quæ non animi aut affectus alicujus sit index. Jam ut ad lepores, sales, gratias, & venustates veniamus; certum est, fere omnes eos tolli à ridiculo, non secus quam in vita ab excessu morum virtus, ab excessu apparatus, in scena tollitur voluptas. Quare Menandro ac Terentio lepores tribuunt antiqui, sales Plauto Horatius concedit: quos nonnunquam inurbanos esse notat. Audi Paterculum: dulcesque Latini lepore facetiæ per Cæciliam Terentiumque & Afranium, sub pari ætate floruerunt. Græci χέειρος & χαειρονομός vocant. Remissiores sunt enim, quam ut risum violenter moveant: circumspectiores, quam ut frigeant. Absurdum enim sæpe causa est risus, aut inusitatum. Contra autem sermo, qui & usitatus & moratus, quique leniter decorum servat, sicut eo ipso fit venustus & delectat, ita quidam eminere joci possunt. Qui quidem in hoc Afro, (nisi Lælio eos potius ac Scipioni tribuendos putes,) & Menandro, si judicium Horatii & antiquorum sequimur, ex eodem sale, è quo nata Venus est, deprompti videntur. Ecce statim Andria.

Act. 5. Scena Mitte.

— Dabo istuc dedam jam negoti. S. non potest.

P. Qui? S. quia habet aliud magis ex sese & majus. P. quidnam?
S. Vincit est.

P. Pater, non recte vincit est. S. hanc ita iussi.

Jam Gnathonem vide, qui cum putidos Thrasonis mores Phædræ ac Chæræ exposuisset, contra autem illi persuasisset, & jam gratias ineptus homo ac ridiculus haberet,

— bene fecisti: gratiam habeo maximam,

Nunquam etiam fui usquam, quin me omnes amarent plurimum; respondet ad utrumque conversus.

Dixin' ego in hoc inesse vobis Atticam elegantiam?

Certe tota scena tertiæ Actus in Adelphis, in qua luditur à Syro Demea, divina est. Qualia enim illa?

— mihi quidem non placent,

Et clamo sæpe. salsamenta hæc Stephano

Fac macerentur pulchre.

Plane enim præter expectationem omnia. Jam cum Vetus Comædia, nihil æque ac μαγισθία amet, quæ plerumque & acerba est, & extra scenam quaeritur, urbanissimus virorum rationem, qua ex actione ipsa parodiam, lepidam sane & venustam, peteret, invenit. Nam cum Demea dixisset,

PROLEGOMENA TERENTIANA.

— fit sedulo,

Nihil pratermitto, consuefacio: denique
Inspicere, tanquam in speculum, in vitas omnium
Jubeo, atque ex aliis sumere exemplum sibi.

Hoc facito,

& quæ sequuntur; Respondet Syrus,

Conservis ad eundem præcipio modum.

Hoc falsum 'st, hoc adustum 'st, hoc lautum 'st parum.

Illud recte: iterum sic memento: sedulo

Moneo, quæ possum, pro mea sapientia.

Postremo tanquam in speculum in patinas Demea

Inspicere jubeo: & moneo, quid facto usus sit.

Ita sane & Plato, & Xenophon, omnesque Socratici jocantur. nunquam frigide, nunquam obscæne, nunquam inepte, nunquam putide. Videamus jam Plautina quædam. Ac Plutarchus quidem illud tanquam frigidum ex Aristophanis Thesmophoriazuzis de Euripidis matre adducit,

Ἀγεία γδ' ἡμεῖς, ὃ γυναῖκες δεῖα κερῶ,

Ἄτ' ἐν ἀγροῖσι λαχίσις ἀπὸς τραφίς.

Cui illud, quamvis non in simili omnino genere, adjungas licet,

Nam mulier olitori nunquam supplicat, si quæ est mala:

Domi habet hortum & condimenta ad omnes mores maleficos.

Rhetores σοφιστῶν, sive theatrale, vocarent. Ridiculum enim potius quam festivum est: & ut fit festivum, nemo, vere in his subactus dixerit venustum esse. Ab usu enim quam longissime remotum est. Jam vero, cum in verbis frigidum aut in rebus; de verbis Aristoteles, de rebus alii egerunt. Frigidum autem jam vocamus, non magniloquentiæ vicinum illud vitium, (quanquam illud quoque habere hic locum potest) quod discedere ab urbanitate dicitur. Quod, ut nonnihil à dicendi hic magistris abeamus, modis fit pluribus. Vel in frigida translatione. Ut cum dentes calceari dicuntur. Capr.

Cum calceatis dentibus, veniam tamen.

Et cum victus, senteis esitare, & scruposam viam commcare, dicitur. quæ sane frigent. Vel in minimis allusiunculis & longe petitis. Ut Pænulo:

MI. Assum apud te eccum. A G. At ego elixus sis volo.

& quod illi placuit non semel:

— magis calleo quam aprugnum callum callat.

Item,

— callum aprugnum æque callere non sinam.

Et,

Quanta sumini absumedo, quanta callo calamitas!

Et, Curcul.

— facite ventum, ut gaudeam.

PROLEGOMENA TERENTIANA.

PH. *Maxime.* CU. *Quid facitis? quæso.* PH. *ventum.* CU. *nolo equidem mihi*

Fieri ventulum. PH. *quid igitur vis?* CU. *esse, ut ventum gaudeam.* Quas cum Grammatici Latini, qui citius cœlum digito, ut ita loquar, expugnassent, quam ut minimam Horatii Oden expressissent, Morologias in Plauto dixerint, nondum video, quare Horatio, ut summo maximoque Poëtæ, ita Critico incomparabili, quem acutum doctumque virum ipse D. Hieronymus ad Pammachium vocavit, idem non liceat. Ejus sane generis sunt, quæ in Aristophane accusat, quæque trivialia potius, quam ut viris eruditis, etiam in scena, placere aut debeant aut possint, accuratus censor Plutarchus judicavit. *Καὶ γὰρ ὁ μὲν ἀπαιδευτός ἢ ἰδιώτης οἷς ἐκείνος λέγει, ἀλίσιμα· ὁ δὲ πεπαιδευμένος διαφρονεῖ· λέγει δὲ τὰ ἀπίθητα, ἢ ὁμοιόπρωτα, ἢ παρενομασίαι· τοῦτοις γὰρ ὁ μὲν μὴ τὸ προσήκοντος λόγου ἢ ὀλιγάκις χεῖρ, ἑπιμελείας ἀπὸ ἀξιοῦν· ὁ δὲ πολλὰκις, ἢ ἐν ἐλαφροῖς, ἢ ψυχράς.* Et adducit exemplum: ut cum, τὸν τωμίαν, λαμίαν vocat. Nam quæ ille de Menandro, ad Terentium fere omnia referri possunt. In quo nihil putidum est aut ineptum. Quamquam multa quæ notavit, potius Antiqui Comici virtutes, quam illius de quo ibi judicavit, vitia censenda sunt. Princeps enim inter illos fuit, & ad leges eas plane se composuit. Quod de Plauto nemo dicit. Est & frigidum, quod longe ab eo abest, quod aut esse aut posse fieri putatur. *Quale est, pugno frangere elephantum brachium, horiola in cœlum pervenire.* Est & frigidum, cum ita à familiari sermone oratio recedit, ut ad usum amplius transferri nequeat. Tale est illud ibidem:

*Si ante lucem ire occipias à meo primo nomine,
Concubium sit noctis, priusquam ad postremum perveneris.*

Crescit tamen frigidum, cum addit alter,

Opus face est & viatico ad tuum nomen, ut tu pradicas. Quæ si pedem unum extra scenam feras: protinus putiscent: neque ad usum applicari poterunt. Qualia nec Scipio nec Lælius, flos nobilitatis, vel in scena approbassent. Plutarchus certe, extra liberalium theatra ac doctorum, libere relegat. Ridiculi enim ac inepti sunt, qui plebeis tantum sciibi Comœdiam existimant, cum non minus eruditis scribatur. Quod & Flaccus scivit: qui non sine causa,

*Creditur, ex medio quia res arcessit, habere
Sudoris minimum; sed habet Comœdia tanto
Plus oneris, quamd venie minus.*

deinde autem Plauti & Dosseni utitur exemplo, quos securos de judiciis doctorum ait. Et hæc ad divinum, ut jam dixi, ac subactum in his Principem, cujus nec judicium nec cæterorum ignorare ea tempestate potuit. & cujus judicium vereri debuisset, nisi idem aliorum fuisset. Jam illa Epicharmi imitatio, ut festivissima, ita, si sit frequens, frigore non caret. quæ fit, cum vel salsa opponuntur, aut subiectum idem est cum prædicato. Ut cum Epicharmus dixit:

PROLEGOMENA TERENTIANA.

*Τὸν μὲν ἐν τήναις ἐγὼ εἶμι, τὸν δὲ παρὰ τήναις,
Tunc inter illos ego eram, tunc apud illos.*

Bis enim idem dicit. quæ est fraus in verbis præter expectationem. Idem autem est cum prædicato subiectum: ut in illis Curcul. Act. 4. Scena 4.

Quoi homini Dii sunt propitii, ei non esse iratos puto.

Sticho:

E malis multis, malum quod minimum est, id minimum est malum.

Captivis:

*Hos quos videtis stare captivos duos,
Hi stant, non sedent.*

quæ jam docti collegerunt. Unde & istam summi Critici censuram meruit:

*Plautus ad exemplar Siculi properare Epicharmi
Dicitur.*

Quamquam sane, alibi non invenuste iis usus est. Quæ Menander tamen, & imago ejus, de quo nunc agitur, Terentius, tanquam cum periculo conjuncta, serio fugerunt. Hæc pro viro maximo Horatio; neque adversus Plautum dicta sunt, quem amamus, suspicimus, diligimus, ac veneramus. Verum, ut judicium sic acuamus. simul ut acuti isti, quod videntur sibi, ita facetissimum scriptorem ament, legant, tractent, atque ediscant (quod & recte & ordine ab iis fieri fatemur: neque enim satis commendari potest) ut nec plane & ubique veteribus probasse se meminerint; &, quod hic præcipue spectamus, de Horatio ejusque crisi, minus libere loquantur: Terentii autem miram, ac prope ineffabilem amœnitatem, elegantiam, judicium, ac venustatem, intelligere paulatim discant. Cujus incredibiles lepores, ut Josephus Scaliger dicebat olim, vix centesimus eruditorum quisque videt. Ne cum illo simul & Afranium, antiquum Comicum, condemnent, cujus verissimum atque absolutum extat judicium,

Terentio non similem dices quempiam.

Nobis eruditi ignoscent, quod hæc fusius: si cogitent præfertim, minus veri Critici esse ac censoris, non literulam ejicere alibi, aut innocentem syllabam damnare, vocem tollere alibi aut emendare, sed sincere de autoribus, ac rebus judicare: quod & solidæ & absolutæ eruditionis est. Quo, ni fallor, omnes aspiramus. neque ulla in re magis antiquitas prævit nobis. De autoribus autem Comicis, uter melius judicare potuerit, is ne qui ætate illa vixit, quo ad summum culmen poësis pervenit, qui Poëta summus, summus Criticus, familiariter cum Cæsare Augusto ac Mæcenate vixit, eorumque atque aliorum quotidie de his judicia audivit; an qui hodie harum rerum plane imperiti judicant; ipsi viderint.

PROLEGOMENA TERENTIANA.

Idem lib. De Constitutione Tragœdiæ ; ubi de morato agitur sermone.

*L*onge autem omnibus palmam in hac parte Terentius præripuit. Cuius sine summa voluptate, moratum nec legere nec recordari possumus sermonem. Sane præ reliquis scriptoribus decorum intellexit: ac pene solus quæ ab Aristotele Rhetoricorum secundo de moribus præclare observata sunt, divinitus expressit; veræ Musarum delicia, & scenæ voluptas. A cuius elegantia, venustate, lepore, venere, quo quis longius abest, eo minus cum urbanitate commercii habet. Quod ubique vir emuncta navis Horatius inculcat: & quod optime hac ætate Scæliger noster, ante hunc Erasmus; ante utrumque Varro intellexit. qui, in argumentis Cæcilius palmam poscit, in ethesin Terentius, in sermonibus Plautus. Argumentum est Fabula. Hæc laus prima est. Secundum sunt Mores. Hæc secunda est. Postremum est Sermo. Hæc postrema est. Quanquam cur sermonem præferret Plautinum Varro, alibi nobis dictum est: cum ut nimius sermonis præsci suo tempore amator, ab antiquis notetur. Qui pro argumentis, pathesi legerunt, quia laus hæc à Charisio peculiariter Cæcilio tribuitur; neque intellexerunt, quid esset argumentum, neque eundem in utroque simul posse laudari. Ecce mores mitis viri:

— credo, hercule. nam ingenium tuum novi
Liberale; sed vereor, ne indiligens nimium fies.

Arcundi,

Hei mihi, quid faciam? quid agam, quid clamem, aut querar?

O cœlum! ô terra! ô maria Neptuni!

Adolescentis, qui in prospera fortuna,

Jamne erumpere hoc licet mihi gaudium? pro Jupiter!

Nunc est profecto, interfici cum perperi me possum,

Ne hoc gaudium contaminet vita ægritudine.

Senis qui in adversa versatur,

Quid hoc (malum) infelicitatis, nequeo satis decernere,

Nisi me credo huic esse natum rei, ferendis miseriis.

Primus sentio mala nostra: primus rescisco omnia:

Primus porro obnuntio. ægre solus, si quid fiet, fero.

Fœmine honesta, quæ adulterii maritum convincit:

— an quidquam hodie est factum indignius?

Qui mihi ubi ad uxores ventum est, tum fiunt fenes.

Et quæ sequuntur. Vides sermones, qui, quod eleganter sint morati, intimos sensus pertentant. Hoc interest, quod pro personarum ratione, quibus gravioribus Tragœdia utitur, isti quoque variant.



PETITUS

PROLEGOMENA TERENTIANA.

PETITUS
DE ORDINE COMOEDIARUM
PUBL. TERENTII.

OMNIA non sunt plana atque liquida. Primam omnium ANDRIAM esse, liquet ex Donato Præfatione in Andriam. Hæc prima acta est Ludis Megalensibus, &c. Suetonius Tranquillus in vita Terentii: Scripsit Comœdias sex, ex quibus primam Andriam, cum Ædilibus daret. Quod & testantur hi versus in Andriæ Prologo:

Favete, adeste, æquo animo, & rem cognoscite:

Vt pernoscat, & quid spei sit reliquum:

Posthac quas faciet de integro comœdias,

Spestanda, an exigenda sint vobis prius.

Editam testantur cum Didascalix, tum Suetonius, M. Marcello, Cn. Sulpitio Coss. hoc est, Anno ab urbe condita DLXXXVIII.

HECYRA semel atque iterum exacta, tertio stetit; unde factum, ut quo loco edita primum sit à Terentio, non ex vero proditum sit à Donato Præfatione in hanc Comœdiam: Factaque & edita quinto loco, Cn. Octavio & T. Manlio Coss. Atqui si facta editaque est Cn. Octavio, T. Manlio Coss. non igitur quinto loco: nam Cn. Octavio & T. Manlio Consules fuerunt Anno ab urbe cond. DLXXXVIII. Ergo facta est post Andriam, quam edidit Terentius anno proximo præcedenti; proinde Hecyra secunda est, ordine fabularum, quas fecit Terentius.

Tertia fuit HEAUTONTIMORUMENOS, ut constat ex Didascalix quæ in fronte illius leguntur, in hæc verba: Acta tertia, M. Juventio, M. Sempronio Coss. Qui consules fuerunt Anno ab urbe cond. DXXI.

Sequitur quarta PHORMIO, de qua Didascalix: facta est IV. C. Fannio, M. Valerio Coss. Quod etiam testatur Donatus, Præfatione in hanc fabulam: Editæ est quarto loco M. Valerio, & C. Fannio Coss. Post Phormionem quinta est edita EUNUCHUS, iisdem Coss. iisdem Ædilibus, habes id ex Didascalix, & Donati Præfatione in hanc fabulam: Anno nimirum ab V. C. DXXIII.

Bis eodem die producta in scenam, tertium denique acta: pretium octo millibus sestertium, numeratum est Poëtæ.

A DELPHOE sexta est Comœdia à Terentio facta, eaque edita est Lucio Anicio, M. Cornelio Coss. hoc est, Anno ab V. C. DXXIV. Ludis funebribus L. Æmilij Pauli. ut habes in Didascalix. Iisdem Ludis funebribus relata est Hecyra, sed non placuit, ut est in Didascalix. Prius

t

PROLEGOMENA TERENTIANA.

tamen in scenam producta est Hecyra quam Adelpheæ, ut colligo ex *Donato*, qui dicit: *Factam & editam quinto loco*. Male, ut audivimus: nisi perinde habueris primam illius editionem, Cn. Octavio, T. Manlio Coss. quasi omnino edita non esset, cum neque spectata neque acta tunc sit: neque tum male dices quinto loco, cum producta est his Ludis funebribus Æmylii Pauli ante Adelpheæ. Quare audiendus non est *Donatus*, qui eam *secundo loco actam dicit*, *etiam tum radi nomine Poëta, itaque sic pronuntiatum*, ADELPHOE TERENTII, non TERENTII ADELPHOE. quod adhuc de fabula magis nomine Poëta; quam de Poëta nomine fabula commendaretur. Quæ futilis argumentatio est: nam nulla fabularum Terentii pronuntiata est TERENTII, exempli gratia, PHORMIO, HEAUTONTIMORUMENOS, antequàm tertium edoceret Eunucho. Idque observat *Donatus* Præfatione in Eunucho, tertium editam fuisse post Adelphorum editionem.

ARGUMENTA
PHILIPPI MELANCHTHONIS
IN PUBLII TERENTII COMOEDIAS.

IN ANDRIAM.

NULLUS est omnino scriptor in Latina lingua, quem tantopere cognosci, ediscique retulerit, atque Terentium. Nam cum prima virtus in oratione sit propriè loqui, nec proprii sermonis artificem meliorem Terentio habeamus, dignus planè est, in quo perdiscendo plurimum operæ ac studii ponamus. Et ab iis qui docent pueros, superstiosam etiam diligentiam in hoc authore enarrando requiro. Primum prodest monere, quæ comædiæ natura sit, quidve spectarint comædiarum Authores: nomen unde factum sit. Atque hæc quidem *Donatus* copiosè exposuit. Convenit autem inter omnes, Authores comædiarum voluisse & communium morum & casuum exempla proponere: quibus velut admoniti, prudentiùs judicemus de rebus humanis, & genere orationis facundiam locupletare. Quæ inculcabunt professores eò diligentius, ut sciant pueri, quid ex illis petere debeant, quem fructum facturi sint legendis Comædiis. Nam quò propius cognorint & vim literarum, & utilitatem, eò impensius juvat discere. Porro nomen comædia, factum est, ut plurimi dicunt, *ἀπὸ τῆς κωμῆς*, id est, à comessatione, & *ἀπὸ τῆς ὠδῆς*, id est, à carmine: ut sit convivale carmen. Nam in conviviis primùm jocosò quodam carmine, civium vitia juvenus liberiùs taxabat. Postea, ars accessit, & theatrorum consuetudo. Aristoteles *περὶ ποιητικῆς*, de nominis origine aliter sensit, nec piget

PROLEGOMENA TERENTIANA.

adscribere ejus verba: *ὡς κωμωδοὶ ἐκ ἀπὸ τῆς κωμῆς ἐκ λελθόντες, ὁμοίᾳ τῇ κτῆ κωμῆς πλὴν ἀπὸ τῆς κωμῆς ἐκ τῆς ὠδῆς*. Cætera *Donatus*. In recensendis argumentis fabularum, consilium Poëtæ summa cura exponendum est. Quarum personarum descriptiones in primis admirationem mereantur, in quibus locis plurimum commoretur Poëta, ubi plurimum nervorum, plurimum eloquentiæ ostendet: quos locos ita commendent pueris, ut & familiariter ament, & tanquam digitos suos norint. Et ob hanc causam fabularum omnium argumenta, veteri more, in *πρωτοῖσι*, *ἐπιπέτοι*, *κρίσι*, *ἐπιπέτοι*, partiantur, ut distributa faciliùs adsequatur juvenus. Ferè autem fabulæ continent periculum quoddam, nusquam enim consilio locus est, nisi in dubiis rebus. Neque verò aliud est Comædia, nisi humanorum consiliorum & eventuum imago quædam. In Andria periclitatur Pamphilus, ut Glycerio fidem promissam præstet, postquam patri per errorem pollicitus est, futurum se in ejus potestate, ac ducturum quam vellet. Estque hæc veluti *πίσις*, fabulæ. Consilia omnia, querelæ omnes, argumenta omnia huc referenda sunt. Et tota fabula similis est orationi generis suasorii. Nam variè de tota causa consultant senes, adolescentes, ac servi. Sed ut argumentum propius cernere queant pueri, ordine singulas partes referemus.

Periculum protasis.

Cum amaret Pamphilus Glycerium, eique fidem dedisset ducturum se esse uxorem, pater, qui amare filium compererat, consilium capere abstrahendi ejus à Glycerio, simulat se uxorem daturum, postulatque ut ne filius id recuset. Is cum & patrem vereretur, & Glycerium deserere parum pium judicaret, pendet animi, nec habet quò se vortat. Ibi Davus intelligens simulari rem à patre, consulit herili filio, ut polliceatur patri, se in ejus potestate futurum, periculi nihil esse, quandoquidem simulentur nuptiæ. filius obsequitur, quanquam ægrè pollicetur patri ducturum se quam vellet.

Epitasis.

Interea spargitur de Pamphili nuptiis rumor, resciscunt & mulierculæ, quibus cum Glycerio consuetudo erat. Et pater cum à filio quod voluerat extorcesset, non jam simulat rem; sed seriam fabulam orditur. Chremetem orat, ut gnatham det uxorem filio suo. facile impetrat. Hic de Pamphilo actum fuit. maturare nuptias pater studet, & filius pollicitus erat se in patris potestate futurum esse. Quæso, quomodo ex his turbis se explicet? quid faciat Pamphilus? Hic Davus, cujus imprudentiâ periculum contractum erat, cum dolus non successisset, Chremetem deterret à nuptiis, fidem faciens amari aliàm à Pamphilo.

Catastrophe.

At pater rem urget: & processisset, nisi casus qui sæpe plus valet quàm ratio, dubiis rebus opem atrulisset. Venit quispiam Crito, qui docet Glycerium Chremetis filiam esse, gratum omnibus nuntium. Nuptiæ ex sententia Pamphili conficiuntur. Vide ex quanto periculo, casu evaserit Pamphilus.

PROLEGOMENA TERENTIANA.

Est autem in more Terentio, in prima ferè scena longa narratione commemorare occasionem fabulæ: atque eius narrationes plurimi fecerunt veteres. Sic in Andria exponit Pamphili amores, & patris consilium, quo is filium à Glycerio divulsurus erat. In reliquis scenis pergit consilium exequi. Sunt aspersa narrationi illi primæ multa rhetorica ornamenta. Est enim mirabiliter aucta, commemoratione morum, studiorum, sodalitiis Pamphili, qua occasione Pamphilus deperire in Glycerium cœperit, ubi pater id primùm deprehenderit. Hæc accuratè expendit professor, & velim hîc immodicè etiam anxium esse *ἡ τὸ ἀνεπιεικὲς* interpretem. Est enim modis omnibus efficiendum, ut mirentur, ut ament hunc authorem pueri. Id ita fiet, si rectissimè intellexerint. Exigendum ab ipsis pueris, ut suo Marte, argumenta fabularum condant, ut locos aliquos retexant, & pluribus exponant, & tanquam ceram refingant: quæ exercitatio, præterquàm quòd familiarior hunc Poëtam facit, facundiam etiam alit. Finguntur hîc cordati senes, Davus veterator, honesta ac pia mente præditus adolescens Pamphilus. Verùm ut Pamphili ingenium rectiùs perspicere posset, & ut aliquanto plus in fabula turbæ esset, confertur cum eo Charinus Pamphili dissimillimus. nihil moderatum in hoc, nihil consilii: contra in illo moderatiora omnia penè, quàm vel ætas poscit, vel finit amor.

In primis mirentur eloquentiam Poëtæ in Pamphili querelis, in senis narrationibus, consultationibus, & objurgationibus. Ab his exemplis & verba, & figuras Latini sermonis, & dicendi rationem assuescant petere adolescentes: feliciter haud dubiè collocaturi operam, quàm si in terea, velut formicæ Indicæ, aurum conveherent.

IN EUNUCHVM.

COMŒDIÆ ut hominum vitam, casus, consilia imitentur, pericula continent, quòd & consiliis, & fortunæ, in periculis maxime locus est. Itaque cum discutere periculum ratione contendant personæ, finguntur varia consilia, in quibus alia fallunt, alia felicia sunt. Sæpe plus casus potest, quàm ratio. Dominatur ferè in rebus fortuna.

Superiori fabula proposuit modesti adolescentis exemplum: is de officio suo honestè consultat. Hîc nulla sunt honesta exempla, nullum honestum consilium. Nam meretricii amores describuntur: ut hoc exemplo cernant juvenes, tanquam in speculo, amentiam hujusmodi amatorum. Est autem duplex propemodum fabula. Propterea geminum argumentum recensio.

Primas Thraso in hac fabula tenet. Ei cum pollicita esset Thais, facturam se sui copiam dies aliquot, fallitur is tamen. eaque protasis fabulæ est. Cum Thrasone confertur Phædria: nisi enim rivalem haberet Thraso, nihil periclitaretur in amore.

Epitasis fabulæ est, cum minatur ille se oppugnaturum vi ædeis Thaidis.

PROLEGOMENA TERENTIANA.

Catastrophe ridicula est. Nam Thraso, jam fractus, precibus impetrat, ut aliqua saltem in parte apud Thaidem hæreat. Porro quia hæc fabula varia est, multumque habet turbarum, casu exoritur alius tumultus: vitiatur virgo, quam Thaidi miles donarat. Sed est læta ejus quoque periculi catastrophe. Nam uxor datur hæc adolescenti qui eam compresserat.

Ut Thrasonem ridiculum amatorem fingeret, addit Gnatonem qui ejus mores mirificè depingit, ut ardelionem agnoscas.

In superiori fabula plurimæ sunt consultationes, & tota ferè consistit in genere deliberativo. Hîc plus est exostulationum, & accusatorio seu judiciali generi similior est. Nullum autem vitæ genus est, ubi non plurimum Thrasonum reperias: neque ulli ferè rebus humanis perniciosiores sunt, quàm id genus, si contingat imperare. In templis, in aulis, in rebus publicis omnibus omnia miscent, ut emereantur vulgi plausum. Quare diligenter est intuenda, contemplandaque Thrasonis imago in hac fabula, ut discas, quàm sint inepti, quàm nihili ardeliones isti. Somnia verius hominum, quàm homines dicas. Refert autem conferre cum hac similes alicubi descriptiones: qualis est apud Martialem Artali, apud Catullum Suffeni, nec piget adscribere, ut ediscant pueri.

AD VARVM.

*Suffenus iste Vare, quem probè nosti,
Homo est venustus, & dicax, & urbanus.
Idemque longè plurimos facit versus:
Puto esse ego illi milia, aut decem, aut plura
Perscripta, nec sic, ut sit in palinxysto,
Relata: chartæ regia, novi libri,
Novi umbilici, lora rubra, membrana
Directa plumbo, & pumice omnia equata.
Hæc cum legas, tum bellus ille, & urbanus
Suffenus, unus caprimulgus, aut fossor
Rursus videtur: tantum abhoret ac nutat.
Hoc quid putemus esse? qui modò scurra,
Aut si quid hac re tristius videbatur,
Idem infaceto est infacetior rure.
Simul poemata attigit, neque idem unquam
Æquè est beatus, ac poema cum scribit:
Tam gaudet in se, tamque se ipse miratur.
Nimirum idem omnes fallimur: neque est quisquam,
Quem non in aliqua re videre Suffenum
Possis: suus cuique attributus est error,
Sed non videmus mantica quod in tergo est.*

PROLEGOMENA TERENTIANA.

IN ATTALUM.

*Declamas bellè , causas agis Attale bellè ,
Historias bellas , carmina bella facis :
Componis bellè mimos , epigrammata bellè :
Bellus grammaticus , bellus es astrologus :
Et bellè cantas , & saltas Attale bellè :
Bellus es arte lyra , bellus es arte pila.
Nil bene cum facias , facis attamen omnia bellè.
Vis dicam quid sis ? magnus es ardelio.*

IN HEAVTONTIMORVMENO N.

TANTA hujus fabulæ elegantia est, ut plerique à Lælio, quo illis temporibus Romæ nemo fuit elequentior, scriptam existimarint: & Poëta ipse testatur in hac puram esse orationem, quam laude nulla potest amplior excogitari. Quid est enim admirabilius, quàm sermo elegans & venustus? Neque prædicaturus hoc palàm fuerat Comicus, nisi novam, insignem, & penè divinam sermonis elegantiam esse judicasset. Depingit autem parentum vitia. Nam Menedem liberaliter amantem Cliniam justo inclementius tractat, adolescentem modestum & frugi. Quem postquam domo ejecit, victum jurgiis & contumeliis, multo impotentius desiderat. adeò multifariam hic peccat. Huic seni opponit Chremetem monitorem: sed quem postea videas multo plura quàm Menedemum peccare. Primum is nunquam olfecit perditè amare filium; & compilari se à scorto sumptuoso. Post ubi resciscit multo fert impotentius id mali, quàm illa solebat Menedemus: ut agnoscas ferè ita accidere, ut foris, non domi sapiamus.

Epitasis.

Porrò quia fingeat Poëta velut oculis captum Chremetem, qui insignia filii vitia non cernat, adducit patri ob oculos filii amicam: idque hinc periculi est, ne resciscat Chremes, Bacchidem filii amicam esse. Huc omnia consilia, omnes dolos servuli referemus. Et à Chremete prius argentum emungitur Bacchidi numerandum, quàm comperit filii rem agi. Fallitur autem, cum fingitur Bacchis esse Clinia. In prima fabulæ parte, ubi Menedemum confirmat Chremes, oratio est deliberativi, seu suasorii generis, qua hinc consolatur, erigit, monet animi ægrum vicinum. In reliqua fabulæ parte, quæ periculum continet, res omnis translatione rhetorica agitur: quia quæ ad Chremetis filium pertinent, omnia imputantur Menedemi gnato. In primis admirabilis est hic servulus, cujus callidissimis consiliis neutiquam respondent eventus. Nec vulgariter de suo consilio sibi ipse placet, cum ait: Hic me magnificè effero, &c. Est ea mirifica omnino imago humanorum & consiliorum & eventuum. Fallunt enim ferè astutissima consilia mortales: Sicut Ciceronem fefellit eventus belli, adversus Antonium suscepti. Extant exempla in historiis innumerabilia.

PROLEGOMENA TERENTIANA.

IN ADELPHOS.

Protasis.

ERIPUERAT Æschinus lenoni mulierculam, fratri gratificatus; qui illam amabat. Id postquam rescivit Demea, aspero & incommodo ingenio pater, de eo peccato cum Mitione, cui Æschinum dederat adoptandum, exposulat, queriturque ejus indulgentiâ corrumpi. Periclitantur itaque Æschinus & servuli, quomodo lenoni sati fiat, quomodo celetur, Demea ne Ctesiphonis peccatum resciscat. Neque enim tam ipse sibi, quàm frater curæ est.

Præterea amabat ingenuam quandam Æschinus, cui fidem dederat, uxorem se ducturum esse, quæ postquam raptam audivit psaltriam, graviter perturbata est, metuens ne desereretur. Habet hæc pars mira consilia, miras technas servi, quibus fallitur Demea.

Epitasis.

Resciscit Demea vitium oblatum esse ingenuæ ab Æschino, ea verò de re miram tragœdiam excitat. Magis commovetur, postquam deprehendit Ctesiphoni cum Psaltria rem esse. Miserè etiam angitur Æschinus, cum in discrimen venit ne uxore excidat.

Catastrophe.

Hæ turbæ omnes, prudentia, & mansuetudine Mitionis sedantur. Primas itaque in hac fabula senes habent. Confertur enim cum aspero & inclementi patre urbanus & comis pater. Et huc omnia spectant, ut appareat in re domestica, publica, commerciis hominum, ubique nullam esse neque utiliore, neque gratiores virtutes comitate. Constat autem hæc comœdia magna ex parte accusationibus & excusationibus: crebras habet querelas, & penè tragica *mœm*. Quare imprimis conducit ejus lectio ad locupletandam facundiam.

IN HECYRAM.

Protasis.

UXOREM duxit Pamphilus, cum Bacchidis meretriculæ amore tantopere teneretur, ut duobus mensibus uxorem ne attingeret quidem. Postea per consuetudinem animus victus est: cœpit placere uxor. Porrò cum ipse peregrè abesset, illa domum redit ad matrem, atque ibi parit mense septimo postquam nupisset Pamphilo. Eam rem celat & affines & patrem anus. Ubi Pamphilus redit, comperit peperisse. Hic graviter adeò commovetur, cum aliunde concepisse existimaret. Et cum per sese dolent res Pamphilo (amabat enim mulierculam) tum molestum est ab ea divelli: neque enim honestum erat reducere. Periclitatur itaque Pamphilus, quomodo honestè dimittat uxorem, néve illius peccatum proderet. Hæc fabulæ Protasis est.

Epitasis.

Instant pater & focer, inficii quid accidisset, ut domum reducat: præ-

PROLEGOMENA TERENCEIANA:

fertim cum nec socrus, nec mater, id quod senes falso suspicati fuerant, obstarent. Quanquam autem permoveri non posset Pamphilus ut reduceret, tamen causam constantissimè dissimulat. Itur eò, ut putent Bacchidis amore devinctum, alieno ab uxore animo esse.

Catastrophe.

Bacchis accersita, fidem facit nihil sibi cum Pamphilo rei esse. Hic autem prodendum peccatum uxoris fuit, aut reducenda: verum casu periculum discutitur. Fortè enim Philumenæ annulum socrus in digito Bacchidis conspexit, quem olim Pamphilus stupratæ in tenebris Philumenæ detraxerat. Is annulus testatur ex Pamphilo puerum susceptum esse. Ita redit in gratiam cum uxore Pamphilus. Jucunda est cum uxori- bus senum concertatio, quæ monet saepe errore & falsis suspicionibus fieri, ut dissentiant conjuges. In primis autem insignis est humanitas, & fides Pamphili in hac fabula.

IN PHORMIONEM.

Protasis.

CUM Antipho absente patre in puellam quandam unicè deperiret, nec posset ea potiri, nisi uxorem duceret, (erat enim civis Attica) fortè nuptiæ confectæ sunt technis sycophantæ cujusdam Phormionis. Is enim ex composito diem dicit Antiphoni, fingit puellam ei cognatam esse, neque quenquam alium propiorem cui nubat. Facile est vincere non repugnantem. Ita legibus ducere cogitur Antipho.

Epitasis.

Non probatur avaro patri, ubi rediit, factum: ut qui malebat filio opulentam aliquam & dotatam obtrudere. Quare cum Phormione ex- postulat, cur in has nuptias se absente filium conjecerit. Tandem pacif- citur etiam mercedem, minas triginta, si receperit ad sese puellam. Ibi verò & Antipho in discrimen venit, ne per eam conditionem, ipse uni- cè charam & jucundam conjugem amitteret.

Catastrophe.

Interea domum redit & patruus Antiphonis, hic fidem facit puellam Antiphoni nuptam, ex se in Lemno susceptam esse, ubi cum muliercula quadam consueverit: gaudetque ita casu cecidisse, se absente, ut is du- ceret, quem maximè ipse generum cuperet, & paulo antè ambibat. Ita fit ut & Antipho retineat uxorem, & nuptiæ patri probentur.

Secunda Catastrophes pars.

Porro triginta minæ quos ludos reddidere? Has extorserat Phormio, quanquam dissimularet dandas alteri adolescenti Phædræ, qui cytha- ristriam mercaretur: & jam perierat pecunia: quam cum reposcunt se- nes, sycophanta prodit Chremetem apud uxorem, & docet consueisse cum alia quadam peregrè, simulque impetrat, ut Phædræ id argen- tum condonetur. Estque ridicula admodum *κατασκευασμένη* pars, ubi mulier maritum objurgat, parùm memorem fidei suæ.

P. TERENCEII



P.

TERENTII

CARTHAGINIENSIS AFRI.


ANDRIA.

CUM INTERPRETATIONE

ET ANNOTATIONIBUS.

ACTA LUDIS MEGALENSIBUS, M. FULVIO ET M. GLABRIONE ÆDILIBUS CURULIBUS. EGERUNT L. AMBIVIVUS TURPIO, ET L. ATTILIUS PRÆNESTINUS. MODOS FECIT FLACCUS, CLAUDII FILIUS, TIBIIS PARIBUS, ET IMPARIBUS: DEXTRIS, ET SINISTRIS. ET EST TOTA GRÆCA. EDITA M. MARCELLO, ET C. SULPITIO CONSULIBUS. ANNO AB URBE CON- DITA DCLXXXVII. ANTE CHRISTUM NATUM CLXII.

ANNOTATIONES.



ANDRIA.] Hæc Comœ- dia prima Terentii nomi- natur Andria, ab Andro In- sula Maris Ægæi (l'Ar- chipelague) hodie Andrò. Ludis Megalensibus.] Ex- hibita in ludis Scenicis, Cybele magnæ Dcorum matri sacris, M. Fulvio, & M. Glabrione Ædilibus.] Ædiles erant Magistratus Romæ, ex eo dicti, quod ædes sacras, & privatas curabant; ut annonam quoque, & lu- dos & spectacula publica, quæ populo exhibebant: propterea Fabulas, Tra- gœdias, & Comœdias à Poëtis eme- bant, agique mandabant. Primò Ædi-

A

les ex plebe ereati sunt: deinde duo ex Patriciis adjuncti; qui Curules nominati sunt, quod honoris causâ, in Curiam curru veherentur: in quo sella eburnea erat imposita, in quâ confiderent.

Modo fecit Flaccus.] Id est, numeros composuit Canticorum, qui post singulos Actus canebantur, eosque distinguebant.

Tibiis paribus, & imparibus: dextris, & sinistris.] Tibiæ dextræ, & sinistrae dictæ sunt à lateribus unde inflarentur. Pares sunt dextræ, vel sinistrae; si solis dextris, vel solis sinistris caneretur: impares, si unâ dextrâ, alterâ sinistrâ: quæ impares dictæ sunt, quia ut numero foraminum, sic etiam sono differant. Nam dextra pauciora habebat foramina, ac proinde sonum gravio-rem: sinistra plura, idcirco sonus erat acutior. Quod si dextra, & sinistra jungerentur; sonus erat mixtus ex gravi, & acuto. Dextræ quoque Lydiæ dicebantur; sinistrae Sarranæ à Sarrâ, quæ aliter Tyrus dicta est, unde Sarranum

ostrum, pro Purpurâ Tyriâ. Dextra, & sinistra dictæ sunt Phrygiæ. Lydiæ conveniebant rebus gravibus; Sarranæ, sive sinistrae jocis. Phrygiæ adhibebantur, si jocis gravitas misceretur. Hæc fabula Andria acta fuit tibiis paribus partim solis dextris; partim solis sinistris: nec enim semper in tota fabula iisdem modis utebantur; sed sæpe eos mutabant: quod cum fiebat, adscribi solebat, M. M. C. hoc est, mutantur modi Cantici.

Et est tota Græca.] Id est argumenti Græci; nam in ea inducuntur Græci, cunctaque scribuntur secundum ritus Græcorum. Græcæ Comœdiæ dicuntur Palliatæ, ut Latinæ Togatæ: nam Græci super Tunicam Pallium inducebant; Latini verò Togam.

Edita M. Marcello.] Priscum quidem, & primum fuit institutum Romanorum, per annos Regum & Consulium, tempora notare: mos verò, numerare res gestas ab annis Urbis conditæ, serò coepit.

FABULÆ INTERLOCUTORES.

SIMO, senex, à simo naso nominatus. Simi iracundi.

SOSIA, Libertus. A σόζειν, servare, in bello servatus.

DAVUS, Servus: A patria. Davi enim iidem ac Daci.

MYSIS, Ancilla. A patria Myfia.

PAMPHILUS, adolescens. A τὸ πᾶν, & φίλος; omnium amicus.

CHARINUS, adolescens. A χάρις, gratiofus.

BYRRHIA, Servus. A πυρρός, rufus.

LESBIA, obstetrix. A Lesbo patria ferace vini suavissimi.

GLYCERIUM, amica Pamphili. A γλυκερός, dulcis.

CHREMES, senex. A χρέμπτειν, scire, quod senes scire soleant.

CRITO, hospes Andrius. A κριτής, iudex.

DROMO, Lorarius. A δρόμος, cursus.



ARGUMENTVM ANDRIÆ.

CHREMES Atheniensis profecturus in Asiam, commisit custodiae fratris sui Phaniæ Pasibulam filiolum suam. Postea Phania fugiens bellorum motus, quibus tunc Græcia ardebat, sequitur fratrem suum in Asiam; sed naufragio facto ad Andrum Insulam, ibi excipitur hospicio à quodam cive; & non ita multò post moritur. Civis hospes Pasibulam, orbam Phania patre, educat cum Chryside filiâ, eamque nominat Glycerium; tandemque ipse quoque decedit è vitâ. Chrysis verò inops, & à cognatis neglecta, Athenas navigat; abductâ secum Glycerio: ubi cum aliquandiu vitam tolerasset nendo lanam, & texendo relam, ad postremum, victa blandiciis, & promissis adolescentum, incepit facere quæstum corpore. Pamphilus autem Simonis filius inter ceteros ad eam ventitabat; isque amore Glycerii accensus, primus, solusque cum illa rem habuit, deditque fidem ex se gravidæ, se eam ducturum uxorem. Erat autem & Chremeti altera filia Philumena; hanc ille bonâ Pamphili impulsus famâ, spondet Simoni uxorem pro filio Pamphilo, ejus rei incio: & de communi senum sententiâ dies constituitur faciendis nuptiis. Interea Chrysis moritur, & Chremes cognoscit Pamphilum habere Glycerium (quam ignorabat esse filiam suam) loco uxoris. Quapropter negat se ei daturum filiam uxorem. Pamphilus ea re intellecta, gaudet summopere. Contra Simo pater ejus ingenti dolore afficitur: attamen eum dissimulat, fingitque se parare nuptias, quasi mox futuras, ut animum filii exploraret, velletne uxorem, an recusaret; hoc cogitans, se, si negaret, justam habiturum causam eum objurgandi, cogendique: quod si ei obsequeretur, se facile Chremetem placaturum, atque ita nuptias factum iri. Itaque præteriens apud forum, securo, & nihil tale metuenti filio; Pamphile! inquit, uxor hodie tibi ducenda est: abi domum, & para te. His verbis attonitus adolescens, quid faceret, aut consilij caperet nesciebat; verum Davus servus cognitâ Simonis mente, & astutiâ, persuadet Pamphilo ut patri dicat se paratum esse uxorem ducere: hac enim ratione, eum omnem præcisurum patri occasionem se objurgandi; nec tamen esse verendum, ne nuptiæ fiant; nunquam enim Chremetem ei semel repudiato filiam suam uxorem daturum. Verum longè res aliter evenere, Simo enim exorat Chremetem, & Pamphilus in verarum nuptiarum discrimen injicitur: at forte fortuna, eo ipso die Glycerium exactis mensibus peperit filium; quem Davus, ut impediret nuptias, apponit foribus Simonis. Chremes in eum incidit, & cognoscit natum esse ex Pamphilo: hanc ob rem eum generum rejicit. Inde turbæ maximæ concitantur; donec Crito Andrius, Chryside genere proximus, Athenas advenit, ad petendam ejus hereditatem. Ejus interventu Chremes agnoscit Glycerium, antea

dictam Pasibulam, esse suam filiam; quam vehementer amatam à Pamphilo, dat ei uxorem; & Philumenam alteram filiam collocat Charino sodali Pamphili. Itaque nuptiæ ingenti omnium lætitia celebrantur.

C.

SULPITII APOLLINARIS
PERIOCHA.

Sororem falsè creditam meretricule,
Genere Andriæ, Glycerium vitiat Pamphilus;
Gravidaque facta, dat fidem, uxorem sibi
Fore hanc: nam aliam pater ei desponderat
Gnatam Chremetis: atque ut amorem comperit,
Simulat futuras nuptias; cupiens, suus
Quid haberet animi filius, cognoscere.
Davi suasu non repugnat Pamphilus,
Sed ex Glycerio natum ut vidit puerulum
Chremes, recusat nuptias, generum abdicat:
Mox filiam Glycerium insperat agnitam
Dat Pamphilo hanc, aliam Charino conjugem.

INTERPRETATIO.


Pamphilus Simonis filius, pudicitia Glycerii, filia Chremetis, vitium offert. Hæc falsè credebatur soror Chrysidis meretricula ex Andro insulâ; quam Glycerium cum gravidam fecisset Pamphilus, dat ei fidem se hanc uxorem daturum: nam pater Simo illi desponderat aliam Chremetis filiam, nomine Philumenam: utque rescivit Simo filium captum esse amore Glycerii, fingit nuptias se illi parare mox faciendas, volens de-

prehendere animum Pamphili de uxore ducenda, ille suasu Davi servi, ait patri Simonis, se quam is dederit uxorem libenter accepturum: sed ut Chremes vidit puerulum natum esse ex Glycerio, Pamphilum generum rejicit, nuptias recusat: mox filiam Glycerium cum agnovisset præter spem, dat eam Pamphilo; aliam nomine Philumenam dat etiam uxorem Charino.

ANNOTATIONES.

Periocha est brevis explicatio rem comprehendens, à *περίοχος* comprehendere, complecti.

C. Sulpitii.] Sulpitius Apollinaris; ille est, qui à Gellio sæpe laudatus, Pertinacem Imperatorem literas docuit.



PROLOGUS.

PŌETĀ cūm primūm animum ad scribendum appulit;
Id sibi negotij credidit solum dari,
Populo ut placerent, quas fecisset fabulas.
Verūm aliter evenire multo intelligit:
Nam in prologis scribundis operam abutitur;
Non qui argumentum narret, sed qui malevoli
Veteris Poëtæ maledictis respondeat.
Nunc, quam rem vitio dent, quæso, animum advertite.
Menander fecit Andriam & Perinthiam:
Qui utramvis recte nôrit, ambas noverit.
Non ita sunt dissimili argumento, sed tamen
Dissimili oratione sunt factæ ac stylo.

INTERPRETATIO.

Cūm primum Terentius Poëta animum applicuit ad faciendas Comædias; credidit hunc sibi tantum laborem impeni, ut Comædia, quas fecisset, populum delectarent: verum animadvertit, multo aliter quam putaverat, evenire: nam in prologis scribendis, cogitur uti opera aliter atque convenit: cum argumentum fabula non exponat, sed respondeat criminationibus Lucii Lavintii veteris Poëta malevoli. Nunc autem animum attendite, de qua re adversarij hunc vituperent; Menander Poëta Comicus Græcus fecit Perinthiam, & Andriam Comædias. Qui unam earum noverit, ambas noverit; adeo simili sunt facta argumento, sed dissimili tamen sermone, & modo loquendi.

ANNOTATIONES.

Prologus est oratio, quæ ad spectantes, ante fabulam habetur: estque vel commendatitius, vel relativus, vel argumentativus, vel mixtus. Commendativus est, quo fabula, vel Poëta commendatur: relativus sive anaphoricus est, quo maledicta adversario, aut gratiæ populo referuntur: argumentativus, sive hypotheticus est, quo argumentum fabulæ narratur: mixtus est, qui plura horum, aut omnia in se continet. Hic Prologus est anaphoricus, sive relativus, defensionem Poëtæ adversus malevolorum accusationes suscipiens.

1. Appulit.] Appellere proprie est, ex alto mari in portum inveli: cui contrari umest solvere, cum funibus solutis, navis è portu discedit.

5. Operam abutitur.] Abutitur prologo Terentius, quoniam non explicat argumentum, quod vere prologi est officium; sed respondet malevolis, quibus facit invidiam.

Menander.] Fuit Poëta Græcus princeps novæ Comædiæ, de quo Ovidius lib. 1. Am.

Dum fallax servus, durus pater, improba lena
Vixerit, & meretrix blanda; Menander erit.

9. Ad ejus exemplum Terentius se composuit, idèò dimidiatus Menander à C. Cæsare nominatus fuit.

Perinthiam.] Perinthia Comædia Menandri dicta à Perintho urbe Thraciæ, quæ Pera est Volaterrano, Rodosto Beonio, Pantiro Castaldo.

- Quæ convenere, in Andriam ex Perinthia
 Fatetur transtulisse, atque usum pro suis.
- 15 Isti id vituperant factum, atque in eo disputant;
 Contaminari non decere fabulas.
 Faciunt nam intelligendo ut nihil intelligant:
 Qui cum hunc accusant, Nævium, Plautum, Ennium
 Accusant, quos hic noster Auctores habet:
- 20 Quorum æmulari exoptat negligentiam
 Potius, quam istorum obscuram diligentiam.
 Dehinc ut quiescant porro, moneo, & desinant
 Maledicere, malefacta ne noscant sua.
 Favete, adeste æquo animo, & rem cognoscite;

INTERPRETATIO.

Terentius fatetur quidem se transtulisse ex Perinthia; Comædia Græca Menandri, in suam Comædiam Andriam Latinam qua sibi commoda visa sunt, hisque usum tanquam sibi propriis. Hanc rem isti culpant: ideoque disputantes aiunt, indecorum esse fabulas Comicas corrumpi, alteram alteri immiscendo. Certe dum nimium intelligentes videri volunt, ostendunt se nihil intelligere: nam cum hunc Poëtam nostrum reprehendunt; etiam reprehendunt insignes Poëtas Latinos, Nævium, Plautum, Ennium; quorum auctoritatem Terentius sequitur; quorum imitari exoptat liberam, & negligentem similem in transferendo curam, potius, quam istorum servilem, & affectatam in reddendis verbis operam, pra nimia diligentia obscuram. Verum his denuncio, ut in posterum taceant quieti, & desinant maledicere, ne malefacta sua videant manifesta omnibus fieri. Vos quidem spectatores favete; adeste benevoli, & spectate attentè hanc Comædiam;

ANNOTATIONES.

In Andriam ex Perinthia transtulisse.] Donatus ait Terentium primam Scenam Perinthiæ Menandri, in suam Andriam transtulisse.
 Contaminari non decere fabulas.] Contaminari res dicitur, cum alteri rei ita immisceatur ut neutra incorrupta maneat. Livius lib. 4. contaminare sanguinem suum patres, confusaque jurgentium rebantur. Sic Lavinius vitio dabat, quod Terentius mutuabatur ex Menandro ea quæ in rem suam faciebant, & ex multis Comædiis unam faceret.

20. Quorum æmulari exoptat negligentiam.] Imitandi modus alius est servilis, alius verò ingenuus. Servilis ille est, cum quasi superstitione quadam, ab eo, quem imitandum nobis proposuimus, ne transversum quidem digi-

tum discedere audeamus: idcirco Horatius ait;

O imitatores servum pecus! ut mihi saepe Bilem, saepe jocum vestri movere tumultus!

Ingenua imitatio est, quando non verbum verbo reddimus; sed sic aliena tractamus, ut non pro alienis habeantur, sed agnoscantur pro nostris: unde Horatius in Arte:

Nec verbum verbo curabis reddere fidus Interpres.

Subaudiendum (ut). Quo loco non negat fidi esse Interpretis verbum verbo reddere; sed negat boni Imitatoris esse id facere, ut vult quoque Seneca Epist. 85. Similis debet esse imitator, quomodo filius; non quomodo imago. Certe operæ-pretium erit hanc epistolam perlegere. Eadem sentit Terentius,

- 25 Ut pernoscat, ecquid spei sit reliquum,
 Posthac quas faciet de integro Comædias,
 Spectandæ, an exigendæ sint vobis prius.

INTERPRETATIO.

ut persciter noscatis, qua spes habenda | utrum debeatis eas spectare; an è scenæ sit de reliquis, quas de novo Poëta faciet: excludere.

ANNOTATIONES.

27 Exigendæ.] Id est expellendæ. Sic | partim earum sum exactus: partim vix idem Terentius in Prologo Hecyræ, | lecti.

ACTUS PRIMI, SCENA PRIMA.

SIMO, SOSIA.

- SI. VOs istæc intrò auferte: abite. Sosia,
 Adestum: paucis te volo. SO. dictum puta:
 Nempe ut curentur recte hæc. SI. imo aliud. SO. quid est,
 Quod tibi mea ars efficere hoc possit amplius?
 5 SI. Nihil istæc opus est arte ad hanc rem quam paro:
 Sed iis, quas semper in te intellexi sitas,
 Fide, & taciturnitate. SO. exspecto, quid velis.
 SI. Ego postquam te emi à parvulo, ut semper tibi
 Apud me iusta & clemens fuerit servitus,

INTERPRETATIO.

SI. VOs servi tollite ista, qua emi | SI. Nihil istæc tua arte opus mihi est apud forum, & inferte ea in ad hanc rem, quam paro facere; ades; festinate. Sosia accede. Paucis verbis volo tecum loqui. SO. Puta te jam sed his virtutibus (quas semper cognovi in te esse positas) fide, & taciturnitate in secretis celandis. SO. Ex-mihi dixisse, quod volebas, & me pecto quid velis me facere. SI. Ego, id intelligere; nempe ut hæc obsonia postquam te emi tunc, cum puer esses; qua emisti, recte apparentur? SI. Imo scis, ut in conditione servili te semper hoc, quod tibi mea ars efficere possit? habuerim clementer, & moderatè.

ANNOTATIONES.

ACTVS] Actus, majores sunt fabulæ partes, Scenæ minores. Actus sunt, cum novarum personarum egressus, & ingressus fiunt è Scena in Theatrum.
 2. Paucis te volo.] Duplex hic defectus orationis, nam, Verbis, & Alloqui defiderantur.

- 10 Scis : feci è servo ut esses libertus mihi,
Propterea quod serviebas liberaliter.
Quod habui summum pretium , persolvi tibi.
SO. In memoria habeo. SI. haud muto factum. SO. gaudeo,
Si tibi quid feci , aut facio , quod placeat , Simo : &
15 Id gratum fuisse adversum te , habeo gratiam.
Sed mi hoc molestum est : nam istac commemoratio
Quasi exprobratio est immemoris benefici.
Quin tu uno verbo dic , quid est , quod me velis.
SI. Ita faciam. Hoc primum in hac re praedico tibi,
20 Quas credis esse has , non sunt verae nuptiae.
SO. Cur simulas igitur ? SI. rem omnem à principio audies :
Eo pacto & gnati vitam , & consilium meum
Cognosces , & quid facere in hac re te velim,
Nam is postquam excessit ex ephebis , Sofia ,
25 Liberius vivendi fuit potestas. nam antea
Qui scire posses , aut ingenium noscere ,

INTERPRETATIO.

Feci ut esses libertus mihi Patrono ; non amplius servus domino. Praemium quam potui maximum , libertatem dedi tibi ; quoniam libenter , ut liberi homines solent ; non invito , ut servi , serviebas mihi. SO. Id in memoria habeo. SI. Nolle non factum esse. SO. Lator , si quid benedite merui ; aut adhuc mereo , quod probes , Simo ; & id tibi placuisse in beneficii loco habeo : Verum hac qua dicis mihi molesta sunt ; nam hac ista longa recensio tuorum in me beneficiorum est quasi exprobratio , & accusatio facta in eum , qui accepti beneficii oblitus est. Sed ego

ANNOTATIONES.

10. Libertus] Libertus , est servus manumissus à domino ; id est , Servitute liberatus , nam manus significat potestatem.

12. Summum pretium ,] Libertas dicitur inestimabilis à Jurisconsultis.

15. Id gratum fuisse adversum te.] Adversum hic significat erga.

16. Sed hoc mihi molestum est :] Aptead hanc sententiam Cicero inquit ; Odiosum sane genus hominum , officia exprobrantium ; qua meminisse debet po-

dic semel , & breviter , quid est , quod velis me facere. SI. Ita faciam , dicam. Hoc ab initio te monitum volo : ha nuptiae , quas credis esse veras , vera esse à me simulantur. SO. Cur simulas igitur ? SI. Rem omnem à principio audies , simulque cognosces , qua sit ratio vita filii , & quod meum consilium , & quid facere in hac re te velim : Nam , Sofia ! is filius meus postquam egressus est annos prima adolescentia ; major ei , vivendi arbitrio suo libertas concessa est. Nam antea quomodo quis possit scire , aut noscere ingenium ejus ,

ritus is , in quem collata sunt , non commemorare , qui contulit.

Excessit ex ephebis.] HEN , est extrema pars pueritiae , prima adolescentiae. Ephebus est , qui ad aetatem adolescentiae pervenit , ad decimum quintum aetatis annum ,

26. Qui scire posses , aut ingenium noscere ?] Ingenium ejus , qui in potestate est , nosci non potest , cum is sui animi non sit rector , nec ei liceat , quod libet fa-

Dum

- Dum aetas , metus , magister prohibebant ? SO. ita est.
SI. Quod plerique omnes faciunt adolescentuli ,
Ut animum ad aliquod studium adjungant , aut equos
30 Alere , aut canes ad venandum , aut ad Philosophos ;
Horum ille nihil egregie praeter caetera
Studebat , & tamen omnia haec mediocriter :
Gaudebam. SO. non injuria : nam id arbitror
Adprime in vita esse utile , ut NE QUID NEMIS.
35 SI. Sic vita erat : facile omneis perferre ac pati.
Cum quibus erat cunque una , iis sese dedere ,
Eorum obsequi studiis , adversus nemini ,
Nunquam praeponeus se aliis. ita facillime
Sine invidia invenias laudem , & amicos pares.
40 SO. Sapienter vitam instituit. namque hoc tempore
OBSEQUIUM AMICOS , veritas odium parit.
SI. Interea mulier quaedam abhinc triennium
Ex Andro commigravit huc viciniam ,
Inopia & cognatorum negligentia
45 Coacta , egregia forma , atque aetate integra.

INTERPRETATIO.

dum aetas puerilis , metus , magister ei moderabantur , & vitii causam praecidebant. SO. Ita est ut dicis ; & quod plerique omnium adolescentulorum solent facere , ut animum ad aliquod exercitationis genus adjungant ; aut equos alere , aut canes venaticos , aut Philosophis operam dare : ex his omnibus studiis nullum vehementius quam alia affectabat , & tamen his omnibus mediocriter studebat. Gaudebam hoc ingenio eum esse. SO. Non sine causa gaudebas : nam id arbitror in primis utile in vita esse. Ut nequid agasupra modum. SI. Sic ejus vita institutum erat ; facilitate & suavitate morum omnes perferre ac pati , quibuscumque una conversabatur ; horum voluntati sese accommodare , eorum obsequi studiis , nemini repugnans , nunquam se illis praefereus : qua ratio facilis est ad laudem comparandam , & amicos sibi conciliandos. SO. Sapienter vitam instituit ; namque ut tempus est , Obsequium amicos , veritas odium parit. SI. Interea dum Pamphilus sic honeste vivebat ; tres abhinc annos , foemina quaedam ex Andro insula , in hanc viciniam se contulit , egestate , & negligentia propinquorum coacta ; eximia forma specie , & florenti aetate.

ANNOTATIONES.

cere.

30. Aut ad Philosophos.] Ellipsis est Terentiana : potest enim subintelligi ; ire , animum applicare.

Cum quibus erat cunque] Tmesis est,

sive sectio pro cum quibuscumque erat.
43. Huic vicinia.] Id est in hanc viciniam. Dativus pro Accusativo , ut Nonius & Priscianus annotarunt. Donatus legit , huc viciniam.

- SO. Hei vereor, ne quid Andria apportet mali.
 SI. Primum hæc pudice vitam, parce, ac duriter
 Agebat, lana ac tela victum quæritans:
 Sed postquam amans accessit, pretium pollicens;
 50 Unus, & item alter; ita ut INGENIUM est omnium
 Hominum à labore proclive ad libidinem;
 Accepit conditionem, dein quæstum occipit.
 Qui tum illam amabant, forte, ita ut sit, filium
 Perduxere illuc secum, ut una esset, meum.
 55 Egomet continuo mecum: certe captus est.
 Habet. Observabam mane illorum servulos
 Venienteis, aut abeunteis: rogitabam, heus puer;
 Dic sodes, quis heri Chrysidem habuit? nam Andriæ
 Illi id erat nomen. SO. teneo. SI. Phædrum, aut Cliniam
 60 Dicebant, aut Niceratum. nam hi tres tum simul
 Amabant. Eho, quid Pamphilus? quid? symbolum
 Dedit; cœnavit. gaudebam. Item alio die
 Quærebam: comperiebam nihil ad Pamphilum
 Quidquam attinere. Enimvero spectatum satis
 65 Putabam, & magnum exemplum continentia.

I N T E R P R E T A T I O.

SO. Hei timeo ne quid ista Andria ap-
 portet mali. SI. Primum hæc pudice,
 frugaliter, & laboriose vivebat; nendo
 lanam, & texendo telam victum quæri-
 tans. Aliquot Amantes accesserunt pre-
 tium libidinum pollicentes. Ita ut inge-
 nium est omnium hominum à labore pro-
 clive ad libidinem; consensit pollicitatio-
 nibus; deinde cepit quæstum corpore fa-
 cere. Qui tunc illam amabant, forte (ita
 ut sit) illuc filium meum perduxerunt ad
 Chrysidem, ut una cum illis convivere-
 tur. Egomet statim cœpi mecum cogita-
 re; captus est certe amore, habet vulnus.
 Observabam mane illorum servulos ve-
 nientes ad Pamphilum, aut abeuntes Sape-
 ab his quærebam. Heus, puer, dic, quæsi-
 quis heri Chrysidem habuit? Nam hæc
 Andria sic nominabatur. SO. Scio.
 SI. Respondebant, Phædrum, aut Cli-
 niam, aut Niceratum; nam hi tres tunc
 simul amabant Chrysidem. Eho dicebam,
 quid Pamphilus fecit? Quid fecit? (res-
 pondebant) partem suam contulit ad con-
 vivium, cœnavit. Gaudebam hæc au-
 diens: Similiter alio die interrogabam;
 comperiebam nihil agi quicquam, quod
 ad Pamphilum attineret. Certe putabam
 eum satis à me exploratum esse, & ma-
 gnum exemplum continentia exhibere;

A N N O T A T I O N E S.

Hei vereor] Hei, interjectio timentis
 & dolentis.

56. Habet.] Vulneratus est. Translatio
 ab Amphitheatro; ubi cum Gladiatores
 vulnus acceperunt, habere dicuntur.
 Virg. 12. Æn. Hoc habet: hæc melior ma-
 gnis data victima divi.

Heus] Adverbium vocantis,

Dic sodes.] Priscianus ait verbum esse
 defectivum, pro, si audeas; sis, pro, vis,
 Precationem, vel exhortationem denotat.
 61. Symbolum dedit:] Dicitur symbo-
 lum, & symbola à συμβάλλω, confecto.
 Inter alia significata, est pecunia, quæ
 erogatur à quolibet convivarum. Latine,
 Collecta. Gallice, l'Escot.

- Nam qui cum ingeniis conflictatur ejusmodi,
 Neque commovetur animus in ea re; scias
 Tum jam ipsum habere posse suæ vitæ modum.
 Cum id mihi placebat, tum uno ore omnes omnia
 70 Bona dicere, & laudare fortunas meas,
 Qui gnatum haberem tali ingenio præditum.
 Quid verbis opus est? hac fama impulsus Chremes
 Ultro ad me venit, unicam gnatum suam
 Cum dote summa filio uxorem ut daret.
 75 Placuit: despondi. Hic nuptiis dictus est dies.
 SO. Quid obstat, cur non veræ fiant? SI. audies.
 Fere in diebus paucis, quibus hæc acta sunt,
 Chrysis vicina hæc moritur. SO. ð factum bene!
 Beasti: metui à Chryside. SI. ibi tum filius
 80 Cum illis, qui amabant Chrysidem, una aderat frequens;
 Curabat una funus, tristis interim,
 Nonnunquam conlacrymabat. Placuit tum id mihi.
 Sic cogitabam: hic parvæ consuetudinis
 Causa mortem hujus tam fert familiariter:
 85 Quid si ipse amasset? quid mihi hic faciet patri?

I N T E R P R E T A T I O.

Nam qui cum hominibus talis ingenii
 conversatur; neque tamen eorum con-
 suetudine ad libidinem impellitur; cre-
 de jam posse ipsum vitæ suæ moderamen,
 & regimen habere. Cum hoc mihi per-
 gratum erat, tum omnes una voce om-
 ni bona mihi de illo dicebant, & me for-
 tunatum omnino esse prædicabant, qui
 filium haberem tam bona indolis. Quid
 pluribus verbis opus est? Hoc secundo
 rumore adductus Chremes, cupide me
 convenit, ut unicam suam filiam cum
 grandi dote uxorem daret filio meo. Pla-
 cuit conditio mihi; itaque promisi spon-
 sione filium meum ducturum Chremetis
 filiam. Hic nuptiis faciendis constitutus
 est dies. SO. Quid ergo impedit quominus
 reipsa hæc nuptia fiant? SI. Audies.
 Circiter dies paucos, quibus hæc accide-
 runt, Chrysis hæc vicina moritur. SO. O
 factum bene! Beatum me reddidisti. Me-
 tui Pamphilo ab istius Chrysidis consue-
 tudine. SI. Tunc temporis filius meus
 frequenter aderat in domo Mortua, cum
 illius Amatoribus. Apparabat una fu-
 nus. Aliquando conlacrymabatur. Pla-
 cuit tunc id mihi. Sic cogitabam; hic
 ob conversationem brevis temporis, mor-
 tem hujus mulieris agre fert adeo; ut
 si familiaris ei longo tempore fuisset,
 quid si eam amasset? quid mei,
 qui pater sum, causâ non faciet;

A N N O T A T I O N E S.

66. Conflictatur.] Confligi, & con-
 flicari res aliqua dicitur, cum ad aliam
 atteritur, & afficitur. Ut cum lapis
 ad ferrum igniarum alliditur, ad elicien-
 dam scintillam.

75. Despondi.] Per mutuas stipulatio-
 nes, & sponsiones matrimonia con-
 trahebantur. Hinc sponsalia, sponsus,
 & sponsa.

Hæc ego putabam esse omnia humani ingenii
 Mansuetique animi officia. Quid multis moror?
 Egomet quoque ejus causa in funus prodeo,
 Nihil suspicans etiam mali. *S O.* hem, quid est? *S I.* scies?
 90 Effertur. imus. interea inter mulieres,
 Quæ ibi aderant, forte unam aspicio adolescentulam,
 Forma. *S O.* bona fortasse. *S I.* & vultu, Sofia,
 Adeo modesto, adeo venusto, ut nihil supra.
 Quia tum mihi lamentari præter cæteras
 95 Visa est, & quia erat forma præter cæteras
 honesta, & liberali, accedo ad pedissequas;
 Quæ sit, rogo. sororem esse ajunt Chrysidis.
 Percussit illico animum. at at, hoc illud est,
 Hinc illæ lacrumæ, hæc illa est misericordia.
 100 *S O.* Quam timeo, quorsum evadas. *S I.* Funus interim
 Procedit: sequimur: ad sepulcrum venimus,
 In ignem posita est. fletur. Interea hæc soror,
 Quam dixi, ad flammam accessit imprudentius;

INTERPRETATIO.

Hæc ego officia putabam esse ingenii humani, & benigni. Quid te pluribus verbis detineo? Egomet quoque ejus causa in funus prodeo, nondum habens eum suspectum de amore. *S O.* Hem, quid est? *S I.* Tu audies. Exportatur cadaver. Imus. Interea inter mulieres, quæ ibi aderant, forte unam aspicio adolescentulam, formâ. *S O.* Bonâ fortasse. *S I.* Et vultu, Sofia! adeo modesto, adeo eleganti, ut nihil supra dici possit. Quia tunc mihi visa est lamentari plusquam cætera, & quia illa erat formâ omnium venustissimâ, & maxime ingenuâ; accedo ad ancillas,

quæ illam sequebantur, quæ sit, ab his quæro. Sororem respondent esse Chrysidis defunctæ. Hoc responsum illico mihi commovit animum. At at (mecum dicebam) hinc illa lacrymæ fluebant, hæc res, illa causa est; cur Pamphilus tam officiosus erat in curando funere; hæc excitavit illum tantam misericordiam erga Chrysidem. *S O.* Quam timeo, ad quem finem procedat tuus hic sermo. *S I.* Interim exequiarum pompa progreditur: sequimur, ad sepulchrum venimus, in rogam posita est, deploratur. Interea hæc soror, de quâ loquutus sum, ad flammam appropinquavit inconsideratius;

ANNOTATIONES.

90. Effertur.] Verbum funebre: solebant enim corpora mortuorum alte ferri humeris à propinquiorebus, ut Metellus elatus fuit à filiis tribus Consularibus, duobus Triumphalibus, uno Censorio, & altero Prætoro.

93. Adeo venusto.] Id est pulchro: à Venere. Venustas proprie de fœminis dicitur; dignitas de viris.

96. Forma honesta.] Id est eleganti. Horat. Sat. 2. lib. 1.

neque si quid honesti est,

lætatur, habetque palam; quarit quo turpia velet.

Et liberali.] Sic liberale ingenium dicitur; libero homine dignum.

102. Fletur.] Cadavere in rogam collocato, deflebatur à propinquis; unde deplorata corpora mortuorum dicuntur, quibus ultimus luctus per solutus est. Et per metaphoram, Morbus deploratus, Egroti deplorati, quibus nullo remedio succurri potest: & deplorata Resp. id est, eversa, de qua nihil melioris spei superest,

Satis cum periculo. ibi tum exanimatus Pamphilus,
 105 Bene dissimulatum amorem & celatum indicat:
 Accurrit: mediam mulierem complectitur.
 Mea Glycerium, inquit, quid agis? cur te is perditum?
 Tum illa, ut consuetum facile amorem cerneret,
 Rejecit se in eum flens quam familiariter.
 110 *S O.* Quid ais? *S I.* redeo inde iratus, atque ægre ferens?
 Nec satis ad objurgandum causâ. diceret,
 Quid feci? quid commertui, aut peccavi, pater?
 Quæ sese voluit in ignem injicere, prohibui,
 Servavi. honesta oratio est. *S O.* recte putas:
 115 Nam si illum objurges, vitæ qui auxilium tulit;
 Quid facias illi, qui dederit damnum, aut malum?
S I. Venit Chremes postredie ad me, clamitans,
 Indignum facinus, comperisse Pamphilum
 Pro uxore habere hanc peregrinam. Ego illud sedulo
 120 Negare factum. ille instat factum, denique
 Ita tum discedo ab illo, ut qui se filiam
 Neget daturum. *S O.* Non tu ibi gnatum? *S I.* ne hæc quidem
 Satis vehemens causâ ad objurgandum. *S O.* quid cedo?
S I. Tute ipse his rebus finem præscripsisti, pater!
 125 Prope adest, cum alieno more vivendum est mihi;

INTERPRETATIO.

satis cum periculo. ibi tunc exanimatus Pamphilus amorem, quem tantopere dissimulaverat & celaverat, demonstrat. Accurrit, mediam mulierem complectitur: Mea Glycerium, inquit, quid agis? cur te is perditum? Tunc illa reflexit se in eum admodum familiariter: ita ut quisvis posset facile cernere amorem inter illos esse consuetum. *S O.* Quid ais? *S I.* redeo inde iratus, ægre ferens ea quæ Pamphilus ostenderat: nec tamen satis causa habebam ad illum objurgandum: hoc enim mihi dicere potuisset, quid feci? quam poenam commertui? quod peccatum commisi, pater? Opposui me ei, quæ in ignem se precipitare voluit, illam à morte liberavi. Honestâ excusatio hæc est.

S O. recte putas: nam si eum objurges, quid vitæ alicujus auxilium tulit, quid facias illi, qui dederit damnum, aut malum? *S I.* Venit Chremes ad me postredie, clamitans indignum facinus se deprehendisse; Pamphilum pro uxore habere hanc peregrinam. Ego illud factum esse pernegare ceppi. Ille instat factum. Postremo ita tunc discedo ab illo, ut ab eo, qui negaret se daturum uxorem filiam meo filio. *S O.* Non tu filium tuum ibi objurgasti? *S I.* Ne hæc quidem causa satis valida fuit ad objurgandum. *S O.* Dic mihi, quæso, cur non? *S I.* Nam is diceret mihi ut ipse pater terminos constituisti meis voluptatibus, prope adest tempus, quum vitæ mihi agenda erit ex voluntate alterius;

ANNOTATIONES.

109. Quam familiariter.] Valla interpretatur per interjectionem; Quantum familiariter! & refert ad (flens.)

119. Ego illud sedulo] Goveanus legit: Illi ego;

- Sine nunc meo me vivere interea modo.
S O. Quis igitur relictus est objurgandi locus?
S I. Si propter amorem uxorem nolit ducere;
 Ea primum ab illo animadvertenda injuria est.
 130 Et nunc id operam do, ut per falsas nuptias
 Vera objurgandi causa sit, si deneger.
 Simul, sceleratus Davus si quid confisi
 Habet, ut consumat nunc, cum nihil obsint doli.
 Quem ego credo manibus pedibusque obnixè omnia
 135 Facturum. magis id adeo, mihi ut incommo-
 Quam ut obsequatur gnato. *S O.* quapropter? *S I.* rogas?
 MALA MENS, MALUS ANIMUS. quoniam quidem ego si sensero.
 Sed quid opus est verbis? sin eveniat, quod volo,
 In Pamphilo ut nihil sit moræ; restat Chremes.
 140 Qui mihi exorandus est, & spero confore.
 Nunc tuum est officium, has bene ut adsimules nuptias.

INTERPRETATIO.

*sine nunc meo me vivere arbitrio. S O. Quam-
 nam igitur alia occasio opportunior se-
 dare potest ad eum objurgandum? S I. Si
 propter amorem uxorem nolit ducere:
 hac primum punienda est, mihi ab illo fa-
 cta injuria. Et nunc id laboro, ut pra-
 textu simularum nuptiarum, veram ob-
 jurgandi causam habeam: sin nempe ux-
 orem recuset: tum etiam ut sceleratus
 Davus, si quas fraudes excogitavit,
 eas totas effundat: quoniam mihi nunc
 nocere ejus non possunt doli: quem ego*

*credo totis viribus conaturum magis certe
 propter id, ut mihi incommo-
 det; quam
 ut obsequatur filio. S O. Quapropter?
 S I. Quæris? mala mens, malus animus
 ejus ad id credendum me impellunt: quem
 quidem ego si sensero meis consiliis obsiste-
 re; acerbissime eum puniam: sed quid plu-
 ribus verbis opus est? Sin eveniat, id quod
 volo; ut in Pamphilo nulla sit mora nuptiis:
 restat Chremes placandus, quem spero fa-
 cile me exoraturum. Nunc tuum est offi-
 cium, ut has bene simules fore nuptias:*

ANNOTATIONES.

129. *Ea primum ab illo animadver-
 tenda.* Pro ejus injuria, ab eo illata: sic
 Plaut. Foris concipuit à Sene, id est
 Senis. Lucret. Fulgor ab auro, pro au-
 ri. Cicero. in Epist. Reus à Milone. Id
 est accusatore Milone. Animadvertere
 injuriam pro punire. Cicero in Verrem:
 Ea sunt animadvertenda peccata, quæ
 difficillime præcaventur.
 135. *Magis id adeo.* Adeo, pro certe,
 sine dubio. Virgil. 1. Georg.
*Mulum adeo raris glebas qui frangit
 mentes.*
 Sæpe sumitur, pro quoque, maxime apud
 Plautum. Subjectum post atque, au-

get significationem. Cicero pro Cluen-
 tio: De foro atque adeo de civitate sub-
 blatus est. Apud Comicos sæpe est par-
 ticula ornativa, seu expletiva, nihil
 ad sensum conferens, sed vel ad sermo-
 nis ornatum, vel ad metrum explen-
 dum adhibita. Terentius infra: Pro-
 pera adeo puerum tollere hinc à janua.
 137. *Quem quidem ego si sensero.* Est com-
 minatio per reticentiam, sive ἀπειρώ-
 μων. convenit irato hæc figura. Idem
 Terentius in Eun. act. 5. Sc. 5. Ego te
 furcifer! si vivo; sed istud, quicquid est,
 primum expedi. Subintelligendum, pu-
 niam, ut sciscar, vel quid simile.

- Petterrefacias Davum, observes filium,
 Quid agat, quid cum illo consilii capret. *S O.* sat est;
 Curabo. eamus jam nunc intro. *S I.* i præ, sequar.

INTERPRETATIO.

*petterrefacias Davum, observes quid
 faciat filius, quid consilii cum Davo ca-
 piat. S O. Satis est. Curabo ea, qua mihi*

*imperas. Nunc jam invocamus domum.
 S I. Præcede, sequar.*

ACTUS PRIMI SCENA SECUNDA.

SIMO. DAVVS.

- S I.* **N**ON dubium est, quin uxorem nolit filius:
 Ita Davum modo timere sensi, ubi nuptias
 Futuras esse audivit, sed ipse exit foras.
D A. Mirabar, hoc si sicabiret: & heri semper lenitas
 Verebar quorsum evaderet.
 Qui postquam audierat non datum iri filio uxorem suo;
 Nunquam cuiquam nostrum verbum fecit, neque id ægre tulit.
S I. At nunc faciet: neque, ut opinor, sine tuo magno malo.
D A. Id voluit, nos sic nec opinanteis duci falso gaudio,
 10 Speranteis jam amoto metu, interea oscitanteis opprimi;
 Ut ne esset spatium cogitandi ad disturbandas nuptias;

INTERPRETATIO.

S I. **N**ON dubium est mihi, quin fi-
 lius neget se uxorem duciturum,
 adeo Davum modo timere sensi, ubi nu-
 ptias futuras esse audivit. Sed ipse exit
 foras. *D A.* Mirabar se hæc heri simulatio
 de nuptiis, sine causa excogitata, &
 pro nihilo foret; verebarque, quem ha-
 beret exitum continua ejus, & inusta-
 ta lenitas: qui postquam audierat non
 datum iri filio suo uxorem filiam Chre-
 metis; nunquam ulli servorum, vel

*verbum dixit de hac re, neque id ægre
 ferre visus est: hanc filii scilicet re-
 jectionem. S I. At nunc dicit, tibi
 ciet neque id, opinor, sine tuo ma-
 gno malo. D A. Sententia ejus fuit,
 nos nihil suspirantes falso ducere gaudio
 per hanc lenitatem insolitam, & amoto
 metu nuptiarum, bene sperantes, &
 desidentes incuriose, nos prævenire, ne
 nobis ullum temporis spatium esset cogi-
 tandi aliquid, ad disturbandas nuptias.*

ANNOTATIONES.

*M*irabar.] Davus postquam de
 Sossâ futuras nuptias audi-
 vit, ædibus exiens hæc secum metuens
 loquitur.

*ri, est hiare, os aperire. Oscitatio
 negligentiam arguit.
 Opprimi.] Præveniri, occupari. Vi-
 detur translatum esse ab ædificiis ruina
 incautos opprimantibus.*

19. *Oscitanteis.]* Oscitare, sive oscita-

Astute! *SI.* Carnifex, quæ loquitur? *DA.* herus est, neque prævideram.

SI. Dave! *DA.* hem, quid est? *SI.* ehodum, ad me. *DA.* quid hic volt? *SI.* quid ais? *DA.* qua de re? *SI.* rogas?

Meum gnatum, rumor est amare. *DA.* id populus curat scilicet.

15 *SI.* Hoccine agis, an non? *DA.* ego vero istuc. *SI.* sed, nunc ea me exquirere,

Iniqui patris est. Nam, quod antehac fecit, nihil ad me attinet.

Dum tempus ad eam rem tulit, sivi animum ut expleret suum.

Nunc hic dies aliam vitam adfert, alios mores postulat.

Dehinc postulo, sive æquum est, te oro, Dave, ut redeat jam in viam.

20 *DA.* Hoc quid sit? *SI.* Omnes qui amant, graviter sibi dari uxorem ferunt.

DA. Ita ajunt. *SI.* tum si quis magistrum cepit ad eam rem improbum,

Ipsum animum ægrotum ad deteriores partem plerumque applicat.

I N T E R P R E T A T I O .

Astute. *SI.* Carnifex qua loquitur? *refert.* Dum tempus adolescentia amorem permisit, sivi ut animum voluptatibus satiaret. Nunc hoc tempus aliam vitam rationem affert, alios mores postulat. Dehinc postulo, sive æquum est, te oro, Dave; ut in viam bona frugis redeat. *DA.* Quid hæc verba significant, non intelligo. *SI.* Omnes, qui amicos habent, invitati uxores accipiunt à Parentibus. *DA.* Ita ajunt. Tum, si quis sibi sumpsit magistrum ad amorem, improbum: ipsum animum libidine jam ægrotum, ad deteriores partem plerumque applicat.

DA. Herus est, neque animadvertentem. *SI.* Dave. *DA.* Hem, quid est? *SI.* Ehodum ad me. *DA.* Quid hic vult? *SI.* Quid ais? *DA.* Qua de re quaris? *SI.* Rogas? quasi nescias. Rumor est filium meum amare. *DA.* Quasi vero ea cura vulgus sollicitet. *SI.* Advertitne animum ad ea, qua à me decuntur, an non? *DA.* Advertit. *SI.* Sed nunc me curiose inquirere, an filius amet, severioris & durioris patris fuerit. Nam quod antehac fecit, nil me à

A N N O T A T I O N E S .

12. *Astute!*] Hoc gestu, & agitatione capitis Davus dixit.

13. *Ehodum.*] Est interjectio ad se vocantis, interdum admirantis, ut infra: *eho*; an tute intellexisti hoc assimulasier?

14. *Id populus curat scilicet.*] Expulsio ironica, quæ eludit Davus dictum Simonis, ita colligens, (id populus non curat.) Ironia est Tropus, quo intelligitur contrarium ejus, quod dicitur, ab *εἰς* quod est dico; unde *εἰς* dissimulatio, qui aliter dicit, ac sentit.

15. *Hoccine agis, an non?*] Aliud agere proverbiali figura est aliud cogitare, *Penser ailleurs.*

Sed nunc ea me exquirere iniqui patris est.] Ironia est; significat enim non esse iniqui patris, cum tam multa permiserit, tandem sub ipsas nuptias in filii mores inquirere.

19. *Sive æquum est.*] Ironica correctio: *εἰς* tollit id quod dictum est, & pro eo, quod magis idoneum videretur, reponit.

DA. Non

DA. Non hercle intelligo. *SI.* non? hem. *DA.* non: *DAVUS* SUM, NON OEDIPUS.

SI. Nempe ergo aperte vis, quæ restant, me loqui. *DA.* sane quidem.

25 *SI.* Si sensero hodie, quidquam in his te nuptiis

Fallaciæ conari, quo fiant minus,

Aut velle in ea re ostendi, quam sis callidus;

Verberibus cæsum te in pistrinum, Dave, dedam usque ad necem;

Ea lege atque omine, ut, si te inde exemerim, ego pro te molam.

30 *Quid,* hoc intellexit? an nondum etiam ne hoc quidem? *DA.* imo, callide:

Ita aperte ipsam rem modo locutus: nihil circuitione usus es.

SI. Ubivis facilius passus sum, quam in hac re, me deludier.

DA. Bona verba, quaeso. *SI.* irrides? nihil me fallis. Sed dico tibi, Ne temere facias, neque tu haud dicas tibi non prædictum: cave.

I N T E R P R E T A T I O .

DA. Per Herculem, hæc, qua dicit non intelligo. *SI.* Non intelligis? Hem. *DA.* Non: Davus sum, tardi ingenij servulus: non Oedipus anigmatum interpretis. *SI.* Nempe ergo vis aperte me loqui, qua restant mihi dicenda? *DA.* Id certe velim. *SI.* Si sensero te quidquam fallacia hodie conari, ad has nuptias impediendas; aut velle in isto conatu ostendere, quantum sis astutus: virgis verberatum, te in pistrinum, Dave, conjiciam, quoad neci datus male pereas: ea conditione, eoque auspicio, ut si te inde exemerim, ego pro te molam. Intellexistine quid hoc est? An nondum ne hoc quidem intelligis? *DA.* Imò perfectè intellexi: ita clare rem expressisti, sine circuitione verborum. *SI.* In quavis aliâ, quam in hac re me decipi potius passus sum. *DA.* Meliora loquere, quaeso. *SI.* Irrides? nihil me lates: sed præuncio ne temere in hac re, quidquam doli coneris, neque tu dicas postea tibi non fuisse prædictum: cave tibi dico.

A N N O T A T I O N E S .

23. *Hem.*] Interjectio est irascentis, aut indignantis.

Davus sum, non Oedipus.] Allegoria sumpta ab Oedipi, & Sphingis fabula. Oedipus solus Sphingis ænigma solvit, scilicet, quid esset animal mane quadrupes, meridie bipes, vesperi tripes: quod quidem homo est.

28. *Te in pistrinum, Dave, dedam.*] Pistrinum locus est pinsendo frumento destinatus, ubi molæ trufatiles dictæ à trudendo, quæ impellebantur à servis, qui per convitium Afini audiebant; & molæ quoque contemptim præsepia. Aliæ erant versatiles dictæ, quæ versabantur à jumentis.

29. *Atque omine.*] Est signum futuri eventus. Plaut. in Casina, Act. 2. Sc. 8.

Notro omine it dies. Id est auspiciatò; feliciterque, id est, Omen est nostrum, non adversariorum.

33. *Nihil me fallis.*] Id est lates. Ovid. Eleg. 2. lib. 4. Trist.

Nos procul expulsos communia gaudia fallunt.

Id est, latent. Horat. *Segetis certa fides mea Fulgentem imperio fertilis Africa Fallit sorte beator.*

Neque tu haud dicas tibi non prædictum.]

Goveanus legit. *Neque tu hoc, non, haud.*

Muretus ita ait: *Quicquid dicat Donatus legendum,* Hoc, non, Haud. Est enim ordo, & sensus; neque, id est,

& ne tu dicere possis hoc tibi non prædictum, en prædico: cave.

A C T U S I. S C E N A I I I.

D A V V S.

D A. **E** Nimvero, Dave, nihil loci est segnitiae, neque socordiae, quantum intellexi modo senis sententiam de nuptiis. Quae si non astu providentur; me aut herum pessundabunt. Nec, quid agam, certum est, Pamphilumne adjutem, an auscultem seni.

§ Si illum relinquo, ejus vitae timeo: sin opitulor, hujus minas; Cui verba dare difficile est. Primum jam de amore, hoc comperit; Me infensus servat, ne quam faciam in nuptiis fallaciam. Si senserit, perii; aut, si libitum fuerit, causam ceperit, Quo jure, quaque injuria, praecipitem me in pistrinum dabit.

10 Ad haec mala hoc mihi accedit etiam: haec Andria, Sive ista uxor, sive amica est, gravida est Pamphilo est. Audireque eorum est operae pretium audaciam: Nam inceptio est amentium haud amantium.

I N T E R P R E T A T I O.

Certe, Dave, nullum tempus relinquitur segnitiae, neque socordia; quantum modo intelligere potui senis Simonis sententiam de nuptiis Pamphili: qua nisi caveantur astute, me aut herum Pamphilum oppriment; nec quid agam certum est mihi; Pamphilumne adjutem opera mea, an seni, ejus patri obsequar. Si illum relinquo, timeo ne in vita periculum incidat: sin operam fero, timeo ea, qua minatus est mihi herus Simo, quem fallere difficile est. Primum jam comperit

amare Pamphilum, iratus me observat, ne quam faciam fallaciam ad impediendum nuptias. Si senserit me id fecisse, perii; aut si ei libuerit, causam capiet; cur me, sive jure, sive injuria in pistrinum dedat. Ad haec mala hoc mihi accedit etiam; quod haec Andria, sive ista uxor est, sive Amica, est Pamphilo gravida est, & est pretium opera, jucundumque audire eorum audaciam. Nam ea res inceptio est amentium, non amantium;

A N N O T A T I O N E S.

3. **M**E aut herum pessundabunt.] Pessum ire, est perire: Ut pessumdare perdere, & in eadem significatione, pessum premere, ducta translatione à re maritima: Argumento est locus Plauti in Cist. Act. 2. Sc. 1. Maritimis moribus mecum experitur: ita meum frangit amentem animum: nisi quia miser non eo pessum, mihi nulla abest perditio pernicies. Idem Plautus in Aulul. Act. 4. Sc. 1. Servum ratem esse apantem hero equum censeo; ut

toleret, ne pessum abeat. In Rudentè sine figurâ, Act. 2. Sc. 3. vers. 64. Nunc eam cum navi scilicet, abivisse pessum in altum. J. Gul. Verif. lib. 4. c. 4. Glossarium: Pessundat. βοδίζει. Καταπορίζω. demergo, pessundo.

9. Quo jure, quaque injuria] Id est; quocumque modo; sive aliquo jure, sive aliqua injuria.

Est operae pretium] rem significat factum, vel auditu, vel memoratu dignam,

Quidquid peperisset, decreverunt tollere:

15 Et fingunt quandam inter se nunc fallaciam, Civem Atticam esse hanc. Fuit olim quidam senex Mercator: navem is fregit apud Andrum insulam; Is obiit mortem: ibi tum hanc ejectam Chrysidis Patrem recepisse orbam, parvam. Fabula.

20 Mihi quidem hercle non fit verisimile. Atqui ipsis commentum placet. Sed Mysis ab ea egreditur. At ego hinc me ad forum, ut Conveniam Pamphilum, ne de hac re pater imprudentem opprimat.

I N T E R P R E T A T I O.

quidquid peperisset, sive masculum, sive feminam, decreverunt educare; & fingunt nunc inter se quandam fallaciam, dicturi illam Glycerium civem esse Atticam. Fuit olim quidam senex mercator: is nave fracta, tempestate ad Andrum insulam ejectus est. Is vita decessit: ibi tunc patrem Chrysidis aiunt Glycerium ejectam ad litus, parento orbam in suam tutelam recepisse. Fabula haec sunt. Mihi quidem, per Herculem, non fit verisimile: verumtamen hoc ipsis commentum placet. Sed Mysis à domo Chrysidis egreditur: at ego hinc ad forum me consero. Pamphilum adibo atque alloquar, ne pater ei hujus rei ignaro superveniat.

A N N O T A T I O N E S.

14. Decreverunt tollere.] Id est agnoscere, suscipere, educare. Infantes olim simul ac nati erant, humi deponebantur. Ab humo vero tollebantur, & in sinum recipiebantur. Qui non tollentur, pro abdicatis, & projectis habebantur.

A C T U S I. S C E N A I V.

M Y S I S. A R C H I L L I S.

M Y. **A** Udivi, Archillis, jam dudum: Lesbiam adduci jubes; Sane pol illa temulenta est mulier, & temeraria,

I N T E R P R E T A T I O.

A Udivi, ô Archillis! qua praecipis.] duci jubes. Sane, per Pollucem, Mulier illa valde vinosâ est, & temeraria:

A N N O T A T I O N E S.

P O.] Per Pollucem: Aedepol, per adem Pollucis: Acastor, per adem Castoris: Mecastor, me Castor juvet: Hercle, per Herculem: Mcher-

cule, me Hercules juvet. Temulenta] Id est vino dedita, à Temero, vino priusca, lingua. Gellius lib. 10. cap. 23.

Nec fatis digna, cui committas primo partu mulierem,
Tamen eam adducam. Importunitatem spectate aniculæ:
5 Quia compotrix ejus est. Dii! date facultatem, obsecro,
Huic pariundi, atque illi in aliis potius peccandi locum.
Sed quidnam Pamphilum exanimatum video? vereor, quid fiet.
Opperiar, ut sciam, num quidnam hæc turba tristitiæ adferat.

INTERPRETATIO.

nec satis idonea est, cui committere debeas mulierem primo partu; qui periculosus est: tamen eam adducam. Spectate importunitatem hujus aniculæ. Archillis aded instat, ut Lesbia quam citò adducatur: quia cum eâ compotare solet. Dii date, precor, vires Glycerio ad feliciter pariendum, atque obstetrici Lesbia industriam opportunam in educendo partu: ut in aliis mulieribus subleventur dis potius erret. Sed quidnam video Pamphilum exanimatum? Vereor quid hoc sit. Expectabo, ut sciam, quidnam tristitiæ hæc perturbatio illi afferat.

ACTUS I. SCENA V.

PAMPHILVS. MYTIS.

P. A. **H**occine est humanum factum aut inceptum? hoccinè officium patris?

M. Y. Quid illud est?

P. A. Prò deum atque hominum fidem! quid est, si non hæc contumelia est?

Uxorem decrèrat dare sese mihi hodie. Nonne oportuit

5 Præcisse me ante? nonne prius communicatum oportuit?

M. Y. Miseram me! quod verbum audio?

P. A. Quid Chremes? quid denegarat se commissurum mihi

INTERPRETATIO.

P. A. **A**n hoc factum, aut inceptum contra filium, humanum est? an hoc officium est Patris? M. Y. Quid illud est? P. A. Deos, hominesque testor, si hoc contumelia non est; quid deinde nomine contumelia appellandum erit? Si pater constituerat mihi dare hodie uxorem, nonne ante de hac re certior fieri debui? Nonne consilium & de liberationem participare. M. Y. Miseram me, quod verbum audio? P. A. Quid de Chremete dicam, qui denegaverat se daturum filiam suam in uxorem? Mutavit sententiam.

ANNOTATIONES.

6. **M**iseram me! quod verbum audio?] Audito uxoris nomine, exterritur Mytis.

Gnatam suam uxorem? id mutavit, quia me immutatum videt?
Itane obstinate operam dat, ut me à Glycerio miserum abstrahat?
10 Quod si fit, pereofunditur.

Adeon' hominem invenustum esse, aut infelicem quenquam, ut ego sum?

Prò deum atque hominum fidem! nullon' ego
Chremetis pacto affinitatem effugere poterò? Quot modis
Contemptus, spretus? facta, transacta omnia. Hem!

15 Repudiatus repetor. quamobrem? nisi si id est, quod suspicor:
ALIQUID MONSTRUALUNT. ea quoniam nemin' obtrudi potest,

Itur ad me. M. Y. oratio hæc me miseram exanimavit metu.

P. A. Nam quid ego dicam de patre? ah!

Tantamne rem tam negligenter agere? prateriens modo,

20 Mihi, apud forum, uxor tibi ducenda est, Pamphile, hodie, inquit: para:

Abi domum. id mihi visus est dicere, abi cito, & suspende te.

Obstupui. censent' ullum me verbum potuisse proloqui,

Aut ullam causam, ineptam saltem, falsam, iniquam? obmutui.

Quod si ego rescissem id prius, quid facerem, si quis nunc me roget;

INTERPRETATIO.

quia me animum immutavisse intelligit; itane obstinate laborat, ut me miserum à Glycerio abstrahat? Quod si fit, pereofunditur. Adeone quisquam hominum in visus est Veneri, & fortuna, ut ego sum? Proh Deum, atque hominum fidem! Nullone ego pacto efficere poterò, ut Chremes mihi affinis, & socer non sit? Quot modis despectus, & spretus ab illo fui? Facta, & transacta omnia in contrahendis nuptiis; postea repudiatus sum. Hem repudiatus repetor. Quamobrem? causam ignoro, nisi forte illud est, quod suspicor: nimirum Chremetis filia deformis est, & monstro similis. Ea quoniam ab omnibus respuitur, quantum vis sapius oblata, ad me recurritur. M. Y. Oratio hæc me miseram exanimavit metu. P. A. Nam quid ego nunc dicam de patre? Ah, tantine momenti rem, ut sunt nuptia, tam negligenter transigere potui? Ipse prateriens modo in foro: Pamphile, inquit, uxor tibi ducenda est hodie. Ad id para te. Abi domum. Sic loquens, id mihi visus mandare, abi cito, & suspende te. Ad hæc verba obstupescit sum. Putasne me ullum verbum proferre potuisse, aut ullam excusationem, licet ineptam, fictitiam, & injustam? Mutus repente factus sum. Quod si quis nunc à me querat, quid facerem, si ego id præcisissem?

ANNOTATIONES.

11. **Invenustum**] Venus in talorum jactu invocabatur, & qui Venerem frequenter jaciebat, venustus, id est fortunatus habebatur; contra invenustus, id est infortunatus. Alii venustum eum dicunt, cujus genitura domina sit Venus; maxime si fuerit in Geminis, aut in prosperos Jovis radios incidit: at in Leone, Ariete, & Virgine infelix esse perhibebatur.

- 25 Aliquid facerem, ut hoc ne facerem. Sed nunc quid primum exequar? Tot me impediunt curæ, quæ meum animum divorſe trahunt: Amor, miſericordia hujus, nuptiarum ſollicitatio, Tum patris pudor, qui me tam leni paſſus eſt animo-ufque adhuc, Quæ meo cunq̄ue animo libitum eſt, facere: eine ego ut adverſer? hei mihi!
- 30 Incertum eſt, quid agam. *MY.* miſera timeo, hoc incertum quorſum accidat. Sed nunc peropus eſt, aut hunc cum ipſa, aut me aliquid de illa adverſum hunc loqui.
- DUM IN DUBIO EST ANIMUS PAULO MOMENTO HUC ILLUC IMPELLITUR.
- PA.* Quis hîc loquitur? *MY.* ſalve. *MY.* ô ſalve Pamphile. *PA.* Quid agit? *MY.* rogas?
- Laborat è dolore: atque ex hoc miſera ſollicita eſt die;
- 35 Quia olim in hunc ſunt conſtitutæ nuptiæ: tum autem hoc timeret. Ne deſeras ſe. *PA.* Hem! egone iſthuc conari queam? Ego propter me illam decipi miſeram ſinam? Quæ mihi ſuum animum atque omnem vitam credidit, Quam ego animo egregie caram pro uxore habuerim,
- 40 Bene & pudice ejus doctum atque educatum, ſinam, Coactum egeſtate, ingenium immutarier? Non faciam. *MY.* haud vereor, ſi in te ſolo ſit ſitum:

INTERPRETATIO.

Reſpondebo, aliquid facerem, ne id facerem, ducerem uxorem; vidererque conſentire juffui patris. Sed nunc quid primum exequi debeo? Tot me impediunt cura, quæ animum meum divorſe trahunt in partes varias; amor, miſericordia Glycerij, ſollicitatio, quâ urgeor, ut uxorem accipiam, Patris reverentia, qui mihi tam leniter permiſit uſque ad hanc diem arbitrio meo vivere. An ego committam, ut ei adverſer? Hei mihi! incertum eſt, quid agam. *MY.* Miſera timeo, quò tendat iſtud, incertum eſt, & quem exitum habeat. Sed nunc maxime opus eſt, aut Pamphilum cum ipſa Glycerio, aut me aliquid de illa apud hunc loqui. Dum enim animus pendet dubius, levi impulſu in hanc vel illam partem ducitur. *PA.* Quis hîc loquitur? *MY.* ſalve. *MY.* ô ſalve Pamphile. *PA.* Vt ſe habet Glycerium? *MY.* Quavis? partus doloribus torquetur; & quia olim hic dies nuptiis conſtitutus eſt, de hac re anxia timeret; tum autem ne deſeras ſe. *PA.* Hem, egone iſtud poſſim conari? ego illam miſeram propter me decipi patiar? quæ mihi affectus animi ſui, atque omnem vitam commiſit: quam ego præter ceteram animo meo dilectam loco uxoris habuerim. Egone ſinam ejus ingenium bene, & pudice inſtitutum, atque educatum; egeſtate coactum, alia vita ratione minus honeſta immutari? Non faciam. *MY.* Non id timeo, ſi iſtud in tuâ unius poteſtate ſit poſitum;

ANNOTATIONES.

32. Paulo momento] Metaphora à trahina: cum id quod ponderatur, in neu-

- Sed vim ut queas ferre. *PA.* adeon' me ignavum putas? Adcon' porro ingratum, aut inhumanum, aut ferum,
- 45 Ut neque me conſuetudo, neque amor, neque pudor Commoveat, neque commoneat, ut ſervem fidem? *MY.* Unum hoc ſcio, meritam eſſe, ut memor eſſes fui. *PA.* Memor eſſem? ô Myſis, Myſis, etiam nunc mihi Scripta illa dicta ſunt in animo Chryſidis
- 50 De Glycerio. Jam ferme moriens me vocat: Acceſſi: vos ſemotæ: nos ſoli: incipit: Mi Pamphile, hujus formam atque ætatem vides? Nec clam te eſt, quàm illi utræque res inutilis Et ad pudicitiam & ad tutandam rem ſient.
- 55 Quod ego te per hanc dextram oro, & ingenium tuum, Per tuam fidem, perque hujus ſolitudinem Te obteſtor, ne abs te hanc ſegreges, neu deſeras: Si te in germani fratris dilexi loco, Sive hæc te ſolum ſemper fecit maximi,
- 60 Seu tibi morigera fuit in rebus omnibus. Te iſti virum do, amicum, tutorem, patrem: Bona noſtra hæc tibi committo, & tuæ mando fidci.

INTERPRETATIO.

ſed timeo ut violentiam paterni imperij poſſis ſuſtinere. *PA.* Adeone me puſillanimum putas eſſe, adeone ejus meritorum erga me immemorem, inhumanum, aut ferum: ut neque me familiaritatis conjunctio, neque amor, neque pudor impellat, & admoneat, ut perſeverem in fide erga illam? *MY.* Quid ſis facturus neſcio, ſed ego hoc unum ſcio, hanc meritam eſſe, ut memor eſſes fui. *PA.* Vt memor eſſem? ô Myſis, Myſis! etiam nunc mihi dicta illa Chryſidis impreſſa ſunt in animo meo de Glycerio. Illa jam morti proxima vocavit me ad ſe. Ego acceſſi ad eam. Vos ſeceſſiſtis. Nos ſoli remanſimus. Ea ſic incipit loqui: Mi Pamphile, hujus formam eximiam, & ætatem vides; nec te latet quàm illi utræque res iſta incommoda ſint, & ad conſervandam pudicitiam & rem familiarem: propter quod, oro te per hanc tuam dextram, & genium tuum; per tuam fidem, perque hujus ſolitudinem, te obteſtor, ne abs te hanc ſepares, neve deſeras. Si te ut fratrem germanum dilexi, ſive hæc te ſolum ſemper maximi fecit, ceteris hominibus poſthabitis; ſive in omnibus rebus tibi morem geſſit: te iſti virum do, amicum, tutorem, patrem; bona hac noſtra tibi committo, & tuæ commendo fidci.

ANNOTATIONES.

55. Et ingenium tuum,] Alii, ut & Donatus, legunt genium. Genius Deus eſt, in cujus tutela vivimus, à gignendo dictus, quòd ſtatim nos genitos ſuſcipiat, & tucatur. Fuit autem hic orandi modus, per Genium & dextram, Antiquis uſitatus, & familiaris, Horat. Epist. 7. lib. 1.

Quod te per Genium, dextramque, deoſque Penates. Obſecro & obteſtor.

57. Ne abs te hanc ſegreges,] Segregare eſt à grege ſeparare. Sententia eſt, ne ſegreges, id eſt repudies tibi junctam, neu deſeras ſolam, & orbam.

- Hanc mi in manum dat : mors continuo ipsam occupat :
 Accepi : acceptam servabo. *MY.* Ita spero quidem.
 65 *PA.* Sed cur tu abis ab illa ? *MY.* obstetricem accerso. *PA.* propera !
 Atque audin' ? verbum unum cave de nuptiis.
 Ne ad morbum hoc etiam. *MY.* teneo.

I N T E R P R E T A T I O.

Chrysis hac oratione finita, mihi Glycerium tradit in manum. Mors statim ipsam invadit. Datam accepi. Acceptam servabo. MY. Ita futurum id spero. PA. Sed cur abis ab illa ? MY. Obstetricem accerso. PA. Propera. Atque, audin' ? Cave, ne illi unum verbum dicas de nuptiis, ne ad morbum, propter hoc, molestia & dolor accedat.

A N N O T A T I O N E S.

63. *Hanc mihi in manum dat :*] Id est, sit mihi uxor, & materfamilias, quæ in manu, & viri potestate est.

A C T U S S E C U N D I S C E N A P R I M A.

C H A R I N U S. B Y R R H I A. P A M P H I L U S.

- CH.* Quid ais, Byrrhia ?
 Daturne illa Pamphilo hodie nuptum ? *BY.* sic est. *CH.* quæ scis, Byrrhia ?
BY. Apud forum modo de Davo audiui : *CH.* væ misero mihi !
 Ut animus in spe atque in timore usque antehac attentus fuit,
 5 Ita, postquam adempta spes est, lassus, cura confectus stupet.
BY. Quæso ædèpol Charine, quoniam id fieri, quod vis, non potest,
 Velis id, quod possit. *CH.* nihil aliud, nisi Philumenam volo.

I N T E R P R E T A T I O.

CH. Quid ais Byrrhia ? daturne hodie Philumena uxor Pamphilo ?
BY. Datur. *CA.* Quomodo id scis ? *BY.* Mòdò in foro id de Davo audiui. *CA.* Væ misero mihi ! ut animus in spe atque timore, antea usque huc attentus fuit ad hujus rei exitum : Ita postquam spes sublata est, lassus, cura confectus oblanguet & stupefactus est. *BY.* Quæso, ædèpol, Charine, quoniam id fieri quod vis non potest : velis id quod possit. *CA.* Nihil aliud, quam Philumenam volo.

A N N O T A T I O N E S.

2. *Daturne illa Pamphilo nuptum ?*] Dicitur nuptum, & nuptui dare, collocare viro virginem.

BY. Ah,

- BY.* Ah, quanto satius est, te id dare operam.
 Quæ istum amorem ex animo amoveas, quàm id loqui ;
 10 Quo magis libido frustra incendatur tua.
CH. FACILE OMNES, CUM VALEMUS, RECTA CONSILIA
 ÆGROTIS DAMUS.
 Tu si hîc sis, aliter sentias. *BY.* Age, age, ut lubet. *CH.* sed Pamphilum
 Video. omnia experiri certum est prius, quam pereo. *BY.* quid hic agit ?
CH. Ipsum hunc orabo : huic supplicabo. amorem huic narrabo meum.
 15 Credo, impetrabo, ut aliquot saltem nuptiis protrahat dies.
 Interea fiet aliquid, spero. *BY.* id aliquid nihil est. *CH.* Byrrhia !
 Quid tibi videtur ? ad eon' ad eum ? *BY.* quid ni ? si nihil impetres,
 Ut te arbitretur sibi paratum mæchum, si illam duxerit.
CH. Abin' hinc in malam rem cum suspitione istac, scelus !
 20 *PA.* Charinum video. salve. *CH.* ô salve Pamphile !
 Ad te advenio, spem, salutem, auxilium, consilium expetens.
PA. Neque pol consilii locum habeo, neque auxilii copiam.
 Sed istuc quidnam est ? *CH.* hodie uxorem ducis ? *PA.* ajunt.
CH. Pamphile,
 Si id facis, hodie postremum me vides. *PA.* quid ita ? *CH.* hei mihi,
 25 Vereor dicere : huic dic quæso, Byrrhia ! *BY.* ego dicam.
PA. quid est ?
BY. Sponsam hic tuam amat. *PA.* næ iste haud mecum sentit,
 ehodum dic mihi,

I N T E R P R E T A T I O.

BY. Ah, quanto potius est, te id laborare, ut istum amorem Philumena ex animo tuo ejicias, quam hos sermones habere, quibus cupiditas tua inutiliter inflammetur. *CH.* Facile omnes cum sani & valentes sumus, utilia præcepta ægrotis damus. Tu si meo loco sis, aliter sentias, quam sentis de amore meo. *BY.* Age, age, ut tibi videtur, sed Pamphilum video. Decrevi omnia exquirere ad salutem, priusquam peream. *BY.* Quid hic agit omnia exquisiturus imprudens ? *CH.* Ipsum Pamphilum orabo, huic supplicabo ; amorem meum vehementem huic exponam. Obtinebo, credo, ab illo, ut ad aliquot saltem dies nuptias suas differat : interea aliquid, ut spero, accidet boni. *BY.* Id aliquid nihil est. *CH.* Byrrhia, quid tibi videtur ? Adibo-ne Pamphilum ? *BY.* Quid ni ? saltem, ut si nihil ab eo impetres, existimet te sibi paratum uxoris Philumena adulterum. *CH.* Abi hinc in malum cruciatum, scelestè ! cum suspitione ista. *PA.* Charinum video. Salve Charine. *CH.* Ô salve Pamphile. Ad te confugio, spem, salutem, auxilium, consilium impetrare abs te cupiens. *PA.* Neque pol habeo facultatem aliis consulendi, neque potestatem auxiliandi. Sed quidnam est istud ? *CH.* Hodie uxorem ducis ? *PA.* Ajunt. *CH.* Pamphile, si hoc facis, hodie me ultimum vides in vivis. *PA.* Quid ita ? *CH.* Hei mihi ! non audeo præ verecundia dicere. Dic, quæso, huic, Byrrhia. *BY.* Ego dicam. *PA.* Quid est ? *BY.* Hic Charinus sponsam tuam Philumenam amat. *PA.* Certe, valde à me dissentit. Ehodum dic mihi

D

Numquidnam amplius tibi cum illa fuit Charine? *CH.* Ah Pamphile, Nihil. *P. A.* quàm vellem! *CH.* nunc te per amicitiam & per amorem obsecro,
 Principio, ut ne ducas. *P. A.* dabo equidem operam. *CH.* sed si id non potes,
 30 Aut tibi si nuptiæ hæ sunt cordi. *P. A.* cordi? *CH.* saltem aliquot dies
 Profer, dum proficiscor aliquò, ne videam. *P. A.* audi nunc jam: Ego Charine neutiquam officium liberi esse hominis puto, Cum is nil promereat, postulare id gratiæ apponi sibi. Nuptias effugere ego istas malo, quàm tu adipiscier.
 35 *CH.* Reddidisti animum. *P. A.* nunc si quid potes aut tu, aut hic Byrrhia,
 Facite, fingite, invenite, efficite, quæ detur tibi:
 Ego id agam mihi quæ ne detur, *CH.* sat habeo. *P. A.* Davum optume
 Video. hujus consilio fretus sum. *CH.* at tu hercle haud quidquam mihi,
 Nisi ea quæ nihil opus sunt sciri. fugin' hinc? *BY.* ego vero ac lubens.

INTERPRETATIO.

Charine, nunquid aliud amplius, quam amor tibi cum illa fuit. CH. Ah, Pamphile, nihil. P. A. Quàm vellem fuisset. CH. Nunc te per amicitiam nostram, & per amorem meum erga Philumenam obsecro, primò ut ne eam ducas. P. A. Equidem id conabor facere, ne mihi sit uxor. CH. Sed si non potes id efficere, aut si hæ nuptiæ ex animo placent. P. A. Placent? scilicet? CH. Saltem has aliquot dies protrahere, dum aliquò me conferam, ne videam illas. P. A. Audi nunc jam. Ego, Charine! minime officium ingenui hominis esse opinor postulare gratiam sibi haberi: cum nullo hanc officio pro-

meruerit. Ego istas nuptias effugere magis cupio, quam tu eas assequi. CH. Recreasti mihi animum tuis verbis. P. A. Nunc si quid potes, aut hic Byrrhia, facite, fingite, invenite, efficite, ut quavis modo tibi uxor Philumena detur. Ego studebo, ut ne mihi detur. CH. Sufficit mihi quod ais. P. A. Davum opportune video, cujus consilio confido. CH. At tu hercle, Byrrhia, multò absimilis es huic Davo. Nihil quicquam mihi dicis, nisi ea, quæ scire me, non sunt utilia. An non fugis hinc? B. Y. Ego vero fugi, ac libenter quidem.

ANNOTATIONES.

28. *Quàm vellem.*] Ut esset causa reculandæ Philumenæ in uxorem.
 30. *Cordi?*] Repetitio ironica. Imo hæ nuptiæ mihi Pamphilo displicent.
 36. *Efficite, qui detur tibi:*] Qui, pro, ut, Plaut. Valeo, & venio ad minus valentem, & melius qui valeat fero. Idem multis locis aliis.
 38. *Haud quicquam mihi,*] Ellipsis.

Subintellige, dicis.
 39. *Nisi ea*] Scilicet, propter ea, quæ in principio retuli: Byrrhia, *CH.* Daturne illa hodie Pamphilo nuptium? *BY.* Sic est. *CH.* Qui scis? *BY.* Apud forum modò de Davo audiui. Quæ verba meminit hoc loco Charinus se non libenter audivisse.

ACTUS II. SCENA II.

DAVVS, CHARINVS, PAMPHILVS.

D. A. **D**I boni! boni quid porto? sed ubi inveniam Pamphilum, Ut metum, in quo nunc est, adimam, atque expleam animum gaudio?
CH. Latus est, nescio quid. *P. A.* nihil est. nondum hæc rescivit mala.
D. A. Quem ego nunc credo, si jam audierit sibi paratas nuptias.
 5 *CH.* Audin' tu illum? *D. A.* toto me oppido exanimatum quærere. Sed ubi quæram? aut quo nunc primum intendam? *CH.* cessas alloqui?
D. A. Abeo. *P. A.* Dave ades, resiste. *D. A.* quis homo est, qui me? ô Pamphile!
 Te ipsum quæro. euge ô Charine! ambo opportune: vos volo.
CH. Dave, perii. *D. A.* quin tu hoc audi. *CH.* interii. *D. A.* quid timeas, scio.
 10 *P. A.* Mea quidem hercle certe in dubio vita est. *D. A.* & quid tu, scio.
P. A. Nuptiæ mihi. *D. A.* & id scio. *P. A.* hodie. *D. A.* obtundis, tamen si intelligo.

INTERPRETATIO.

D. A. **D**Ij boni, quam felicem, & gratum nuntium assero? Sed cum hic eum non invenio. *P. A.* Dave, accede, gradum siste. *D. A.* Quis homo est, qui me appellat? O Pamphile, te ipsum quæro. Euge ô Charine, ambo opportune adestis. Vos alloqui volo. *CH.* Dave, perij. *D. A.* Imo, tu hoc audi. *CH.* Prorsus de me actum est. *D. A.* Quid tu timeas scio. *P. A.* Mea quidem hercle vita in gravi periculo versatur. *D. A.* Et tu quid timeas quoque scio. *P. A.* Nuptiæ mihi paratæ sunt. *D. A.* Et id scio. *P. A.* In hunc ipsum diem. *D. A.* Me verbis enecas, quamvis quid sentias intelligam. Tu, ô Pamphile,

ANNOTATIONES.

1. *Dij boni*] Erant enim & dij Iovis, & Timor: quin & Impudentiæ, mali, ut Pestis, Febris, Palus, & Infamiæ templa posita fuere.
 D ij

- Id paves, ne ducas tu illam; tu autem, ut ducas. *CH.* rem tenes.
PA. Istuc ipsum. *DA.* atqui istuc ipsum, nil pericli est: me vide.
 15 *PA.* Obsecro te, quamprimum hoc me libera miserum metu.
DA. Hem.
 Libero, uxorem tibi jam non dat Chremes. *PA.* qui scis? *DA.* scio;
 Tuus pater modo meprehendit: ait tibi uxorem dare sese
 Hodie, item alia multa, quæ nunc non est narrandi locus.
 Continuo ad te properans, percurro ad forum, ut dicam tibi hæc;
 20 Ubi te non invenio, ibi ascendo in quendam excelsum locum.
 Circumspicio, nusquam, forte ibi hujus video Byrrhiam:
 Rogo: negat vidisse. mihi molestum, quid agam, cogito.
 Redeunt interea, ex ipsa re mi incidit suspicio, hem.
 Paululum opsoni, ipse tristis, de improvise nuptiæ.
 Non coherent. *PA.* quorsumnam istuc? *DA.* ego me conti-
 nuo ad Chremem.
 25 Cum illoc advenio, solitudo ante ostium, jam id gaudeo.
PA. Recte dicis, perge. *DA.* maneo, interea introire neminem

INTERPRETATIO.

id metuis, ne ducas uxorem Philumenam, tu Charine, ne non ducas. *CH.* Intelligis id quod res est. *PA.* Istud ipsum est. *DA.* Atqui istud ipsum, quod times, nullum in se habet periculum. Me vide. *PA.* Oro te, quamcito hunc mihi misero timorem adime. *DA.* Hem adimo. Chremes jam tibi filiam non dat uxorem. *PA.* Quomodo id scis? *DA.* Ego scio. Tuus pater modo me manu apprehendit; ait se hodie tibi uxorem dare, item alia multa; qua commemorandi nunc tempus non est. Illico ad te properans celeriter cucurri ad forum, ut hæc tibi dicam. Vbi te non invenio, ascendo ibidem, in altum quendam locum; circum-

spicio. Nusquam ego te aspicio. Forte ibi hujus Charini servum Byrrhiam video; quaro ab eo, num te viderit; respondet non vidisse. Egredere id fero: quid mihi sit agendum cogito. Interea mihi redeunt in foro forte orta est suspicio ex ipso nuptiarum apparatu. Hem, inquam, apud me; paululum opsonij est apparatus, ipsemet pater Simo tristis est, quem hilarum esse decet, tam subito nuptia sunt. Hac inter se non conveniunt. *PA.* Quamobrem hæc dicis? *DA.* Ego me continuo confesso ad Chremetis domum. Cum ego illic advenio, solitudo videtur ante ostium: jam ex eo gaudeo. *CH.* Recte dicis, perge. *DA.* Illic expecto, interea neminem introire

ANNOTATIONES.

12. Ne ducas tu illam; tu autem, ut ducas.] Post verba timendi, Ne, pertinet ad fugienda: Ut, ad cupita, pro quo dicimus, ne non. Ergo vir amicus timet, ne ægrotus moriatur; qui vero illius hereditati inhiat, timet ut moriatur, vel, ne non moriatur.
13. Me vide.] Afferentio promittentis: Terentius etiam ea utitur in Phormione; Fient, me vide. Hoc etiam genere sermonis Gallicè utimur, cum quippiam, aut non credenti, aut non intelligenti persuadere, aut demonstrare cupimus.

- Video, exire neminem, matronam nullam, in ædibus
 Nihil ornati, nihil tumulti. accessi, introspexi. *PA.* Scio.
 Magnum signum. *DA.* Num videntur convenire hæc nuptiis?
 30 *PA.* Non opinor, Dave. *DA.* opinor, narras? non recte accipis.
 Certa res est. etiam puerum inde abiens conveni Chremis,
 Olera & pisciculos minutos ferre obolo in cœnam seni.
CH. Liberatus sum, Dave, hodie tua opera. *DA.* at nullus quidem.
CH. Quid ita? nempe huic profus illam non dat. *DA.* ridiculum caput.
 35 Quasi necesse sit, si huic non dat, te illam uxorem ducere.
 Nisi vides, nisi senis amicos oras, ambis. *CH.* bene mones.
 Ibo: etsi hercle sæpe jam me spes hæc frustrata est. vale.

INTERPRETATIO.

video, exire neminem; matronam nullam in domo, nullum ornatum, nullum tumultum discurrentis multitudinis. Accessi intro, circumspexi. *PA.* Scio, curiosus es. Magnum indicium est nuptias non parari. *DA.* Num videntur convenire hæc futuris nuptiis? *PA.* Non opinor, Dave. *DA.* Opinor, inquis? non recte intelligis: certa res est, non opinio. Præterea discedens illinc, conveni servulum Chremetis, qui dicebat se ferre olera, & minutos pisciculos, obolo emptos, in scenam seni. *CH.* Li-

beratus sum hodie omni cura, & metu tuâ operâ. *DA.* Minime quidem liberatus es. *CH.* Quid ita? Nempe Chremes non dat filiam suam Pamphilo. *DA.* Ridiculum hominem: quasi necesse sit, si ille non dat filiam Pamphilo, te illam uxorem accipere. Nisi tu provides, nisi senis Chremetis amicos oras, ambis: nihil efficies. *CH.* Bene mones. Ibo ut ea, qua præcipis, exequar; quamvis hercle, hæc spes me jam sæpe fefellit. Vale.

ANNOTATIONES.

27. Matronam nullam.] Matronæ pronubæ nuptiarum celebrationi præerant ex parte uxoris, sicut Aruspex ex parte mariti. Illæ nuptiam in mariti domum deducebant, & eam in geniali toro collocabant. Ad hujusmodi officium spectata pudicitia mulieres adhibebantur, quæ uni solum viro nupsissent.
28. Nihil ornati.] Antiquus genitivus, pro, ornatus. Fores floribus, & frondibus ornari consueverant.
32. Obolo] Obolus, minutus fuit nummus Græcus, sexta pars drachmæ. drachma Attica, & denarius Romanus valebant sex assibus nostris Turonensibus. Obolus igitur asse Turonensi, vel duodecim nummulis Turonensibus valebat, douze deniers tournois.
33. At nullus quidem.] Nullus, pro, non.
36. Nisi vides, &c.] Ellipsis; deest enim, efficies. Ellipsis est figura, quæ in oratione aliquid reticemus, quod ad ejus absolutionem sit necessarium.

ACTUS II. SCENA III.

P AMPHILVS. D AVVS.

- P. A.* Quid igitur sibi volt pater? cur simulat? *D. A.* ego dicam tibi. Si id succenseat nunc, quia non dat tibi uxorem Chremes: Ipfus sibi esse injurius videatur. neque id injuria: Prius, quam tuum animum ut sese habeat, ad nuptias perspexerit;
- 5 Sed si tu negaris ducere, ibi culpam in te transferet: Tum illæ turbæ fient. *P. A.* quid? vis patiar? *D. A.* pater est, Pamphile.
- Difficile est. tum hæc sola est mulier: dictum ac factum inveni-
nerit
- Aliquam causam, quamobrem ejiciat oppido. *P. A.* ejiciat? *D. A.* cito.
- P. A.* Cedo igitur, quid faciam Dave? *D. A.* dic te ducturum. *P. A.* hem! *D. A.* quid est.
- 10 *P. A.* Egone dicam? *D. A.* cur non? *P. A.* nunquam faciam. *D. A.* ne nega.
- P. A.* Suadere noli. *D. A.* ex ea re quid fiat, vide.
- P. A.* Ut ab illa excludar, huc concludar. *D. A.* non ita est.

INTERPRETATIO.

P. A. Quid igitur pater cogitat facere? cur simulat nuptias? *D. A.* Ego dicam tibi: si propter id pater tuus nunc irascatur, quia Chremes nolit ut suam filiam ducas; ipsemet sibi videri possit injuriam tibi facere; & jure quidem, priusquam perspexerit qua tua sit voluntas de nuptiis; sed si tu dixeris te nolle uxorem, tunc ille culpam in te conjiciet: tum etiam lites, & jurgia maxima commovebuntur. *P. A.* Quid vis? patiar uxorem mihi dari? *D. A.* Pater tuus est, Pamphile! Difficile est te ei re-

sistere. Præterea hæc mulier quam amas, sola est sine auxilio. Dicto citius inveniet aliquam causam, propter quam expellat illam à civitate. *P. A.* Expellat? *D. A.* Illicò. *P. A.* Dic mihi igitur, quid faciam, Dave? *D. A.* Dicte uturum Philumenam. *P. A.* Hem. *D. A.* Quid est? *P. A.* Egone id dicam? *D. A.* Cur non? *P. A.* Nunquam faciam, Dave. *D. A.* Noli negare te ducturum esse. *P. A.* Noli suadere, ut dicam me ducturum. *D. A.* Vide, quid ex ea re eveniat. *P. A.* Ut à Glycerio excludar, cum Philumena concludar. *D. A.* Non ita est.

ANNOTATIONES.

3. [Ipsus sibi] Barlandus, inquit; refer, sibi, ad videatur, & subaudi ad vocem injurius dativum, tibi.

7. [Dictum, ac factum.] Donatus

proverbium celeritatis esse ait. Græci dicunt ἀμα εἶπε, ἀμα ἔργον. Gallicè, aussitôt dit, aussitôt fait. Simul factum, ac dictum.

- Nempe hoc sic esse opinor dicturum patrem:
Ducas volo hodie uxorem. tu, ducam, inquires:
- 15 Cedo, quid jurgabit tecum? hæc reddes omnia,
Quæ nunc sunt certa ei consilia, incerta ut fient,
Sine omni periculo. nam hocce haud dubium est, quin Chremes
Tibi non det gnatam: nec tu ea causa minueris
Hæc quæ facis, ne is mutet suam sententiam.
- 20 Patri dic velle: ut, cum velit tibi jure irasci, non queat.
Nam quod tu speras, propulsabo facile: uxorem his moribus
Dabit nemo. inopem inveniet potius, quam te corrumpi sinat;
Sed si te æquo animo ferre accipiet, negligentem feceris.
Aliam otiosus quæret, Interea aliquid acciderit boni.
- 25 *P. A.* Itan' credis? *D. A.* haud dubium id quidem est. *P. A.* vide, quo me inducas. *D. A.* quin taces?
P. A. Dicam. puerum autem ne resciscat mihi esse ex illa, cautio est:
Nam pollicitus sum suscepturum. *D. A.* ô facinus audax! *P. A.* hanc fidem
Sibi, me obsecravit, quæ se sciret non deserturum, ut darem.
D. A. Curabitur, sed, pater adest, cave, te esse tristem sentiat.

INTERPRETATIO.

Nempe opinor, id esse dicturum tibi patrem; Simonem; volo, ut hodie ducas uxorem. Tu verò, ducam, inquires. Dic mihi, qua de re pater jurgabit tecum, si ita ei responderis. Tunc id efficies, ut quod certum & deliberatum est ei exequi, incertum fiat, sine ullo periculo ducenda Philumena: nam hocce dubium non est, quin Chremes non det tibi filiam uxorem. Nec tu, eâ causâ, quod dixeris patri tuo te illam ducturum, minus frequenter cum Glycerio versaberis; ne scilicet Chremes credens te illam dimisisse, mutet sententiam de non danda tibi filia; teque rursus generum petat. Tu autem dic patri te velle facere, qua voluerit; ut quamvis cupiat, tibi iusta de causa irasci non possit. Nam quod tu speras, Refutabo facile: nemo, inquis, dabit uxorem homini his moribus pradito: Pa-

ter tuus potius tibi inveniet uxorem egenam, & indotatam; quam te perditum ire amica amore patiat. Sed si cognoverit te libenter velle uxorem; facies eum obsequio negligentem, & tibi aliam quam Chremetis filiam otiosus cunctator quæret. Interea aliquid accidet, quod desiderio tuo respondeat. *P. A.* Itane credis fore? *D. A.* Certum id quid m est. *P. A.* Vide in quod periculum me conjicis. *D. A.* Quin taces securus? *P. A.* Dicam patri me ducturum esse Philumenam. Cavendum autem est diligenter ne pater resciscat puerum esse mihi à Glycerio; nam ei promisi me illum educaturum. *D. A.* ô facinus temerarium! *P. A.* Illa oravit me ut hoc sibi pollicerer, ut sciret me non eam solam relicturum. *D. A.* Illud à me curabitur; sed pater adest. Cave ne te esse tristem ex vultu deprehendat.

ANNOTATIONES.

18. [Minueris] Minus frequentem consuetudinem habere debes cum Glycerio, quod videre est ex his verbis; Quid igitur sibi vult pater?

ACTUS II. SCENA IV.

SIMO. DAVVS. PAMPHILVS.

SI. **R** Evifo quid agant, aut quid captent confilij.
 DA. **R** Hic nunc non dubitat quin te ducturum neges.

Venit meditatus alicunde ex solo loco:

Orationem sperat invenisse se,

5 Qua differat te: proin' tu face, apud te ut fies.

PA. Modò ut possim Dave. DA. crede hoc mihi inquam, Pamphile,

Nunquam hodie tecum commutaturum patrem

Unum esse verbum, si te dices ducere.

INTERPRETATIO.

SI. **R** Edeo, ut videam, quid Pamphilus, & Davus agant aut quid consilij capere cupiant. DA. Patri nunc dubium non est, quin te ducturum uxorem neges. Venit ille ex secreto aliquo loco, meditatus orationem, quam sperat se invenisse idoneam; quã animum tuum disturbet, & in diversum distrahatur; proinde fac ut sis tui compos, & paratus ad respondendum. PA. Dummodò id possim. DA. Crede mihi hoc, inquam, Pamphile, patrem tuum, ne uno quidem verbo tecum altercaturum, si te dices uxorem velle, quam dederit.

ANNOTATIONES.

3. **C**aptent] Captare, est desiderare; capere; ut vendito, non est, frequenter vendo; sed vendere cupio. zalia multa sunt, quæ frequentativæ formæ censentur, cum sint desiderativa; qualia sunt prendo, dormito, ostento, munito, id est munire cupio. Hæc ex Turnebo.

7. **Commutaturum unum esse verbum,**] Sermones commutare, est colloqui; sed hoc loco est altercari, & verbis invicem certare, & nunquam tecum commutaturum unum esse verbum, hoc possis interpretari, ne uno quidem verbo tibi reclamaturum.

ACTUS II. SCENA V.

BYRRHIA. SIMO. DAVVS. PAMPHILVS.

BY. **H** Erus me relictis rebus jussit Pamphilum
 Hodie observare, ut, quid ageret de nuptiis,

INTERPRETATIO.

BY. **H** Erus Charinus jussit me re- die observare Pamphilum, ut scirem
 bus omnibus posthabitis, ho- quid ageret de nuptiis cum Philumenâ:
 Scirem.

Scirem. id propterea nunc hunc venientem sequor.

Ipsum adeo præsto video cum Davo. hoc agam.

5 SI. Utrumque adesse video. DA. hem, serva. SI. Pamphile!

DA. Quasi de improviso respice ad eum. PA. ehem pater.

DA. Probe. SI. hodie uxorem ducas, ut dixi, volo.

BY. Nunc nostræ parti timeo, hic quid respondeat.

PA. Neque istic, neque alibi tibi usquam erit in me mora. BY. hem!

10 DA. Obmutuit. BY. quid dixit? SI. facis, ut te decet.

Cum istuc, quod postulo, impetro cum gratia.

DA. Sum verus? BY. herus, quantum audio, uxore excidit.

SI. I jam nunc intrò, ne in mora, cum opus sit, fies.

PA. Eo. BY. nullane in re esse homini cuiquam fidem!

15 Verum illud verbum est, vulgo quod dici solet,

OMNES SIBI MALLE MELIUS ESSE, QUAM ALTERI.

Ego illam vidi virginem: forma bona

INTERPRETATIO.

propterea nunc venientem hunc subsequor. Sed ecce hic propius adest cum Davo. Hoc agam, ipsum observabo. SI. Utrumque, Pamphilum, ac Davum prope esse video. DA. Hem serva, qua pramonui. SI. Pamphile. DA. Respice ad patrem, tanquam non prævideris illum. PA. Hem pater. DA. Probe respondisti. SI. Volo ut ducas uxorem hodie, ut tibi dixi. BY. Ego nunc metuo nobis; sollicitus quid Pamphilus respondeat patri. PA. Neque in ista re, neque in ulla alia ero unquam in mora, quominus ea fiant, qua volueris. BY. Hem. DA. Ad hoc responsum Pamphili, pater Simo obmutuit. BY. Quid dixit Pamphilus? SI. Facis, ut te decet, quum istud quod postulo, impetro à te tam grate, & obsequiose. DA. Nonne sum veridicus? BY. Herus, quantum ex verbis Pamphili intelligo, uxoris spe dejectus est. SI. I jam nunc intro, ut nulla mora per te fiat, quando opus erit. PA. Eo. BY. Itane est ut nulla in re homini cuiquam sit fides? Verum est illud proverbium: Omnes sibi melius esse malle, quam alteri. Ego vidi virginem illam Philumenam.

ANNOTATIONES.

3. **Id propterea]** Id, sæpe apud Plautum & Terentium amat poni pro *ideo*, & propter *id*: estque antiqua locutio; quamobrem quidam censent legendum hic esse: *Ut quid ageret de nuptiis scirem id*. Nam si legatur, id propterea, alterum fore supervacuum. Verum tamen vera est lectio *id propterea*. Etenim tralatitium, ut synonymæ voces apud hunc autorem, aliosque sæpe junguntur, ut *sæpe quidem*; *etiam quoque*; *nunc jam*; *ergo igitur*; *quomovis licet*; *propterea* *ocys*; aut ornandi, aut explendi metri, aut significationis intendendæ causa, etsi superflua, copulantur.

4. **Præsto video]** Præsto esse, id est præsentem esse, vel adesse. Cicero; præsto sunt hirundines æstivo tempore. Et pluribus locis aliis.

6. **Quasi de improviso]** Id est, reflectendo conjice ita oculos ad eum; ac si antea illum non vidisses; ne suspicetur meditata nos habuisse consilia.

9. **B. Hem!]** Interjectio est indignantis Byrrhiæ, qui secum hoc totum loquitur.

10. **B. Quid dixit?]** Interrogatio est indignantis; & Byrrhia secum hoc totum loquitur.

Memini videre, quo æquior sum Pamphilo,
Si se illam in somnis, quam illum, amplecti maluit,
20 Renunciabo, ut pro hoc malo mihi det malum.

INTERPRETATIO.

memini me vidisse illam formā honestā rem in somnis, quam illum, (Charis- esse. Quapropter æquior sum & modera- num) amplecti maluit. Illud hero me- rior in accusando Pamphilo, quod ver- renunciabo, ut pro hoc malo nuncio, ma- ba dederit Charino; si se illam ut uxore male traheret.

ACTUS II. SCENA VI.

DAVVS. SIMO.

D. A. **H**ic nunc me credit aliquam sibi fallaciam
Portare, & ea me hic restitisse gratia,
S. I. Quid Davus narrat? **D. A.** æque quidquam nunc quidem,
S. I. Nihilne? hem. **D. A.** nihil profus. **S. I.** Atqui expectabam
quidem.
§ **D. A.** Præter spem evenit: sentio: hoc male habet virum.
S. I. Potin' es mihi verum dicere? **D. A.** Nihil facilius.
S. I. Num illi molestæ quidpiam hæ sunt nuptiæ,
Propter hospitæ hujuscæ consuetudinem?
D. A. Nihil hercle: aut si adeo; bidui est, aut tridui.
§ **Hæc sollicitudo: nostin'?** deinde desinet:

INTERPRETATIO.

D. A. **S**imo me credit aliquam falla- quicquam à me, quod speraret scire: hoc
ciam huc afferre, atque eā male habet virum. **S. I.** Potestne mihi ve-
de causā hic remansisse. **S. I.** Quid rum dicere? **D. A.** Hoc mihi nihil faci-
Davus narrat? **D. A.** Nihil quidem cilius est. **S. I.** Nonne filius agre fert has
quidquam nunc, æque atque antea nar- nuptias, propter istius peregrinæ Glycerij
ro. **S. I.** Nihilne? hem. **D. A.** Nihil pror- consuetam familiaritatem? **D. A.** Neu-
sus. **S. I.** At ego expectabam ut aliquid tiquam hercle, aut si adeo agre fert,
narrares. **D. A.** Evenit illi contra expe- duorum dierum, aut trium hæc agrum
ctationem, sentio, quod nihil inaudivir- do est. Scisne? Deinde finem accipiet:

ANNOTATIONES.

1. **D.** **H**ic nunc me credit.] Davus se- Hoc male habet virum.] Quod de me
cum ita videtur loqui, ut nihil rescire potest certi, de animo
spectator tantum audiat: sic tamen lo- filii; qui præter spem ejus promisit
quitur, ut velit audiri à Simone. se ducturum uxorem: quodque suspi-
4. **Hem.**] Indignantis hinc vox est. cari videamur, ipsum nuptias simula-
5. **Præter spem evenit:**] Hoc secum re. Idcirco Davus postea dixit, com-
loquitur Davus. movi,

Et enim eam secum rem recta reputavit via.
S. I. Laudo. **D. A.** dum licitum est illi, dumque ætas tulit,
Amavit: tum id clam. cavit, ne unquam infamiae
Ea res sibi esset, ut virum fortem decet.
§ Nunc uxore opus est: animum ad uxorem appulit.
S. I. Subtristis visus est esse aliquantulum mihi.
D. A. Nihil propter hanc rem: sed est, quod succenseat tibi.
S. I. Quidnam est? **D. A.** puerile est. **S. I.** quid est? **D. A.** nihil. **S. I.**
quin dic, quid est!
D. A. Ait nimium parce facere sumptum. **S. I.** mene? **D. A.** te.
20 Vix, inquit, drachmis opsonatus est decem?
Num filio videtur uxorem dare?
Quem, inquit, vocabo ad cœnam meorum æqualium
Potissimum nunc? & quod dicendum hinc fiet,
Tu quoque perparce nimium. non laudo. **S. I.** tace.
25 **D. A.** Commovi. **S. I.** ego, istæ recte ut fiant, videro.
Quidnam hoc rei est? quidnam hic volt veterator sibi?
Nam si hinc mali est quidquam, hem illic est huic rei caput.

INTERPRETATIO.

namque recta ratione sapius considera- drachmarum pretio obsonia emit. Num
vit in animo hunc insanum amorem Gly- filio nuptias videtur apparare? Quem,
cerij. **S. I.** Hac de causa eum laudo. inquit, invitabo ad cœnam meorum
D. A. Dum illi per te licitum fuit, at- æqualium, maxime nunc in hac nup-
que ætas p. remisit, amori indulgit: tum tiarum celebritate? Et quod tuâ ve-
id secretò. Cavit ne unquam ex hac re niâ hic absente filio dicere debeo; tu quo-
infamiam contraheret, ut virum for- que parce, nimium sumptum facis. Non
tem decet. Nunc uxore illi opus est: ideo, laudo istud. **S. I.** Tace. **D. A.** Ego sollici-
ille animum contulit ad uxorem ducen- tavi animum Simoni meis verbis, &
dam. **S. I.** Visus est mihi subtristis esse ali- in suspicionem adduxi, nos credere nup-
quantulum. **D. A.** Minime sane propter tias eum simulare. **S. I.** Ego providebo ut
nuptias, sed causam habet cur tibi sub- hac decent. & parentur & fiant. Quidnam
irascatur. **S. I.** Quidnam est? **D. A.** Pue- hoc rei est? quidnam sibi vult hic ve-
rilis res est. **S. I.** Quid est? **D. A.** Nihil. tus fraudum architectus? Nam si hic,
S. I. Tamen, dic mihi quid sit. **D. A.** Ait in his nuptiis quicquam impedimenti est
te nimis parcum esse in faciendo sumptu. hem, in hoc rerum cardine præcipue ver-
S. I. Mene? **D. A.** te. Vix, inquit, decem- satur hujus impedimenti caput.

ANNOTATIONES.

11. **Reputavit.]** Sic Donatus legit. Alii inter nos, non a libi,
reputabit. 26. **Veterator.]** Imposituris assuetus.
23. **Quod dicendum hic fiet.]** Id est hic



ACTUS TERTIUS SCENA I.

MYSIS. SIMO. DAVVS. LESBIA.

GLYCERIVM.

MY. **I**TA pol quidem res est, ut dixi Lesbia:

Fidelem haud ferme mulieri invenias virum.

SI. Ab Andria est ancilla hæc. quid narras? DA. ita est.

MY. Sed hic Pamphilus. SI. quid dicit? MY. firmavit fidem.

SI. hem.

5 DA. Utinam aut hic surdus, aut hæc muta facta sit.

MY. Nam quod peperisset, jussit tolli. SI. ô Jupiter,

Quid ego audio? actum est, siquidem hæc vera prædicat.

LE. Bonum ingenium narras adolescentis. MY. optimum.

Sed sequere me intrò, ne in mora illi sis. LE. sequor.

10 DA. Quod remedium nunc huic malo inveniam? SI. quid hoc?

Adeon' est demens? ex peregrina? jam scio: ah!

Vix tandem sensi stolidus. DA. quid hic sensisse ait?

INTERPRETATIO.

MY. **I**Ta pol quidem res se habet, ut dixisti, Lesbia! non facile invenietur vir constantis fidei erga mulierem. SI. Ex Andria familia est hæc ancilla. Quid narras? DA. Ita est. MY. Sed hic Pamphilus. SI. Quid illa dicit? MY. Fidem, quam dederat, confirmavit. SI. Hem. DA. Utinam, aut hic surdus, aut hæc muta facta sit. MY. Nam quem partum illa edidisset, ille jussit educari. SI. O Jupiter! quid ego audio?

actum est de nobis, si modo ea vera sunt, qua hæc ancilla prædicat. LE. Mores bonos narras adolescentis. MY. Optimos; sed sequere me intrò, ne tardius ad illam venias. DA. Quale remedium nunc huic malo inveniam? SI. Quid hoc rei est? adeone Pamphilus insanit ex amore hujus peregrina? Iam tandem novi rem omnem. ah, vix tandem intellexi stultus ego, hanc fallaciam. DA. Quid hic se intell. xisse ait?

ANNOTATIONES.

LAudat hic in principio hujus Scenæ Mysis Pamphilum à fidei constantiâ erga Glycerium.

4. Sed hic Pamphilus.] Mysis pergit laudare Pamphilum, non attendens ad Simonis verba, sed alloquens Lesbiam: Itaque sensus est; vix invenias virum fidelem mulieri; sed hic Pamphilus ita fidelis est Glycerio, ut fidem, quam ei dederat se eam ducturum, confirmaverit, pollicendo ei, se, quod peperisset, educaturum cum posset, ex-

ponere. Exinde inter se, seorsum colloquuntur.

10. Quod remedium] Simo, ex sermone Mysis ad Lesbiam, audiverat ea quæ Pamphilus pollicitus fuerat Glycerio, in confirmationem fidei datæ; propterea sollicitus Davus quærit; qua arte avertat mala, quæ ex improvidâ Mysis narratione acciderè poterant; idcirco jam dixerat; utinam aut hic surdus, aut hæc muta facta sit,

SI. Hæc primum adfertur jam mihi ab hoc fallacia.

Hanc simulant parere, quo Chremetem absterreant.

15 GL. Iuno Lucina fer opem, serva me, obsecro.

SI. Hui, tam cito? ridiculum. postquam ante ostium

Me audivit stare, appropereat. non fat commode

Divisa sunt temporibus tibi, Dave, hæc. DA. mihi?

SI. Num immemor es discipuli? DA. ego, quid narres, nescio.

20 SI. Hicce si me imparatum in veris nuptiis

Adortus esset, quos mihi ludos redderet?

Nunc hujus periculo sit. ego in portu navigo.

INTERPRETATIO.

SI. Hæc primum jam mihi intenditur à Davo fallacia. Hanc simulant parere, ut deterreant Chremetem à nuptiis faciendis. GL. Iuno Lucina fer opem, serva me, obsecro SI. Hui, tam cito Glycerium parit? Resu digna res. Vt primum illa me audivit ante ostium stare, festinat parturire. Hæc, Dave, non satis apte tibi per tempora disposita sunt. DA. Mihi hoc dicit? SI. Num

ita oblivisceris, & negligis Pamphilum discipulum tuum, ut eum tam male doceas? DA. Ego minime intelligo, quid dicas. SI. Se me hic improvidum fallaciarum suarum, parantem veras nuptias filio, aggressus esset; quot modis me fuisset ludificatus; nunc ejus periculo hæc à me simulantur: res vero mea intuto sunt posita.

ANNOTATIONES.

15. Hui, tam cito?] Hui interjectio est admirantis, irascentis, interdum etiam iridentis, qualis hic est.

19. Num immemores. Dave, discipuli?] Alii legunt in nominativo plurali; Num immemores discipuli tui sunt

præceptorum, quæ eis tradidisti? Hi discipuli sunt, Pamphilus, Mysis, & Lesbia, quos Simo ait magistrum habere Davum in necestendis dolis, & magistri præcepta imprudenter observare, atque exequi.

ACTUS III. SCENA II.

LESBIA. ARCHILLIS. SIMO. DAVVS.

LE. **A**Dhuc, Archillis, qua adsolent, quæque oportent

Signa ad salutem esse, omnia huic esse video.

Nunc primum fac, istæc ut lavet: post deinde,

Quod jussi, ei date bibere, & quantum imperavi,

INTERPRETATIO.

LE. **A**Dhuc Archillis omnia signa, qua solent, quæque oportet indicare salutem decumbentium ex partu huic

puerpera adesse video. Nunc primum fac, ut ista lavet: deinde date ei bibere, quod præscripsi, & quantum imperavi.

ANNOTATIONES.

3. **F**ac ut ista lavet:] Lavet de balneo intelligendum est. Lavabant lassî, peregrè venientes. Plaut. in Tru-

culento, in Epidico. Actu 5. Sc. 1. Et lavatrina Balneum domesticum.

- 5 Date : mox ego huc revertor.
Per ecastor scitus puer natus est Pamphilo.
Deos quaeso, ut sit superstes : quandoquidem ipse est ingenio bono,
Cumque huic veritus est optumæ adolescenti facere injuriam.
SI. Vel hoc quis non credat, qui norit te, abs te esse ortum?
D A. quidnam id est?
10 SI. Non imperabat coram, quid opus factò esset puerperæ.
Sed postquam egressa est, illis, quæ sunt intus, clamat de via.
O Dave, itan' contemnor abs te? aut itane tandem idoneus
Tibi videor esse, quem tam aperte fallere incipias dolis?
Saltem accurate, ut metui videar certe, si resciverim.
15 D A. Certe hercle nunc hic se ipsus fallit, haud ego. SI. edixin'
tibi?
Interminatus sum, ne faceres? num veritus? quid rettulit?
Credon' tibi hoc nunc, peperisse hanc è Pamphilo?
D A. Teneo, quid erret : quid ego agam, habeo. SI. quid taces?
D A. Quid credas? quasi non tibi renunciata sint hæc sic fore.
20 SI. Mihin' quisquam? D A. eho, an tute intellexit hoc adsi-
mulari? SI. irrideor.
D A. Renunciatum est : nam quæ istæc tibi incidit suspicio?

I N T E R P R E T A T I O .

Statim post redibo huc. Ecastor, puer valde pulcher, & elegans natus est Pamphilo. Deos precor, ut vitalis sit, & incolumis, quoniam certe pater ejus bono est ingenio, & veritus est facere injuriam huic bonæ adolescenti mulieri. SI. O Dave! quis non credat, qui te noverit, hoc etiam à te esse inventum? D A. Quidnam id est? SI. Lesbia obstetricis non præcipiebat ipsi puerpera, soram in cubiculo, quæ faciendæ erant; sed postquam exiit foras, mulieribus, quæ sunt intus, maluit imperare, clamando de via. O Dave itane contemnor à te? Aut itane tandem videor tibi aptus & opportunus, quem tam manifeste fallere incipias dolis? Saltem astute, non tam aperte me decipias; ut ego videar metui à te, non solidus, & excors astimari, idque certe, si resciverim. D A. Certe herclè, hic se ipse nunc fallit, non ego illum. SI. Nonne edixi tibi, & minando vetui, ne tu faceres aliquam in nuptiis fallaciam? Num veritus es? Quid profuit edicere, & minari? Putasne me tibi credere hoc; peregrinam hanc à Pamphilo gravidam factam filium ei peperisse? D A. Scio in quo Simo fallatur. Ego paratum habeo, quid agam. SI. Quid taces? D A. Cur credas hanc peregrinam peperisse? Quasi verò non tibi renunciatum sit hæc eventura esse. SI. Mihine quisquam renunciavit. D A. Eho! an per te solus intellexisti fingi hoc; Glycerium peperisse? SI. Irrideor. D A. Renunciatum est tibi sic fore. Nam unde hæc suspicionem aliter habere potuisti?

A N N O T A T I O N E S .

7. *Ut sit superstes.* Olim parentes precabantur, ut sibi sui liberi superstites essent, id est superviverent: Unde su-

perditionem dictam esse ait Cicero, de Nat. Deor. Mart. lib. 7. epig. 95.

- SI. Qui? quia te noram. D A. quasi tu dicas, factum id consilio meo.
SI. Certe enim scio. D A. non satis me pernocti etiam, qualis sim, Simo.
SI. Egone te? D A. sed, si quid narrare occæpi, continuo dari
25 Tibi verba censens. SI. falso. D A. itaque hercle nihil jam mutire audeo.
SI. Hoc ego scio unum, neminem peperisse hic. D A. intellexin'? Sed nihilo feciu' mox deferent puerum huc ante ostium.
Id ego jam nunc tibi renuncio, here, futurum, ut sis sciens :
Ne tu hoc mihi posterius dicas, Davi factum consilio, aut dolis.
30 Prorsus à me opinionem hanc tuam esse ego amotam volo.
SI. Unde id scis? D A. audivi, & credo. multa concurrunt simul, Qui conjecturam hanc nunc facio. jam primum hæc se è Pamphilo Gravidam dixit esse. inventum est falsum, nunc, postquam videt Nuptias domi apparari, missa est ancilla illico
35 Obstetricem accersitum ad eam, & puerum ut adferret simul. Hoc nisi fit, puerum ut tu videas, nil moventur nuptiæ.
SI. Quid ais? cum intellexeras
Id consilii capere, cur non dixit extemplo Pamphilo?

A N N O T A T I O N E S .

SI. Unde? Quia noram ingenium esse Davi suasu, & fraudibus. Omnino hanc omnem suspicionem tuam à me depulsam esse volo. SI. Unde tu scis hanc Glycerium peperisse? D A. Audivi, & credo. Multa concurrunt, unde hanc conjecturam nunc facio: jam primum hæc se dixit gravidam esse extemplo Pamphilo. Hoc falsum esse compertum est, nunc postquam videt nuptias apparari domi, statim ancilla missa est ab illa Glycerio, vocatum obstetricem ad ipsam, ut simul afferret aliquem puerum supposititum. Hoc nisi fiet, & puerum aliatum videas; ab illis turbari nequeunt nuptiæ. SI. Quid ais? Postquam intellexeras eas id consilii capere, cur non id illico Pamphilo renunciasti?

A N N O T A T I O N E S .

25. *Iam mutire audeo.* Mutire canum est, inquit Charisius, sicut gru porcorum: unde grunnire. Et mutiunt canes, cum incipiunt irritari.

32. *Qui conjecturam hanc nunc facio.* Qui, pro, quomodo, unde & pro omnibus casibus ponitur, apud Plautum atque alios Comicos.

DA. Quis igitur eum ab illa abstraxit nisi ego? nam omnes nos quidem

40 Scimus, quam misere hanc amarit: nunc sibi uxorem expetit.

Postremo id mihi da negotii. tu tamen idem has nuptias perge facere ita, ut facis: & id spero adfuturos deos.

SI. Imo abi intrò. ibi me opperire, &c, quod parato opus est, para. Non impulit me, hæc nunc omnino ut crederem.

45 Atque haud scio an, quæ dixit, sint vera omnia:

Sed parvi pendo, illud mihi multò maximum est, Quod mihi pollicitu' est ipse gnatus. Nunc Chremem

Conveniam: orabo gnato uxorem. id si impetro, Quid aliàs malim, quam hodie has fieri nuptias?

50 Nam gnatus quod pollicitu' est, haud dubium est mihi, Si nolit, quin eum meritò possim cogere.

Atque adeo in tempore eccum ipsum obviam Chremem.

INTERPRETATIO.

DA. Quis igitur eum à Glycero abstraxit, nisi ego? Nam certe nos quidem omnes scimus; quam misere ille hanc amarit. Nunc sibi uxorem exoptat dari. Postremo, da mihi id negotij, ut caveatur à positione pueri ante fores tuas: tu tamen perge apparare omnia ad nuptias, ut facis; & id spero adfuturos deos. SI. Imo abi intrò. Ibi me expecta, & ea appara, qua apparari opus est. Davus non persuasit mihi, ut ea quæ dixit, omnino huic crederem: & fortasse omnia quæ dixit, sunt vera;

sed parvi hoc facio. Illud autem omnium plurimum facio, quod mihi ipse filius pollicitus est, uxorem se accipiturum, quam darem. Nunc Chremem conveniam; eum orabo ut uxorem filiam det filio meo. Id si impetro, quid malim alio tempore, quam hodie has fieri nuptias? Nam non dubium est mihi, quin filium possim, præ patria potestate cogere, si nolit, prestare, quod mihi pollicitus est. Atque etiam opportune, ecce Chremes mihi obviam venit.

ANNOTATIONES.

41. Id mihi da negotij.] Scilicet, (ut dicitur in Donato;) ut caveatur à positione pueri ante ostium. Alij volunt, id mihi

da negotij, ut efficiam, quò Pamphilus uxorem velit.

ACTUS III. SCENA III.

SI MO. CHREMES.

SI. Jubeo Chremem. CH. oh! te ipsum quærebam. SI. & ego te. CH. optato advenis.

Aliquot me adiere, ex te auditum qui aiebant, hodie filiam

INTERPRETATIO.

SI. S Alvere Chremem volo. CH. O! Optatus advenis. Aliquot me conveniunt, te ipsum quæreba! SI. Et ego te. CH. qui dicebant, ex te se audivisse, hodie filiam Meam

Meam nubere tuo gnato. id viso, ô tunc, an illi insaniant.

SI. Ausculta pauca: & quid ego te velim, & tu quod quæris, scies.

5 CH. Ausculto: loquere, quid velis.

SI. Per te Deos oro, & nostram amicitiam, Chreme,

Quæ incepta à parvis cum ætate accrevit simul,

Perque unicam gnatam tuam, & gnatum meum,

Cujus tibi potestas summa servandi datur;

10 Ut me adjuves in hac re, atque ita, uti nuptiæ

Fuerant futuræ, fiant. CH. ah, ne me obsecra:

Quasi hoc te orando à me impetrare oporteat.

Alium esse censes nunc me, atque olim, cum dabam?

Si in rem est utrique, ut fiant, accersi jube.

15 Sed si ex ea re plus mali est, quàm commodi

Utrique; id oro te, in commune ut consulas,

Quasi illa tua sit, Pamphilique ego sim pater.

SI. Imo ita volo, itaque postulo ut fiat, Chreme:

Neque postulem abs te, nisi ipsa res moneat. CH. quid est?

20 SI. Iræ sunt inter Glycerium & gnatum. CH. audio.

INTERPRETATIO.

meam nubere filio tuo: ob id venio huc, ut videam, tu-ne, an illi insaniant. SI. Pauca, quæ dicam, attente audi. Et cur ego te alloqui volo, & tu, quod à me quæris, discas. CH. Audio. Loquere, quæ velis. SI. Chreme, ego te per Deos oro, & nostram amicitiam, quæ incepta inter nos, cum parvi adhuc essemus, accrevit simul cum annis nostris crescentibus; perque unicam filiam tuam, & filium meum, cujus servandi potestas summa tibi datur; ut me adjuves in ejus salute conservanda; atque ita nuptiæ inter illum, & filiam tuam fiant, quemadmodum ea fuerant futura. CH. Ah noli me obsecrare. Quasi hoc, si justum sit id, orando te à

me impetrare oporteat. An alium me optinari esse, atque olim eram, cum ultro filiam meam offerebam in uxorem filio tuo? Si hoc utrique nostrum utile est, ut hæc nuptiæ fiant; jube filiam meam ad eas faciendas advocari: sed si ex ea re plus mali, quàm commodi utrique plus eventurum est: id oro te, ut mei, tuique rationem æque habeas, tanquam filia mea tua sit, & filius tuus meus. SI. Quin ego ita volo ut dicis; itaque ut fiat postulo, Chreme; neque id à te postulare velim, nisi re ipsa præsens occasio id suadeat. CH. Quid est? SI. Iræ sunt inter Glycerium, & Pamphilum. CH. Audio verò.

ANNOTATIONES.

6 Per ego te Deos oro.] Per in obtestationibus, & adjurationibus solet separari à suo accusativo, interjecto nominativo, qui sapissime est, ego, ut scribit Valla. Virgil. 4. Æn. Mene fugis? per ego has lacrymas, dextramque tuam te.

Seneca in Agamemnone.

Per te parentis memoriam obtestor me.

Plaut. in Menæch. Act. 5.

Per ego vobis Deos atque homines dico.

Idem in Bacchid. Act. 5. Sc. 5.

Festus: Ob vos sacro, in quibusdam precationibus est, pro, vos obsecro: ut & sub vos placo, pro supplico.

SA. Ita magnæ, ut sperem posse avelli. *CH.* fabulæ.

SI. Profecto sic est. *CH.* sic hercle, ut dicam tibi:

AMANTIUM IRÆ AMORIS INTEGRATIO EST.

SI. Hem, id te oro, ut antè eamus, dum tempus datur,

25 Dumque ejus libido occlusa est contumeliis,
Prius quam harum scelera & lacrumæ confictæ dolis
Reducunt animum ægrotum ad misericordiam,
Uxorem demus. spero consuetudine, &
Conjugio liberali devinctum, Chremes,
30 Dehinc facile ex illis emersurum malis.

CH. Tibi ita hoc videtur, at ego non posse arbitror,
Neque illum hanc perpetuò habere, neque me perpeti.

SI. Quis scis ergo istuc, nisi periculum feceris?

CH. At istuc periculum in filia fieri, grave est.

35 *SI.* Nempe incommoditas denique huc omnis redit;
Si eveniat, quod Di prohibeant, discessio.
At si corrigitur, quot commoditates, vide.
Principiò amico filium restitueris:

Tibi generum firmum, & filia invenies virum.

40 *CH.* Quid istuc? si ita istuc animum induxti esse utile?

Nolo tibi ullum commodum in me claudier.

SI. Meritò te semper maximum feci, Chreme.

INTERPRETATIO.

SI. Ita graves, ut sperem filium hunc ab illa posse abstrahi. *CH.* Fabula mera. *SI.* Profecto sic est, ut dico. *CH.* Sic etiam est ut dicam tibi: Amantium ira, amoris instauratio est. *SI.* Hem, id te oro, ut malo occurramus, dum se dat occasio opportuna; dumque ejus libido repressa est injuriis acceptis; priusquam harum mulierum fallacia, & lacrima simulata, reducant ejus animum agrum amore, ad misericordiam: uxorem illi demus filiam tuam. Ego spero illum, Chreme, ingenue uxoris conversatione, & conjugio devinctum, deinde facile ex illis malis, & perditio amore se expediturum. *CH.* Ita tibi videtur; at ego non arbitror eum posse inde facile emergere, neque filiam meam perpetuò habere conjugem, neque me perpeti ei supervinduci amicam ab illo. *SI.* Quomodo igitur id scis, nisi experius sis? *CH.* At istud experiri in filia difficile, & molestum est. *SI.* Nempe incommodum in summâ huc omnis recidit; si eveniat (quod Di avertant) inter eos separatio: si vero corrigitur & respicit, vide quot commoditates inde nascentur: primùm amico filium restitueris, tibi generum firmum, & filia maritum invenies. *CH.* Quid istud? fiat ut petis. Si id tibi persuasissimè esse utile; nolo tibi ullum commodum in me claudier, & auferrè. *SI.* Meritò te semper, ut amicū verum, maximum feci, Chreme.

ANNOTATIONES.

40. *CH.* Quid istuc?] Verbum hoc post multas preces assensionem significat. Sic Heautontim.
Quid istuc? quandoquidem ducenda est, ego ab eo propemodum, quam volo. Et in Adolph.
Quid istuc? dabitur quidem, quando hic vult.

CH. Sed quid ais? *SI.* quid? *CH.* quis scis eos nunc discordare inter se?

SI. Ipsu' mihi Davus, qui intimu' est eorum consiliis, dixit:

45 Et is mihi suadet, nuptias, quantum queam, ut maturem.

Nam censes faceret, filium nisi sciret eadem hæc velle?

Tute adeo jam ejus audies verba. heus, evocate huc Davum:

Sed eccum, video ipsum foras exire.

INTERPRETATIO.

CH. Sed quid ais? *SI.* Quid quæris? *CH.* Unde scis Pamphilum, & Glycerium nunc inter se dissidere, & discordare? *SI.* Ipse Davus, qui interiora eorum consilia novit, id mihi dixit: & is mihi suadet ut nuptias accelerem, quam maxime possum. Putasne id mihi suaderet, nisi sciret filium meum hac eadem velle? Tu ipse jam ejus verba audies. Heus accersite ad me Davum. Sed ecce video ipsum prodire domo.

ANNOTATIONES.

47. Adeo] Sæpe sumitur pro quoque; ut hic. 48. Sed eccum,] Pro ecce eum, veteres dixerunt, & illum, pro ecce illum.

ACTUS III. SCENA IV.

DAVVS. SIMO. CHREMES.

DA. Ad te ibam. *SI.* quidnam est.

DA. Cur non accersitur? jam advesperascit. *SI.* audin' tu illum?

Ego dudum non nil veritus sum, Dave, abs te, ne faceres idem,

Quod volgus fervorum solet, dolis ut me deluderet,

5 Propterea quod amat filius. *DA.* egon' istuc facerem? *SI.* credidi?

Idque adeo metuens vos celavi, quod nunc dicā. *DA.* quid? *SI.* scies?

INTERPRETATIO.

DA. Ad te ibam, here! *SI.* Quidnam est? *DA.* Cur Philumena, desponsa uxor Pamphilo, non accersitur? iam vespera prope est. *SI.* Audisne tu illum, Chreme. Ego jam pridem, Dave, à te id veritus sum: ne faceres idem, quod plerique servi facere solent: ut me dolis deluderet, propterea quod amat filius, cui ad amorem magister fueras. *DA.* Egone id facerem in te? *SI.* Id credidi, at quid etiam id metuens, quod nunc dicam, te, & Pamphilum celavi. *DA.* Quid est? *SI.* Scies?

ANNOTATIONES.

Am advesperascit.] Ex situ nuptiarum hoc dictum est. Noctu enim uxor ducebatur in domum mariti, prælatiis facibus.

Nam propemodum habeo tibi jam fidem. *DA.* tandem agnosti, qui siem.

SI. Non fuerant nuptiæ futuræ. *DA.* quid? non? *SI.* sed ea gratia simulavi, vos ut pertentarem, *DA.* quid ais? *SI.* sic res est. *DA.* vide.

10 Nunquam quivi ego istuc intelligere. vah consilium callidum.

SI. Hoc audi, ut hinc te iussi introire, opportunè hic fit mihi obviam, *DA.* Hem! num-nam periimus? *SI.* narro huic, quæ tu dudum narraisti mihi,

DA. Quidnam audio? *SI.* gnatam ut det oro, vixque id exoro, *DA.* occidi.

SI. Hem! quid dixi? *DA.* optume inquam, factum, *SI.* Nunc per hunc nulla est mora.

15 *CH.* Domum modò ibo: ut apparentur, dicam: atque huc renuncio.

SI. Nunc te oro, Dave, quoniam solus mihi effecisti has nuptias.

DA. Ego vero solus. *SI.* corrigere mihi gnatum porro enitere.

DA. Faciam hercle sedulo, *SI.* potes nunc, dum animus irritatus est.

DA. Quiescas. *SI.* age igitur: ubi nunc est ipse? *DA.* mirum, ni domi est.

20 *SI.* Ibo ad eum, atque eadem hæc, quæ tibi dixi, dicam itidem illi. *DA.* nullus sum.

I N T E R P R E T A T I O .

Nam prope tibi jam credo. *DA.* Tandem, qui sim cognovisti. *SI.* Nuptia, quas dicebam me parare, non fuerant futura. *DA.* Quid? non? *SI.* Sed ea de causa simulavi eas mox faciendas, ut vos, quid animi haberetis ad eas, explorarem. *DA.* Quid ais? *SI.* Sic res se habet. *DA.* Vide. Nunquam ego intelligere potui te id simulare. Vah consilium prudens, & cautum! *SI.* Audi: postquam hinc te iussi introire domum; opportune Chremes mihi fit obviam. *DA.* Hem! nonne periimus? *SI.* Tunc narravi illi, qua tu pridem dixisti mihi. *DA.* Quidnam ego audio? *SI.* Filiam, ut det filio meo oro; idque agre precibus ab eo impetro. *DA.* Interij. *SI.* Hem! quid dixisti? *DA.* Optime, inquam, fecisti. *SI.* Nunc per Chremetem nulla dilatio est, quin nuptia fiant. *CH.* Domum modò ibo: ut nuptia apparentur dicam, atque ad vos, quid actum fuerit, celeriter renunciabo. *SI.* Nunc te oro, Dave, quoniam solus mihi, tuo consilio effecisti, ut ha nuptia peragerentur. *DA.* Ego vero solus id quidem feci. *SI.* Post-hac labora filium meum emendare. *DA.* Dabo sedulo operam, ut hoc faciam. *SI.* Potes nunc, dum animus ejus ira commotus est in Glycerium. *DA.* Fiet, Quiescas. *SI.* Age igitur. Vbi nunc ipse est Pamphilus? *DA.* Mirum, si alibi est quam domi. *SI.* Ibo ad eum, atque eadem hæc, qua dixi tibi, similiter illi dicam. *DA.* Omnino de me actum est.

A N N O T A T I O N E S .

10. Vah] Interjectio est latantis, irridicantis, insultantis, mirantis, & blandicantis, qualis hæc est.

Hem! numnam periimus?] Interjectio

metuentis: & hoc summis Davus dicit.

17. *DA.* Ego vero solus.] Est repetitio secum irascentis.

Quid causæ est, quin hinc in pistrinum recta proficiscar via?

Nihil est preci loci relictum: jam perturbavi omnia:

Herum fefelli: in nuptias conjeci herilem filium:

Feci hodie, ut fierent, insperante hoc, atque invito Pamphilo.

25 Hem astutia! quod si quiessem, nihil evenisset mali.

Sed eccum: ipsum video: occidi:

Utinam mihi esset aliquid hæc, quo nunc me præcipitem darem.

I N T E R P R E T A T I O .

Quæ causa impedit, quin rectâ viâ proficiscar in pistrinum? Nullus precibus locus relictus est, quibus veniam impetrem. Omnia turbis permiscui; herum fefelli Simonem, ejus filium in nuptias præcipitem, feci ut illa fierent, nullo modo hanc rem sperante, ac nolente Pamphilo. O subtiles astutias! quod si nihil movissem, & quietus sedissem; nihil accidisset mali: sed ecce Pamphilum ipsum video. Funditus perij. Utinam hic esset aliquod præcipitum in quod me deicerem.

A C T U S I I I . S C E N A V .

P A M P H I L V S . D A V V S .

PA. Ubi illic scelus est, qui me perdidit? *DA.* perij. *PA.* atque hoc confiteor,

Jure obtigisse: quandoquidem tam iners, tam nulli consilij

Sum, servon' fortunas meas me commisisse furili?

Ergo pretium ob stultitiam fero: sed inultum id nunquam à me auferet.

5 *DA.* Posthac incolumem sat scio fore me, nunc si evito hoc malum.

PA. Nam quid ego nunc dicam patri? negabon' velle me, modò

I N T E R P R E T A T I O .

PA. Ubi est sceleratus ille qui me perdidit? *DA.* Perij. *PA.* Atque hoc, confiteor, merito meo mihi accidisse; quandoquidem tam stolidus, & imprudens sum. An oportuit fortunas meas me committere servo, levi, & garrulo. Ergo premium fero stultitia mea: sed impune id nunquam feret. *DA.* Si hoc periculum quod imminet, nunc evito; sat scio, me posthac ab alio quovis liberum fore. *PA.* Sed quid ego nunc dicam patri? negabone me velle uxorem, qui modò

A N N O T A T I O N E S .

1. Ubi scelus illic est?] Illic pronomen est comicum, & tritum usu vulgi. Scelus pro scelesto. Sic Græci substantivo utuntur pro adjectivo. Dicitur, ille scelus, relatione non ad vocem scelus, sed ad rem significatam, scilicet Davum.

2. Tam nulli consilij.] Priscianus tradit in Institutionibus Grammaticis octo illa nomina, unus, ullus, uter, nullus, totus, solus, alius, & alter, Veteres inflectere consueverunt ut alia nomina primæ, & secundæ declinationis.

Qui sum pollicitus ducere? qua fiducia facere audeam?

Nec, quid me nunc faciam, scio. *DA.* nec de me equidem, atque id ago sedulo.

Dicam aliquid jam inventurum, ut huic malo aliquam producam moram. *PA.* oh.

10 *DA.* Visus sum. *PA.* ehodum, bone vir, quid ais? viden me consiliis tuis

Miserum impeditum esse? *DA.* at jam expediam. *PA.* expedies? *DA.* certe Pamphile.

PA. Nempe ut modo. *DA.* Imo melius spero. *PA.* oh, tibi ego ut credam, furcifer?

Tu rem impeditam & perditam restituas? hem, quo fretu sum, Qui me hodie ex tranquillissima re coniecisti in nuptias.

15 An non dixi hoc esse futurum? *DA.* dixisti. *PA.* quid meritus? *DA.* crucem.

Sed paululum sine ad me ut redeam: jam aliquid dispiciam. *PA.* hei mihi,

Cum non habeo spatium, ut de te sumam supplicium, uti volo: Namque hocce tempus, præcavere mihi me, haud te ulcisci, finit.

INTERPRETATIO.

pollicitus sum me ipsi obsequuturum? Imo melius, ut spero. *PA.* Oh furcifer! quâ confidentiâ id facere audeam? Nec Egone tibi credam? Tu rem tot difficul- quid nunc de me faciam, scio. *DA.* Nec tatibus implicatam & desperatam resti- ego quoque, quid de me faciam: etsi ego tuere poteris? Hem, quo homine inui- id ago diligenter, ut sciam quid de me xus sum, qui me hodie ex tranquillissi- facere possim. Dicam Pamphilo me ali- mo statu, in has nuptias molestas conje- quid jam inventurum, ut huic malo nup- cisti. An non dixi hoc malum eventurum- tiarum aliquam dilationem temporis affe- esse? *DA.* Dixisti. *PA.* Quâ poenâ di- ram. *PA.* Oh. *DA.* Visus sum à Pamphi- gnus es? *DA.* Cruce. Sed paululum per- lo. *PA.* Ehodum, bone vir, quid ais? mitte ut recipiam animum: jam aliquod Vide me miserum esse impeditum tuis consilium disquiram. *PA.* Hei mihi! cur consiliis, quibus me in has nuptias con- non habeo spatium temporis ad te pu- jecisti? *DA.* At jam expediam. *PA.* Ex- niendum, ut volo: nam hoc breve tem- pedies? *DA.* Certe id efficiam. Pamphile. pus permittit mihi consulere rebus meis, *PA.* Nempe ut modo expedivisti. *DA.* non de te poenas sumere.

ANNOTATIONES.

10. Ehodum.] Interjectio ad se vo- temptu, ut mox infra; Oh! tibi ego ut- cantis. credam, furcifer?

22. Oh.] Admirantis est, cum con-



ACTUS QUARTUS. SCENA I.

CHARINVS. PAMPHILVS. DAVVS.

CH. **H**OC CINE credibile est aut memorabile, Tanta vecordia innata cuiquam ut fiet, Ut malis gaudeat alienis, atque ex incommodis Alterius sua ut comparet commoda? ah, Idne est verum? Imo id genus est hominum pessimum, In denegando modo queis pudor est paululum, Post ubi jam tempus est promissa perfici, Tum coacti necessario se aperiunt, & timent; Et tamen res cogit eos denegare. ibi
10 Tum impudentissima eorum oratio est: Quis tu es? quis mihi es? cur meam tibi? heus, Proximus sum egomet mihi, attamen ubi fides, Si roges, nihil pudet. hic, ubi opus est, Non verentur: illic, ubi nihil opus est, ibi verentur.

INTERPRETATIO.

CH. **H**OC-ne credi, aut verbis ex- primi potest, ut tanta vesania cuiquam à natura insita sit; ut malis gaudeat aliorum, atque ex incommodis sua capiat commoda? Ah, id-ne est verum? certe genus id hominum est deterrimum. Si quid rogentur, tunc his tantummodo paululum in denegando pudoris est: postea ubi tempus est, id quod promiserunt, præstari, tunc necessario animum detegunt, pudore abjecto, res petita, quam dare no- lunt, cogit eos denegare. Tunc eorum oratio impudentissima talis est; quis tu es? quâ necessitudine mihi conjunctus? Cur meam rem tibi dem? Heus, licet mihi sis proximus; tamen ipse mihi sum proximior. Quod si eos roges, Vbi est fides quam mihi dederas, tunc nullo pudore afficiuntur. Hic, ubi opus est, postquam jam promiserunt, vereri fidem datam frangere, non verentur: illic ubi nihil opus est vereri petita denegare; cum nondum promiserunt; ibi verentur.

ANNOTATIONES.

3. **UT** malis gaudeant.] Gaudeant. alij, gaudeat legunt. Si, gaudeant legas, cum Terentius dixisset cuiquam, numerus erit pluralis pro singulari: ut alibi idem Poëta; si quisquam est, qui studere se placeat bonis quamplurimis, & minime multos ledere: in his Poëta nomen profertur suum, Sic Plaut, in Curcul, Act. 1. Sc. 5. Sua quisque habeant, quod suum est. Virg. Quisque suos patimur manes. Iterum Plaut, in Captivis; Vbi quisque vident, eunt obviam: Sunt enim signa universalia, quisque, quisquam, quicumque.
6. Denegando modo queis pudor est paululum.] Don, Quis pudor paululum adest. Et hic est sensus; quibus pudor solummodo adest in denegando ea, quæ ab his petuntur: postquam polliciti sunt, & tempus est promissa perfici; tunc necessario se aperiunt, timiddè tamen: sed res, quam promissam dare nolunt, cogit eos hanc denegare.

- 15 Sed quid agam? adeamne ad eum, & cum eo injuriam hanc ex-
postulem?
Mala ingeram multa. atque aliquis dicat, nihil promoveris.
Multum; molestus certe ei fuero, atque animo morem gesserō.
P. A. Charine, & me & te imprudens, nisi quid Dii respiciunt,
perdidi.
C. H. Itane imprudens? tandem inventa est causa; solvisti fidem.
20 P. A. Qui tandem? C. H. etiam nunc me ducere istis dictis postulas?
P. A. Quid istuc est? C. H. postquam me amare dixi, complacita est
tibi.
Heu me miserum, quum tuum animum ex animo spectavi meo!
P. A. Falsus es. C. H. non tibi satis esse hoc visum solidum est gau-
dium,
Nisi me lactasses amantem, & falsa spe produceres?
25 Habeas. P. A. habeam? ah nescis quantis in malis verfer miser,
Quantasque hic suis consiliis mihi confecit sollicitudines,
Meus carnifex. C. H. quid istuc tam mirum, si de te exemplum
capit?
P. A. Haud istuc dicas, si cognoris vel me, vel amorem meum.
C. H. Scio, cum patre altercasti dudum, & is nunc propterea tibi
30 Succenset, nec te quivit hodie cogere illam ut duceres.

INTERPRETATIO.

Sed quid agam? adeamne Pamphilum? & cum eo conquerar de injuria, quam mihi facit, accipiens Philumenam in uxorem, contra quam mihi promiserat? injuriam in eum multa maledicta. Quod si quis dicat, nihil profeceris: multum, respondebo. Saltem, si nihil proficiam; molestiam ei exhibuero; atque animo obsequutus fuero. P. A. Charine, & me, & te imprudens, & insciens, nisi nos Dii in hac re juvent, perdidi. C. H. Itane imprudens fecisti? Tandem invenisti pratextum fallacia. Praclare fidem datam liberasti scilicet. P. A. Quid tandem vis dicere? C. H. Etiamne quæris me istis dictis tuis fallere? P. A. Quidnam istud est, quod mihi objicis? C. H. Postquam me amare dixi Philumenam, statim etiam placuit illa tibi. Heu me miserum, qui tuum animum ex meo estimavi! P. A. Erras valde, Charine, qui sic de meo ingenio judices. C. H. Nonne tibi visum est satis hoc esse integrum gaudium; nisi me amantem promissis fovisses, & spe falsa derineres. Habeas tibi illam. P. A. Habeam? Ah nescis quantis in malis postuis miser: quantasque molestias, atque aggritudines mihi creaverit Davus hic meus carnifex. C. H. Quid istud mirum est, si te imitatur? P. A. Si cognoveris vel me, vel amorem meum erga aliam, quam Philumenam; non istud dicas. C. H. Sat scio, tu patri tuo jam pridem repugnasti: & is nunc propterea tibi nunc irascitur, nec te potuit cogere, ut Philumenam uxorem duceres.

ANNOTATIONES.

20. Ducere.] Pro, fallere. Græci *ὀνάζην* eadem significatione dicunt. Alii seducere legunt.
26. Mihi confecit sollicitudines.] Alij, *confavit*.
29. Scio, cum patre altercasti dudum.] Ironia
P. A. Imo

- P. A. Imo etiam, quo tu minus scis ærumnas meas;
Hæ nuptiæ non apparabantur mihi,
Nec postulabat nunc quisquam uxorem dare.
C. H. Scio: tu coactus tua voluntate es. P. A. mane;
35 Nondum etiam scis. C. H. Scio equidem illam ducturum esse te.
P. A. Cur me enecas? hoc audi. nunquam destitit
Instare, ut dicerem esse ducturum patri,
Suadere, orare, usque adeo donec perpulit.
C. H. Quis homo istuc? P. A. Davos. C. H. Davos? P. A. Davos
omnia.
40 C. H. Quamobrem? P. A. nescio, nisi mihi deos satis
Scio fuisse iratos, qui auscultaverim.
C. H. Factum hoc est, Dave? D. A. factum est. C. H. hem, quid ais
scelus?
At tibi Dii dignum factis exitium duint.
Eho, dic mihi, si omnes hunc conjectum in nuptias
45 Inimici vellent, quod, ni hoc, consilium darent?
D. A. Deceptus sum, at non defatigatus. C. H. scio.
D. A. Hac non successit, alia aggrediemur via:
Nisi id putas, quia primo processit parum,
Non posse jam ad salutem converti hoc malum.

INTERPRETATIO.

P. A. Imo etiam rem ignoras, quod minus cognoscis miseras meas, hæ nuptiæ non apparabantur mihi, nec quisquam vel Simo, vel Chremes de Philumena mihi danda cogitabant. C. H. Scio; nemine jubente, tuâ voluntate coactus es. P. A. Mane: audi: nondum scis, ut res se omnino habeat. C. H. Scio equidem te illam ducturum. P. A. Cur me dictis enecas? Hoc audi. Hic nunquam cessavit me urgere ut patri dicerem me ducturum, suadere, orare, eò usque, donec me tandem impulit in vtrum ad id faciendum. C. H. Quis homo te ad hoc impulit? P. A. Davus. C. H. Davus? P. A. Davus omnia omnino turbavit. C. H. Quamob- rem? P. A. Nescio ob quam causam hæc turbavit omnia; nisi quia Dii, sat scio, mihi irati fuerunt, qui ei aures prabuerim. C. H. Hocne factum est à te, Dave? D. A. Factum. C. H. At te Dii perdant, ut meritis es. Eho, dic mihi: si omnes hunc inimici in hæc nuptias, quas aversatur, conjicere vellent, quid nisi hoc, quod dedisti consilium, ei darent? D. A. Deceptus sum evenire, at non defatigatus, ut rem in melius referre desperem. C. H. Scio, scilicet. D. A. Hac ratione res non successit; aliâ aggrediemur: nisi putas, quia primò parum feliciter evenit; non posse hoc malum jam ad salutem referri.

ANNOTATIONES.

43. At tibi Dii] At principium est increpationi aptum. Virg. 2. Æn.
At tibi pro scelere, exclamat, pro talibus assis, &c.
Horat. At ô deorum, quisquis in calo regis Terras, & humanum genus.
44. Dic mihi] Semper hoc dic mihi injuriosum est, aut curiosius interrogantis, ait Donat. in hac fabula, & in Hecyra, Virg. Dic mihi Damocles, Inducitur Menalcas amarè interrogans Damocletam.

- 50 *P.A.* Imo etiam : nam fati' credo , si advigilaveris ,
Ex unis geminas mihi conficies nuptias.
D.A. Ego , Pamphile , hoc tibi pro servitio debeo ,
Conari manibus , pedibus , noctisque & dies
Capitis periculum adire , dum prosum tibi.
55 Tuum st , si quid præter spem evenit , mi ignoscere .
Parum succedit quod ago ; at facio sedulo .
Vel melius tu aliud reperi , me missum face .
P.A. Cupio : restitue in quem me accepisti locum .
D.A. Faciam . *P.A.* at jam hoc opus est . *D.A.* hem , st , mane , cre-
puit à Glycerio ostium .
60 *P.A.* Nihil ad te . *D.A.* quæro . *P.A.* hem , nuncine demum ? *D.A.* at
jam hoc tibi inventum dabo .

I N T E R P R E T A T I O .

P.A. Imo verò , puto id posse fieri : nam etiam credo facile , si diligentem operam dederis , ex unis duabus mihi conficies nuptias . *D.A.* Ego , Pamphile , cum tuus sis servus , hoc tibi debeo ; conari totis viribus , noctesque diesque mortis periculo me exponere , dummodo tibi utilitatem afferam . Te verò convenit , si quid contra expectationem tuam evenit , mihi ignoscere . Si parum successit , quod ago ; at facio ex animo , & bona fide . Vel si opera mea tibi non placet ; tu aliud me-
lius reperi ; me verò abire jube . *P.A.* Cum nam etiam credo facile , si diligentem in quo eram , antequam patri promissum me uxorem ducturum . *D.A.* Faciam . *P.A.* At jam opus est , statim te hoc facere . *D.A.* Hem , st mane . Glycerij ostium concrepuit . *P.A.* Hoc nihil ad te pertinet , qui attentus esse debes consilio excogitando . *D.A.* Id quæro . *P.A.* hem , an hoc tandem agis ? *D.A.* At jam hoc inventum tibi dabo .

A N N O T A T I O N E S .

59. Hem , sed mane .] St , si legatur , in dicit silentium . Nam st , sibili sunt silentium imperantes . Plaut , in Epid . Act . 2 . Sc . 2 .
St . St . habete animum bonum .
59. Concrepuit à Glycerio ostium .] Ablativus cum præpositione a , est loci genitivi , quod frequens est Terentio .



A C T U S I V . S C E N A I I .

M Y S I S . P A M P H I L V S . C H A R I N V S . D A V V S .

- M.Y.* Jam , ubi ubi erit , inventum tibi curabo , & mecum adductum
Tuum Pamphilum : tu modò , anime mi , noli te macerare .
P.A. Mysis . *M.Y.* quid est ? hem Pamphile , optime mihi te offers .
P.A. quid est ?
M.Y. Orare jussit , si se ames , hera , jam ut ad sese venias :
Videre ait te cupere . *P.A.* vah , perii . hoc malum integravit .
Siccine me , atque illam opera tua nunc miseros sollicitariet ?
Nam idcirco accersor , nuptias quod mi apparari sensit .
C.H. Quibus' quidem quam facile poterat quiesci , si hic quiesset .
D.A. Age , si hic non insanit satis sua sponte , instiga . *M.Y.* atq ; adepol
10 Eares est , propterea nunc misera in mœrore est . *P.A.* Mysis ,
Per omnes tibi adjuro deos : nunquam eam me deserturum ,
Non , si capiundos mihi sciam esse inimicos omnes homines .
Hanc mihi expetivi , contigit : conveniunt mores : valeant ,
Qui inter nos dissidium volunt : hanc , nisi mors , mi adimet nemo .
15 *M.Y.* Resipisco . *P.A.* non Apollinis magi' verum , atque hoc , res-
ponsum est .
Si poterit fieri , ut ne pater per me stetisse credat ,

I N T E R P R E T A T I O .

M.Y. Jam tuum Pamphilum , ubicum-
que is erit , curabo , ut brevi in-
veniam , & mecum tibi adducam . Tu
tantum modò , anime mi , à Glycerio !
noli te sollicitudine macerare . *P.A.* My-
sis . *M.Y.* Quid est ? Hem , Pamphile , op-
portune mihi obviis sis . *P.A.* Quid est ?
M.Y. Hera te me orare jussit , ut se se
ames , jam ad se venias . Ait , se cu-
pere te videre . *P.A.* Vah , perii . Hoc
malum , nempe , hæc animi anxietas ,
propter metum nuptiarum , ex integro
me cruciat . Itane oportet me , atque il-
lam , tuâ operâ , nunc miseros sollicita-
ri ? Nam idcirco à Glycerio accersor ,
quia nuptias mihi apparari audivit .
C.H. A quibus quidem nuptiis liberi , &
quieti esse potuimus , si Davus quiescisset ,
nec suis dolis omnia perturbasset . *D.A.*
Age , si Pamphilus hic non satis insanit
sponte sua , tu illum incita . *M.Y.* Atque
adepol ea causa est , præter quam
nunc misera in dolore , & luctu est . *P.A.*
Mysis , per omnes Deos tibi affirmo , nun-
quam eam me solam deserturum : non se
omnium hominum inimicitias sciam me
suscepturum . Hanc meam esse cupidè ex-
optavi . Illa mihi obvenit . Nostri mores
conveniunt . Procul facessant , qui inter
nos discessionem fieri volunt . Hanc , nisi
mors , mihi auferet nemo . *M.Y.* Animum
recipio . *P.A.* Non Apollinis responsurus
magis verum atque hoc est . Si poterit fie-
ri , ne pater credat , me fuisse in causa :

A N N O T A T I O N E S .

16. Ut ne pater per me stetisse credat .] ipse in Eunuchò : Vlciſcar , ut me im-
pune in nos illuſeris . Sic & Cicero : Fi-
des tua patietur , ut ſocrus adoleſcentis
Plaut . in Mercat . At ego expurgatio-
nem habeo , ut ne ſuccurrat . Terentius
rea ne fiat .

- Quominus hæ fierent nuptiæ ; volo. sed si id non poterit ;
Id faciam, in proclivi quod est, per me sterisse ut credat.
Quis videor ? *CH.* miser æque atque ego. *DA.* consilium quæro ;
CH. fortis es,
20 Scio, quid conere. *DA.* hoc ego tibi profectò effectum reddam.
PA. Jam hoc opus est. *DA.* quin jam habeo. *CH.* quid est ?
DA. huic, non tibi, habeo ; ne erres.
CH. Sat habeo. *PA.* quid facies ? cedo. *DA.* dies hic mihi ut sit
fati, verëor,
Ad agendum : ne vacuum esse me nunc ad narrandum credas.
Proinde hinc vos amolimini : nam mihi impedimento estis.
25 *PA.* Ego hanc visam. *DA.* quid tu ? quo hinc te agis ? *CH.* verum
vis dicam ? *DA.* imo etiam
Narrationis incipit mihi initium. *CH.* quid me fiet ?
DA. Eho impudens, non satis habes, quod tibi dieculam addo,
Quantum huic promoveo nuptias ? *CH.* Dave attamen. *DA.* quid
ergo ?

INTERPRETATIO.

quominus hæ nuptiæ fierent, libenter id volo ; sed si id fieri non poterit, id faciam ad quod animus propensus est : ut pater credat me in causa fuisse, cur hæ nuptiæ infectæ permanerent. Quis tibi videor esse, Charine ? *CH.* Æque mihi videris miser esse, atque ego. *DA.* Consilium quæro, ut his nuptiis me expediam. *CH.* Fortis es, qui id quæras. Scio quid coneris, & quam difficile sit id percipere. *DA.* Hoc ego tibi profectò quod inveni, effectum reddam, Pamphile. *PA.* Iam hoc opus est, quod ais te effecturum. *DA.* Quin jam habeo paratum, ut statim id exequar. *CH.* Quid est ? *DA.* Non id excogitavi tui gratiæ, sed Pamphili ; ne erres. *CH.* Ego satis habeo, si huic consulas. *PA.* Dic mihi Dave, quid facies mei causa ? *DA.* Verëor, ut hæc dies mihi sufficiat, ad agendum quod deliberavi, ne me orum habere credas ad narrandum tibi, quod sum facturum. Proinde vos hinc amovete, nam mihi impedimento estis. *PA.* Ego Glycerium invisam. *DA.* Quid tu, Charine ? quò tendis ? *CH.* Vis dicam verum ? *DA.* Hic Charinus non abiturus est, puto ; imò etiam velut narrationis alicujus mihi incipit initium. *CH.* Quid de me fiet ? me miserum ! *DA.* Eho, impudens. Nonne satis habes, quod tibi diem addam ; quo tempore spatio profero nuptias Pamphili ; tu verò possis ambire, orare Chremetem, atque ejus amicos. *CH.* Dave attamen. *DA.* Quid ergo est ?

ANNOTATIONES.

19. *Consilium quæro.*] Melius est hoc à Davo dici, quam à Pamphilo.
20. *Scio, quid conere.*] Si Pamphili est persona, Ironia est in Davum ; & sensus est, ut supra, scio quid conere, nempe ut iterum me miserum reddas, & ex unis nuptiis, geminas mihi con-

ficias. Sed non esse personam Pamphili ex subjectis ostenditur. Si Charini est persona, sensus est : scio quid conere ; sed an efficere possis nescio.

27. *Narrationis mihi incipit initium.*] Quia, hoc ; Verum vis dicam, est verum proœmium narraturi.

- CH.* Ut ducam. *DA.* ridiculum. *CH.* huc face ad me venias, & quid poteris.
30 *DA.* Quid veniam ? nihil habeo. *CH.* attamen si quid. *DA.* age, veniam. *CH.* si quid,
Domi ero. *DA.* Tu, Mysis, dum exeo, parumper opperire hinc.
MY. Quapropter ? *DA.* ita factò est opus. *MY.* matura. *DA.* jam inquam, hinc adero.

INTERPRETATIO.

CH. Fac ut ducam Philumenam. *DA.* *quid feceris quod mihi renunciandum sit.*
O ridiculum hominem. *Quasi illa sit in domi ero.* *DA.* Tu, Mysis, expecta hic
mea potestate. *CH.* Fac, ut ad me venias, si quid poteris efficere mei gratia. paulisper, dum egrediar domo Glycerij.
DA. Quid ego veniam ? Nihil habeo, *MY.* Quamobrem ? *DA.* Ita fieri opus est.
quod tui causa possim. *CH.* Attamen si *MY.* festina. *DA.* Iam, inquam, hinc
quid possis. *DA.* Age, veniam. *CH.* Si *adero.*

ACTUS IV. SCENA III.

MYSSIS.

- MY.* Nilne esse proprium cuiquam ? Dii vosstram fidem.
Summum bonum esse heræ putabam hunc Pamphilum ;
Amicum, amatorem, virum, in quovis loco
Paratum : verum ex eo nunc misera quem capit
5 Dolorem ? facile hinc plus mali est, quam illic boni.
Sed Davus exit. mi homo, quid istuc obsecro est ?
Quo portas puerum ?

INTERPRETATIO.

MY. Tane est, ut nihil sit proprium cuiquam hominum ? Dii vestram fidem imploro. Putabam hunc Pamphilum summum bonum esse heræ meæ Glycerij : amicum certum, amatorem perpetuum, virum semper ubique paratum ad eam tuendam ; Verum, quem ejus causâ mi-

sera, nunc patitur dolorem ? certe plus mali est in dolore quem illa percipit ; quam boni, in illius Pamphili amore. Sed Davus exit de domo Glycerij. Mi homo ! quid istud, obsecro, est ? quò portas hunc puerum ?

ANNOTATIONES.

1. *Proprium*] Dicitur, quod non est cum aliis commune, quod est perpetuum, & stabile, & cujus non solum possessio nostra, sed etiam proprietas, & dominium est. Virg.

Nimum vobis Romana propago visa potens, superis ! propria hac si dona fuissent.

Plaut. in Mercatore, Act. 2. Sc. 3.
Proprii nequit mihi evenire, quod cupio.
7. *Quò portas puerum ?*] Davus ex ædibus Glycerij exportat infantem pannis involutum, traditque Ancillæ ; quasi mater eum ante fores Simonis exponi mandasset. Cæterum in plurimis codicibus continuantur hæ duæ Scenæ, ut unam conficiant.

ACTUS IV. SCENA IV.

DAVVS. MYSIS.

- DA. **M**YSIS, nunc opus est tua
 Mihi ad hanc rem exprompta memoria atque astutia.
 MY. Quidnam incepturus? DA. accipe à me hunc ocyus,
 Atque ante nostram januam appone. MY. obsecro,
 5 Humine? DA. ex ara hinc sume verbenas tibi,
 Atque eas substerne. MY. quamobrem id tute non facis?
 DA. Quia, si forte opus ad herum jusjurandum mihi,
 Non apposuisse, ut liquido possim. MY. intelligo.
 Nova nunc religio in te istac incessit, cedo?
 10 DA. Move ocyus te, ut, quid agam, porro intelligas.
 Pro Jupiter! MY. quid? DA. sponsæ pater intervenit.
 Repudio consilium, quod primum intenderam.
 MY. Nescio quid narres. DA. ego quoque hinc ab dextera
 Venire me adsimulabo. tu, ut subservias
 15 Orationi, utcunque opu' sit, verbis, vide.

INTERPRETATIO.

DA. **M**YSIS nunc opus est mihi, ad hanc rem quam parvo, tuâ memoriâ præferri, & promptâ ex tempore, atque astutia tua. MY. Quidnam incepturus es? DA. Accipe itò hunc puerum à me, atque ante januam nostram appone. MY. Obsecro, an hunc in terra ponam? DA. Ex Arâ hâc sume verbenas, atque eas vice stramenti i subijce. MY. Quamobrem tu ipse hoc non facis? DA. Quia si forte opus mihi sit jusjurare, hero id exigente, id certo

& sincere facere possim. MY. Intelligo. Unde nova ista religio venit tibi in mentem? DA. Matura, ut quid postea acturus sum intelligas. Proh Iupiter! MY. Quid est? DA. Sponsa Pamphili pater Chremes, intervenit, dum loquimur. Abjicio consilium, quod primum ante adventum ejus ceperam. MY. Nescio quid narres. DA. Ego quoque hinc à dextra parte, quâ venit Chremes, me venire simulabo. Tu vide, ut cuibuscumque verbis, quibus opus erit subservias, & commodes orationi me.

ANNOTATIONES.

5. **E**X ara sume verbenas] Aræ in scena erant veræ, & propriæ: dextra Baccho in Tragediâ; Apollini in Comediâ; sinistra ei Deo, vel Heroi cui ludi fiebant. In his verbenæ imponebantur Apollini. Videatur Evangelius in Prolegomenis in hunc Autorem. Item Scaliger in Poëtica, lib. 1. cap. 21. Taubmanus in Mostellariam Plauti, Act. 1. Sc. 1. & Voslius in Inst.

Poëticiis. cap. 10. lib. 2.
 8. **L**iquidò.] Liquidò jurare, liquidò dicere, est purè, manifestè, apertè, certò, omninò.
 15. **V**icumque opus sit verbis.] Hæc dicens Davus abit, priusquam fraudulentum ejus consilium Mysis intelligat: quæ causa est, ut ea in Scenâ proximâ, præter rem Davo respondeat, ac fere prodât ipsius commentum.

MY. Ego, quid agas, nihil intelligo: sed, si quid est,
 Quod mea opera opus sit vobis, aut tu plus vides,
 Manebo, ne quid vestrum remorer commodum.

INTERPRETATIO.

MY. Ego nihil intelligo, quid tu agas: hic expectabo, ne, quod vobis commodum sed si opus est vobis in aliquâ re operâ meâ; aut tu plus prævides, quam ego: est, retardem.

ANNOTATIONES.

18. **N**e quod vestrum remorer commodum.] Commodum Pamphili, Chremes in gestu, quam oratione est constituta.
 tum hæc Scena est actiosa: magis enim

ACTUS IV. SCENA V.

CHREMES. MYSIS. DAVVS.

- CH. **R**Evertor postquam, quæ opus fuere ad nuptias
 Gnatae, paravi, ut jubeam accerfi. sed quid hoc?
 Puer hercle est. mulier, tun' apposuisti hunc? MY. ubi
 Illic est? CH. non mihi respondes? MY. hem, nusquam est.
 va miseræ mihi!
 5 Reliquit me homo, atque abiit. DA. di vestram fidem!
 Quid turbæ est apud forum? quid illic hominum litigant?

INTERPRETATIO.

CH. **R**Edeo, postquam apparavi ea, qua opus fuit apparare ad celebrandas nuptias filia, ut jubeam vocari eos, quos his interesse convenit. Sed quid hoc est? Puer hercle est. Mulier, tunc hic posuisti eum? MY. Vbinam est Davus? CH. Non mihi respondes? MY. Hem, nusquam in his locis reperitur ille. Homo me reliquit. DA. Di vestram fidem! quantum tumultus in foro; quanta multitudo hominum est, qui illic litigant?

ANNOTATIONES.

2. **S**ed quid hoc?] Interrogatio est ignorantis Chremetis quid esset, quod primum viderat. Erat autem puer pannis involutus.
 5. **D**i vestram fidem!] A dextra veniens Davus simulat se è foro venire, ut ipse de foro venire videretur.

Tum annona cara est. quid dicam aliud, nescio.

MY. Cur tu obsecro hic me solam? DA. Hem, qua hæc est fabula?

Eho Myfis; puer hic unde est? quisve huc attulit?

10 MY. Satin' sanus es, qui me id rogites? DA. quem ego igitur rogem,

Qui hic neminem alium video? CH. miror, unde sit.

DA. Dicturan' quod rogo? MY. au. DA. concede ad dexteram.

MY. Deliras. non tute ipse? DA. verbum si mihi

Unum, præterquam quod te rogo, faxis, cave.

15 MY. Male dicis. DA. unde est? dic clare. MY. à vobis. DA. hæc hæc.

Mirum vero, impudenter mulier si facit.

CH. Ab Andria est ancilla hæc, quantum intelligo.

DA. Adeon' videmur vobis esse idonei,

In quibus sic illudatis? CH. veni in tempore.

20 DA. Propera adeo puerum tollere hinc ab janua.

Mane: cave quoquam ex istoc excessis loco.

MY. Dii te eradicent. Ita me miseram territas.

DA. Tibi ego dico, an non? MY. quid vis? DA. at etiam rogas?

INTERPRETATIO.

Tum annona cara est. Nescio, quid aliud dicam. MY. Cur tu, quæso, hic me solam reliquisti? DA. Hem, quam fabula hic agitur? Eho, Myfis, unde puer hic allatus est? Quisve hunc portavit hic? MY. Satisne animi sanus es, qui hoc à me quaras? DA. Quem igitur interrogem, qui neminem hic alium, quam te video? CH. Miror unde sit. DA. Repondebisne, Myfis, ad id, quod quæro? MY. Au. DA. Veni ad dexteram. MY. Despis. An non tu ipsemet mihi eum in manus dedisti? DA. Si mihi verbum unum, præter id quod te rogo, dixeris, vapulabis. Cave ne id fa-

cias. MY. Male mihi dicis. DA. Unde hic puer est? dic clare. MY. A vobis. DA. Hæc hæc. O rem ridiculam! Quid mirum est, si mulier meretrix impudenter mentiatur. CH. Hæc ancilla Glycerii est, quantum intelligo. DA. Vobisne videmur adeo opportuni vestris ludificationibus & imposturis? CH. Veni in tempore. DA. Festina celeriter hunc puerum auferre à janua. Hic mane. Cave ne quoquam aliud pedem moveris ex hoc loco. MY. Dii te funditus perdant, qui me miseram adeo terrefacis. DA. Tibi ego dico, an non? MY. Quid vis? DA. At etiam quaris, quid velim?

ANNOTATIONES.

7. Tum annona cara est.] Hoc Davus ad spectatores conversus, vel summis se dicit. Est autem annona res omnis quæ ad annum victum reponitur.

8. Cur tu, obsecro, hic me solam?] Simplicitas Myfidis fere detegit fallaciam.

12. Au.] Interjectio turbatæ, & contestatæ mulieris.

Concede ad dexteram.] Hæc summis se: monet ancillam Myfidem, ut clam, quid sit opus eam monere, possit.

13. Verbum si mihi unum.] Committitur summis se Davus,

21. Mane, cave] Rursum hæc Davus summis se loquitur, non audiente Chremete, & est interminatio prohibentis, ne tollat Myfis puerum.

Cede

Cedo, cujum puerum hic apposuisti? dic mihi.

25 MY. Tu nescis? DA. mitte id, quod scio: dic, quod rogo.

MY. Vestri. DA. cujus vestri? MY. Pamphili. DA. hem, quid Pamphili?

MY. Eho, an non est? CH. recte ego semper fugi has nuptias.

DA. O facinus animadvertendum! MY. quid clamitas?

DA. Quemne ego heri vidi ad vos adferri vesperi?

30 MY. O hominem audacem! DA. verum. vidi Cantharam

Subfarcinatam. MY. Diis pol habeo gratias,

Cum in pariundo aliquot adfuerunt liberae.

DA. Næ illa illum haud novit, cujus causa hæc incipit.

Chremes, si positum puerum ante ades viderit,

35 Suam gnatam non dabit. tantò hercle magis dabit.

CH. Non hercle faciet. DA. nunc adeo, ut tu sis sciens,

Ni puerum tollis, jamjam ego hunc mediam in viam

Provolvam, teque ibidem pervolvam in luto.

MY. Tu pol homo non es sobrius. DA. fallacia

40 Alia aliam trudit. jam susurrari audio,

INTERPRETATIO.

dic cujus puerum ante hoc ostium posuisti? dic mihi. MY. Nescisne cujus sit? DA. Tace id quod scio: dic quod quæro. MY. Vestri. DA. Cujus vestri? MY. Pamphili. DA. Hem, quid ais, Pamphili? MY. Eho, an non est? CH. Merito semper ego hæc vitare volui nuptias. DA. O facinus puniendum! MY. Cur adeo exclamas? DA. Tunc hunc puerum dicis esse Pamphili, quem ego heri vidi ad vos adferri sub vesperam? MY. O hominem impudentem! DA. Verum est. Vidi Cantharam sarcinâ oneratam. MY. Diis pol habeo gratias: quandoquidem parienti Glycerio aliquot adfuerunt libera matrona, quibus

credi oportet. DA. Profectò illa Chremetem non novit, propter quem hanc fallaciam aggreditur. Si Chremes (ita illa cogitat) positum puerum ante ostium Simonis viderit, non dabit filiam suam Pamphilo. Imo, ego aio: tantò magis, per Herculem, ei dabit. CH. Non per Herculem id faciet. DA. Nunc etiam ut scias, si hunc puerum hinc non exportas, jam nunc ego eum in mediam viam voluendo protrudam, teque ibidem versabo plurimum in luto. MY. Tu pol homo vinò captus es. DA. Fallacia alia aliam producit: jam obmurari audio in hæc domo Glycerij.

ANNOTATIONES.

24. Mitte id, quod scio:] Hæc summissè etiam dicit.

26. Cujus, vestri?] Vult datâ operâ Pamphilum nominari.

31. Diis pol habeo gratias.] Habemus illis gratiam a quibus fatemur beneficium accepisse, nec posse illud referre: Diis verò dixit habeo gratias, quas his reddere nequit.

32. Aliquot libera.] Servis non licebat testimonium perhibere.

34. Chremes, si positum puerum.]

Chremetem nominat, quem presentem esse se ignorare simulat.

39. Fallacia alia aliam trudit.] Prior fallacia est; puerum esse natum ex Pamphilo, quæ prior aliam producit: nempe Glycerium esse civem Atticam. Alius sensus hic esse potest: fallacia alia aliam pellit, & prodit: Nimirum commentum illud (Glycerium esse civem Atticam,) falsum esse ostendit, dictam Glycerium peperisse puerum ex Pamphilo.

H

Civem Atticam esse hanc. CH. hem. DA. coactus legibus
 Eam uxorem ducet. MY. au, obsecro, an non civis est?
 CH. Jocularium in malum insciens penè incidi.
 DA. Quis hic loquitur? ô Chreme, per tempus advenis:
 45 Ausculta. CH. audivi jam omnia. DA. anne tu omnia?
 CH. Audivi, inquam, à principio. DA. audisti obsecro? hem
 Scelera: hanc jam oportet in cruciatum hinc abripi.
 Hic ille est: non te credas Davom ludere.
 MY. Me miseram: nihil pol falsi dixi, mi senex.
 50 CH. Novi rem omnem. sed est Simo intus? DA. intus est.
 MY. Ne me attingas scelestè si pol Glycerio non omnia hæc.
 DA. Eho inepta, nescis quid sit actum. MY. quâ sciam?
 DA. Hic socer est. alio pacto haud poterat fieri,
 Ut sciret hæc, quæ volumus. MY. hem; prædiceres.
 55 DA. Paulùm interesse censes, ex animo omnia,
 Ut fert natura, facias, an de industria?

INTERPRETATIO.

illam esse civem Atticam. CH. Hem. D. Pamphilus (inquunt) qui eam viriavit, cogetur legibus Atticis eam uxorem ducere. MY. Eho, dic mihi, obsecro, an Glycerium non est civis Attica? CH. Insciens ego pene incidi in periculum joco dignum. DA. Quis hic loquitur? ô Chreme, commodè advenis! Audi. CH. Audivi jam omnia. DA. Abtunc omnia audivisti? CH. Audivi, inquam, à principio. DA. Audivisti-ne, obsecro te? Hem scelera! Hanc ancillam Glycerij, jam oportet in crucem tollere. O Mysi! hic ille est Chremes, vir meritis clarus; ne tu credas vos rem habere cum Davo servo, quem deludatis dolis. MY. Me miseram! Nihil, pol, dixi falsi, mi senex! CH. Novi rem omnem; sed an Simo domi est? DA. Ita, est domi. MY. Ne me attingas, scelestè Dave! Disperiam, si pol, Glycerio non omnia hæc renunciet. DA. Eho inepta nescis, cur hoc ita sit à me factum. MY. Quomodo id sciam? DA. Hic Chremes est socer futurus Pamphili. Hic non poterat alio modo scire, qua voluimus ut sciret; puerum nempe ex Pamphilo Glycerium peperisse, eamque esse civem Atticam. MY. Hæc me promovere debueras. DA. Parumne interesse existimas inter ea, qua fiunt vere, & naturâ ducente; atque ea, qua arte, & industriâ simulantur.

ANNOTATIONES.

41. Civem esse Atticam.] Regio Atheniensium primum dicta est Attica ab Acte quod Græce, litus, significat: deinde Attica: Maxima enim ex parte litoralis erat.
 Coactus legibus.] Legibus Solonis cautum fuit ut qui virginem liberam, civemque Atticam stuprasset; ut aut
 illam uxorem duceret, aut dotaret.
 43. Jocularium in malum.] Per antiphrasim dictum; significat enim magnum, ac ferium malum, ut notat Muretus.
 48. Anne tu omnia?] Simulata admittatio, alij legunt; Ab ne tu omnia?

ACTUS IV. SCENA VI.

CRITO. MYISIS. DAVVS.

CR. IN hac habitasse platea dictum est Chrysidem,
 Quæ se inhonestè optavit parare divitias
 Potius, quam in patria honestè paupera vivere.
 Ejus morte ea ad me lege redierunt bona.
 5 Sed quos perconter, video. salvete. MY. obsecro,
 Quem video? estne hic Crito, sobrinus Chrysidis?
 Is est. CR. ô Mysi salve! MY. salvos sis Crito.
 CR. Itan' Chrysis? hem. MY. nos quidem pol miseram perdidit.
 CR. Quid vos? quo pacto hic? fatin' rectè? MY. nosne? sic
 10 Ut quimus, ajunt; quando ut volumus, non licet.
 CR. Quid Glycerium? jam hic suos parentes repperit?
 MY. Utinam. CR. an nondum etiam? haud auspicator huc me
 appuli:
 Nam pol, si id scissem, nunquam huc tetulissim pedem:
 Semper enim dicta est ejus hæc atque habita est soror:
 15 Quæ illius fuerunt, possidet. nunc me hospitem

INTERPRETATIO.

CR. Mihi dictum est in hac platea habitasse Chrysidem, qua maluit hic Athenis turpiter divitias acquirere; quam pudice, in patria Andro pauper vivere. Ejus bona jure cognationis, post mortem illius mihi obvenerunt. Sed video, quos de loco domus Glycerij interrogem. Salvete. MY. Obsecro, quem video? Estne hic Crito sobrinus Chrysidis? Ille ipse est. CR. O Mysi salve! MY. Tu quoque salvos sis, Crito. CR. Verumne est Chrysidem decessisse? MY. Nos quidem pol miseram perdidit. CR. Quid vos hic agitis? Quomodo vivitis? Satisne commodè? MY. Nosne, quomodo habeamus, rogas? Vt possumus, quando, ut volumus, non licet, sicut communi fertur proverbio. CR. Quid agit Glycerium jamne suos parentes repperit? MY. Utinam reperisset. CR. An adhuc non repperit? Non sarentibus auspicijs huc appuli: Nam pol, si scivissem Glycerium parentes non reperisse, nunquam huc me contulissim; semper enim ea Chrysidis dicta est, atque habita soror, ejusque bona possidet: tum me peregrinum,

ANNOTATIONES.

6. Sobrinus Chrysidis.] Consobrini proprie dicuntur nati ex duabus sororibus; sobrini, filij consobrinatorum; patruales, filij duorum fratrum.
 12. Haud auspicator.] Auspicari est ex avium cantu, aut gestu, futura
 divinare. Auspicator est adverbium significans, auspicijs factis: Inauspicator, verò significat; auspicijs neglectis. Et quoniam Romani nihil incipiebant, nisi sumptis auspicijs idcirco, inauspicator pro infeliciter usurpatur.


Lites sequi, quam hinc mihi sit facile atque utile,
 Aliorum exempla commonent. simul arbitror,
 Jam esse aliquem amicum, & defensorem ei: nam fere
 Grandiufcula jam profecta est illinc, clamitent,
 20 Me sycophantam hæreditatem persequi,
 Mendicum. tum, ipsam despoliare non libet.
MY. O optime hospes pol, Crito, antiquum obtines.
CR. Duc me ad eam, quando huc veni, ut videam. *MY.* maxime.
DA. Sequar hos: nolo me in tempore hoc videat senex.

I N T E R P R E T A T I O.

quam sit mihi facile, atque utile lites habere hic, in aliena patria, plurima exempla docent. Atque etiam opinor Glycerium jam aliquem amicum habere, & defensorem paratum: nam fere grandiufcula etate, ex Andro hinc Athenas migravit. Vereor ne me ipsi clament sapius calumniatorem; qui hereditatem alienam captem, mendicum denique. Tum etiam, & si hereditas Chrysidis jure mea sit, tamen illam bonis denudare non licet, quum ipsa nulla alia, quam Chrysidis bona habeat. *MY.* Optime hospes Crito antiquum tuum morem observas: cum ita te geris erga Glycerium. *CR.* Duc me ad illam ut, quando hinc veni, saltem eam videam. *MY.* Libenter id volo. *DA.* Sequar hos ad ades Glycerij. Nolo me senex herus Simo hoc tempore nunc videat.

A N N O T A T I O N E S.

16. *Quam mihi sit facile, atque utile.*] Donatus interpretatur; difficile atque inutile.
Sycophantam.] Cum in Atticâ magna esset ficum copia; ad eas asservandas publicè custodes statuebantur, qui sycophantæ dicti sunt *σῦκο τῶν οὐκ ἐκείνου*, id est ficus deferre; quod accusare solerent eos, qui ficus carperent.
 22. *Antiquum obtines.*] Id est antiquum, & consuetum tuum morem. Sic Plautus absolutè sine subitativo dixit in Mostellariâ, Actu 2. Sc. 3.
Antiquum hoc obtines tuum, tardus ut sis.



A C T U S Q U I N T U S. S C E N A I.

C H R E M E S. S I M O.

CH. Satis jam, fatis, Simo, spectata erga te amicitia est mea:
 Satis periculi cœpi adire: orandi jam finem face.
 Dum studeo obsequi tibi, pene illusi vitam filia.
SI. Imo enim quammaximè abs te postulo atque oro, Chreme,
 Ut beneficium, verbis inutum dudum, nunc re comprobes.
CH. Vide, quàm iniquus sis præ studio, dum efficias id quod cupis,
 Neque modum benignitatis, neque quid me ores, cogitas:
 Nam si cogites, remittas jam me onerare injuriis.
SI. Quibus? *CH.* ah rogitas? perpulisti me, ut homini adolescentulo,
 10 In alio occupato amore, abhorrenti ab re uxoria,
 Filiam darem in seditionem, atque incertas nuptias;
 Ejus labore atque ejus dolore gnato ut medicarer tuo.

I N T E R P R E T A T I O.

CH. Satis, jam satis, Simo, perspecta est mea erga te amicitia: fatis periculi suscepi. Desiste me orare. Dum studeo voluntati tua obsequi, pene ludibrio habere visus sum, & negligere filia mea salutem. *SI.* Imò verò summo opere à te peto, atque obsecro, Chreme, ut beneficium verbis jam pridem inceptum, nunc re confirmes, & præstes. *CH.* Vide quam iniquus sis, præ studio efficiendi id quod cupis consequi: neque consideras, qui modus benignitatis, in amicis servandus sit; neque quid à meis precibus postules. Nam si id cogites, tu desinas mihi contra jus importunus, & molestus vexator esse. *SI.* Quomodo vexator tibi fui? *CH.* Quærisses? In vitum coegisti me, ut adolescentulo alio amore implicato, alieno à duccendâ uxore filiam meam darem cum periculo divortij, & discessionis à conjugio instabili, ut ejus labore, atque dolore remedium afferrem filio tuo, amore turpi insaniente.

A N N O T A T I O N E S.

3. *[Illudere vitam filia.] Illudere* prater significationem vulgaram significat interdum per ludum nocere. *Virg.* 2. *Georg.* de vite novella præcipiens.
Silvestres uri assidue, capraque sequaces illudunt.
 Idem, in primo *Georg.*
De areâ granis terendis faciendâ Tum varia illudant pestes.
 Id est ne varia, & periculosa animalcula infestent.
 Idem 2. *Æn.* certantque illudere capto. Id est, per ludum. & jocum sævire in injuriam illius. *Servius Fuldenis.* Sic *Suetonius* in *Tiberio*, dixit illudere capitibus, & illudere corpus.
Filiam darem in seditionem.] Id est ut filiam darem futuram in continuis dissensionibus & rixis cum Marito: ita ut matrimonium dissolveretur.

Impetrasti : incepti , dum res tetulit : nunc non fert : feras.
 Illam hanc civem esse ajunt : puer est natus : nos missos face.
 25 *SI.* Per ego te Deos oro , ut ne illis animum inducas credere ,
 Quibus id maxume utile est illum esse quamdeterrimum.
 Nuptiarum gratiâ hæc sunt ficta atque incepta omnia.
 Ubi ea caussa , quamobrem hæc faciunt , erit adempta his , desinent.
CH. Erras . cum Davo egomet vidi jurgantem ancillam . *SI.* Scio .
CH. at.
 20 Vero voltu ; cum ibi me adesse neuter dum perfererat .
SI. Credo ; & id facturas Davus dudum prædixit mihi :
 Et nescio quid tibi sum oblitus hodie , ac volui , dicere .

I N T E R P R E T A T I O .

Tu id à me impetrasti . Etiam incepti nuptias contrahere , dum res permittit : nunc non permittit . Tu me quoque consilium mutare permittas . Dicitur etiam Glycerium civem esse Atticam ; ex eâ puer filio tuo natus est : proinde omitte nos de nuptijs compellere . *SI.* Per Deos ego te oro , ne velis his credere , quibus utile est , ut filius meus pessimus sit , atque abstinetur . Nuptiarum impediendarum causa hæc fallacia omnes inventa sunt , atque incepta . Vbi nuptia perfecta fuerint , & causa quamobrem fraudulentis illi hæc faciunt , his adempta fuerit ; dolos & technas suas desinent . *CH.* Falleris , egomet vidi ancillam Mysiam rixantem cum Davo . *SI.* Scio . *CH.* At vero vultu , non simulato ; tunc cum neuter eorum me ibi adesse ante senserat . *SI.* Credo . & hanc fraudem facturus Mysim , & Glycerium , Davus dudum mihi prædixerat ; & nescio propter quid id tibi dicere oblitus sum , contra quam proposueram .

A N N O T A T I O N E S .

23. Dum res tetulit .] Antiquum præteritum .

A C T U S V . S C E N A I I .

D A V V S . C H R E M E S . S I M O . D R O M O .

DA. **A** Nimo jam nunc otioso esse impero . *CH.* hem Davom tibi .

SI. Unde egreditur ? *DA.* meo præsidio , atque hospitis . *SI.* quid illud mali est ?

I N T E R P R E T A T I O .

DA. **O** mnes jam nunc securo animo esse impero . *CH.* Hem , egreditur ? *DA.* Meo auxilio , atque hospitis Critonis . *SI.* Quid etiam ille ? *SI.* Unde egreditur ? *DA.* meo præsidio , atque hospitis . *SI.* quid illud mali est ?

A N N O T A T I O N E S .

3. **I**mpero .] Serviliter exultat Davus .
 Hem Davum tibi . *SI.* Unde egreditur ?] Hæc seorsum loquuntur Chremes , & Simo , Davo non audiente , & solo seorsum loquente .

DA. Ego commodiorem hominem , adventum , tempus non vidi .
SI. scelus !
 Quemnam hic laudat ? *DA.* omnis res est jam in vado . *SI.* cesso alloqui ?
 3 *DA.* Herus est : quid agam ? *SI.* ô salve bone vir . *DA.* hem Simo , ô noster Chremes ,
 Omnia apparatus jam sunt intus . *CH.* curasti probe .
DA. Ubi voles , accerse . *SI.* bene sane . id enimverò hinc nunc abest .
 Etiam tu hoc respondes ? quid istic tibi negotij est ? *DA.* mihi ? *SI.* ita .
DA. Mihine ? *SI.* tibi ergo . *DA.* modò introii . *SI.* quasi ego , quam dudum id rogem .
 20 *DA.* Cum tuo gnato una . *SI.* anne est intus Pamphilus ? crucior miser .
 Eho , non tu dixisti esse inter eos inimicitias , carnufex ?
DA. Sunt . *SI.* cur igitur hæc est ? *CH.* quid illum censet ? cum illa litigat .

I N T E R P R E T A T I O .

DA. Rebus nostris commodiorem hominem , adventum , tempus non vidi . *SI.* Quemnam sceleratus hic laudat ? *DA.* Omnis res nostra jam in tuto posita est . *SI.* Quid cesso hunc alloqui ? *DA.* Herus hic est : quid agam ? *SI.* O salve bone vir ! *DA.* Hem , Simo , ô noster Chremes ! saluste . Omnia jam ad nuptias apparatus sunt intus in domo nostra . *SI.* Curasti rectè tu quidem . *DA.* Vbi voles filium accersi jube . *SI.* Bene sane dicis : id enim certe nunc unum desideratur ad solennitatem nuptiarum . An non etiam tu ad id , quod quaro , respondes ? Quid tibi negotij est in domo Glycerij ? *DA.* Mihi ? *SI.* Tibi , inquam . *DA.* Modo in has ades introivi . *SI.* Quasi à te quæram , quam dudum introveris . *DA.* Modo introivi cum tuo filio . *DA.* Anne est intus hic Pamphilus ? Crucior miser animi . Eho annon tu dixisti , carnufex , esse inter eos inimicitias ? *DA.* Sunt . *SI.* Cur igitur Pamphilus est in domo Glycerij ? *CH.* propter quid illum esse censet ? cum illa nempe litigat .

A N N O T A T I O N E S .

3. Scelus , quemnam hic laudat ?] Scelus pro scelerato .
 4. Omnis res jam est in vado .] Vada sunt fluminum loca minus profunda , in quibus periclitandi nullus est metus . Proverbium esse significans rem extrâ periculum esse , quale est istud ; in portu navigo .
 5. O salve bone vir !] Ironica salutatio .
 6. Curasti probe .] Approbatio ironica irati Simonis .
 7. Bene sane .] Perflit in ironiâ .
 Id enimverò hinc nunc abest .] Alij legunt , hic . Si hæc lectio locum habet ; talis erit sensus ; nam certe propterea hic , nempe Pamphilus abest , quia abhorret à nuptiis , nec vult eas perfici .
 8. Etiam tu hoc respondes ?] Etiam tu hæc verba respondere audes ? Scilicet ; (Omnia jam apparatus sunt intus . Vbi voles , accerse ,) tu qui nuptias dolis tuis impedis , & disturbas .
 9. Quasi verò quam dudum rogem .] De negotio interrogatur , de tempore respondet Davus .
 11. Eho non dixisti .] Simo convincit Davum mendacij .

DA. Imo vero indignum, Chreme, jam facinus faxo ex me audias.

Nescio qui senex modò venit: illum, confidens, catus;

15 Cum faciem videas, videtur esse quantivis preti:
Tristis severitas inest in vultu, atque in verbis fides.

SI. Quidnam adportas? *DA.* Nil equidem, nisi quod illum audivi dicere.

SI. Quid ait tandem? *DA.* Glycerium se scire civem esse hanc Atticam.

SI. Hem Dromo, Dromo. *DA.* quid est? *SI.* Dromo. *DA.* audi, *SI.* verbum si addideris. Dromo.

20 *DA.* Audi, obsecro. *DR.* quid vis? *SI.* sublimem hunc intro rape, quantum potes.

DR. Quem? *SI.* Davom. *DA.* quamobrem? *SI.* quia lubet, rape inquam. *DA.* quid feci? *SI.* rape.

DA. Si quidquam mentitura invenies, occidito. *SI.* nihil audio, Ego jam te commotum reddam. *DA.* tamen etsi hoc verum est? *SI.* tamen.

Cura adservandum vinculum: atque audin? quadrupedem constringito.

25 Age, nunc jam ego pol hodie, si vivo, tibi Ostendam, herum quid sit pericli fallere, & Illi patrem. *CH.* ah ne favi tantopere. *SI.* ô Chreme,

INTERPRETATIO.

DA. Imo verò, ô Chreme, indignum facinus ex me audies. Nescio quis senex modò advenit, (ecce illum in hac domo) confidens, catus: cum vultum ejus quis conspicit, videtur qua totumque pretio dignus esse. Tristis & severa gravitas inest in facie, & in verbis fidei sinceritas apparet. *SI.* Quid de illo adportas novi? *DA.* Nihil equidem, nisi quod audivi illum dicere. *SI.* Quid ait tandem? *DA.* Ait se scire Glycerium esse civem Atticam. *SI.* Hem, Dromo, Dromo. *DR.* Quid est? *DA.* Audi. *SI.* Si verbum quidem unum præterea addideris, periisti. Dromo! *DA.* Audi, obsecro. *DR.* Quid vis? *SI.* Sublimem in ades rape quamcelerrimè. *DR.* Quem vis rapiam? *SI.* Davum. *DA.* Quamobrem? *SI.* Quia ita mihi placet. Rape, inquam, torare Dromo. *DA.* Quid feci? *SI.* Rape. *DA.* Si quicquam mendacii me dixisse invenies, occidito. *SI.* Ego nihil audio. Ego te plagis quædam, ut mereris. *DA.* Tamesti vera dixerim, me rapi ad supplicium jubes? *SI.* Iubeo. Dromo, custodi eum in vinculis ne aufugiat: atque, ausisne? manibus, pedibusque, sicut feram constringito, ut terrâ se movere non possit. Age nunc; jam ego, pol, hodie, si vivo, te docebo, quam periculosum sit herum servum fallere, & Pamphilum, patrem. *CH.* Ah ne ades fave te geras. *SI.* Chreme, spectâ

ANNOTATIONES.

14. *Illum.*] Pro ecce illum, antiquum est.

Pietatem

Pietatem gnati. nonne te miseret mei?

Tantum laborem capere ob talem filium?

30 Age Pamphile: exi Pamphile: ecquid te pudet?

INTERPRETATIO.

pietatem filij mei in patrem. An non mei misereris? quòd tantas arumnas pariar ob talem filium. Age Pamphile, exi Pamphile. An non pudore ullo afficeris?

ANNOTATIONES.

28. *Chreme pietatem nati.*] Subaudi, [30. *Ecquid te pudet.*] Sub. Decipere spectâ. Ironia est. [30. *Ecquid te pudet.*] Sub. Decipere patrem.

ACTUS V. SCENA III.

PAMPHILVS. SIMO. CHREMES.

PA. Quis me volt? perij, pater est. *SI.* quid ais omnium? *CH.* ah.

Rem potius ipsam dic; ac mitte male loqui.

SI. Quasi quidquam in hunc jam gravius dici possiet.

Ain' tandem, civis Glycerium est? *PA.* ita prædicant.

3 *SI.* Ita prædicant? ingentem confidentiam!

Num cogitat, quid dicat? num facti piget?

Num ejus color pudoris signum usquam indicat?

Adeon' impotenti esse animo, ut præter civium

INTERPRETATIO.

PA. Quis me appellat? Pater est. *SI.* dicunt. *SI.* Itane dicunt: ô ingentem audaciam! Num cogitat quid debeat dicere? Num facti pœnitet? *CH.* Ah, rem potius ipsam narra, ac cessa maledicere. *SI.* Quasi quicquam Vide, num ejus color pudoris aliter acerbius, quam meretur, in hunc quod signum demonstrat in toto vultu? adeone impotenti est animo adver- tum esse civem Atticam? *PA.* Ita sus cupiditates suas, ut contra civitatis

ANNOTATIONES.

7. *Vide num ejus color.*] Pudoris color est rubor in facie, sicut timoris pallor: Unde Latinis, *erubescere* est pudesceri, pudore suffundi. Græcis ἐρυθρῶν rubescere, idem est ac pudere. 8. *Impotenti animo.*] Impotens dicitur, qui suis cupiditatibus imperare non potest. Græcis ἀρπαγῆς dicitur. Præter civium morem, atque legem. [Le^x erat Athenis à Pericle lata, de qua meminuit Plutarchus in ejus vita, quæ vertabat connubia cum peregrinis jungere, ut si quis non ex duobus Atheniensibus nasceretur, nothus esset, plæneque expers omnium honorum, magistratuumque.

- Morem, atque legem, & sui voluntatem patris,
 10 Tamen hanc habere cupiat cum summo probro?
P. A. Me miserum! *S. I.* modone id demum sensi Pamphile?
 Olim istuc, olim, cum ita animum inducti tuum,
 Quod cuperes, aliquo pacto efficiendum tibi,
 Eodem die istuc verbum vere in te accidit.
 15 Sed quid ago? cur me excrucio? cur me macero?
 Cur meam senectam hujus sollicito amentia? an
 Pro hujus ego ut peccatis supplicium sufferam?
 Imo habeat, valeat, vivat cum illa. *P. A.* mi pater.
S. I. Quid mi pater? quasi tu hujus indigeas patris.
 20 Domus, uxor, liberi inventi, invito patre:
 Adducti, qui illam civem hinc dicant, viceris.
P. A. Pater, licetne pauca? *S. I.* quid dices mihi?
C. H. Tamen Simo, audi. *S. I.* ego audiam? quid audiam,
 Chremes? *C. H.* attamen dicat sine. *S. I.* age, dicat, sino.
 25 *P. A.* Ego me amare hanc fateor; si id peccare est, fateor id
 quoque.
 Tibi pater me dedo, quidvis oneris impone: impera.
 Vis me uxorem ducere? hanc amittere? ut potero feram.
 Hoc modo te obsecro, ut ne credas à me allegatum hunc senem;
 Sine me expurgem, atque illum huc coram adducam. *S. I.* ad-
 ducas? *P. A.* sine pater.

INTERPRETATIO.

consuetudinem & legem, suisque patris voluntatem; tamen hanc habere suadeat cum summo dedecore atque ignominia? *P. A.* Me miserum! *S. I.* Modone id tandem sensisti; te esse miserum? Olim, istud olim tunc sentire debuisti, cum decrevisti aliquo modo exequi, quod cuperes: eodem die istud verbum vere tibi reipsa convenire cepit. Sed quid ago? Cur me torqueo? Cur me tristitia conficio? Cur meam senectutem propter ejus assensians sollicitudine & cura vexo? an ut pro ejus flagitiis penas solvam? imò habeat potius hanc peregrinam, à me discedat, vivat cum illa. *P. A.* Mi pater. *S. I.* Quid mi pater? quasi tu indigeas hoc patre, quem compellas. Domus, uxor, liberi tibi inventi sunt contra patris voluntatem: suppositi sunt, qui Glycerium illam hu-

jus urbis civem esse affirmant. Vicisti, cedo adversanti. *P. A.* Pater, licetne pauca loqui? *S. I.* Quid mihi dicit? *C. H.* Attamen, Simo audi. *S. I.* Quid ego audiam, Chreme? *C. H.* Attamen permittite ut dicat pro se. *S. I.* Age, ut dicat permittite. *P. A.* Ego fateor me amare Glycerium. Si id peccare est, fateor quoque me peccare. Pater tuae potestati me committo. Quidvis oneris impone. Impera. Vis me uxorem ducere? Vis me Glycerium dimittere? Id quod vis, ut potero feram. Hoc tantummodo te vehementer oro, ut ne credas hunc à me summissum senem Critonem, qui hanc civem Atticam esse ait. Permittite ut à hac culpa me purgem, atque illum coram vobis huc adducam. *S. I.* Tu adducas? *P. A.* Permittite id mihi pater.

ANNOTATIONES.

27. *Ut potero feram.*] An possit ferre, dubium patri relinquit.

- 30 *C. H.* Equum postulat: da veniam. *P. A.* sine te hoc exorem.
S. I. sino.
 Quidvis cupio, dum ne ab hoc me falli comperiar, Chreme.
C. H. Pro peccato magno paulum supplicij fatis est patri.

INTERPRETATIO.

C. H. Equa est ejus postulatio. Da illi facultatem hoc faciendi. *P. A.* Sine, ut hoc à te impetrem. *S. I.* Sino. Quidvis concedere cupio; dummodo ab hoc me falli non comperiam, Chreme. *C. H.* Pro gravi culpa, levissima poena filij, satis facit patri.

ANNOTATIONES.

31. *Comperiar.*] Ab hoc me falli, utrum à Pamphilo an à Critone intelligendum sit, quis dubitet: sed de Pamphilo dictum esse opinor. Comperiar pro comperiam positum esse censet Muretus: ut apud Ciceronem in Milonianâ punior pro punio. Sed non passivum, pro activo sumi; verum deponens esse verbum (comperior) dicendum est, cum etiam Sallustius in Jugurt. in activa significatione, hoc verbo utatur: Sed ego comperior Bocchum magis Punicâ fide, quam ob ea, qua predicabat; simul & Romanos, & Numidam spe pacis detinuisse. Hæc sunt verba Sall.
 32. *Paulum supplicij.*] Supplicium istud est accusatio Simonis, ad versus filium Pamphilum. Supplicium etiam est supplicatio, Sall. in Catil. In suppliciis Deorum magnifici, domi parci; in amicos fideles erant. Ibidem: Non votis, neque suppliciis muliebribus auxilia Deorum parantur. Sic Livius lib. 7. de bello Punico, Tacitus lib. 3. Ann. in hac significatione. Sensus hujus loci hanc interpretationem recipit; pro peccato magno parva supplicatio filij, patrem iratum facile placat.

ACTUS V. SCENA IV.

CRITO. CHREMES. SIMO.

PAMPHILVS.

- CR.* **M**itte orare, una harum quævis causa me, ut faciam, monet.
 Vel tu, vel quod verum est, vel quod ipsi cupio Glycerio.
C. H. Andrium ego Critonem video? & certe is est. salvos sis Crito.

INTERPRETATIO.

CR. **D**esine me orare. Una quævis harum trium causarum [satis me adducit, ut meo testimonio confirmem, Glycerium esse ci-

vem Atticam. Vel tui ratio, vel ipsa veritas, vel quod bene opto ipsi Glycerio. *C. H.* Nonne Critonem Andrium video? Et certe is est. Salve Crito.

- Quid tu Athenas insolens? CR. evenit. sed hiccine est Simo?
 5 CH. Hic est. SI. mene quaris? eho, tu Glycerium hinc civem esse ais?
 CR. Tu negas? SI. itane huc paratus advenis? CR. quare? SI. rogas.
 Tunc impune hæc facias? tunc hic homines adolescentulos, Imperitos rerum, eductos libere, in fraudem illicis? Sollicitando, & pollicitando eorum animos lætas? CR. sanum' est?
 10 SI. Ac meretricios amores nuptiis conglutinas?
 PA. Perij: metuo, ut substet hospes. CH. si Simo hunc noris satis, Non ita arbitrere: bonus hic est vir. SI. hic vir sit bonus? Itane adtemperate venit hodie in ipsis nuptiis, Ut veniret antehac nunquam? est vero huic credendama Chreme?
 15 PA. Ni metuam patrem, habeo pro illa re, illum quod moreneam probe.
 SI. Sycophanta. CR. hem. CH. sic Crito est hic: mitte. CR. videat, qui fiet.

INTERPRETATIO.

quid tu Athenas præter solitum venisti? CR. Casu id contigit. Sed nonne hic, quem intueor, Simo est? CH. Hic est. SI. Mene quaris? Eho, tunc Glycerium civem hujus urbis esse ais? CR. An tu negas? SI. Itane tu subornatus huc advenis? CR. Quare hac dicis? SI. Quarisne? An impune hoc facere tibi licebit? Tunc hic homines adolescentulos nullâ experientiâ rerum instructos, ingenue, atque honeste educatos in fraudem inducis? Incitando, & promittendo allicis eorum animos? CR. Num apud te es? SI. Ac meretricios amores nuptiis confirmas, & consolidas?

PA. Perij: metuo ut hospes Crito firmus contra patrem subsistat. CH. Simo, si satis hunc virum noveris, non ita de illo censeas, ut facis. Bonus hic vir est. SI. Hic vir sit bonus? Itane præstito est, in ipso tempore nuptiarum composi. o veniens: cum nunquam antehac venerit? An vero huic credendum est, Chreme? PA. Nisi patrem metuam, scio, quid commodè Critoni in memoriam reducam, pro illa ut quam objicit pater. SI. Calumniator. CR. Hem, mene vocari calumniatorem patiar? CH. Sic à natura factus est Simo, vehemens, & iracundus. Hunc omittit & sperne. CR. Viderit qualis ipse sit

ANNOTATIONES.

4. Quid tu Athenas insolens? Insolens, est præter solitum, & consuetudinem suam. Hic insolens activè sumitur, ut sapissimè solet sumi. Plaut. in Amph. Si dixero mendacium, solens meo more facero. Sic idem in Truc. Sall. Insolens vera accipiendi. Sed & passivè sumitur. Horat. 3. Carm. Od. 29. Fortuna sævo lata negotio Ludum insolentem ludere pertinax. Cell. lib. 1. Noct. &c. Atque id quod à Casare excellentis ingenij viro, in primo de Analogia scriptum est, habet semper in memoriâ, atque pectore; ut tanquam scopulum fugias inauditum, atque insolens verbum. Verùm non jungitur cum infinitivo passivo, ut insolitus, & solitus. Neque enim dicitur (solens est hoc fieri, ut solitum est hoc fieri. At tò solitus in utraque significatione usitatum est.

- Si mihi pergat, quæ volt, dicere, ea, quæ non volt, audiet. Ego istac moveo, aut curo? non tu tuum malum æquo animo feres? Nam, ego quæ dico, vera, an falsa audieris, jam sciri potest.
 20 Atticus quidam olim navi fracta ad Andrum ejectus est, Et istac una parva virgo: tum ille egens forte applicat Primum ad Chrysidis patrem se. SI. fabulam incepat. CH. sine. CR. Itane vero obturbat? CH. perge. CR. tum is mihi cognatus fuit, Qui eum recepit. ibi ego audivi ex illo sese esse Atticum.
 25 Is ibi mortuus est. CH. ejus nomen! CR. nomen tam cito tibi? Phania. CH. hem, perij. CR. verum hercle opinor fuisse Phaniam. Hoc certo scio, Rhamnufium se ajebat esse. CH. ô Jupiter! CR. Eadem, hæc Chreme, multi alij in Andro tum audivere. CH. utinam id fiet, Quod spero. eho dic mihi, quid is eam tum, Crito, 30 Suamne ajebat esse? CR. non. CH. cujam igitur? CR. fratris filiam. CH. Certe mea est. CR. quid ais? SI. quid tu? quid ais? PA. arrige aures Pamphile.

INTERPRETATIO.

si perseveret, qua vult, probra, & convitia dicere, ea que non vult, invitus audiet. Egone has de nuptiis turbas excito, aut fieri curo? nonne malum quod propter filium tibi accidit, te patienter ferre oportet, non aliis imputare? Nam de his, qua dixi; jam sciri potest, utrum vera, an falsa sint ea, qua à me audivisti. Quidam Atheniensis, naufragio facto ad Andrum ejectus est, atque una ista, parva tunc, virgo: tum ille egenus omnium rerum, forte se recipit, & applicat ad Chrysidis patrem. SI. Fabulam incipit narrare. CH. Sine eum loqui. CR. Itane mihi interrumpit sermonem? CH. Perge. CR. Is, qui tunc eum hospicio excepit, mihi cognatus fuit. Ibi ego audivi ex illo sese esse Atticum. Is in Andro mortuus est. CH. Quod fuit ejus nomen? CR. An tam cito tibi nomen ejus edicere cupis? Phania nomen fuit, ut puto. CH. Hem perij. CR. Verùm hercle, opinor, Phaniam illi nomen fuisse. Hoc certo scio; Rhamnufium se ajebat esse. CH. O Jupiter! CR. Eadem hæc, Chreme, multi alij in Andro tunc audiverunt. CH. Utinam id sit, quod spero. Eho dic mihi Crito, quid Glycerium parvulam tunc sibi esse dicebat? Suamne filiam dicebat esse? CR. Non. CH. Cujusnam igitur? CR. Fratris eam esse filiam dicebat. CH. Certe mea est. CR. Quid ais? SI. Quid tu ais? PA. Arrige aures, Pamphile.

ANNOTATIONES.

27. Rhamnufium.] Rhamnufius à Rhamnunte oppidulo Atticæ, in quo celeberrimum fuit templum Nemesis Deæ ulticis superborum (quæ ob id Rhamnusia dicta est) ejusque simulachrum marmoreum factum à Phidiâ nobili statuario, altum decem vlnas.
 30. Cujam igitur? Yetultum adjectivum per tria genera declinabile, id est cujus.
 31. Arrige aures Pamphile.] Metaphora ducta ab animalibus, quorum plerique solent, si quando quid eminus audiant, aures furrigere. Aures erigimus, vel arrigimus, cum aliquid libenter audimus.

- SI. Qui credis? CH. Phania ille, frater meus fuit. SI. no-
ram & scio.
CH. Is hinc bellum fugiens, meque in Asiam persequens, pro-
ficiscitur.
Tum illam hinc relinquere est veritus. postilla nunc primum
audio,
35 Quid illo sit factum. PA. vix sum apud me: ita animus com-
morus est metu,
Spe, gaudio, mirando hoc tanto, tam repentino bono.
SI. Næ istam multimodis tuam inveniri gaudeo. PA. credo, pater.
CH. At mihi unus scrupulus etiam restat, qui me male habet.
PA. dignus es
Cum tua religione odio. nodum in scirpo quæris. CR. quid
istud est?
40 CH. Nomen non convenit. CR. fuit hercle aliud huic parvæ.
CH. quod, Crito?
Nunquid meministi? CR. id quæro. PA. egone hujus memo-
riam patiar meæ
Voluptati obtare, cum egomet possim in hac re medicari mihi?
Non patiar. heus, Chreme: quod quæris, Pasibula. CR. ipsa est.
CH. ea est.

INTERPRETATIO.

SI. Quomodo his verbis tam facile cre-
dis? CH. Phania ille frater meus fuit.
SI. Noveram eum, & scio ipsum fra-
trem tuum fuisse. CH. Is bellorum
motus fugiens, hinc in Asiam proficif-
citur me quæsturus. Tunc illam par-
vulam hinc Athenis relinquere est veri-
tus. Post illa tempora, nunc primum
audio, quid de illo factum fuit. PA.
Vix mentis compos sum: ita metu agi-
tatus sum amittenda Glycerij, spe ipsius
habenda, gaudio, quod sit civis Attica:
skum miror hoc tantum, tamque inspe-
ratum bonum. SI. Certe istam Glyce-
rium, inventam esse tuam ex multis &
certis argumentis, vehementer gaudeo.

PA. Credo pater. CH. At mihi unum
dubium etiam restat, quod me angit.
PA. Dignus es odio, cum tua supersti-
tiosa anxietate. Tu in re minime dubia
occasionem dubitandi quæris. CR. Quid
istud est? CH. Nomen, quo illam vo-
cant, non convenit cum nomine filia-
meæ. CR. Fuit hercle aliud ei nomen
dum parvæ erat. CH. Quod, Crito?
Nunquid meministi? CR. Id quæro.
PA. Egone hujus fluxam memoriam
patiar meæ voluptati moram injicere:
cum ego possim ipse mihi remedium in-
venire? Non patiar. Heus Chreme!
quod nomen quæris Pasibula est. CR.
Ipsum nomen est. CH. Id ipsum est.

ANNOTATIONES.

38. At mihi unus scrupulus.] Scrupus
est lapillus pedes ambulantium lædens.
Scrupulus ejus diminutivum per trans-
lationem significat difficultatem, mo-
lestiam, dubium.

39. Nondum in scirpo quæris.] Scirpi
junci sunt palustres sine nodo: unde
Proverbiunt est de his qui in rebus cla-
ris scrupulum quærunr.

- PA. Ex ipsa millies audivi. SI. Omneis nos gaudere hoc, Chreme,
45 Te credo credere. CH. ita me Dij ament, credo. PA. quid restat
pater?
SI. Jam dudum res reduxit me ipsa in gratiã. PA. ô lepidum patrem!
De uxore ita, ut possèdi, nihil mutat Chremes. CH. causa optima est:
Nisi quid pater aliud ait. PA. nempe. SI. scilicet. CH. dos, Pam-
phile, est
Decem talenta. PA. accipio. CH. propero ad filiam. eho mecum
Crito:
50 Nam illam me haud nosse [credo. SI. cur non illam huc trans-
ferri jubès?
PA. Recte admones. Davo ego istuc dedam jam negoti. SI. non
potest.
PA. Qui? SI. quia habet aliud magis ex sese, & majus. PA. quid-
nam? SI. vincus est.
PA. Pater, non rectè vincus est. SI. haud ita jussi. PA. jube
solvi, obsecro.
SI. Age fiat. PA. at matura. SI. eo intrò. PA. ô faustum, & fe-
licem hunc diem!

INTERPRETATIO.

PA. Ex ipsa audivi millies, SI. Ego
credo te credere nos omnes gaudere, ô Chre-
me, propter hoc, quod reperta est tua fi-
lia, CH. Ita me Dij adjuvent, credo.
PA. Quid restat pater? SI. Iam pridem,
fili, res ipsa, quod filiam amas Chre-
metis, quæ ab eo agnita est, gratiam
meam tibi reconciliavit. PA. O lepidum
patrem! Quod ad uxorem pertinet;
quominus ita eam posthac possideam; ut
antea possedi; nihil de hoc mutat Chre-
mes. CH. Causa legitima est, propter
quam tibi uxoris confirmetur possessio;
nisi pater reclamet, & dissentiat. PA.
Certe non reclamabit, neque dissentiet.
SI. Sic est. Non dissentio. CH. Dotem,
Pamphile, dico decem talenta. PA. Ac-
cipio. CH. Propere ad filiam eo. Eho
Crito, mecum veni: nam credo illam non
me noscere. SI. Cur non illam ad me ex
adibus adduci jubès? PA. Recte admones.
Davo istud jam negotium dabo. SI. Non
potest id exequi. PA. Quomodo? SI.
Quia aliud, & majus habet nego iuris
quod ad ipsum pertinet. PA. Quidnam
est? SI. Vincus est. PA. O pater non rectè
vincus est. SI. Iusseram eum rectè vin-
ci. PA. Iube eum solvi vinculis, obse-
cro. SI. Age, fiat. PA. At festina.
SI. Eo intrò. PA. O faustum ac feli-
cem hunc diem!

ANNOTATIONES.

45 Quid restat, pater?] Obliqua pos-
tulatione nuptiarum Glycerij.
49. Decem talenta.] Talentum Atti-
cum, pro pecuniæ summa valet sexcen-
tis Coronatis Gallicis. Decem Talenta
sunt sex millia Coronatorum.
52. Quia habet aliud magis ex sese.] Id
est suum, magis ad se pertinens.
53. Non rectè vincus est.] Pamphilus
per non rectè intelligit, non justè:
Simo vero per jocum intelligit, non fa-
tis strictè; ut qui jusserat Davum tan-
quam quadrupedem arctissimè vinciti.

ACTUS V. SCENA V.

CHARINVS. PAMPHILVS.

CH. **P**rovifio, quid agat Pamphilus : atque eccum. PA. aliquis forfan me putet

Non putare hoc verum. at mihi nunc sic esse hoc verum lubet.

Ego vitam Deorum propterea fempiternam esse arbitror,

Quod voluptates eorum propriae sunt. nam mihi immortalitas

5 Parta est, si huic nulla aegritudo gaudio intercefferit.

Sed quem ego potiffimum exoptem nunc mihi, cui haec narrem, dari?

CH. Quid illud gaudij est? PA. Davom video: nemo est, quem malle, omnium:

Nam hunc scio mea solide solum gavifurum gaudia.

INTERPRETATIO.

CH. **V**enio visum, quid agat Pamphilus; atque ecce illum. PA. Aliquis forfasse putet me non putare hoc esse verum, quod mox dico: at placet mihi nunc hoc verum esse. Ego vitam Deorum propterea fempiternam esse judico, quod voluptates propriae eorum sunt, & perpetua. Certe immortalitas mihi acquifita est, si nulla triftitia huic praefenti gaudio quo repleor, interposita fuerit. Sed quem praecipue exoptem mihi nunc obviam fieri, cui fortunam secundam, & hanc meam felicitatem commemorem? CH. Quid illud gaudium est? PA. Davom video. Nemo est omnium, quem malle mihi occurrere: nam scio hunc perfecte atque ex toto animo, ob mea gaudia, gavifurum.

ANNOTATIONES.

3. Ego vitam Deorum.] Hoc dictum est ex sententia Epicuri. Ille enim vitam judicabat beatiffimam; quae plurimum haberet voluptatis: triftitiae quamminimum.

5. Si nulla aegritudo.] Quamobrem a

Romanis duae Deae colebantur in eodem templo; Angeronia ab angoribus dicta, & voluptas a Voluptate, indicantibus, in vita hominum, voluptates & dolores inter se commixtas esse.



ACTUS

ACTUS V. SCENA VI.

DAVVS. PAMPHILVS. CHARINVS.

DA. **P**amphilus ubinam hic est? PA. Dave. DA. quis homo est? PA. Ego sum. DA. ô Pamphile.

PA. Nescis quid mihi obtigerit. DA. certe: sed, quid mihi obtigerit, scio.

PA. Et quidem ego. DA. more hominum evenit, ego ut quod sim nactus mali,

Prius rescisceres tu, quam ego, tibi quod evenit boni.

5 PA. Mea Glycerium suos parentes reperit. DA. ô factum bene!

CH. Hem. PA. pater amicus summus nobis. DA. quis? PA. Chremes. DA. narras probe.

PA. Nec mora ulla est, quin eam uxorem ducam. CH. num ille somniat

Ea, quae vigilans voluit? PA. tum de puero, Dave? DA. ah desine! Solus est, quem diligunt Dii. CH. salvus sum, si haec vera sunt.

10 Colloquar. PA. quis homo est? Charine, in tempore ipso mihi advenis.

INTERPRETATIO.

DA. **U**binam est hic Pamphilus? PA. noster est. DA. Quis? PA. Chremes. Dave. DA. Quisnam homo est, DA. Bene narras. PA. Nec quicquam qui me appellas? PA. Ego sum. DA. O nos retardat quin eam uxorem ducam. Pamphile! PA. Nescis quid mihi obtigerit. DA. Certe: sed quid mihi obtigerit scio. PA. Et quidem ego. DA. Ut accidere solet hominibus, ita evenit nobis: ut prius cognosceres, quod mali inveni; quam ego audirem, quod boni tibi obtigit. PA. Mea Glycerium suos parentes reperit. DA. O quam recte contigit! CH. Hem. Pater ejus summus amicus accedit? Charine, opportune mihi advenis.

ANNOTATIONES.

3. Sed quid mihi obtigerit.] Hoc Davus dicit de vinculis ridiculè. Illustres quoque Heroas, Deorum filios, cognatos, & amicos fuisse fabulatur Antiquitas, ut Herculem Jovis filium, Aeneam Veneris, multosque alios.

9. Solus est, quam diligunt Dii.] Hy-

K

P. T E R E N T I I A N D R I A .

CH. Bene factum. *PA.* hem, audisti? *CH.* omnia. age, me in tuis secundis respice.

Tuus est nunc Chremes. facturum, quæ voles, scio esse omnia. *PA.* Memini: atque adeo longum est, nos illum expectare, dum exeat.

Sequere hac me intus ad Glycerium nunc. tu Dave abi domum, 15 Properè accerse, hinc qui auferant eam: quid stas? quid cessas? *DA.* eo.

Ne expectetis, dum exeant huc, intus despondebitur. Intus transfigetur, si quid est, quod restet. Plaudite,

I N T E R P R E T A T I O .

CH. Tecum bene actum esse gaudeo. *PA.* Hem! audistine? *CH.* Omnia audivi. Agedum, in tuis prosperis successibus fac ut me adjuves. Chremetem totum possides: scio illum facturum esse omnia, quæ voles. *PA.* Semper tui memini. Longum verò tempus est nos expectare, donec ille exeat domo: tu sequere hac me intus. Chremes nunc est in adibus Glycerij. Tu, Dave, abi domum.

Festina. Accerse viros, qui eam auferant ex domo, ubi nunc est, & ad nos transferant. Quid stas immortus? Quid tardas? *DA.* Eo. Ne expectetis, Spectatores, dum huc exeant in proscenium Actores nostri. Intus sponsalia fiunt. Intus de dote Philumena, de Chrysidis hereditate, deque ceteris rebus, conveniunt, & transfigetur. Plaudite.

Calliopius recensuit.

A N N O T A T I O N E S .

15. *Qui auferant eam.* Virgo nuptui data, antiquo ritu simulabatur ex gremio matris, aut si ea deesset, ex proxima necessitudine muliere rapi; inde ad virum transferebatur: quod ea res Romulo suisque Sabinas, rapientibus feliciter cessisset. Quò respiciens Catullus dicit;

Qui rapis teneram ad virum Virginem
In Epithalamio Manlij, & Juliae.

17. *Plaudite.* Plaudere verbum est textricum, Græcis *παρθεῖν*, vel *κροτεῖν*: cum illæ licium densius inculcant, & cum plausu collidunt. Hoc verbum

etiam in Theatrum migravit postea; eòque peractis fabulis spectatores dimittebantur; *Valere* enim, & *plaudere* jubebantur, quæ verba vel à grege histrionum, vel ab eâ personâ, quæ postremâ in Scenam introducebatur, pronuntiabantur: Ut videre est apud Plautum, Horat. in Arte.

Donec cantor, id est, actor, vos plaudite dicat. Cantor est actor. Apuleius eleganter 3. Florid. Renuntiaverunt Poëtam dixisse rebus humanis Valere, & Plaudere; suis verò familiaribus plangere, & plangere.



P.

T E R E N T I I J

CARTHAGINENSIS AFRI

EUNUCHUS.

ACTA LUDIS MEGALENSIBUS, L. POSTHUMIO ALBINO, L. CORNELIO MERULA, ÆDILIBUS CURULIBUS. EGERE L. AMBIVIVUS TURPIO, L. ATTILIUS PRÆNESTINUS. MODULAVIT FLACCUS CLAUDII, TIBIIS DUABUS DEXTRA ET SINISTRA GRÆCA MENANDRU. ACTA II. M. VALERIO C. FANNIO COSS.

ANNO AB URBE CONDITA DCCIII. ANTE CHRISTUM NATUM CLIX.

F A B V L Æ I N T E R L O C V T O R E S .

PHÆDRIA, Adolescens. A Græco *φαιδρός*. hilaris.

PARMENO, Servus, *παρὰ τὴν δεξιὰν τῆς ἀφύων*, manens & adstantans domino.

THAIS, Meretrix. A *θαυτός*, spectabilis, quasi speciosa.

GNATHO, Parasitus. A *γνάθος* maxilla, quòd sit edax.

CHÆREA, Adolescens. A *χαίρων*, gaudens.

THRASO, Miles. A *θράσος*, audacia.

PYTHIAS, Ancilla quasi *πυθοδύνη*, percontatrix.

CHREMES, Adolescens. A *χρημίζω*, hinnio: quòd hinnitum equorum delectaretur.

ANTIPHON, Adolescens ab *ἀντὶ φαίνομαι* contra appareo, vel *ἀντὶ ἐμῶν* contra loquor.

DORIAS, Ancilla, quòd Doride regione orta sit.

DORUS, Eunuchus, quasi Doricus.

SANGA, Servus, à Sangia vico Phrygiæ.

SOPHRONA, Nutrix. A *σώφρων*, castus, continens.

LACHES, Senex. A *λαχάνω*, fortior, forte obtineo.

ARGUMENTVM.

PAMPHILA Virgo Attica, à prædonibus rapta, & Rhodum advecta, à meretrice quadam, cum ipsius filiâ Thaidè, educata est: adeo ut ambæ sorores crederentur. Thais autem grandiuscula facta Athenas migravit, ibique matris artem meretriciam exercuit. Aliquo post tempore, mater ejus mortem obiit Rhodi, relictâ Pamphilâ, quam Thraso miles Athenas adducit, & Thaidi in donum promittit, si suæ voluntati morigerari vellet. Illa Phædriam adolescentem Atheniensem, Lacheris filium, sibi amatorem adjunxerat; à quo multis precibus impetrat, exposita facti ratione (nimirum, ut Pamphilam recuperaret) Militi ut biduum gratificari posset. Interea Phædria rus ire statuit, abiensque mandat Parmenoni servo, ut Eunuchum, & Æthiopissam ad Thaidem, cui eos emerat, duceret. Cæterum Chærea Phædriæ frater Pamphilam in via conspicatus, ejus amore flagrabat; itaque serui Parmenonis arte, pro Eunucho, ejus habitu indutus, Thaidi traditur, quæ ei soli Pamphilam credit, dum ad cœnam cum Milite proficiscitur. Itaque Chærea hac occasione arreptâ, Pamphilam vitiat, seque illico dat in fugam quamceleriter. Hinc mirabiles turbæ concitantur. At Pamphila paulo post à suis tandem agnoscitur, daturque in uxorem Chæreæ. Phædria, & Thraso rivales per Parasitum concordés facti, communi amica Thaidè sine certamine potiuntur.

C.

SULPITII APOLLINARIS
PERIOCHA.

SOROREM falso dictitatam Thaidis,
Id ipsum ignorans, miles advexit Thraso,
Ipseque donat. erat hæc civis Attica.

INTERPRETATIO.

THRASO Miles abduxit secum Thaidis, quod ille ignorabat, ipse Rhodo Athenas Pamphilam, sique Thaidi dono dat. Erat hæc vulgi sermone nominatam sororem Pamphila civis Atheniensis filia;

ANNOTATIONES.

Periocha.] *A περίοχη* comprehendendo, continco, *περιοχή* comprehendit, hoc Græcis dicitur, idem quod Latinis argumentum, estque brevis totius aliquid rei explicatio.

*Eidem Eunuchum, quem emerat, tradi jubet
Thaidis amator Phædria, ac rus ipse abit,
Thrasoni oratus biduum concederet.
Ephæbus frater Phædriæ puellulam
Cum deperiret dono missam Thaidi,
Ornatu Eunuchi induitur. suadet Parmeno:
Introit: vitiat virginem. sed Atticus
Civis repertus frater ejus, conlocat
Vitiatam ephæbo: Phædriam exorat Thraso.*

INTERPRETATIO.

eidem Phædria ipsius amator Eunuchum à se emptum ut tradat, Parmenoni impetrat, atque in villam abit, exoratus precibus Thaidis, ut in duos dies eâ miles potiretur. Frater Phædriæ adolescens Chærea cum Pamphilam perditæ amaret donatam Thaidi à Milite; supponitur pro Eunucho, ejusque habitum indutus | *ad ades Thaidis adducitur: in quibus stuprat Pamphilam, qua cum reperisset fratrem suum Chremem. Civem Atheniensem; agnita ab ipso datur uxor Chærea à quo vitiatæ fuerat; Thraso impetrat à Phædria, ut sint socij in amore Thaidis.*

ANNOTATIONES.

*Ornatu Eunuchi.] Eunuchus, castratus dicitur ab *εὐνῆ* quod est cubile, & *εἶναι*, habeo, custodio, quod id genus hominum adhibebatur servandis regum cubilibus. Eustathius deducit* | *nomen istud ab *εὐνῆ*, id est privatus, & *ὄχη* coitus, conjunctio; quasi *εὐνῆς ὄχη* privatus, carens conjunctio-
ne foemineâ.*

PROLOGVS.

SI quisquam est, qui placere se studeat bonis
Quamplurimis, & minime multos lædere;
In his Poëta hic nomen profitetur suum.
Tum si quis est, qui dictum in se inclementius
Existimavit esse, sic existimet,
Responsum, non dictum esse, quia læsit prior;
Qui bene vertendo, & easdem describendo male, ex
Græcis bonis Latinas fecit non bonas.

INTERPRETATIO.

SI nullus est, cui admodum cura sit, ut
Sperisque se gratum esse, nulloque
offendere, hos inter Poëta noster dat no-
men suum: tum si quisquam est, qui
acerbius aliquid in se dictum suscipit,
sic arbitretur; & sciat, hoc
responsum esse in defensionem Teren-
tij lacestiti, non dictum in contumeliam
Lavinij lacestitis, qui prior maledictus
illum provocavit, qui bene vertendo
fabulas, dum verba verbis reddat, &
easdem scribendo male, dum sententiam
obscurius exprimit: ex Græcis bonis,
Latinas fecit non bonas.

- Idem Menandri Phasma nunc nuper dedit,
 10 Atque in Thesauro scripsit, causam dicere
 Prius unde petitur, aurum quare sit suum,
 Quam illic, qui petit, unde is sit thesaurus sibi,
 Aut unde in patrium monumentum pervenerit.
 Dehinc ne frustretur ipse se, aut sic cogitet;
 15 Defunctus jam sum, nihil est quod dicat mihi.
 Is ne erret, monio, & definat laceffere:
 Habeo alia multa, quæ nunc condonabitur;
 Quæ proferentur post, si perget lædere
 Ita, ut facere instituit. nunc quam acturi sumus
 20 Menandri Eunuchum, postquam Ædiles emerunt,
 Perfecit, sibi ut inspicundi esset copia.
 Magistratus cum ibi adesset, ocepta est agi.
 Exclamat, furem, non poetam fabulam
 Dedisse, & nil dedisse verborum tamen:
 25 Colacem esse Nævi, & Plauti veterem fabulam;
 Parasiti personam inde ablatam, & Militis.
 Si id est peccatum, peccatum imprudentia est
 Poëtæ, non qui furtum facere studuerit.

I N T E R P R E T A T I O .

Idem Lavinium Menandri comœdiam Phasma, hoc est Spectrum nominatam, recens admodum spectandam edidit; atque in Thesauro, aliâ Menandri fabulâ inducit, possessorem, qui rei partes sustinet, prius causam dicentem, quare Thesaurus auri inventus ad se pertineat, quam petitur, qui actor est, unde sibi is obvenerit, aut unde in patris sepulchrum reconditus sit. Deinde ne fallat se se, aut sic animo putet; defunctus jam sum periculo & experis omnis reprehensionis: nihil est, quod mihi objicere possit. Terentius; hunc Lavinium, ne erret monio, & cesset me irritare. Possum alia plura exposulare, qua in presenti ei remitto; qua po-

stea expromentur, si perget maledicere me offendere, ita ut jam incepit, si postquam Ædiles emerunt Eunuchum comœdiam, quam nunc daturi sumus in theatrum, consecutus est ut hanc sibi spectandi potestas fieret. Vix presentem Magistratu, agi cœpta est, cum vociferatur, furem esse non Poëtam qui hanc comœdiam dedit, nec eum dedisse dicendum esse, cum ne verbum quidem apposuerit de suo. Hanc esse Comœdiam Colacem dictam, id est, Assentatorem, jam olim à Nævio & Plauto editam. Personam Parasiti ex ea furto ablatam & Militis esse à Terentio. Si id fecisse peccatum est, imprudens & inscius ille peccavit, nec enim ullum furtum meditatus est,

A N N O T A T I O N E S .

11. Prius unde petitur aurum.] Is unde petitur, id est, possessor, à quo possessio rei petitur, qui rei partes sustinet, qui est defendeur. Petitor vero est actor, Demandeur. Terentius arguit Lavinium induxisse possessorem prius agentem, quàm petitozem, quod est contra consuetudinem judiciorum.
 17. Quæ nunc condonabitur.] Veteres, condono, jungebant accusativo: sic in Phormione Terentius: Argentum quod habes, condonamus te, pro tibi.

- Id ita esse, vos jam judicare poteritis.
 30 Colax Menandri est: in ea est parasitus Colax,
 Et Miles gloriosus: eas se non negat
 Personas transtulisse in Eunuchum suam
 Ex Græca: sed eas fabulas factas prius
 Latinas scisse sese, id vero pernegat.
 35 Quod si personis iisdem uti aliis non licet:
 Quæ magis licet currentes servos scribere,
 Bonas matronas facere, meretrices malas,
 Parasitum edacem, gloriosum militem,
 Puerum supponi, falli per servum senem,
 40 Amare, odisse, suspicari? Denique
 Nullum est jam dictum, quod non dictum sit prius.
 Quare æquum est vos cognoscere, atque ignoscere,
 Quæ veteres factitarunt, si faciunt novi.
 Date operam, & cum silentio animadvortite,
 45 Ut pernoscatis, quid sibi Eunuchus velit.

I N T E R P R E T A T I O .

Id verum esse, vos spectatores, arbitrari modò poteritis. Colax comœdia à Menandro facta est; in ea Parasitus Colax inducitur, & Miles gloriosus. Earum personas fatetur quidem se transposuisse in Eunuchum Comœdiam suam ex Græca; sed prius interpretatione Nævij, aut Plauti Latine versas esse, id vero se ignoravisse pertendit. Quod si personis iisdem, quibus veteres Comici usi sunt, novis Poëtis uti non licet, cur magis licet festinantes servos facere, bonas matres-familias in scenam producere; meretrices malas, parasitum voracem, gloriosum militem, partum falsum supponi, deludi per servum senem dominum, amores, odia, suspensiones? Postremò nihil dici nunc à nobis potest, quod non ab aliis ante nos dictum fuerit. Quamobrem æquum est vos Spectatores cognoscere quantum liceat Poëtis in imitando sibi sumere, atque ignoscere, si novi, ab antiquis, quæ sibi conveniunt, quandoque mutentur: cum antiquis idem crebro facere licuerit. Vos Actores attentè spectate, & cum silentio advertite, ut sciatis quas res contineat, atque exprimat Eunuchus Comœdia.

A N N O T A T I O N E S .

34. Id vero pernegat.] Non negat Terentius ex Colace Menandri, se personam Militis & Parasiti transtulisse, sed accepisse ex Nævio & Plauto pernegat.
 35. Quod si personis.] Defendit argumento à pari, licere sibi iisdem, quibus illis Nævio & Plauto, uti personis.



ACTUS PRIMI SCENA PRIMA.

P HÆDRIA. PARMENO.

PH. QUID igitur faciam? non eam? ne nunc quidem,
Cum accersor ultro? an potius ita me comparem,
Non petiti meretricum contumelias?
Exclutit, revocat, redeam? non, si me obsecret.
5 P. A. Siquidem, hercle, possis, nil prius, neque fortius:
Verum si incipies, neque perficies naviter,
Atque ubi pati non poteris, cum nemo expetet,
Infecta pace, ultro ad eam venies, indicans
Te amare, & ferre non posse: actum est, ilicet,
10 Peristi: eludet, ubi te victum senserit.
Proin tu, dum est tempus, etiam atque etiam cogita.
Here, quæ res in se neque consilium neque modum
Habet ullum, eam consilio regere non potes.
IN AMORE hæc omnia insunt vitia: injuriæ,
15 Suspiciones, inimicitia, induciæ,
Bellum, pax rursus, incerta hæc si tu postules
Ratione certa facere, nihilo plus agas,
Quam si des operam, ut cum ratione insanias.

INTERPRETATIO.

PH. Quid igitur agam? egone illam
non adeam? ac ne quidem
nunc, cum ipsa Thais sponte me vocet?
an potius ita me parem, ut perpetuo
non feram meretricum injurias? Ex-
pultit foras, rursus accersit: revertar-
ne ad illam? Non, si per sacra omnia
me obtestetur. P. A. Per Herculem, si
quidem valeas id facere, nihil melius,
neque praestantius: verum si, ubi in-
ceperis, non perseverabis fortiter, at-
que ubi amplius vim amoris ferre non
potueris; si ad Thaidem minimè te de-
siderantem, non reconciliatâ pace, vo-
lens redibis, ostendens te ejus amore
ardere, neque affectui posse resistere:
desperata res est, statim perditus eris:
illa ludibrio te habebit, ubi te domitum
à se cognoverit. P. H. Itaque dum per
tempus licet, cum nondum quidquam
incepti, diligenter considera quid facere
debeam. P. A. Domine, rem qua consilio
& mod ratione caret omni, eam pru-
dentia gubernare non vales. Amor hac
omnia in se habet mala, contumelias,
zelotypiam, dissensiones, pacem ad tem-
pus, bellum, post bellum pacem iterum
hæc cum sint instabilia, si velis ratione
stabilia reddere, nihilo plus proficias quam
si desideres, ut quis cum ratione insanias.

ANNOTATIONES.

1. Quid igitur.] Hoc igitur signi-
ficat, Phædriam multa cum
servo fuisse collocutum, priusquam in
scenam prodiret.

Et

Et quod nunc tute tecum iratus cogitas;
20 Egone illam? quæ illum? quæ me? quæ non? sine modo:
Mori me malim: sentiet qui vir siem.
Hæc verba me hercule una falsa lacrumula,
Quam, oculos terendo misere, vix vi expresserit,
Restinguet: & te ultro accusabit, & ei dabis
25 Ultro supplicium. P. H. ô indignum facinus! nunc ego &
Illam scelestam esse, & me miserum sentio:
Et tædet: & amore ardeo: & prudens, sciens,
Vivus, videntisque pereo: nec, quid agam, scio.
P. A. Quid agas, nisi ut te redimas captum quam queas
30 Minimo? si nequeas paululo, at quanti queas:
Et ne te afflictes. P. H. itane suades? P. A. si sapias:
Neque, præterquam quas ipse amor molestias
Habet, addas; & illas quas habet, recte feras.
Sed ecce ipsa egreditur nostri fundi calamitas:
35 Nam quod nos capere oportet, hæc intercipit.


INTERPRETATIO.

Qua autem nunc ira commotus animo
agit; egone illam Thaidem adeam,
qua illum Thrasonem mihi pratulit?
qua me sprevit? qua me heri non ad-
misi? potius mortem praoptaverim: si-
ne modo, me virum fortem experietur.
Per Herculem hæc per iram prolata cer-
ba, unâ fallace lacrymula, quam levi-
ter oculos fricando, vix vi extraxerit,
delebit; & te ipse sponte tuâ culpa reum
argues apud illam, & puniendum pra-
bebis. P. H. O crudele factum! Nunc
ego & illam deterrimam esse, & me
infelicem video, & tadio ejus afficior,
& amore flagro, & intelligens, sentiens,
spirans, insiciensque in exitium ruo,
nec quid agam, scio. P. A. Quid fa-
cias, nisi ut te captivum liberes pretio
quamvilissimo possis? si nequeas par-
vo; at quanti possis, neque te agri-
tudinibus animi confirmas. P. H. Itane
suades? P. A. Si mente sanus es, neque
præter eas sollicitudines qua amorem so-
lent sequi, alias his adjungas; atque
eas quas prebet, æquo animo sustineas.
Sed ecce ex adibus prodit agri nostri ca-
lamitosa tempestas; nam quod nos colli-
gere oportet, illa totum aufert & capit.

ANNOTATIONES.

34. Nostri fundi calamitas.] Calami-
tas est grando & tempestas quæ cala-
mos segetum proterit & conterit:
unde Cicero Verrem vocat calamito-
sam tempestatem.

35. Nam quod nos capere oportet.] Id est,
Thais, nostra pernicies, quæ Phædriam
herum meum sumptibus absumit: ca-
pitque omnia quæ alioquin ab illo in
nos conferrentur.



L

ACTUS I. SCENA II.

THAIS. PHÆDRIA. PARMENO.

TH. **M**iseram me! vereor ne illud gravius Phædria
Tulerit, neve aliorum, atque ego feci, acceperit,
Quod heri intromissus non est. PH. totus, Parmeno,
Tremo horreoque, postquam aspexi hanc. PA. bono animo es;
Accede ad ignem hunc, jam calesces plus satis.
TH. Quis hic loquitur? hem, tun' eras, mi Phædria?
Quid hic stabas? cur non recta introibas. PA. cæterum
De exclusione verbum nullum. TH. quid taces?
PH. Sane quia vero hæc mihi patent semper fores,
Aut quia sum apud te primus. TH. missa istæc face.
PH. Quid missa? ô Thais, Thais! utinam esset mihi
Pars æqua amoris tecum; ac pariter fieret,
Ut aut hoc tibi doleret itidem, ut mihi dolet;
Aut ego istuc abs te factum nihili penderem.
TH. Ne crucia te, obsecro, anime mi, mi Phædria.
Non pol, quo quemquam plus amem, aut plus diligam
Eo feci: sed ita erat res: faciendum fuit.
PA. Credo, ut sit, misera præ amore exclusisti hunc foras;
TH. Siccine ais, Parmeno? age, sed, huc quâ gratiâ
Te accersi jussi, ausculta. PH. fiat. TH. dic mihi
Hoc primum, potin' est hic tacere? PA. egone? optume.

INTERPRETATIO.

TH. **H**eu me infelicem! dubito ne
illud molestius quam debeat
Phædria tulerit, neve in aliam partem,
atque ego feci, acceperit: quod hesternâ
die in ades meus admissus non est. PH. To-
tius corpus, Parmeno, mihi tremore con-
cutitur, horretque frigore, ubi hanc wi-
dere cepti. PA. Fac alio fortique sis ani-
mo, ne perturberis: si horres frigore, ac-
cede ad hunc ignem (nimirum Thaidem)
jam calesces plusquam satis sit. TH. Quis
hic loquitur? hem, tunc eras, mi Phædria?
quid hic stans manebas, cur non rectâ do-
mum ingrediebarris? PA. De cætero, quod
excluserit adibus Phædriam, introducto
milite, ne unum quidem verbum protulit.
TH. Quid taces, Phædria? PH. Quasi ve-
ro hæc mihi semper aperta sint fores, aut
quia extris amatoribus tibi sim præcipuus

gratiâ. TH. Omittite hæc odiosa verba. PH.
Omittam? O Thais, Thais! utinam mu-
tuo amore mihi responderes, fieretque in
injuria, quam mihi fecisti, memoria ut
æquè ac me cruciaret, aut nihili eam esti-
marem. TH. Ne te dolore affligas, obsecro,
mi animule, mi Phædria, non per Pollu-
cem, non id propterea feci, quod alium ul-
lum majori amore, quam te complectar,
aut chariorem habeam, sed in eo statu
res erat, ut ita facere me oportuerit.
PA. Sane verò, ut fieri solet, propter
amorem, quo illum prosequitur, eisdem
occlusit fores. TH. Siccine loqueris, Par-
meno? perge modò. Sed tu, mi Phæ-
dria, quam ob rem te huc acciri man-
davi, attente audi. PH. Sic fiat.
TH. Dic mihi, Parmeno iste potest
tacere? PA. Egone? Optime possim;

Verum, heus tu, lege hac tibi meam astringo fidem:
Quæ vera audiui, taceo, & contineo optume:
Sin falsum, aut vanum, aut fictum est, continuo palam est.
25 Plenus rimarum sum, hac atque illac perfluo.
Proin tu, taceri si vis, vera dicit.
TH. Samia mihi mater fuit: ea habitabat Rhodi.
PA. Potest taceri hoc. TH. ibi tum matri parvolam
Puellam dono quidam mercator dedit,
30 Ex Attica hinc abreptam. PH. civemne? TH. arbitror:
Certum non scimus: matris nomen & patris
Dicebat ipsa: patriam, & signa cætera
Neque scibat, neque per ætatem etiam potuerat.
Mercator hoc addebat, è prædonibus,
35 Unde emerat, se audisse, abreptam è Sunio.
Mater ubi accepit, cœpit studiose omnia
Docere, educare, ita uti si esset filia.
Sororem plerique esse credebant meam.
Ego cum illo, quocum tum uno rem habebam, hospite,
40 Abii huc: qui mihi reliquit hæc, quæ habeo, omnia.
PA. Utrumque hoc falsum est: effluet. TH. quæ istuc? PA. quia
Neque tu uno eras contenta, neque solus dedit:
Nam hic quoque bonam magnamque partem ad te attulit.
TH. Ita est. sed sine me pervenire, quò volo.

INTERPRETATIO.

verum heus tu hac conditione fidem tibi
do: qua audiui si vera sunt, ea recte sileo
& fideliter servo: sin falsa, aut vana, aut
ficta sunt, confestim omnibus ea manife-
sta facio. p. vtusus & rimosus sum. commif-
sa mihi undique transmittit & effundo:
itaque dicit vera, si ea me tacere voles.
TH. Mater mihi è Samo insula fuit, ea
Rhodi manebat, PA. Hoc verum esse puto;
peregrinam fuisse ei matrem: taccbitur.
TH. Ibi tum matri quidam mercator puel-
lam parvulam donavit, ex Attica in-
de usque abreptam. PA. Civemne Atti-
cam? TH. Opinor: id compertum nobis
nondum est. Ipsa puella patris & matris
nomen dicebat, Patriam, & signa cætera,
quibus agnosci posset, ignorabat; neque
propter ætatem primam scire potuerat.
Mercator ad patris & matris nomen quod

puella dicebat, hoc adijungebat, se accepisse
à Piratis, à quibus emerat, eam raptam
fuisse è Sunio Attica Promontorio. Mater
ubi hoc inaudit, summa diligentia, &
cura omnia docuit qua ingenuam decent,
& educavit quasi suam filiam, adeo ut
vulgo soror mea esse crederetur. Ego cum
illo, quocum solo consuetudinem habebam,
tum advenâ Attico, huc Athenas Rhodo
veni: ille mihi omnia hæc bona quæ possi-
deo, moriens reliquit. PA. Utrumque hoc
falsum est, ideoque effundetur: hoc tacere
non potero. TH. Quomodo istud? PA.
Quia neque unus tibi amator fuit sa-
tis, neque hospes Atticus ea qua habes,
solus dedit: hic enim quoque (Phæ-
dria) magnam & potiorem partem ti-
bi largitus est. TH. Haud nego, sed
sine orationem quò tendit, pervenire.

ANNOTATIONES.

27. Habitabat Rhodi. J Rhodus Carpa-
thij Maris insula nobilissima ambitu
120. mille passuum, Carpathus, Scar-

panto, nunc dicta, insula est, mediâ in-
ter Cretam & Rhodum, contra Ægyptū.
huic parti Maris Egæi nomen dedit.

- 45 Interea miles, qui me amare ceperat,
In Cariam est profectus; te interea loci
Cognovi. tute scis, post illa quàm intumum
Habeam te, & mea consilia ut tibi credam omnia.
PH. Neque hoc tacebit Parmeno. *PA.* oh, dubium ne id est?
50 *TH.* Hoc agite, amabo. mater mea illic mortua est
Nuper. ejus frater aliquantum ad rem est avidior,
Is ubi hancce forma videt honesta virginem,
Et fidibus scire, pretium sperans, illico
Producit, vendit. forte fortuna adfuit
55 Hic meus amicus: emit eam dono mihi,
Imprudens harum rerum, ignarusque omnium.
Is venit: postquam sensit me tecum quoque
Rem habere, fingit causas, ne det, sedulo:
Ait, si fidem habeat, se iri praepositum tibi
60 Apud me, ac non id metuat, ne, ubi eam acceperim,
Sese relinquam, velle se illam mihi dare;
Verum id vereri. sed, ego quantum suspicor,
Ad virginem animum adjecit. *PH.* etiamne amplius?
TH. Nil, nam quaesivi: nunc ego eam, mi Phædria,
65 Multæ sunt causæ, quamobrem cupio abducere.
Primum, quod soror est dicta: præterea, ut suis
Restituam ac reddam, sola sum: habeo hinc neminem,

INTERPRETATIO.

Interea miles qui ad me animū adjecerat, in Cariam se contulit: tecum interea consuevi; tu ipsemet non ignoras, post illa tempora, quam intimus maxime omnium in meo amore & familiaritate sis. Et ut mea omnia tibi communicem consilia. PH. Ne hoc quidem Parmeno tacebit, cum etiam falsum sit. PA. Oh, quisnam dubitet hoc esse falsum? TH. Attendite mihi, quaeso. Mater mea illic mortem obiit nuper: ejus frater aliquantū lucris cupidior est, is ubi hanc vidit virginem specie venusta esse, & scire fidibus canere, pretium sperans magnum, statim matre mortua, eam venum exponit, vendit. Forte fortuna hic praesens interfuit Thraso meus amicus, qui harum rerum inscius Pamphilam emit, quam mihi dono daret;

is Athenas rediit: postquam cognovit me tecum quoque consuecere, excusationes studiosè excogitat, ne eam tradat: dicit, si fidem ipsi faciam, se priores partes apud me, te postposito, habiturum, neque metuat, ne ubi puella data mihi fuerit, sese dimittam, velle se illam mihi donare; verum id dubitare: sed ego quantum animo conjicio, ad virginem amorem adjunxit. PH. Nunquidnam etiam amplius est? TH. Nil; nam percontata sum, mi Phædria: nunc vero quamplurima sunt causa, propter quas cupio eam ad me à possessione militis transducere; primum quod soror mea dicta est: tum etiam, ut eam suis raptam restituam, & amissam reddam. Sola sum, habeo hic neminem,

ANNOTATIONES.

46. *In Cariam est profectus.* Caria minoris Asiae regio, cui Rhodus adiacet.

- Neque amicum, neque cognatum, quamobrem Phædria
Cupio aliquos parare amicos beneficio meo.
70 Id amabo, adjuta me, quo id fiat facilius.
Sine illum priores parteis hosce aliquot dies
Apud me habere. nihil respondes? *PH.* pessuma,
Ego quidquam cum istis factis tibi respondeam?
PA. En noster, laudo. tandem perdoluit: vir es.
75 *PH.* Haud ego nesciebam, quorsum tu ires. parvola
Hinc est abrepta: eduxit mater pro sua:
Soror est dicta: cupio abducere, ut reddam suis.
Nempe omnia hæc nunc verba huc redeunt denique:
Excludor ego, ille recipitur. qua gratia?
80 Nisi illum plus amas, quàm me, & istam nunc times,
Quæ abducta est, ne illum talem præripiat tibi?
TH. Egon' id timeo? *PH.* quid te ergo sollicitat? cedo.
Num solus ille dona dat? nuncubi meam
Benignitatem sensisti in te claudier?
85 Nonne, ubi mihi dixti cupere te ex Æthiopia
Ancillulam, relictis rebus omnibus,
Quaesivi? porro Eunuchum dixti velle te,

INTERPRETATIO.

neque amicum, neque cognatum, qui mihi, cum opus fuerit, auxiliatur: quamobrem Phædria, cupio aliquos mihi amicos conciliare meis meritis. Id ut facilius consequar, peto à te ut mihi præsto esse velis. Permite illum Thrasonem apud me admitti in potiori parte, hisce aliquot diebus. Nihil respondes? PH. Deterrima, tibi ne ego quicquam respondere debeat, talia cum mihi facias? PA. Hei noster, euge, magni te facio, tandem agre fert se deludi, injurias ad animum revocasti: jam vir es. PH. At ego nesciebam, quò spectaret tua nempe oratio: parvula è Sunio est abrepta: educavit mater eam pro suâ

filiâ. Soror mea nominata est: cupio abducere ut reddam suis. Scilicet omnia hæc verba in hanc summam nunc conveniunt, ut excludar, miles ille admittatur. Cujus rei causa; nisi quod illum quàm me chariorem habes, metuisque ne Pamphilam, quam à Thrasone recepi, cum tibi interceptat? TH. Egone id timeo? PH. Quid ergo te incitat ad hoc faciendum? Expone. Num solus ille tibi donat? Nunquid alicubi meam liberalitatem vidisti tibi præcludi? nonne statim atque mihi significasti cupere te servam Æthiopem, posthabitis rebus etiam necessariis emendam quaesivi? Eunuchum præterea quem dixisti te velle.

ANNOTATIONES.

85. *Ex Æthiopia.* Quidquid ultra nigrum flumen est, & Ægyptum, versus utrumque mare Atlanticum, Rubrumque, Æthiopes olim in Africa tenuere, gens omnium Africae terrarum amplissima; dicta ab *aito*, *uro*, & *aito*, id est, *aspectus*, *vultus*.

87. *Quia sola his utuntur regina.* Eunuchis magnus apud Reges & divites honos fuit: ut Bagois Alexandri Magni Eunuchus, Putiphar Pharaonis Ægypti Regis, & ille Candaces Reginae, de quo D. Lucas in Actis Apostolorum; & libri 4. Regum, cap. 8.

- Quia solæ utuntur his reginæ : repperi.
 Heri minas viginti pro ambobus dedi.
 90 Tamen contemptus abs te, hæc habui in memoria :
 Ob hæc facta abs te spernor. *T H.* quid istuc Phædria ?
 Quanquam illam cupio abducere, atque hac te arbitror
 Id fieri posse maxime : verumtamen,
 Potius quam te inimicum habeam, faciam, ut iusseris.
 95 *P H.* Utinam istuc verbum ex animo ac vere diceres,
 Potius quam te inimicum habeam. si istuc crederem
 Sincere dici, quidvis possem perpeti.
P A. Labascit, victus uno verbo. quam cito ?
T H. Ego non ex animo misera dico ? quam joco
 100 Rem voluisti à me tandem, quin perfeceris ?
 Ego impetrare nequeo hoc abs te, biduum
 Saltem ut concedas solum. *P H.* siquidem biduum.
 Verum ne fiant isti viginti dies.
T H. Profecto non plus biduum, aut. *P H.* aut ? nihil moror.
 105 *T H.* Non fiet. hoc modo sine te exorem. *P H.* scilicet
 Faciendum est, quod vis. *T H.* merito amo te. bene facis.
P H. Rus ibo : ibi hoc me macerabo biduum :
 Ita facere certum est : mos gerundu' est Thaidi.
 Tu huc Parmeno fac illi adducantur. *P A.* maxime.
 110 *C H.* In hoc biduum Thais vale. *T H.* mi Phædria,

I N T E R P R E T A T I O.

quia horum opera Regina sola utuntur ;
 comparavi. Heri viginti minas pro
 amborum pretio persolvi ; tamen licet
 spreus à te, hæc tibi grata ut emerem
 in memoria habui. Pro his in te meri-
 tis, despectus sum tibi. *T H.* Quenam
 sunt ista, quæ dicis, Phædria ? Quam-
 vis hanc Pamphilam cupio ab illo mi-
 lite recipere ; atque hac ratione, si
 tu concedas biduum Militi, cen-
 seo id potissimum fieri posse ; attamen,
 potius quam inimicitiam tuam susci-
 piam, obsequar quibuscumque iussis tuis.
P H. Utinam ex animi sententia, &
 sincere pronunciares ista verba ; (po-
 tius quam tuam inimicitiam suscipiam)
 si istud crederem vere à te dici, nihil
 molestum est quod non possem per-
 ferre. *P A.* Nunc at corruiurus, uno
 verbo impulsus illic. *T H.* Me mi-
 seram ! an non ego hoc ex animi sen-
 tentia, & serio dico ? Quam rem,

etiam per jocos indicasti te à me velle
 quin tandem obtinueris ? Ego vero non
 possum abs te impetrare, ut saltem duos
 solum dies, quos peto, concedas mihi.
P H. Si quidem duo dies sint tantum,
 (concedo) dummodo viginti ex duobus
 non fiant. *T H.* Sane non amplius quam
 duo dies, aut. *P H.* Aut ? Perge loqui,
 tibi moram non facio. *T H.* Non fiet
 illud, quod vereris, ut plures dies reci-
 piatur à me Thraso. Id solum biduum
 quod peto, permittite me à te impetra-
 re. *P H.* Nimirum quod cupis, me facere
 oportet. *T H.* Merito amo te. *P H.* Equum
 facis. In villam concedam. Ibi per hos
 duos dies, mœnore me ad maciem usque
 conficiam. Sic mihi, præ tadio facere deli-
 beratum est ; si quidem morigerum me esse
 Thaidi necesse est. Tu, Parmeno, cura, ut
 illi, Eunuchus, & ancillula Æthiops
 iradantur Thaidi. *P A.* Sic fiet. *P H.* In hoc
 duos dies vale Thais. *T H.* Mi Phædria,

- Et tu. nunquid vis aliud ? *P H.* egone quid velim ?
 Cum milite isto præsens, absens ut fies :
 Dies, noctesque me ames : me desideres :
 Me somnies : me expectes : de me cogites :
 115 Me speres : me te oblectes : mecum tota sis :
 Meus fac sis postremo animus, quando ego sum tuus.
T H. Me miseram ! forsitan hic mihi parum habeat fidem,
 Atque ex aliarum ingeniiis nunc me iudicet.
 Ego pol, quæ mihi sum conscia, hoc certò scio,
 120 Neque me finxisse falsi quidquam, neque meo
 Cordi esse quenquam cariorem hoc Phædria :
 Et quidquid hujus feci, causa virginis
 Feci : nam me ejus spero fratrem propemodum
 Jam reperisse, adolescentem adeo nobilem : &
 125 Is hodie venturum ad me constituit domum.
 Concedam hinc intrò, atque expectabo, dum venit.

I N T E R P R E T A T I O.

Et tu quoque vale : nunquid vis aliud ?
P H. Egone quid aliud velim ? Nisi ut
 cum milite isto præsens sis corpore, ab-
 sens an mo, dies, noctesque ames me,
 me desideres, me somnies, me expectes,
 de me cogites, me speres, me te oble-
 ctas, mecum tota sis (animo) mea fac
 sis postremo anima, quando ego sum
 tua. *T H.* Me miseram ! forte Phædria
 parum mihi fides, atque ex aliarum
 meretricum ingeniiis me aestimat. Ego per
 Pollucem, quæ mecum in animo totius rei
 veritatem scio, hoc certò scio nihil mendacij
 me excogitasse, neque me quemquam ve-
 hementius amare, quàm hunc Phædriam,
 & quidquid hujus rei feci (quod cum
 exclusi foras) propter puellam Pamphi-
 lam id feci : nam spero me hujus fra-
 trem, adolescentem valde nobilem, penè
 jam invenisse, & is constituit se ventu-
 rum ad me in domum meam hodierna
 die : hic igitur dum veniat expectabo.

A C T U S S E C U N D I S C E N A P R I M A.

P H A E D R I A. P A R M E N O.

- P H.* **F**ac ira, ut iussi. deducantur isti. *P A.* faciam. *P H.* at di-
 ligenter.
P A. Fiet. *P H.* at mature. *P A.* fiet. *P H.* fatiur hoc manda-
 tum est tibi ?

I N T E R P R E T A T I O.

P H. **F**acito ita, ut imperavi. Du-
 cito istos (Eunuchum, & fax-
 minam Æthiopem) & trade Thaidi, meo
 nomine. *P A.* Faciam. *P H.* At diligenter.
P A. Fiet. *P H.* At citò. *P A.* Fiet. *P H.*
 Satisne hoc tibi mandatam meminere is ?

P. A. Ah rogare? quasi difficile fiet. utinam
 Tam aliquid facile invenire possis, Phœdria,
 5 Hoc quam peribit. *P. A.* ego quoque unâ perco, quod mi est
 carius.
 Ne istuc tam iniquo patiare animo. *P. A.* minime: quia
 Effectum dabo. Sed nunquid aliud imperas?
P. H. Munus nostrum ornato verbis, quod poteris: &
 Istum æmulum, quod poteris, ab ea pellito.
 10 *P. A.* Memini, tamen nullus moneas. *P. H.* ego rus ibo, atque
 ibi manebo.
P. A. Censeo. *P. H.* sed heus tu. *P. A.* quid vis? *P. H.* censen
 posse me obfirmare &
 Perpeti, ne redeam interea? *P. A.* tene? non hercle arbitror:
 Nam aut jam revertere, aut mox noctu te adiget horfium insomnia.
P. H. Opus faciam, ut defatiger usque, ingratis ut dormiam.
 15 *P. A.* Vigilabis lassus: hoc plus facies. *P. H.* ah, nil dicis, Parmeno.
 Ejiciunda hercle hæc mollities animi. nimis me indulgeo.
 Tandem ego non illa caream, si sit opus, vel totum triduum:
P. A. hui!
 Univorsum triduum? vide, quid agas. *P. H.* stat sententia.

I N T E R P R E T A T I O.

P. A. Ah quam æries interrogare mole-
 stum est: quasi sit difficile, id exequi,
 quod jubes. Utinam tam facile quid re-
 perias, quàm hoc perdes. *P. H.* Ut etiam
 patientius feras hæc dona mihi perire,
 scito me unâ quoque cum his mei ja-
 cturam facere, quâ his donis mihi pre-
 tiosius es. *P. A.* Minimè impatienter fe-
 ro hæc tua mandata facere, sed nun-
 quid aliud vis? *P. H.* Munus nostrum
 ornamento verborum pretiosius facito, &
 istum rivalem Thrasionem quam procul
 poteris, ab ea removeto. *P. A.* Memo-
 rem mones: in animo id habeo. *P. H.*
 Ego in villam me conferam, atque ibi
 tantisper morabor, dum biduum transie-
 rit. *P. A.* Sic faciendum arbitror. *P. H.*
 Sed heus tu. *P. A.* Quid vis? *P. H.* Pu-

tasne me posse obdurare, & mihi tem-
 perare, ne ante duos dies ad urbem re-
 deam. *P. A.* Tene posse id perpeti? Non
 mehercule opinor; nam aut statim ul-
 tro redibis, aut mox per noctem te in-
 somnia sola ad urbem impellet. & re-
 vocabit. *P. H.* Opere rustico me exer-
 cebo, quoad defessus sim, ut etiam invi-
 tus dormire cogar. *P. A.* Te lassabis &
 nihilo magis eâ causâ poteris capere
 somnum. *P. H.* Apage, frustra hæc di-
 cis, Parmeno: expellenda est animo hæc
 imbecillitas: nimis me delicate tra-
 cto. Nonne tandem, si oporteat illa
 carere, istud possim, etiam tres dies to-
 tos? *P. A.* Hui, tres dies totos? Vide,
 ne majora viribus tuis coneris. *P. H.*
 Certum est facere, quod constim.

A N N O T A T I O N E S.

16. *Nimis me indulgeo.*] Attico-
 rum more accusativus loco dativi hic
 posuit est. pro nimis mihi indulgeo.
 18. *Hui! triduum.*] Exclamatio servi,
 heri dictum irridentis.

P. A. Dij

P. A. Dij boni, quid hoc morbi est? adeon' homines immutarier
 20 Ex amore, ut non cognoscas eundem esse? Hoc nemo fuit
 Minus ineptus, magis severus quisquam, nec magis continens.
 Sed quis hic est, qui huc pergit? at at, hic quidem est parasitus
 Gnato
 Militis. ducit secum una virginem huic dono: papæ!
 Facie honesta. Mirum, ni ego me turpiter hodie hic dabo
 25 Cum meo decrepito hoc eunuchō. hæc superat ipsam Thaidem.

I N T E R P R E T A T I O.

P. A. Dij boni, amore tam potens mor-
 bus est? Adeone homines immutat, ut
 idem qui prius notus fuerat, amplius
 cognosci non possit? Hoc nemo fuit mi-
 nus ineptus, magis gravis, nec magis
 temperans. Sed quis hic est, qui huc
 pergit? At at, hic quidem est Pa-
 rasitus Militis Gnato. Ducit secum Vir-
 ginem, in donum Thaidi. Papa, quam
 el ganti vultu! Nimirum me hic hodie
 ludibrio & dedecori exponam cum meo
 hoc decrepito Eunuchō. Hæc Virgo for-
 ma specie vincit Thaidem.

A N N O T A T I O N E S.

19. *Quid hoc morbi est?*] Ut morbo,
 ex bonâ habitudine corpora decidunt,
 sic animus ab amore, ex suâ constan-
 tia & tranquillitate deturbatur. Sic Pro-
 pertius.
Solus amor morbi non amat artificem.
Homines immutari ex amore.] Hanc
 immutationem Poëtæ eleganter pinxe-
 runt in fabula Circes, homines in pe-
 cudes commutantis.
 22. *Gnatho.*] Gnatho à maxillis &
 edendi aviditate dici videtur. Γνάθος.
maxilla. Ut *μυγῆσιος* is est qui ut vi-
 ctum apud ditiores habeat, iis assen-
 tatur. *σίτος* Græcè cibum significat.
 25. *Decrepito.*] Sive morti vicinō.
 Decrepiti sunt, quorum funera, cre-
 pitu, & plangore familiæ, concla-
 mata sunt. Vel à decrefendo sic dicti,
 eò quòd incurvati, & contracti mi-
 nores fieri videantur, sic capularis
 fenex dicitur à capulo, id est loculo,
 capula mortui, un *Cercueil*.

A C T U S I I. S C E N A I I.

G N A T H O. P A R M E N O.

G. N. D Ij immortales, homini homo quid præstat! stulto intelle-
 gens
 Quid interest! Hoc adeo ex hac re venit in mentem mihi:
 Conveni hodie adveniens quendam mei loci hinc atque ordinis.

I N T E R P R E T A T I O.

G. N. D Ij immortales, quantum alius
 homo alij homini præcellit!
 Ab inepto quantum distat providus &
 prudens! Hoc mihi idco in memo-
 riam redit, nimirum: hodie huc ve-
 niens incidi in hominem meæ conditionis.

M

- Hominem haud impurum, itidem patria qui abligurierat bona.
 5 Video sentum, squalidum, agrum, pannis annisque oblitum.
 Quid istuc, inquam, ornati est? quoniam miser, quod habui,
 perdi,
 Hem quò redactus sum. omnes noti me atque amici deserunt.
 Hic ego illum contempsi prae me: quid, homo, inquam, ignavissime?
 Itane parasti te, ut spes nulla reliqua in te fiet tibi?
 10 Simul consilium cum re amisti? viden' me ex eodem ortum loco?
 Qui color, nitor, vestitus, quæ habitudo est corporis?
 Omnia habeo, neque quidquam habeo: nil cum est, nil desit tamen.
 At ego infelix neque ridiculus esse, neque plagas pati
 Possum. Quid? tu his rebus credis fieri? rota erras via.
 15 Olim isti fuit generi quondam quæstus apud seclum prius.

I N T E R P R E T A T I O.

non quidem sordidum, nec avarum, qui similiter, atque ego, patrimonium per luxum consumpserat; video horridum, immundum, pallidum instar egrotantis, vestibus laceris indutum, & senectute deformem. Quid iste ornatus sibi vult, dixi? Respondit ille, quoniam infortunatus ego qua habui bona amisi. Hem, quò miseria redactus sum? Omnes familiares atque amici me deserunt. Hic ego illum despecti, mihi que posthabui. Quid homo, inquam, inertissime, itane tibi consuluisti, ut nulla tibi superstiti tui fiducia? An sensum unà cum fortunis tuis perdidisti.

sti. Aspice me, qui non melioris sum generis, & status. Qui color corporis, elegantia, nitor cutis, quæ constitutio sanitatis? Omnia mihi suppetunt abunde, & licet nihil quidquam possideam, nihil tamen deficit. At ego infelix (mibi respondit) neque aliis movere risum, & risui esse, neque verberibus patiendis assuescere possum. Quid? tu (ego subjeci) his rebus, nempe dum quis videtur, aut vapulari, aliquid profici putas? Vehementer fallaris, si ita putas. Olim prioribus temporibus, isti generi parasitorum vapulantium, & ridiculorum, lucro fuit ars ista.

A N N O T A T I O N E S.

4. Hominem haud impurum.] Non sordidum, non avarum. Liberaliter educati saepe balnea præsertim calida adhibent nitoris, & elegantiae causa, avari autem minimè. Aristophanes, in Pluto Comœdiâ.
 Bona abligurierat.] Per luxum & popinationem devoraverat. Ligurire est lautiores cibos carpere. λιμενισμός Græcè à λείω, Lambo, Lingo. Plinius. Postquam degulato patrimonio, pauper est factus. Degulare est gula absumere.
 Video sentum, squalidum.) Sentum, horridum, ut sentes, id est spinæ, squalidum, immundum. Squalidi proprie

rei qui diu delituerunt in carcere. Squalor immundities corpus occupans à squamarum asperitate. Oblitum, fedatum, putidum. Sirus est mucor, & lanugo quædam ex humore creata in locis sole carentibus. Pannis annisque oblitum, id est mucore, & carie obditum, propter sordidos pannos & ratione ætatis; nam situs, & mucor quidam solet esse major in homine misero, & senes, tum in habitu inopum. Oblitus, ab obserendo, dixit Virgilius, Loca obstita pomis, id est plantata.
 14. Rota erras via.] Proverbialis metaphora à viatoribus sumpta.

- Hoc novum est aucupium. ego adeo hanc primus inveni viam.
 Est genus hominum, qui esse primos se omnium rerum volunt,
 Nec sunt. hos confector: hisce ego non paro me ut rideant,
 Sed eis ultro arrideo, & eorum ingenia admiror simul.
 20 Quidquid dicunt, laudo: id rursus si negant, laudo id quoque:
 Negat quis, nego: ait, ajo: postremo imperavi egomet mihi,
 Omnia assentari. is quæstus nunc est multo uberrimus.
 P.A. Scitum hercle hominem: hic homines prorsus ex stultis insanos facit.
 G.N. Dum hæc loquimur, interea loci ad macellum ubi advenimus,
 25 Concurrunt lati mî obviam cupedinarij omnes,
 Cetarij, lanij, coqui, fartores, piscatores, aucupes,
 Quibus & re salva & perdita profueram & profum saepe:
 Salutant: ad cœnam vocant: adventum gratulantur.
 Ille ubi miser, famelicus, videt me esse in tantum honorem,
 30 Et tam facile victum quærere: ibi homo cœpit me obsecrare,
 Ut sibi liceret discere id de me. sectari jussi:
 Si potis est, tanquam Philosophorum habent disciplinæ ex ipsis
 Vocabula, parafiti itidem ut Gnathonici vocentur.
 P.A. Viden' otium, & cibi' quid facit alienus. G.N. sed ego cesso
 35 Ad Thaidem hanc deducere, & rogare ad cœnam ut veniat.

I N T E R P R E T A T I O.

hoc vero tempore, hic novus alius est aucupandi modus. Quin ego ipse hanc captandi artem inveni. Est genus hominum qui primos in omnibus rebus se esse volunt, nec sunt; quamvis videri velint. Hos confector. his ego non studeo ridiculus esse, sed his sponte risu assentior, & eorum mores cum admiratione prædico: quidquid dicunt laudo: si rursus id negant, id similiter nego: si negat quis, nego: si affirmat quid esse, affirmo. Denique in animum induxi, omnia illis assentari. Id lucrum nunc est valde copiosum. P.A. Argutum mehercule hominem: hic homines ex stultis prorsus insanos mente facit. G.N. Interea dum hi sermones inter nos habentur, atque ubi ad forum venimus, ecce occurrunt mihi celeriter hilares cupedinarij omnes, epularum deli-

catorum venditores, popinarij, cetarij, qui praegrandes pisces vendunt, laniones, farctiminum artifices, piscatores, quibus lucrum attuleram, dum res meae bene se habebant, atque etiam post earum jacturam, tum quoque in presentia. Hi me salutant, ad cœnam invitant, de meo adventu mihi gratulantur. Ille miser esurio, ubi me videt in tanto honore haberi, cœpit me orare, ut sibi liceret hanc artem de me discere: jussi eum me sectatorem esse, & discipulum, si fieri potest: ut sicut Philosophorum secta ab ipsis Philosophis nominantur sic Parafiti similiter Gnathonici appellantur. P.A. Vide ne quid desidia, & cibi alieni cupiditas valeant. G.N. Verum ego nimis cesso hanc virginem ad Thaidem deducere, eandemque invitare ut ad cœnam veniat.

A N N O T A T I O N E S.

22. Assentari.] Propriè assentamur voce, adulamur gestu, blandimur tactu.

Sed Parmenonem ante ostium Thaidis tristem video,
Rivalis servum. salva est res: nimirum hinc homines frigent;
Nebulonem hunc certum est ludere, P. A. hinc hoc munere arbi-
trantur

Suam Thaidem esse. GN. Plurima salute Parmenonem
40 Summū suum impertit Gnatho. quid agitur? P. A. statur. GN. Video:
Nunquidnam hinc, quod nolis, vides? P. A. te. GN. credo. at nun-
quid aliud?

P. A. Qui dum? GN. quia tristi' es. P. A. nihil equidem. GN. ne
sis. sed quid videtur

Hoc tibi mancipium? P. A. non malum hercle, GN. uro hominem,
P. A. ut falsus animi est.

GN. Quam hoc munus gratum Thaidi arbitrare esse? P. A. hoc
nunc dicis,

45 Ejectos hinc nos. OMNIUM RERUM heus! VICISSITUDO EST,
GN. Sex ego te totos Parmeno hos menses quietum reddam,
Ne sursum, deorsum cursites; neque usque ad lucem vigiles.

INTERPRETATIO.

sed video Parmenonem servum Phadria,
rivalis heri mei, tristi vultu ante fores
Thaidis stantis; res nostra in tuto sunt,
nimirum hinc homines frigent (gratia
scilicet apud Thaidem) constitui hunc
tenebrionem ludificare. P. A. Isti putant
hoc virginis dono Thaidem sibi acquisi-
tam habere. GN. Plurimam salutem di-
cit Gnato Parmenoni, summo & inti-
mo suo amico. Quid sit & noster? P. A. Sta-
tur. GN. Id quidem video. Nonne hic
vides id, quod nolis? P. A. Te video,
quem nolis. GN. Credo, sed nunquid
aliud? P. A. Cur igitur? GN. Quia

tristis es. P. A. Nihil equidem. GN. Ne
sis tristis, quæso. Sed qualis tibi videtur
hæc serva? P. A. Non mala quidem. GN.
Hominem crucio. P. A. Ut fallit eum opi-
nio, cum putat hujusmodi munere capi
Thaidem. GN. Quam gratum hoc mu-
nus Thaidi censēs esse? P. A. Propter
hoc munus nimirum, putas nos esse e-
jectos ex his adibus. Heus varias vi-
ces obtinent res mortalium. GN. Effi-
ciam Parmeno, ut hos sex menses in-
tegrus sis quietus, ne sursum deor-
sum in urbe perpetuo curras, ne à pri-
mâ nocte ad diem usque in somnis sis.

ANNOTATIONES.

37. Salva res est.] Conjectura à signis;
servus rivalis non est intrò, sed ante
ostium. Igitur est exclusus, res nostra
extrâ periculum est.

Hic homines frigent.] Sic Gallicè dici-
mus, Ces gens icy sont bien froids, ils
ne font pas bien leur profit. Metaphora
est proverbialis sumpta ab his, qui
manibus ex frigore stupidis, nihil ope-
rari possunt.

41. Nunquidnam quod nolis vides?]
Hoc dicit Gnatho. Virginem ostentans.

45. Omnium rerum vicissitudo est.] Vi-
cissitudo, est per vices mutatio, alter-
natio. Fertur in eam sententiam versi-
culus; τὰ θνητὰ πάντα μεταβολὰς
πολλὰς ἔχει. Mortalia omnia multas
habent mutationes. Celebratur & hoc
dictum; κύκλος τὰ ἀνθρώπινα, cir-
culus res humana.

47. Ne sursum deorsum.] Videtur al-
ludere ad situm Athenarum quæ in de-
clivi colle extructæ erant.

Ecquid beo te? P. A. men? papæ! GN. sic soleo amicos. P. A. laudo.
GN. Derineo te fortasse: tu profecturus aliò fueras?

50 P. A. Nusquam. GN. tum tu igitur paululum da mihi operæ: fac
ut admittar

Ad illam. P. A. age modo, nunc tibi patent fores hæ, quia istam
ducis.

GN. Num quem evocari hinc vis foras? P. A. sine, biduum hoc
prætereat.

Qui mihi nunc uno digitulo fores aperis fortunatus,
Næ tu istam faxo calcibus sæpe insultabis frustra.

55 GN. Etiam nunc hinc stas, Parmeno? cho numnam tu hinc relictus
custos,

Ne quis forte internuncius clam à milite ad istam cursitet?

P. A. Facete dictum, mira vero, Militi quæ placeant.

Sed video herilem filium minorem huc advenire.

Miror, qui ex Piræo abierit: nam ibi custos publice est nunc.

60 Non temere est: & properans venit: nescio quid circumspicit.

INTERPRETATIO.

Nunquid beatum te facio? P. A. Mene?
Pape! valde me scilicet beatum facis.
GN. Sic consuevi amicos beare. P. A.
Laudo. GN. Fortasse te demoror: tu
aliò iturus eras. P. A. Nusquam aliò.
GN. Nunc tu igitur paululum adjuva
me, fac ut intromittar ad Thaidem.
P. A. Age, modo propter puellam, quam
ducis, nunc tibi hæc fores aperta sunt. GN.
An aliquem ex hac domo evocari man-
das? P. A. Expecta, dum hi duo dies trans-
eant: qui mihi nunc pulsu minimi digiti
audito, fores reteras fortunatus, faciam
serte, ut sæpe istas pedibus frustra pui-

ses. GN. Etiam nunc hinc manes Parme-
no? Anne hic positus es custos, ut ca-
veas, ne quis nuncius secreto à Milite
celeriter ad Thaidem mandata ferat?
P. A. Eleganter & facete dictum. Miran-
da vero, & exquisita sunt, quæ dicis,
& digna quæ Militi placeant, tam subti-
lis & acuti ingenij viro. Sed vid. o heri si-
lium minorem natu Chaream huc venire:
mirum est cur ex Piræo discesserit: nam
ibi custos nunc publicè positus est: non sine
causa deseruit stationem & presidium:
festinans etiam venit. Nescio, quid dilä-
genter & attentè circumspicit.

ANNOTATIONES.

52. Num quem evocari hinc vis foras?]
Gnatho irridet Parmenonem, qui in
ædes intrare non poterat.

56. Ne quis forte internuncius.] Hæc
ironicè dicta: quasi nemo à Milite ad
Thaidem, nisi clam ire audeat.

57. Facete dictum.] Ironicè: quia in-
ficeta hæc dicta esse vult Parmeno.

59. Ex Piræo.] Piræus vel Piræeus erat
portus Athenarum, quadringentarum
capax navium, muro duorum millium
pallium urbi conjunctus. Piræus vulgo
Porto-Lione,

Num ibi custos.] Athenienses post-
quam ex Ephebis excesserant, militiae
daturi nomen, publicè custodes erant
in urbe per annum; deinde in subur-
bana mittebantur Castella, (& quibus
unum erat portus Piræus) excubitori
adversus prædonum incursum: præterea
conveniebant eodem adolescentibus con-
vivia acturi, ut post indicat Anti-
pho: quare Proverbium factum est;
τὸν πειρατὴν μὴ νεωστὶν ἀγῶν,
Piræum non vehere vasa inania.

P. T E R E N T I I E U N U C H U S I
A C T U S I I . S C E N A I I I .

C H A E R E A . P A R M E N O .

CH. **O**ccidi.
Neque virgo est usquam, neque ego, qui illam è con-
spectu amisi meo.
Ubi quaram? ubi investigem? quem perconter? quam insistant
viam?
Incertus sum: una hæc spes est: ubi ubi est, diu celari non potest.
5 O faciem pulcram! delco omnes dehinc ex animo mulieres.
Tædet quotidianarum harum formarum. P. A. ecce autem alterum.
De amore nescio quid loquitur. ô infortunatum senem!
Hic vero est, qui si amare ceperit, ludum jocumque dices
Fuisse illum alterum, præut hujus rabies quæ dabit.
10 CH. Ut illum Di Deæque senium perdant, qui me hodie remoratus
est,
Meque adeo, qui restiterim: tum autem qui illum flocci fecerim.
Sed eccum Parmenonem, salve. P. A. quid tu es tristis? quidve
alacris?
Unde is? CH. egone? nescio hercle, neque unde eam, neque
quorsum eam:

I N T E R P R E T A T I O .

CH. **P**erij. Neque virgo usquam est, neque ego, qui illam visam in via perdidit. Ubi quaram? ubi vestigia ejus sequar? Quem interrogabo? Quæ viâ procedam? Incertus sum quid sibi facturus: hæc sola spes restat, quod ubi vis sit, diu occultari non potest, ob nimiam formæ gratiam. O faciem venustam! exinde omnes animo delco mulieres: satietas me caput harum vulgariū pulchritudinū quas quotidie videre licet. P. A. Ecce autem alterum fratrem Phædræ minorem. Nescio quid de amore loquitur. O infortunatum senem Lachetem, cui talis conrigere filij amore perdit! hic vero adeo

A N N O T A T I O N E S .

1. **O**ccidi. Neque virgo est usquam.] quia eam è conspectu amiserat.
4. Ubi, ubi est, diu celari non potest.] Ob nimiam formæ gratiam.
11. Qui illum flocci fecerim.] Indicat

acri, & rapido ingenio est, ut si amori se dediderit, nugas fuisse dices ea qua ille alter (Phædræ) fecit, ad comparationem illorum qua hujus (Chærea) rabies committeret. CH. Ut illum Dij, Deæque, senem miseris modis interficiant, qui me hodie garrulitate sua detinuit: meque etiam, qui ire cessaverim; tum quoque, qui illum vel tantilli fecerim, ut cum illo manerem. Verum Parmenonem hic video. Salvo sis. P. A. Quid tu tristis es? quidve tam alacriter festinas? Unde venis? CH. Ego nescio me hercle, neque unde veniam, neque ad quam partem eam:

Ita prorsum oblitus sum mei.
15 P. A. Qui quæso? CH. amo. P. A. ehem. CH. nunc Parmeno te ostendes, qui vir fies.
Scis te mihi sæpe pollicitum esse: Chærea, aliquid inveni
Modo quod ames: in ea re utilitatem ego faciam ut cognoscas
meam:
Cum in cellulam ad te patris penum omnem congerebam clanculum.
P. A. Age inepte. CH. hoc hercle factum est. fac sis nunc promissa appareant,
20 Sive adeo digna res est, ubi tu nervos intendas tuos.
Haud similis virgo est virginum nostrarum, quas matres student
Demissis humeris esse, victo pectore, ut graciles sient.
Si qua est habitior paulo, pugilem esse ajunt: deducunt cibum:
Tamen si bona est natura, reddunt curatura junceas:
25 Itaque ergo amantur. P. A. quid tua istæ? CH. nova figura oris.
P. A. papæ!
CH. Color verus, corpus solidum, & succi plenum. P. A. anni?
CH. sedecim.

I N T E R P R E T A T I O .

ita omnino immemor sum mei. P. A. Cur quæso? CH. Amo. P. A. Hem. CH. Nunc Parmeno demonstrare debes, qualis vir sis, memneris te sæpe mihi promississe, cum diceres; Chærea tantummodo invenias mulierem quam ames; in ea re faciam, ut experiaris, quanto per te possum tibi esse utilis; tum cum in cellulam tuam omnem penum patris affereram, & cumulate tibi apponebam, inscis omnibus. P. A. Age imprudens, exprobra quam mihi benefecisse prædicas. CH. Nunc hercle hoc evenit. Inveni quod amem; facti vis, ut promissa extant, si ve propterea quod hæc virgo adeo digna res est, in qua omnem vim, studium, & industriam ponas. Non similis est puellarum nostrarum, quæ, ut demissos habeant humeros, & longius collum, omnem matres dant operam, eisque pectus ligant stricto, ut tenni sint corpore. Si qua sit paulo corpulentior, pugili, & Athletæ similem eam esse dicunt; etiam si boni sint temperamenti, plena, pingues, detrahunt eis alimentum ne pinguescant, & studio, & cultura reddunt eas graciles instar junceas: itaque, propter hanc arte & cultum quæsitam venustatem, fit ut amantur. P. A. Tu dic qualis ista tua est. CH. Nova ejus formæ est & figura corporis, cuique similis ante hæc visa est nulla, color nativus, non fictus, corpus plenum & succulentum. P. A. Quot ei sunt anni? CH. Anni sedecim.

A N N O T A T I O N E S .

18. In cellulam.] Cellæ erant tuguriola fervorum & pauperum. Penus est omnino quo vescuntur homines, ut definit Cicero; atque etiam ea, quibus animalia nostro usui apta nutriuntur, ut vult Ulpianus Jurisconsultus. Dicta penus, quod hujusmodi res ad victum necessariorum intus, & penitus recondantur. Dicitur hic, vel hæc, quartæ declinationis, & hic penus peni secundæ, & hoc penus penoris, & hoc penum, & hoc penum indeclinabile.

- P. A.* Flos ipse. *CH.* hanc tu mihi vel vi, vel clam, vel precariò
Fac tradas: mea nil refert, dum potiar modo.
P. A. Quid, virgo cuja est? *CH.* nescio hercle. *P. A.* unde est?
CH. tantundem. *P. A.* ubi habitat?
30 *CH.* Ne id quidem. *P. A.* ubi vidisti? *CH.* in via. *P. A.* qua ratione
amifisti?
CH. Id equidem adveniens mecum stomachabar modò:
Neque quemquam hominem esse ego arbitror, cui magis bonæ
Felicitates omnes adversæ fient.
Quid hoc est sceleris? perij. *P. A.* quid factum est? *CH.* rogas?
35 Patris cognatum atque æqualem Archidemidem
Nostin'? *P. A.* quid nî? *CH.* is, dum sequor hanc, fit mihi obviam;
P. A. Incommode hercle. *CH.* imo enimvero infeliciter:
Nam incommoda alia sunt dicenda Parmeno.
Illum, liquet mihi dejerare, his mensibus
40 Sex, septem prorsum non vidisse proxumis,
Nisi nunc, cum minime vellent, minimeque opus fuit.
Eho, nonne hoc monstri simile est? quid ais? *P. A.* maxume:
CH. Continuo accurrit ad me, quam longe quidem,
Iacurvus, tremulus, labiis demissis, gemens:

INTERPRETATIO.

P. A. Flos ipse atatis est. *CH.* Hanc tu mihi fac tradas, vel aperta vi, vel arte secreta, fraude, furtove, vel precariò; mea nihil interest, dummodo eam possideam; jurene an injuria, nihil pensi habeo, dummodo mihi comparatur. *P. A.* Qua Virgo, qua conditio, servane an libera? *CH.* Per Herculem nescio. *P. A.* Unde est? *CH.* Tantundem scio. *P. A.* Ubi habitat? *CH.* Ne id quidem scio. *P. A.* Ubi eam vidisti? *CH.* In platea. *P. A.* Quomodo eam à visu perdidisti. *CH.* Id propter equidem adveniens mecum indignabar modo; neque ullum hominem esse puto, cui magis secunda fortuna omnes adversa sint. *P. A.* Quodnam scelus in te commissum est? *CH.* Occidi. *P. A.* Quid factum est tibi? *CH.*

Quarisme? Num patris cognatum, & æquarum Archidemidem cognoscis? *P. A.* Cur non noverim? *CH.* Dum hanc sequor virginem, ille in via mihi occurrit. *P. A.* Incommode per Herculem. *CH.* Imo omnino infeliciter; nam incommoda alia minora sic appellanda sunt, non hoc malum. Liquido dejerare possum me prorsus illum non vidisse hos sex, vel septem menses superiores prateritos, nisi nunc, cum inventus vidi, mihi que id damnosum fuit. Ehodum nonne hoc insolitum & instar prodigij est? Quid de hac re dicis? *P. A.* Ita est, ut ais. *CH.* Statim ad me currit quam longe erat, atate incurvatus, tremens imbecillitate, labiis pro-pendentibus deorsum, gemens prateritus;

ANNOTATIONES.

27. Vel vi, vel clam, vel precariò.] In jure cum vicio possidet, qui vi, invito domino possidet: clam, qui infcio domino: precariò autem, qui precariò

bus à domino quid obtinuit utendum ea conditione, ut liberum sit illi, qui concessit, id repetere.

45. Heus;

- 45 Heus, heus, tibi dico Chærea, inquit. restiti.
Scin', quid ego te volebam? dic. cras est mihi
Judicium. quid tum? ut diligenter nuncies
Patri, advocatus mane mihi esse ut meminerit.
Dum hæc dicit, abiit hora. rogo numquid velit.
50 Recte, inquit. abeo. cum huc respicio ad virginem,
Illa sese interea commodum huc advorterat
In hanc nostram plateam. *P. A.* mirum, ni hanc dicit modo
Huic quæ data est dono. *CH.* huc cum advenio, nulla erat.
P. A. Comites secuti scilicet sunt virginem?
55 *CH.* Verum; parasitus cum ancilla. *P. A.* ipsa est: ilicer,
Desine. jam conclamatum est. *CH.* alias res agis.
P. A. Istuc ago quidem. *CH.* nostin' quæ sit? dic mihi: aut
Vidistin'? *P. A.* vidi, novi: scio, quo abducta sit.
CH. Eho Parmeno mi. nostin'? *P. A.* novi. *CH.* & scis, ubi fiet?
60 *P. A.* Huc deducta est ad meretricem Thaidem: ei dono data est.
CH. Quis is est tam potens cū tanto munere hoc? *P. A.* miles Thraaso,
Phædriæ rivalis. *CH.* duras fratris partes prædicas.
P. A. Imo enim, si scias quod donum huic dono contra compareret,
Tum magis dicas. *CH.* quodnam quæso hercle? *P. A.* Eunuchum.
CH. Illumne obsecro?

INTERPRETATIO.

Heus, heus, te volo Chærea, inquit. Ad hæc verba gradum repressi. Scisne, dixit, quæ tibi volebam dicere? Dic, inquam, cras mea causa agitur. At, quid inde? Inquam ego. Ut sedulo patrem moneas rogo, ut meminerit mandecum stare in judicio. Dum hæc dicit, hora praterit, quæro numquid velit. Recte, inquit, tibi sit, vale. Abeo; cum huc respicio ad virginem, illa interea eodem tempore deflexerat in hanc nostram plateam, ubi Thais habitat. *P. A.* Nimirum de illa loquitur virgine qua Thaidi donata est à milite. *CH.* Cum huc advenio, eam non reperi: disparuerat. *P. A.* Nempe comites virgini adervant. *CH.* Ita est: sequuti sunt nimirum parasitus & ancilla. *P. A.* Ipsa est. Iam,

jam res acta est; Chærea habet, captus est. *CH.* Non attendis ad ea quæ dico. *P. A.* Attendo. *CH.* Novissime quæ sit? Aut vidistin' eam? *P. A.* Vidi, novi, scio quod abducta sit. *CH.* Eho, Parmeno mi, novistine? *P. A.* Novissime. *CH.* Scis ubi sit? *P. A.* Ad has ades deducta est ad Thaidem meretricem & in donum tradita. *CH.* Quis ille est adeo potens, qui tam pretiosum munus det meretrici? *P. A.* Miles Thraaso, Phædriæ rivalis. *CH.* Difficiles partes frater agit contra amulum ita divitem, & munificum. *P. A.* Imo Phædriam partes habere dicas difficilior- res si scias quod munus huic muneri contra apparet. *CH.* Quodnam illud est. *P. A.* Eunuchus. *CH.* Illumne quæso,

ANNOTATIONES.

49. Rogo numquid velit.] Abituri ne id durè facerent, Numquid vis, dicebant his quibuscum constitissent, sic

Galli solent dicere, Vous plaît-il riser me commander?

N

- 65 Inhonestum hominem, quem mercatus est here, senem, mulierem?
P. A. Istunc ipsum. *CH.* homo quatietur certe cum dono foras,
 Sed istam Thaidem non scivi nobis vicinam. *P. A.* haud diu est,
CH. Perii, nunquamne etiam me illam vidisse? e hodie dic mihi;
 Estne, ut fertur, forma? *P. A.* sane. *CH.* at nihil ad nostram
 hanc. *P. A.* alia res est.
- 70 *CH.* Obscuro te hercle, Parmeno, fac ut potiar. *P. A.* faciam se-
 dulo, ac
 Dabo operam, adjuvabo. nunquid me aliud vis? *CH.* quò nunc
 is? *P. A.* domum,
 Ut mancipia hæc, ita ut iussit frater, deducam ad Thaidem.
CH. O fortunatum istum Eunuchum, qui quidem in hanc detur
 domum.
P. A. Quid ita? *CH.* rogitas? summa forma semper conser-
 vam domi
- 75 Videbit, conloquetur, aderit una in unis ædibus,
 Cibum nonnunquam capiet cum ea, interdum propter dormiet.
P. A. Quid, si nunc tute fortunatus fias? *CH.* qua re Parmeno?
 Responde. *P. A.* capias tu illius vestem. *CH.* vestem? quid tum
 postea?
P. A. Pro illo te deducam. *CH.* audio. *P. A.* te esse illum dicam;
CH. intelligo.
- 80 *P. A.* Tu illis fruare commodis, quibus tu illum dicebas modò:
 Cibum unà capias, adsis, tangas, ludas, propter dormias:
 Quandoquidem illarum neque te quisquam novit, neq; scit qui sies;

INTERPRETATIO.

dicis deformem hominem, effeminatum quem emit heri, senem mulierem? P. A. Hunc ipsum. CH. Istibus homo certè extruderetur cum dono foras: sed adhuc ignoravi istam Thaidem in vicinia habitare. P. A. Non diu est, ex quo habitat. CH. Occidi. Nunquamne etiam me illam Thaidem vidisse oportuit? Estne, ut tradunt, formam tam honestam & elegantem. P. A. Certè est. CH. At nihil est, si cum nostra comparetur. P. A. Diversa res est, utraque pulchra est, sed diversa sunt formarum species. CH. Etiam atque etiam te oro per Deos, Parmeno, fac ut ea fruatur. P. A. Conabor omni studio, omnibus viribus tibi adero: nunquid aliud me vis facere? CH. Quò nunc is? P. A. Domum eo, ut mancipia hæc Eunuchum, & Ethiopissam deducam ad Thaidem, ita ut tuus frater iussit. CH. O

facilem istum Eunuchum, qui quidem datur, ut sit è familia ejus domus? P. A. Quid ita? CH. Quarisne hoc? Excel- lenti specie conservam semper spectabit domi: colloquia cum illa habebit, versabitur unà in unis ædibus, comedet aliquando cum ea, interdum prope eam somnum capiet. P. A. Quid si tu ipse eodem modo beatus fias? CH. Quà ratione Parmeno? Responde. P. A. Si tu vestimentum istius Eunuchi capias. CH. Vestimentum? Quid inde postea continget? P. A. Pro illo te introducam in aedem Thaidis. CH. Audio. P. A. Te esse illum dicam. CH. Intelligo. P. A. Tu illis potiaris felicitatibus, quibus tu illum aiebas modò potiturum, ei convictor sis, adstes, tangas, colludas, in eodem lecto cubes: quandoquidem ex illis qui in hac domo sunt, nullus te cognoscit, neque scit qui sit.

- Prætera forma, ætas ipsa est, facile ut te pro Eunucho probes.
CH. Dixisti pulcre: nunquam vidi melius consilium dari.
- 85 Age eamus intro: nunc jam orna me abduc, duc, quantum potes.
P. A. Quid agis? jocabar equidem. *CH.* garris. *P. A.* perij, quid ego egi miser?
 Quò trudis? perculeris jam tu me? tibi equidem dico, mane.
CH. Eamus. *P. A.* pergin? *CH.* certum est. *P. A.* vide, ne nimium callidum hoc sit modò.
CH. Non est profecto, sine. *P. A.* at enim istæcin me cudetur faba. ah
- 90 Flagitium, facinus! *CH.* an id flagitium est, si in domum meretriciam
 Deducar, & illis crucibus, quæ nos, nostramque adolescentiam
 Habent despiciatam, & quæ nos semper omnibus cruciant modis,
 Nunc referam gratiam, atque eas itidem fallam, ut ab illis fallimur?
 An potius hæc pati æquom est fieri, ut à me ludatur dolis?
 95 Quod qui rescierint, culpent: illud meritò factum omnes putent.
P. A. Quid istuc? si certum est facere, facias, verum ne post
 conferas

INTERPRETATIO.

Prætera ea forma vultus in te est, ætas, ut Eunuchum te esse facile persuadeas. CH. Belle dixisti: nunquam animadverti utilius consilium dari. Age intro domum nostram eamus, nunc jam me adorna, abduc, duc quò voles, quam cito potes. P. A. Quid agis? per jocum hæc quidem dicebam. CH. Vana loqueris. P. A. Perij: quid ego miser feci? quò me propulsas tam violenter? propè est, ut me prosternas; tibi equidem dico, abstinere ab incepto. CH. Propera, eamus. P. A. Pergisne me trudere? CH. Stat sententia tuo uti consilio. P. A. Vide ne hoc inceptum sit nunc prapropèrum. CH. Non est sane, sine, nec me retrahere. P. A. At ista faba super caput meum

conteretur, hujus facti culpa mihi imputabitur. Ah flagitium, facinus. CH. An id flagitium vocas, si in aedes meretricias ingrediar, & inducar, cum nulla lex id prohibeat? Si illis crucibus (meretricibus) quæ nos adolescentes simplices & incautos despiciunt, & omnibus cruciant modis, nunc vicem reddam? atque eas similiter deludam, sicut ab illis deludimur? An potius flagitium est, hæc ab illis meretricibus pati. Equum est fieri ut Thais à me ludatur: at qui illud audierint, culpabunt: imo, illud meritò factum esse omnes existimabunt. P. A. Quid istud est quod aggredieris? Si tibi constitutum est id facere, facias; verum si quid tibi mali ex eâ re contigerit,

ANNOTATIONES.

89. *Ista in me cudetur faba.]* Id est rindetur. Nam cudere est ferire. Cudi pecunia dicitur, cum signum Principis, vel Reip. ei imprimitur. Cudere fabam est proverbium à rusticis fabas in area fulte tundentibus.

95. *Quod qui rescierint, culpent.]* Hyphopphora sive objectio. *Illud merito factum omnes putent.]* Anthypophora, sive replicatio ad objectionem.

Culpam in me. *CH.* non faciam. *PA.* jubesne? *CH.* jubeo, cogo, atque impero.

Nunquam defugiam auctoritatem. *PA.* sequere. *CH.* Dij vorrant bene.

INTERPRETATIO.

me mihi causam tribuas. CH. Non faciam. PA. Id ne mihi imperas? CH. Lubeo, cogo, atque impero: non inficiabor | *hoc factum esse me auctore. PA. Sequere. Dij hunc conatum prosperum reddant.*

ACTUS TERTIUS, SCENA PRIMA.

THRASO. GNATHO. PARMENO.

TH. **M**AGNAS vero agere gratias Thais mihi?
GN. **M**ingentes. *TH.* ain' tu, lata est? *GN.* non tam ipse quidem

Dono, quam abs te datum esse: id vero serio

Triumphat. *PA.* huc provisio, ut, ubi tempus fiet,

5 Deducam: sed ecum militem. *TH.* est istuc datum

Profecto mihi, ut sint grata quæ facio omnia.

GN. Advorti hercle animum. *TH.* vel Rex semper maxumas]
Mihi agebat, quidquid feceram: aliis non item.

GN. Labore alieno magno partam gloriam

10 Verbis sæpe in se transmoveret, qui habet salem,

Qui in te est. *TH.* habes. *GN.* Rex te ergo in oculis. *TH.* scilicet;

GN. Gestare. *TH.* vero. credere omnem exercitum,

INTERPRETATIO.

TH. **M**AGNAS vero gratias Thais agit mihi? *GN.* Ingentes. *TH.* Itane ut ais? Latane illa est? *GN.* Non tam ipse quidem dono latatur, quam quod abs te accepit: ob id vero exultans verè triumphat. *PA.* Huc provisum venio temporis opportunitatem, ut deducam mancipia ad Thaidem. Sed ecce Militem Thrasonem. *TH.* Est istud profecto mihi à Diis concessum, ut omnia quæ facio, apud alios me in gratia ponant. *GN.* Per Herculem istud perspexi. *TH.* Etiam Rex semper ingentes mihi agebat gratias, pro eo, quodcumque gesseram; aliis non similiter. *GN.* Sæpe gloriam aliorum labore quaestam verbis in se transfert is qui habet leporem atque urbanitatem, qualis in te est. *TH.* Intelligis. *GN.* Rex ergo te in oculis. *TH.* Scilicet. *GN.* Gestabat, adeo vehementer te amabat. *TH.* Ita est. Totum exercitum meæ fidei committebat,

ANNOTATIONES.

11. **R**EX ergo te in oculis.] Id est ingenti amore prosequatur. | 12. Gestare.] Pro, gestabat. Muretus ait; Male in nonnullis legitur gessire,

Consilia. *GN.* mirum. *TH.* tum sicubi eum satietas

Hominum, aut negoti' si quando odium ceperat,

15 Requiescere ubi volebat, quasi: nostin'? *GN.* scio.

Quasi ubi illam expueret miseriam ex animo. *TH.* tenes.

Tum me convivam solum abducebat sibi. *GN.* hui,

Regem elegantem narras. *TH.* imo, sic homo

Est perpaucorum hominum. *GN.* imo nullorum arbitror,

20 Si tecum vivit. *TH.* invidere omnes mihi,

Mordere clanculum: ego flocci pendere:

Illi invidere misere. verum unus tamen

Impense, elephantis quem Indicis præfecerat.

Is ubi molestus magis est, quæso, inquam, Strato;

25 Eone es ferox, quia habes imperium in belluas?

GN. Pulcre mehercle dictum & sapienter. papæ,

Jugularas hominem. quid ille? *TH.* mutus illico.

GN. Quid ni esset? *PA.* Dii vestram fidem, hominem perditum,

Miserumque, & illum sacrilegum. *TH.* quid illud Gnatho,

30 Quo pacto Rhodium tetigerim in convivio,

Nunquid tibi dixi? *GN.* nunquam: sed narra, obsecro.

Plus millies jam audiavi. *TH.* unâ in convivio

Erat hic, quem dico, Rhodius adolescentulus.

Forte habui scortum: cœpit ad id alludere,

INTERPRETATIO.

consilia mea prudentia. *GN.* Id admirandum. *TH.* Tum sicubi fastidio hominum, aut radio negotiorum tenebatur, si quietis deserto capiebatur, quasi: scisne? *GN.* Quasi quando evomeret illam molestiam ex animo. *TH.* Nosti: tunc me solum abductum mensa comitem adhibebat. *GN.* Hui! Regem lepidum memoras. *TH.* Imo, sic homo comparatus est: perpaucorum familiaritate vitur. *GN.* Imo, nullorum, si tecum vivit, & versatur. *TH.* Omnes mihi invidabant, occultè obrectabant, ego nihili estimabam; verumtamen unus maximè omnium, mihi invidabat, quem Rex Elephantis Indicis præfecerat. Is cum impertunus magis esset, quæso, inquam Strato, an idcirco feroxulus & elatus es, quia bellis imperas? *GN.* Belle mehercle, & sapienter dictum: Papæ! vocem kemini præcluseras, quasi jugulum præcidisses. Quid ille respondit? *TH.* Obmutuit illico. *GN.* Quidni obmutuisset? *PA.* Dii vestram fidem! hominem perditum, miserumque; & illum sacrilegum! *TH.* Quid illud, Gnatho? Nonne memorabile est, quibus modis Rhodium salte taxaverim in convivio? nunquid tibi narravi? *GN.* Nunquam: sed refer, quæso. Plus millies jam audiavi. *TH.* Hic, quem dico, Rhodius unâ capiebat cibum in convivio. Forte adjunxeram mihi meretricem: cœpit ille Rhodius adolescentulus ei alludens blandiri,

ANNOTATIONES.

26 Quasi ubi illam expueret miseriam.] 21. Mordere clanculum.] Non aperte Miseriam, id est, fastidium.] quia a me sibi timebant.

- 35 Et me irridere. quid agis inquam, homo impudens?
Lepus tute es, & pulpamentum quæris. *GN.* ha, ha, he.
TH. Quid est? *GN.* facete, lepide, laute, nihil supra.
Tuumne, obsecro te, hoc dictum erat? vetu' credidi.
TH. Audieras? *GN.* sæpe, & fertur in primis. *TH.* meum
est.
- 40 *GN.* Dolet dictum imprudenti adolescenti, & libero.
PA. At te Dij perdant. *GN.* quid ille quæso? *TH.* perditus.
Risu omnes, qui aderant, emoriri. denique
Metuebant omnes jam me. *GN.* non injuria.
TH. Sed heus tu, purgon' ego me de istac Thaidi;
- 45 Quod eam me amare suspicata est? *GN.* nihil minus,
Imo magis auge suspicionem. *TH.* cur? *GN.* rogas?
Scin' si quando illa mentionem Phædriæ
Facit, aut si laudat, te ut male urat. *TH.* sentio.
GN. Id ut ne fiat, hæc res sola est remedio.
- 50 Ubi nominabit Phædriam, tu Pamphilam
Continuo. si quando illa dicit, Phædriam
Comissatum intromittamus: tu, Pamphilam
Cantatum provocemus. si laudabit hæc
Illius formam; tu hujus contra. denique

INTERPRETATIO.

& me risui habere; Quid ais, inquam, homo impudens? Tu, cum ipse prada sis, & cibis exquisitis, alienum tamen cibum scitaris; & in altero quæris, quod alius in te quærat. *GN.* Ha, ha, he. *TH.* Quid tibi videtur? *GN.* Urbane, venuste, magnifice, nihil supra est. Tunc hujus adagij auctor fuisti? Vetus esse credidi. *TH.* An prius id audieras? *GN.* Sæpe; nam vulgo in primis jactatur. *TH.* A me inventum est. *GN.* Dolet mihi, quod hoc dixeris adolescenti imprudenti quidem, sed libero. *PA.* At te Dij male perdant. *GN.* Quid ille quæso tunc fecit? *TH.* Attonitus fuit. Risu omnes flere emori cœperunt. Denique ex hoc omnes sibi à me timebant. *GN.* Non sine causa. *TH.* Sed ehodum, Gnatho, an expurgare me debeo apud Thaidem de amore istius virginis, quoniam amare eam me suspicatur. *GN.* Imo eam in majorem suspicionem iniice. *TH.* Quamobrem? *GN.* Id ne quæris? Scisne? Si aliquando illa mentionem facit de Phædria, aut si laudes ejus predicat, ut te valde pungat. *TH.* Intelligo. *GN.* Id ne fiat, hæc res sola remedij loco est. Vbi nominabit Phædriam, tu illic nomina Pamphilam; si quando illa dicit, comissioni Phædriam adhibeamus; tu dic vicissim; Pamphilam incitemus ad cantandum. Si hæc laudabit illius formam, tu hujus (Pamphilæ) formam lauda.

ANNOTATIONES.

36. Lepus tute es.] Pulpamentum significat carnes delicatiores, & lauriora obsonia. Pulpa est pars carnosa in corpore animalis, ut lumbi leporis. Hujus vero Proverbij hæc est sententia; Tu es id quod quæris in sorto; quod in te habes, hoc quæris in altero.

- 55 Tu par pari referto, quod eam remordeat.
TH. Siquidem me amaret, tum istud prodesset, Gnatho.
GN. Quando illud, quod tu das, expectat, atque amat:
Jam dudum amat te: jam dudum illi facile fit,
Quod doleat. metuit semper, quem ipsa nunc capit
- 60 Fructum, ne quando iratus tu aliò conferas.
TH. Bene dixti. at mihi istuc non in mentem venerat.
GN. Ridiculum: non enim cogitaras. cæterum,
Idem hoc tute melius quanto invenisses, Thraso?

INTERPRETATIO.

Par pari referto, quod eam repungat. *TH.* Si quidem me Thais amaret, tum istud utile esset consilium, Gnatho. *GN.* Quando illa tua dona desiderat, atque amat; jam dudum quoque amat te, jam dudum facile est facere aliquid ei, ex quo dolorem capiat. Timebit semper, ne lucrum quod ei affers, aliquando iratus ad aliam transferas. *TH.* Sapienter loquutus es, at istud non occurrerat animo. *GN.* Ridiculum; nec enim mentem ad hæc adverteras. Quanto vero illud ipsum melius invenisses, si cogitasses Thraso?

ACTUS III. SCENA II.

THAIS. THRASO. PARMENO.
GNATHO. PYTHIAS.

- TH.* **A** Udire vocem visa sum modò militis:
Atque eccum, salve, mi Thraso. *THR.* ô Thais mea,
Meum suavium, quid agitur? ecquid nos amas
De fidicina istac? *PA.* quam venuste! quod dedit
Principium adveniens! *TH.* plurimum merito tuo.
GN. Eamus ergo ad cœnam: quid stas? *PA.* hem alterum,
Ex homine hunc natum dicas. *TH.* ubi vis, non moror.

INTERPRETATIO.

TH. **V**isa sum mihi modò audire vocem Militis; sed ecce eum: salve mi Thraso. *THR.* O Thais mea, mea suavitas, voluptas, quid agis? ecquantulum nos amas, propter istam fidicinam Pamphilam? *PA.* Quam vero eleganter (ironicè) quale primo adventu fecit exordium, reconsonem faciens beneficij. *TH.* Plurimum ut meritis es. *GN.* Eamus ergo ad cœnam. Quid cessas? *PA.* Hem; ecce tibi alterum hominem Gnathonem militis dictis & cogitatis ita congruentem, ut ex eo natum illum dicas. *TH.* Vbi vis cœnemus: nulla in me mora est.

ANNOTATIONES.

TH. **M**eum suavium.] Suavium & suavius est osculum voluptatis, vel gaudij causâ datum. Hic blandimentum est amantis. Ut apud Plautum; Spes mea, mel meum, suavitudinea.

- PA.* Adibo, atque adsimulabo. quasi nunc exeam.
 Ituran' Thais quopiam es? *TH.* Chem, Parmeno,
 10 Bene pol' fecisti: hodie itura. *PA.* quò? *TH.* ecquid hunc vides?
PA. Video, & me tædet. ubi vis, dona adsunt tibi
 A Phædria. *THR.* quid stamus? cur non imus hinc?
PA. Quæso hercle ut liceat, pace quod fiat tua,
 Dare huic quæ volumus, convenire & colloqui.
 15 *THR.* Perpulcra, credo, dona, haud nostris similia.
PA. Res indicabit. heus jubete istos foras
 Exire, quos iussi, ocyus procede tu huc.
 Ex Æthiopia est usque hæc. *THR.* hic sunt tres minæ.
GN. Vix. *PA.* ubi tu es Dore? accede huc. hem Eunuchum tibi.
 20 Quàm liberali facie, quàm ætate integra!
TH. Ita me Dî ament, honestus est. *PA.* quid tu ais, Gnatho?
 Nunquid habes, quod contempnas? quid tu autem Thrafo?
 Tacent: satis laudant. fac periculum in literis,
 Fac in palæstra, in musicis. quæ liberum.

INTERPRETATIO.

PA. Ad Thaidem accedam & singam me in præsentia ex adibus nostris egredi. O Thais, an profectura es aliquid?
TH. Hem, Parmeno, bene fecisti quod nunc me convenis, nam itura sum quopiam. *PA.* Quò? *TH.* Quid quæris? An hunc non vides? (Thrafonem)
PA. Video id, nec sine tædio: quando eumque velis, accipies dona qua mittit Phædria. *THR.* Quid hic manemus? Cur non abimus? *PA.* Oro me hercle, ut liceat (quod cum venia tua fiat) Thaidi dare quæ volumus, eam adire & cum ea loqui. *THR.* Egregia, credo, dona, haud nostris comparanda. *PA.*

Reipsa cognoscatur. Heus, jubete ista mancipia, quæ iussi, foras prodire statim. Tu mulier! procede huc. Hæc ex Æthiopia usque aduecta est. *THR.* Tru mina pro hac fœmina expensa sunt, *GN.* Vix. *PA.* Vbi tu es, Dore? accede huc. Hem Eunuchum tibi; quàm vultu ingenuo, non servili, quàm florenti ætate. *TH.* Ita me Dî ament, elegans est, & formosus. *PA.* Quid tibi videtur, Gnatho? Ecquid invenisti quod in eo possis reprehendere? Tacent; silentio satis laudant, & se probare, consentunt. Fac experimentum in literis, fac in palæstra, in musicis præceptis, peritum

ANNOTATIONES.

18. Hic sunt tres minæ.] Talentum Atticum habebat 60. minas. Valet sexcentos Coronatos nostros, id est, 1800. libras Turonenses: itaque mina valet 30. libras Turonenses.
 24. In Palæstra.] Palæstra Græcè lucta est: accipitur etiam pro decenti motu, gestuque totius corporis, quem Galli vocant, *Contenance*, cujus præceptores Palæstrici quoque dicti; & qui hujus ignari erant, apalæstri; itaque hanc ingenui-pueri docebantur & Oratori imprimis necessariam esse scribit Quintilianus.

In Musicis.] In Græcia qui musicam nesciebant, habebantur indoctiores: ut Themistocles habitus fuit, cum in convivio Lyræ recufasset. Sed Epaminondas referente Cicerone, fidibus præclarè canebat. Musica illa prisca plurimis ab hinc annis non corrupta tantum, sed ignorata, & extincta est: nihil enim jam propemodum habere videtur, præter levem aurium delectationem. Cæterum Musica, Dialectica, Rhetorica cum neutro genere dicuntur in plurali, præcepta illa Artium significant.

25 Scire

- 25 Scire æquom est adolescentem, solertem dabo.
THR. Ego illum eunuchum, si sit opus, vel sobrius;
PA. Atque hæc qui misit, non sibi soli postulat
 Te vivere, & sua caussa excludi cæteros:
 Neque pugnas narrat, neque cicatrices suas
 30 Ostentat, neque tibi obstat: quod quidam facit,
 Verum, ubi molestum non erit, ubi tu voles,
 Ubi tempus tibi erit, sat habet si tum recipitur.
THR. Apparet servom hunc esse domini pauperis,
 Miserique. *GN.* nam hercle nemo posset, sat scio,
 35 Qui haberet, qui pararet alium, hunc perpeti.
PA. Tace tu, quem ego esse infra infimos omneis puto
 Homines: nam, quæ huic animum assentari induxeris,
 E flamma petere te cibum posse arbitror.
THR. Jamne imus? *TH.* hos prius introducā, & quæ volo,
 40 Simul imperabo. post, continuo exeo.
THR. Ego hinc abeo: tu istam operire. *PA.* haud convenit,
 Una cum amica ire imperatorem in viam.
THR. Quid tibi ego multa dicam? domini similis es.

INTERPRETATIO.

& industrium adolescentem esse præstabo.
THR. Ego illum Eunuchum, vel non potus & ebrius, si sit opus. *PA.* Atque, o Thais! is qui hæc munera tibi mittit, non pro his petit, te sibi soli vacare, & alios amatores tuos expellere: neque sua prælia jactitat, neque cicatrices: quod quidam facit (Thrafo nempe) neque impedit quominus lucrum ex cæteris facias; verum satisfactum sibi esse arbitratur, si eum admittas, quando tibi non incommodum erit, quando voluntas tua feret & opportunitas. *THR.* Hic servus videtur habere pauperem Dominum, miserumque. *GN.* Ita me hercule: nemo enim posset hunc diu tolera-

re, qui haberet pecuniam, quæ alium emeret. *PA.* Sile tu, quem ego pono infra vilissimos omnes & abjectissimos homines; nam quod tibi persuadere poteris, ut huic semper assentando, ad gratiam & voluntatem loquereris, ex igne te victum tibi comparare posse puto.
THR. Tandemne eximus? *TH.* Hæc mancipia prius domum introducā, & postquam jussero fieri ea, quæ volo, mox exitura sum. *THR.* Ego hinc proficiscor. Tu, Gnatho, Thaidem expecta. *PAR.* Non decet Imperatorem unâ cum amica incedere in via. *THR.* Quid pluribus verbis opus est? Vnum hoc sufficit: dignus domno servus est.

ANNOTATIONES.

26. Si opus sit, vel sobrius.] Orationis defectus honestus oblectationem distulans.
 38. E flamma te petere cibum.] Epulas pro inferiis, (inferiæ, sunt sacrificia quæ Diis inferis, & manibus solvuntur) in rogum conjicere moris erat; extremæ autem mendicitatis erat, & impudentiæ inde cibum petere. Catul-

lus explicat Proverbium:
 Vxor Meneni. sep. quam in sepulchretis
 Vidisti ipso capere è rogo cœnam.
 Cum devolutū ex igne prosequens panem
 A semitæ tondetetur ustore.
 42. Cum amica.] Amica est, quam quis amat inhonestè. Terentii in Andria, Sive ista, uxor, sive amica est, gravisda è Pamphilo est.

GN. Ha, ha, he. *THR.* quid rides? *GN.* istuc, quod dixti modo;
 45 Et illud de Rhodio dictum cum in mentem venit:
 Sed Thais exit. *THR.* abi, præcurre, ut sint domi
 Parata. *GN.* fiat. *TH.* diligenter Pythias
 Fac cures, si Chremes huc forte advenerit,
 Ut ores, primum ut maneat: si id non commodum est;
 50 Ut redeat: si id non poterit, ad me adducito.
PY. Ita faciam. *TH.* quid? quid aliud volui dicere?
 Hem, curate istam diligenter virginem.
 Domi adfatis, facite. *THR.* eamus. *TH.* vos me sequimini,

I N T E R P R E T A T I O.

GN. Ha, ha, he. THR. Quid rides? ut me expectare velit: quod si in om-
GN. Propter illud quod modo huic servo modum id ei est, ut revertatur; si non
Phadria dixisti: etiam cogito de dicto in poterit reverti, illuc, ubi ero, hunc
adolefcentem illum Rhodium. Sed Thais adducito. *PY. Sic fiet. TH. Quid? quid*
progredditur. THR. Abi, præcurre, fac præterea volui dicere? *Curam habere*
ut domi omnia recte apparentur. THA. magnam hujus Virginis. *Manete domi.*
Pythias cura sedulo, ut si Chremes ad *THR. Eamus. TH. Vos ancilla, me*
meas ades venerit, hunc ores primum sequimini.

A N N O T A T I O N E S.

53. Vos me sequimini.] Thais alloquitur ancillas.

A C T U S I I I . S C E N A I I I .

C H R E M E S . P Y T H I A S .

CH. **P**rofecto quanto magis magisque cogito,
 Nimirum dabit hæc Thais mihi magnum malum;
 Ita me video ab ea astute labefactarier.
 Jam tum, cum primum jussit me ad se accersier,

I N T E R P R E T A T I O.

CH. E quidem quò sapius de hac
 Thaide cogito, eò magis mihi
 timeo ab ea, & mirum nō mihi dampnum
 ingens faciat: adeo mihi video animum
 ab ea versutè tentari, & conculi. lam-
 tum cum primum jussit me ad se vocari

A N N O T A T I O N E S.

1. *Chremes.*] Chremes adolescens
 rusticus, frater Pamphilæ, sibi à
 Thaide metuit, ne se ad eam amandam
 allicere conetur; deinde ne villam
 quam Sunij habet, subducere tentet;
 aut ne velit intendere se ejus esse soro-
 rem quam olim parvulam amiserat;
 & cuncta, ut suspicax est, maligne in-
 terpretatur.

(Roget quis, quid tibi cum illa? ne nôram quidem)
 Vbi veni, causam, ut ibi manerem, repperit:
 Ait rem divinam fecisse, & rem seriam
 Velle agere mecum. jam tum erat suspicio,
 Dolo malo hæc fieri omnia. ipsa accumbere
 10 Mecum, mihi sese dare, sermonem querere.
 Vbi friget, huc evasit, quam pridem pater
 Mihi & mater mortui essent, dico, jamdiu.
 Rus Sunij ecquod habeam, & quam longè à mari.
 Credo ei placere hoc: sperat se à me avellere.
 15 Postremo, ecqua inde parva perisset soror;
 Ecquis cum ea unà: quid habuisset, cum petiit;
 Ecquis eam posset noscere. hæc cur quereret?
 Nisi illa si forte, quæ olim periit parvola
 Soror, hanc se intendit esse, ut est audacia.
 20 Verum ea si vivit, annos nata est sedecim,
 Non major: Thais, ego quam sum, majuscula est.
 Misit porro orare, ut venirem, serio.
 Aut dicat quid volt, aut molesta ne fiet.

I N T E R P R E T A T I O.

(Quærat aliquis quid negotij habes cum
 illa? Nihil quidem: nec enim ejus noti-
 tiam ullam habebam) dixit mihi se Diis
 sacra fecisse, velle se mihi rem magni
 momenti communicare & mecum tracta-
 re: eam occasionem, ut ibi manerem in-
 venit, iam tum suspicabar hanc dolo ma-
 lo hæc omnia agere. Coepit mecum sede-
 re, familiariter agere quasi ex veteri
 usu & consuetudine, loquendi materiam
 captare. Vbi sermo defecit, hæc illa de-
 venit, ut interrogaret quamdiudum
 pater & mater à vita decessissent: respon-
 deo jam diu eos decessisse, ecquod Sunij
 pradium mihi sit, & quam longè distans
 à mari. Suspicio rus illud delectabile &
 amœnum ei videri: spem habet, id à
 me in se translaturam. Postremo rogat,
 ecquam postea parvulam sororem perdi-
 disse, num aliquis simul cum ea peris-
 set, quam habebat sciam, quando
 amissa est, ecquis eam posset internoscere.
 Hæc cur sciscitetur tanto studio, ignoro:
 nisi fortasse intendere in jure velit sese
 esse sororem illam meam qua olim par-
 vula periit, ut est audacia meretri-
 cum. Atqui si adhuc in vivis est soror,
 sedecim annorum est, non amplius:
 Thais ætate paulo major me est. Mi-
 sit autem illa me rogatum, serio, ut
 ad se venirem. Aut dicat illa, quid
 velit, aut mihi importuna non sit &

A N N O T A T I O N E S.

7. Ait rem divinam se fecisse.] Sacrifi-
 caste. Veteres nihil aggrediebantur se-
 ritium, nisi prius Diis sacra fecissent.
 9. Dolo malo.] Dolus nialus est cum
 aliud agitur, aliud simulatur: bonus,
 adversus hostem & latronem.
 Accumbere mecum.] Solebant veteres
 in cenaculis lectulos ad recumbendum,
 & meridiandum accommodatos habe-
 re, in quibus confabularentur.
 13. Sunij.] Sunium Promontorium
 est Atticæ. Hodie nominatur, *Capo*
delle colonne.
 16. Quid habuisset, cum periit.] Quæ
 insignia gestabat puella Pamphua,
 quibus tandem agnita est.

Non hercle veniam tertio. heus. heus. P Y. hic quis est?
 25 C H. Ego sum Chremes. P Y. ô capitulum lepidissimum!
 C H. Dico ego mî infidias fieri? P Y. Thais maximo
 Te orabat opere, ut cras redires. C H. rus eo.
 P Y. Fac amabo. C H. non possum, inquam. P Y. at apud nos
 hîc mane,
 Dum redeat ipsa. C H. nihil minus. P Y. cur, mî Chremes?
 20 C H. Malam rem. abis hinc? P Y. si istuc ita certum est tibi,
 Amabo, ut illuc transeas, ubi illa est. C H. eo.
 P Y. Abi, Dorias, cito hunc deduce ad Militem.

INTERPRETATIO.

non profectò eam adibo tertio. Heus, heus. PY. Hic quis est? CH. Ego sum Chremes. PY. O Lepidum hominem! CH. Aio mihi his blandis verbis infidias fieri. PY. Thais te valde rogabat, ut cras huc redires. CH. Ad villam eodem die iturus sum. PY. Cras redeas, quaeso. CH. Non possum, inquam. PY. At in hac nostra domo tantisper expecta, dum illa redeat. CH. Minime id faciam. PA. Cur, mi Chremes? CH. Quid me attreßas? Abi hinc in malam rem. PY. Si ita stat sententia, rogo ut illuc transeas ubi illa est. CH. Fiar. Eo PY. Abi, Dorias, cito, hunc ad Thraſonis domum deducito.

ANNOTATIONES.

21. *Majuscula est.*] Ratiocinatur Chremes non posse Thaidem esse suam sororem Pamphilam ex ætate; Thais enim ipso major erat.

ACTUS III. SCENA IV.

ANTIPHO.

H Eri aliquot adolescentuli colimus in Piræo,
 In hunc diem ut de symbolis effemus. Chæream ei rei
 Præfecimus: dati annuli: locus, tempus constitutum est.
 Præterit tempus, quo in loco dictum est, parati nihil est.

INTERPRETATIO.

Hæsterna die aliquot adolescentulorum: Chæream huic officio præposuimus: annuli dati pro arrha: locus, tempus definitum est: transitibus collatis ab unoquoque conviviarum: Chæream huic officio præposuimus: annuli dati pro arrha: locus, tempus definitum est: transitibus collatis ab unoquoque conviviarum.

ANNOTATIONES.

3. *Dati annuli.*] Nobiliores annulos aureos in sinistra manus digito comissionis dabant: ut adesse ad diem penultimo gestabant: eos in pignora constitutum convivij, quod communis sumptu celebrabant, cogerebantur.

Homo ipse nusquam est: neque scio quid dicam, aut quid conjectem.
 Nunc mihi hoc negoti cæteri dedere, ut illum quæram:
 Idque adeo visam, si domi est. Quisnam hinc à Thaide exit?
 Is est, an non est? ipſus est. quid hoc hominis? qui hîc ornatus est?
 Quid illud mali est? nequeo satis mirari, neque conjicere.
 10 Nisi quidquid est, procul hinc libet prius, quid sit, sciscitari.

INTERPRETATIO.

Chærea ipse nusquam apparet. Nescio quid debeam dicere, aut cogitare. Nunc mihi à cæteris sodalibus hoc mandatam est, ut illum quæram: ideoque visum ibo, si domi est. Quisnam ex adibus Thaidis egreditur? Inne ipse est, an alius? Is ipse est. Quanam hac species est hominis? Quis hic habitus? Quid illi mali potest accidiſſe? Nequeo satis mirari, neque conjicere. Quid hoc rei sit: sed quidquid est, longe hinc à publica via, illud clam volo cognoscere.

ANNOTATIONES.

3. *Quid hoc hominis est?*] Hæc sunt verba habitum & formam Eunuchi mirantis in Chærea. 10. *Procul hinc.*] A publica via, semotis arbitris.

ACTUS III. SCENA V.

CHÆREA. ANTIPHO.

CH. N Vm quis hic est? nemo est. num quis hinc me sequitur?
 nemo homo est.
 Jamne erumpere hoc licet mihi gaudium? pro Jupiter!
 Nunc tempus profectum est, cum perpeti me possum interfici,
 Ne hoc gaudium contaminet vita aegritudine aliqua.
 5 Sed neminemne curiosum intervenire nunc mihi,
 Qui me sequatur, quoquo eam, rogitando obtundat, enecet;
 Quid gestiam, aut quid lætus sim, quò pergam, unde emer-
 gam, ubi siem

INTERPRETATIO.

CH. Qvis hic est? Nemo est. Num ex domo Thaidis aliquis exiit, ad me sequendum? Nemo quisquam est. Jamne retentum in animo gaudium, quod sentio mihi proferre licet? O Jupiter! nunc tempus est, cum mihi mortem inferri permittere possim, ne tantum gaudium vita longior corrumpat dolore aliquo: Sed vereor ne obvium mihi fiat curiosus aliquis, qui quaestis obtundat mihi aures, cur gestiam, quid lætus sim, quò vadam, unde egrediar, unde mihi

- Vestitum hunc nactus, quid mihi quæram, sanus sum, anme insaniam?
- AN.* Adibo, atque ab eo gratiam hanc, quam video velle, inibor.
- 10 *Chærea*, quid est quod sic gestis? quid sibi hic vestitus quærit? Quid est, quod lætus sis? quid tibi vis? satisne sanus? quid me Adspicias? quid taces? *CH.* ô festus dies hominis! amice Salve: nemo est omnium, quem ego magi nunc cuperem quam te. *AN.* Narra istuc, quæso, quid fiet. *CN.* imo ego te obsecro hercle, ut audias.
- 15 Nostin' hanc, quam frater amat? *AN.* novi. nempe opinor Thaidem.
- CH.* Istam ipsam. *AN.* sic commemoreram. *CH.* quædam hodie est ei dono data
- Virgo. quid ego ejus tibi nunc faciem prædicem aut laudem, Antipho?
- Cum ipsum me nôris, quam elegans formarum spectator siem: In hac commotus sum. *AN.* ain' tu? *CH.* primam dices scio, si videris.
- 20 Quid multa verba? amare cœpi. forte fortuna domi Erat quidam eunuchus, quem mercatus fuerat frater Thaidi: Neque is deductus etiam tum ad eam. summonuit me Parmeno Ibi servus, quod ego arripui. *AN.* quid id est? *CH.* tace sis, citius audies.
- Ut vestem cum illo mutem, & pro illo jubeam me illuc ducier.

I N T E R P R E T A T I O.

vestem hanc comparaverim, quid mihi quæram sanus ne mente sim, an insaniam? *AN.* Ad eum accedam & hanc gratiam ejus (ut desiderat) demerebor.

CH. Quamobrem sic exultas? Quidve hic habitus denotat? Quid est quod tantam lætitiâ exprimis? Quid tibi vis? Satisne sapias? Quid me intueris? Quid id spes? *CH.* O lætus & faustus mihi dies! amice saluus sis. Nemo est omnium, quem ego nunc magis cuperem videre quam te. *AN.* Recense amabo, quid istud sit, quod tam lætiter accidit.

CH. Imo ego te oro per Herculem, ut audire libeat tibi. Notane tibi est illa, cujus frater amator est. *AN.* Nota est; nempe mihi videtur, illam dices Thaidem. *CH.* Istam ipsam. *AN.* Sic in

memoria habebam. *CH.* Quædam puella hodie ei dono missa est. Quid opus est, ut ejus tibi pulchritudinem verbis, aut laudibus exprimam, Antipho! cum scias probe, quam scitus sim formarum explorator & æstimator: ejus amore captus fui. *AN.* Itane? *CH.* Si eam videris, venustarum Principem esse fateberis, certo scio. Quid plura dicam? ejus formâ inspectâ, statim amore inflammatus sum: forte in ædibus nostris erat quidam Eunuchus quem frater emerat Thaidi, nec dum ad eam tunc deductus erat, Parmeno ibi servus mihi consilium dedit quod ego avidè cepi. *AN.* Quid id est? *CH.* Si silentium præbueris citius percipies: suavis ut habitum cum eo mutem, ut pro illo me tradi jubeam Thaidi.

A N N O T A T I O N E S.

3. Quid mihi quæram?] Superabundat illud mihi, phrasi Atticâ.

- 25 *AN.* Pro eunuchon? *CH.* sic est. *AN.* quid tandem ex ea re ut caperes commodi?
- CH.* Rogas? viderem, audirem, essem unâ, qua cum cupiebam, Antipho.
- Num parva causâ, aut parva ratio est? traditus sum mulieri. Illa illico ubi me accepit, læta vero ad se abducit domum, Commendat virginem. *AN.* cui? tibine? *CH.* mihi. *AN.* factis tuto tamen.
- 30 *CH.* Edicit, ne vir quisquam ad eam adeat, & mihi, ne abscedam, imperat,
- In interiore parte ut maneam solus cum sola. annuo, Terram intuens modeste. *AN.* miser. *CH.* ego, inquit, ad cœnam hinc eo:
- Abducit secum ancillas: pauca, quæ circum illam essent, manent Novitiæ puellæ. continuo hæc adornant, ut lavet.
- 35 Adhortor, properent. dum apparatur, virgo in conclavi sedet, Suspectans tabulam quandam pictam, ubi inerat pictura hæc. Jovem Quo pacto Danaæ misisse ajunt quondam in gremium imbrem aureum.
- Egomet quoque id spectare cœpi. & quia consimilem luserat Jam olim ille ludum, impendio magis animu' gaudebat mihi,

I N T E R P R E T A T I O.

AN. Pro Eunuchone? *CH.* Pro Eunucho. *AN.* Equanam tandem fuit utilitas quam ex hoc facto perciperes? *CH.* Quæritur? Ea fuit, Antipho, ut virginem spectarem, audirem, conversarer cum ea, cum qua cupiebam. An levis causâ, aut ratio hæc tibi videtur? Datus sum Thaidi, Illa ut primum me accepit, libens verò & hilaris illa me introduxit domum, commendat custodiam virginis.

AN. Cui? tibine? *CH.* Mihi. *AN.* Satis vero tutori fido scilicet. *CH.* Imperat ne vir quisquam accedat, & mihi ne ab ea discedam imperat, ut in interiore adium parte remaneam solus cum sola. Nunc promitto modeste, desixis in

terram oculis. *AN.* Miser, qui pro libidine exple da tam indigna tuleris. *CH.* Ego, inquit Thais, ad cœnam militis hinc eo. Abducit secum ancillas quæ se comitentur: pauca quæ virgini adsint, domi restant omnes recens empta, & ad servitium parum apta: confestim apparant balnea, ut virgo lavet. Dum adornantur necessaria ad lotionem, virgo in conclavi sedet suspiciens attentè tabulam pictam, parieti appensam: cujus picturâ representabatur Iupiter, quo modo dicitur infudisse auream pluviam in sinum Danaës. Egomet quoque id contemplatus sum. Et quia consimili ludo se oblectaverat: multo magis animo gaudebam.

A N N O T A T I O N E S.

34. Hæc adornant ut lavet.] Hæc, pro, hæ, ἀρχαίως. Antiquis moris erat, ut singulis diebus lavarent: hinc tot balnea publica & privata.

35. In conclavi.] Conclave est locus separator in ædibus, sic dictus, quod intra cum multa cubicula clausa sunt,

37. Quo pacto Danaë.] Hæc fabula de imbre aureo Danaës in hoc composita est, ut monstraretur nihil esse, quod auro & pecunia expugnari non possit. Meminit ejusdem Ovidius lib. 4. Metamorphoseon, & Horatius Ode 16. libri primi,

- 40 Deum sese in hominem convertisse, atque per alienas tegulas Venisse clanculum per impluvium, fucum factum mulieri. At quem Deum? qui templa cœli summa sonitu concutit: Ego homuncio hoc non facerem? ego vero illud feci, ac lubens: Hæc dum mecum reputo, accersitur lavatum interea virgo.
- 45 It, lavit, redit: deinde illam in lecto illæ conlocarunt. Sto expectans, si quid mihi imperent. venit una, heus tu, inquit, Dore, Cape hoc flabellum, ventulum huic sic facito, dum lavamus. Ubi nos laverimus, si voles, lavato. accipio tristis.
- AN. Tum equidem istuc os tuum impudens videre nimium vellem.
- 50 Qui esset status, flabellulum tenere te asinum tantum. CH. Vix elocuta est hoc, foras simul omnes prorumpunt se: Abeunt lavatum, perstrepunt, ita ut sit, domini ubi absunt. Interea somnus virginem opprimit. ego limis spectro Sic per flabellum clanculum, & simul alia circumspetto
- 55 Satin' explorata sint: video esse. pessulum ostio obdo. AN. Quid tum? CH. quid? quid tum? fatue? AN. fateor, CH. egon' occasionem.

INTERPRETATIO.

videns Deum se in hominem transformasse, atque in tecta aliena furtim per impluvium descendisse ut mulierem falleret: at quem Deum? Eum nempe, qui cœlum tonitru commovet & tremefacit. Si ille hæc fecit, quomodo ego homunculus, non eadem facerem? Ego vero illum in hoc, & libenter imitatus sum. Dum hæc ego apud me cogito, vocatur virgo ad balneum interim: it, lavit, redit: deinde illam ancilla in lecto posuerunt. Sto expectans, si quod mihi denegotium: venit una ex eis; heus tu, inquit, Dore, sume hoc flabellum, & sic ventulum huic excitato, dum lavamus: ubi à balneo redierimus, si voles, lavato. Accipio in manus flabellum, si-

mulans me tristem esse. AN. Tunc profecto istam faciem tuam impudentem cuperem me vidisse quis esset habitus unius corporis, quando statum virginitatis magnus asinus flabello faciebat. CH. Vix ancilla hæc mihi dixerat, cum omnes foras prorumpunt, abeunt lavatum, ingentem strepitum edunt, ut solent servi facere, absentibus dominis: interea semino virgo sopitur; ego transversis, & obliquis oculis per flabellum studiosè intueor, & simul omnia circumspicio, satisne tuta sint: video tuta esse. Pessulum ostio oppono. AN. Quid tum factum est? CH. Quid tum factum quaris, stulte? AN. Fateor me stultum esse qui hæc quasierim. CH. An ego amator occasionem

ANNOTATIONES.

41. Venisse clanculum per impluvium.] Impluvium fuit area sine tecto, quod impluere imber in domum posset. Fucum factum mulieri.] Fucus est genus herbarum tingendis lanis utile; unde pro artificioso, & adulterino colore sumitur. Fucum facere, est artificiosa dissimulatione deludere & fallere.

42. Qui templa cœli.] Versus sunt Ennij. 45. In lecto collocant.] A balneis in lectum se recipere moris erat, ut se recerent à lassitudine & sudore. 55. Pessulum ostio obdo.] Pessulus est obex, aut serra ferrea, quæ clauditur ostium.

Mili

- Mihi ostentatam, tam brevem, tam optatam, tam insperatam, Amitterem? tum pol ego is essem vere, qui simulabar.
- AN. Sane, hercule, ut dicis: sed interim de symbolis quid actum est?
- 60 CH. Paratum est. AN. frugi es. ubi? domini? CH. imò apud libertum Discum.
- AN. Perlonge est. CH. sed tanto ocyus properemus. AN. muta vestem.
- CH. Vbi mutem? perii: nam domo exulo nunc. metuo fratrem, Ne intus sit: porro autem, pater ne rure redierit jam.
- AN. Eamus ad me: ibi proximum est ubi mutes. CH. recte dicis.
- 65 Eamus: & de istac simul. quo pacto porro possim Potiri, consilium volo capere unà tecum. AN. fiat.

INTERPRETATIO.

mibi oblatam & propositam, tam celeriter fugientem, tam desideratam, tam insperatam elabi sinerem? Tum per Polucem talis ego verè fuissim, qualis est Eunuchus, quem simulabam. AN. Certè per Herculem ita est, ut dicis: sed interea de symbolis, quibus colligendis presertim es, quid egisti? CH. Parata est cana. AN. Officiosus & bona frugis es: Vbi? domine? CH. Imò apud libertum Discum. AN. Procul hinc distat. CH. Sed tanto magis idcirco accelere-

mus. AN. Muta vestem. CH. Vbi mutem? perii: nam domo exclusus sum nunc, similis exuli: metuo ne frater sit in ædibus, tum etiam ne pater à villa jam reversus sit. AN. Eamus in domum meam: ibi est, ubi commodè aliam vestem sumere possis. CH. Rectè dicis, eamus: quin etiam deliberare tecum volo de ista puella, quomodo ea potest frui possim. AN. Fiat ut tibi videtur.

ANNOTATIONES.

60. Apud libertum Discum.] Athenis in caupona perpotare nemini, nisi peregrinis & iter facientibus, ne servis quidem licebat, ut refert Isocrates.

64. Ibi proximum est.] Id est proximus locus domus nostra est, ubi vestem mutare possis.

ACTUS QUARTI SCENA I.

DORIAS Ancilla.

Ita me Di bene ament, quantum ego illum vidi, non nihil timeo Misera, ne quam ille hodiè infanè turbam faciat, aut vim Thaidi. Nam postquam iste advenit Chremes adolescens frater virginis,

INTERPRETATIO.

DO. Ita mihi Di sint propitij, quantum ex vulnere Militis perspicere potui, metuo, non nihil misera ego sine fu-

riosus ille rixam aliquam aut vim faciat Thaidi. Nam postquam iste adolescens Chremes frater virginis Paphila advenit,

P.

Militem rogat, illum admitti ut jubeat: ille continuo irasci, neque
 5 Negare audere. Thais porro instare, ut hominem invitet, id
 Faciebat retinendi illius causa: quia, illa quæ cupiebat
 De sorore ejus indicare, ad eam rem tempus non erat,
 Invitat tristis, mansit ibi. illa cum illo sermonem occipit,
 Miles verò sibi putare adductum ante oculos æmulum:
 10 Voluit facere contra huic ægre: heus heus, inquit, puer, huc
 Pamphilam
 Accerse, ut delectet hic nos. illa exclamat, minime gentium.
 Tun' in convivium illam? miles tendere: inde ad jurgium.
 Interea aurum sibi clam mulier demit, dat mihi ut auferam.
 Hoc est signi, ubi primum poterit, sese illinc subducet, scio.

INTERPRETATIO.

Thais Militem rogat, ut illum in domum recipi jubeat; ille statim iram commotus est, neque tamen recusare ausus fuit. Thais praterca instat, ut hominem invitet ad cenam. Id faciebat Thais, ut Chremetem apud se retineret, quominus abiret; quia res illas, quas vehementer ei de sorore ipsius detegere volebat, indicandi tunc locus non erat. Miles illum invitat invitatus, & tristi vultu: mansit adolescens retentus. Thais colloquium cum illo incipit. Miles verò cum opinaretur à Thaide rivalem sibi ante oculos propositum esse, voluit vicissim facere aliquid, quod molestum esset Thaidi. Heus, inquit, puer, Pamphilam voca, ut lyra canens nos oblectet. Thais exclamabat; minime omnium hoc licet: in convivium tu illam adduci jubent Miles verò id ut fieret contendere; inde ad jurgium ventum est. Interea aurum, annulos, torques, armillas, ceteraque ornamenta aurea sibi Thais occulte demit; dat mihi ut exportem: hoc est indicium unde scio, illam, ubi primum poterit, clanculum inde discessuram.

ANNOTATIONES.

12. In convivium illam?] In Græcia non admittebantur ingenuæ mulieres ad convivia, nisi propinquorum & cognatorum, ut Cornelius Nepos refert. Varro apud Nonium sic refert: Virgo de convivio abhicitur, ideo quod majores nostri, virginis acerbas aures, veneris vocabulis imbui noluerunt.
 13. Interea aurum sibi clam mulier demit.] Id agebat Thais, ne pro puella data ipsam spoliaret miles, si ei impetenti virginem negasset.

ACTUS IV. SCENA II.

PHÆDRIA.

DUm rus eo, cœpi egomet mecum inter vias;
 Ita ut sit, ubi quid in animo est molestiæ,
 Aliam rem ex alia cogitare, & ea omnia in

INTERPRETATIO.

DUm in villam eo, cœpi egomet (ut mi agitantur) inter eundem de aliis solent qui aliqua egritudine unire super alia cogitare, & ea omnia in

Pejorem partem. quid opu' est verbis? dum hæc puto;
 5 Præterii imprudens villam. longe jam abieram,
 Cum sensi: redeo sursum, male vero me habens.
 Ubi ad ipsum veni divorticulum, constiti:
 Occepi mecum cogitare, hem, biduum hic
 Manendum est soli sine illa? quid tum postea?
 10 Nihil est? quid nihil? si non tangendi copia est,
 Eho, ne videndi quidem erit? si illud non licet,
 Saltem hoc licebit. certe extrema linea
 Amare, haud nihil est. villam prætereo sciens.
 Sed quid hoc quod timida subito egreditur Pythias?

INTERPRETATIO.

deteriorem partem interpretari. Quid ruri, soli, sine Thaide? Quid tum inde mihi erit? nihil. Quid? nihil? si non tangendi est potestas, eho, anne saltem videndi erit? Si tangere non licet, videre eam quidem licebit. Certe postremum amoris beneficium quippiam est. Villam prætereo sciens ad urbem rediturus, ut imprudens eam antea præterecapi mecum cogitare; hem, num per duos dies commorandum est mihi hic huc exit Pythias turbata metu?

ANNOTATIONES.

7. Ad ipsum divorticulum.] Divorticulum est semita deflectens à via publica ad villam alicujus. Diverticula sunt transverse viæ.
 11. Extrema linea amare] Metaphora ducta à Circo, vel à Stadio: nam certant, emittuntur, signabantur linea, ex creta in solo ducta. Hinc illæ loquendi formulæ; ad lineam stare, linea infiltere, & ultra lineam vagari. Extrema linea amare est tantum videre amicam, & longè abesse à metâ, id est, ab ejus possessione.

ACTUS IV. SCENA III.

PYTHIAS. PHÆDRIA. DORIAS.

PR. **U**bi illum ego scelerosum misera, atque impium inveniam?
 aut ubi
 Queram? hoccine tam audax facinus facere esse ausum? PH. perij:
 hoc quid sit vereor.

INTERPRETATIO.

PR. Binam ego infelix, illum flagitiosum & sacrilegum Eunuchum Hoccine tam temerarium facinus committere ausus est? PH. Perij! quid deprehendam? Aut ubi investigabo? hoc sit, quod Pythias queritur, metuo.
 P ij

- PY.* Quin insuper etiam scelu', postquam ludificatus est virginem, Vestem omnem miseræ discidit: tum ipsam capillo conscidit,
 5 *PH.* Hem. *PY.* qui nunc si detur mihi,
 Ut ego unguibus facile illi in oculos inuolem venefico?
PH. Profectò nescio quid absente nobis turbatum est domi.
 Adibo. quid istuc? quid festinas? aut quem quæris, Pythias?
PY. Hem Phædria, egon' quem quæram? abi hinc quo digna
 es cum donis tuis
 10 Tam lepidis. *PH.* quid istuc est rei?
PY. Rogas me? eunuchum quem dedisti nobis, quas turbas dedit?
 Virginem, quam heræ dederat dono miles, vitiavit. *PH.* quid ais?
PY. Perij. *PH.* remulenta es. *PY.* utinam sic sient, mihi qui ma-
 le volunt.
DO. Au, obsecro mea Pythias, quid istucnam monstri fuit?
 15 *PH.* Infans: qui istuc facere eunuchus potuit? *PY.* ego illum
 nescio
 Qui fuerit: hoc, quod fecit, res ipsa indicat.
 Virgo ipsa lacrimat, neque, cum rogites quid sit, audet dicere;
 Ille autem bonus vir nusquam apparet. etiam hoc misera suspicor,
 Aliquid domo abeuntem abstulisse. *PH.* nequeo mirari satis,

INTERPRETATIO.

PY. Quin etiam amplius scelestus, postquam per ludum & jocum virginem fecellit, omnem vestitum misera discerpit, atque ipsi comas dirulsit. *PH.* Hem! *PY.* Quem, ego, si nunc tenerem, quam cito unguibus illi venefico in oculos irruerem? *PH.* Equidem nescio quid turbatum, me absente, excitatum est domi. Accedam ad Pythiam. Quid istud est? Quid celeras? Aut post quem curris, Pythias. *PY.* Eheu Phædria, rogasne post quem curram? Apage hinc te, quo meritis es, cum donis tuis tam venustis. *PH.* Quid istud est rei? *PY.* Quid à me quæris? O quos tumultus Eunuchus quem nobis donasti, quos motus edidit! Vir-

gini, quam Miles Thaidi heræ munus dederat, stuprum intulit. *PH.* Quid dicis? *PY.* Perij. *PH.* Ebria es. *PY.* Utinam sic ebrij sint, qui mihi male cupiunt. *DO.* Hau; amabo, mea Pythias, ecquid istud monstri fuit? *PH.* Despis, quomodo istud facere Eunuchus potuit? *PY.* Ego nescio, quis ille fuerit, an vir, aut Eunuchus? hoc quod commisit, res ipsa manifestum facit. Virgo lacrymis conficitur, neque, cum interrogatur, audet dicere quid ei factum sit. Ille autem bonus vir disparuit, neque usquam invenitur. Insuper hoc ego misera suspicor, aliquid eum domo furto sustulisse. *PH.* Mirum admodum mihi videtur,

ANNOTATIONES.

4. Vestem omnem misera discidit.] hoc loco. Sic Virgilius in .i. Æneidos; Urbem quam statuo, vestra est. Quod in prosa sic efferas: Quam statuo urbem. Sic orator dicat; Quas ad me dedisti litteras, placuerunt.

11. Eunuchum, quem dedisti nobis, quas turbas dedit?] Antecedens etiam à Poëtis præmittitur relativo, ut in

- 20 Quò abire ignavos ille possit longius, nisi domum
 Forte ad nos rediit. *PY.* vise, amabo, num sit. *PH.* jam faxo scies.
DO. Perij, obsecro, tam infandum facinus, mea tu, ne audivi
 quidem.
PY. At pol ego amatores mulierum esse audieram eos maximos,
 Sed nihil potesse: verum miseræ non in mentem venerat:
 25 Nam illum aliquo conclusissem, neque illi commisissem virginem.

INTERPRETATIO.

quò ille enervis & debilis viribus tam longè fugere potuerit, nisi forte domum sese receperit. *PY.* Vise, precor, num sit in vestris adibus. *PH.* Mox faciam te certiore. *DO.* Perij. Oro, tu mea Pythias, tam horrendum facinus ne audiri quidem. *PY.* At pol ego audie-

ram Eunuchos vehementer ardere amore mulierum, sed imbelles esse & impotentes; verum de hoc non cogi avertam; nam illum in aliquo loco conclusissem, si amatorem eum tantummodò esse meminisssem; neque illi virgini custodiendam dedissem.

ACTUS IV. SCENA IV.

PHÆDRIA. DORVS. PYTHIAS. DORIAS.

- PH.* EXI foras sceleste! at etiam restitas,
 Fugitive! prodi, male conciliate. *DO.* obsecro. *PH.* oh!
 Illud vide, os ut sibi distorsit carnufex.
 Quid huc reditio est? quid vestis mutatio est?
 5 Quid narras? paululum si cessassem, Pythias,
 Domi non offendissem: ita jam ornatat fugam.
PY. Habesne hominem, amabo? *PH.* quid ni? *PY.* ò factum bene!
DO. Istuc pol verò bene. *PY.* ubi est? *PH.* rogitas? non vides?
PY. Videam? obsecro, quem? *PH.* hunc scilicet. *PY.* quis hic
 est homo?

INTERPRETATIO.

PH. Egredere foras, scelerate! At etiam cessas? fugitive huc! procede, in damnum heri empte. *DO.* Obsecro. *PH.* Oh, vide ut turpiter os torisit scelestus. Quid huc redisti? Quid vestem mutasti? Quid dicis? Pythias, si paulum tardassem, domi illum non reperissem, ita jam paraverat fugam.

PY. Quæso, habesne hominem? *PH.* Cur non habeam? *PY.* O factum bene! *DO.* Istud vero per Pollucem factum bene. *PY.* Vbi est? *PH.* Quid sapius quæris? Nunquid eum vides? *PY.* An videam? Obsecro, quis est ille, quem video? *PH.* Vides Eunuchum quem accusas. *PY.* Quis hic est homo?

ANNOTATIONES.

2. Male conciliate.] Id est, in perniciem meam empte, magno empte, charè comparate. Vetus Terentij Interpres

nundinas pro concilio exponit: unde conciliare pro emere sumitur.

- 10 *PH.* Qui ad vos deductus hodie est. *PT.* hunc oculis suis
Nostrarum nunquam quisquam vidit, Phædria.
PH. Non vidit? *PT.* an tu hunc credidisti esse, obsecro,
Ad nos deductum? *PH.* namque alium habui neminem. *PT.* au-
Nec comparandus hic quidem ad illum est. ille erat
15 Honesta facie, & liberali. *PH.* ita visus est
Dudum, quia varia veste exornatus fuit:
Nunc tibi videtur fœdus, quia illam non habet.
PT. Tace obsecro: quasi vero paulum interficiet.
Ad nos deductus hodie est adolescentulus,
20 Quem tu videre vero velles Phædria.
Hic est vetus, vietus, veterinosus, senex,
Colore mustellino. *PH.* hem, quæ hæc est fabula?
Eo redigis me, ut, quid egerim, egomet nesciam.
Eho tu, emin' ego te? *DO.* emisti. *PT.* jube mihi denuo
25 Respondeat. *PH.* roga. *PT.* venistin' hodie ad nos? negat.
At ille alter venit annos natus sedecim,
Quem secum adduxit Parmeno. *PH.* agedum, hoc mihi expedi:

I N T E R P R E T A T I O.

PH. Quem hodie Parmeno ad vestras
ades deduxit. *PT.* Hunc oculis suis
nulla ex nostris ancillis, unquam vi-
dit, Phædria. *PH.* Nulla eum vidit?
PT. An tu, obsecro, hunc esse credidi-
sti Eunuchum, qui ad nos deductus est?
PH. Credidi: nam nullum habui alium.
PH. Au! hic quidem nullomodo illi,
quem ad nos misisti, est comparandus.
Ille erat eleganti forma, & facie inge-
nuo homine digna. *PH.* Talis vobis diu
apparuit, quia teste versicolori exorna-
tus fuit: nunc tibi videtur turpis &
deformis, quia illa non indutus est.
PT. Tace, precor, quasi paulo inter se

differant. Ad nos hodie deductus est
adolescentulus, visu pulcherrimus, &
gratissimus, quem semper spectare vellet.
Phædria: hic est rugosus senex, in-
curvus & flaccidus, veterno laborans,
colore sublivido & subrufo, sicut muste-
la. *PH.* Hem! quæ hæc est fabula? Eo
me redigis ut egomet nesciam, emerim-
ne istum, necne. Eho tu, num ego emi-
te? *DO.* Emisti. *PT.* Impera, ut
rursus mihi respondeat. *PH.* Interroga.
PT. Venistine hodie in domum nostram?
Negat. At ille alter venit, quem deduxit
secum Parmeno, natus annos sedecim.
PH. Agedum, Dove, hoc mihi explica-

A N N O T A T I O N E S.

21. *Vietus.*] Id est languidus, sine vi.
Vel inflexus, incurvus; nam viere, in-
qui Varro, est vincere; unde vimina.

Veterinosus.] Veterinus, quem *ἀνδραγαθόν*,
Græci, dicunt, est apostema ex phleg-
mate, vel atra bile, natum in postero-
re parte cerebri, inexpugnabilem pene
domiendi necessitatem inducens, ma-
gnamque oblivionem.

22. *Colore mustelino.*] Hic erravit Te-

rentius: nam cum legisset apud Me-
nandrum: *μαλεώτης γέραν*, quod
lentiginosum senem significat, cuius-
modi fere sunt Eunuchi; ad similitu-
dinem stellionis qui pelle est macu-
losa, ut Eunuchus ille erat, ore spar-
so: stellio autem est *μαλεώτης*, mu-
stela vero est *μαλῆ*, hæc perperam
Terentius confundit.

- Primum unde habes istam, quam habes, vestem? taces?
Monstrum hominis! non dicturus? *DO.* venit Chærea.
30 *PH.* Fraterne? *DO.* ita est. *PH.* quando? *DO.* hodie. *PH.* quam
dudum? *DO.* modo.
PH. Quicum? *DO.* cum Parmenone. *PH.* norasne eum prius?
DO. Non: nec, quis esset, unquam audieram dicier.
PH. Unde igitur, meum fratrem esse sciebas? *DO.* Parmeno
Dicebat eum esse; is dedit mihi hanc. *PH.* occidi.
35 *DO.* Meam ipse induit: post unâ ambo abierunt foras.
PT. Jam sati' credis sobriam esse me, & nil mentitam tibi?
Jam sati' certum est virginem viciatam esse? *PH.* age nunc, bellua!
Credis huic quod dicat? *PT.* quid isti credam? res ipsa indicat.
PH. Concede istuc paululum, audin' etiam paululum; sat est.
40 Dic dum hoc rursus, Chærean' tuam vestem detraxit tibi?
DO. Factum. *PH.* & ea est indutus? *DOR.* factum. *PH.* & pro te
huc deductus est? *DO.* ita.
PH. Jupiter magne, ô scelestum, atque audacem hominem! *PT.* væ
mihi!
Etiam nunc non credis indignis nos esse irrisas modis?
PH. Mirum ni tu credis quod iste dicat. quid agam, nescio.
45 Heus tu negato rursus. postumne ego hodie ex te exculpere
Verum? vidistin' fratrem Chæream? *DO.* non. *PH.* non potest sine
Malo fateri. video, sequere me hac. modò ait, modò negat.

I N T E R P R E T A T I O.

primum: unde sumpisti hanc vestem,
quâ indutus es? taces? monströse homo,
an non dicturus es? *DO.* Venit Chærea.
PH. Fraterne meus? *DO.* Ita. *PH.*
Quando? *DO.* Hodie. *PH.* Quam pri-
dem? *DO.* Modò. *PH.* Cum quo?
DO. Cum Parmenone. *PH.* An fra-
trem meum antea cognoveras? *DO.* Mi-
nime, nec unquam ab ullo, quis esset,
dici inaudieram. *PH.* Undenam igi-
tur fratrem meum Chæream esse scie-
bas? *DO.* Parmeno eum fratrem
tuum esse dicebat: Chærea hanc mihi
dedit vestem. *PH.* Perij. *DO.* Meam
ipse sumpsit: postea Chærea; & Parme-
no adibus egressi sunt. *PT.* Iam satis,
Phædria, credis me non esse temulen-
tam, nec quidquam mendacij finxisse.
Iam satis exploratum est, & comper-
tum, virginem stupro pollutam esse?
PH. Age nunc, stolta, credisne huic id,
quod dicat? Nimirum seruo, Eunucho,

& fugitivo? *PT.* Cur isti non credam?
Nam etsi non crediderim, res satis ipsa
declarat. *PH.* Dove, secede hinc paulu-
lum. Audisne? Nunc etiam paululum.
Satis est. Responde mihi iterum. Chæ-
reane tuam vestem detraxit tibi? *DO.*
Factum est ita. *PH.* Et eam induit?
DOR. Factum, inquam. *PH.* Et pro te ad
Thaidem deductus est? *DO.* Etiam. *PH.*
Proh maxime Deorum Jupiter! O ne-
farium & impudentem hominem! *PT.*
Væ mihi misera. Quid? etiamne
nunc credere non vis indignis nos
esse delusas dolis? *PH.* Mirandum
esset, si non tu serua seruo fidem ha-
beres. Quid agam incertus sum. An
non possum hodie ex te verum exprimere?
Heus tu negato rursus: jubeo.
Vidistine fratrem Chæream? *DO.*
Non vidi. *PH.* Non potest sine tor-
mentis veritatem fateri. Sequere
hac. Modò asseverat; modò negat.

Ora me. *DO.* obsecro te vero Phædria. *PH.* î intro nunc jam;
DO. hoi, hei.

PH. Alio pacto honeste quomodo hinc nunc abeam nescio :

50 Actum est siquidem. tu me hic etiam nebulo ludificabere ?

PT. Parmenonis tam scio esse hanc technam, quam me vivere.

DOR. Sic est. *PT.* inveniam pol' hodie parem ubi referam gratiam.

Sed nunc, quid faciendum censes, Dorias ? *DO.* de istac me rogas

Virgine ? *PT.* ita : utrum taceamne, an prædicem ? *DOR.* tu pol, si sapias,

55 Quod scis, nescis, neque de Eunucho, neque de vitio virginis :

Hac re & te omni turba evolvis, & illi gratum feceris.

Id modo dic, abisse Dorum. *PT.* ita faciam. *DOR.* sed videon' Chremem ?

Thais jam aderit. *PT.* quid ita ? *DOR.* quia, cum inde abeo, jam tunc cæperat

Turba inter eos. *PT.* tu aufer aurum hoc : ego scibo ex hoc quid fiet.

INTERPRETATIO.

Ora me, & pœnam deprecare. *DO.* Per Deos vero tibi supplico. Phædria. *PH.* Introito. *DO.* Hoi, hei. *PH.* Alio modo, nisi per hanc fallaciam, non possum ex hac difficultate honeste evadere : etenim actum est ; vitata est virgo à fratre. Tu me hic etiam tenebrio ludos facies. *PT.* Hanc fraudem factam esse à Parmenone tam certo scio, quam me nunc vivere. *DOR.* Sic est. *PT.* Per Pollucem inventionem hodie rationem, qua Parmenoni vicem reddam. Sed nunc, Dorias, quid facere suades ? *DOR.* De ista virgine nempe, consilium queris ? *PT.* Ita, utrum sciam quod factum est, an dicam ? *DOR.* Tu pol, si prudens es, dissimula te id scire, quasi nescieris ; neque de Eunucho, neque de stupro virgini illato quidquam esseras ; hoc modo te omni tumultu liberabis, & virgini gratum facies. Dic solum discessisse, & evasisse Dorum Eunuchum. *DOR.* Sed hicne est Chremes quem video ? Thais mox ad nos veniet. *PT.* Quid ita ? *DOR.* Quia cum inde ex domo Militis exibam, jam tunc cæperat jurgium inter illos. *PT.* Aufer istud aurum tibi à Thaide traditum. Ego sciam ex Chremete quid factum sit.

ANNOTATIONES.

56. Et illi gratum facies.] Virgo enim sic dolet ob injuriam sibi illatam, ut ipsamet eam celet.



ACTUS

ACTUS IV. SCENA V.

CHREMES. PYTHIAS.

CH. AT at, data hercle verba mihi sunt : vicit vinum quod bibi. Ac dum accubabam ; quam videbar mihi esse pulcre sobrius ; postquam surrexi, neque pes, neque mens satis suum officium facit.

PT. Chreme. *CH.* quis est ? ehem Pythia, vah quanto nunc formosior

5 Videre, quam dudum ? *PT.* certe quidem tu pol' multo alacrior.

CH. Verbum hercle verum hoc est : sine Cerere & Libero friget Venus.

Sed Thais multò antè venit ? *PT.* an abiit jam à milite ?

CH. Jam dudum, ætatem. lites factæ sunt inter eos maxumæ.

PT. Nil dixit tum, ut sequerere sese ? *CH.* nihil, nisi abiens mihi innuit.

10 *PT.* Eho, nonne id fat erat ? *CH.* at nesciebam id dicere illam, nisi quia

Correxit miles, quod intellexi minus : nam me extrusit foras.

Sed eccam ipsam video : miror, ubi huic ego antevorterim.

INTERPRETATIO.

CH. AT, at, verbis Thaidis circum-venis sum ; vinum quod bibi, me superavit, dum mensa accubabam, quam videbar mihi esse belle sobrius, & sapere ! postquam de mensa surrexi, neque pes, neque mens in suo officio fuit. *PT.* Chreme. *CH.* Quis est ? Ehem Pythias, vah quanto pulchrior mihi videris, quam pridem. *PT.* Sane, tu quidem per Pollucem, multò latior appares. *CH.* Vulgare me hercule, verum est dictum ; sine Cerere & Baccho languet Venus, torpetque. Sed an multo antè tempore quam venissem, Thais hic fuit ? *PT.* An-

ne abiit illa jam ex domo Militis ? *CH.* Iam atas est, ex quo egressa ab illo : rixa inter illos gravissima orta sunt. *PT.* Nonne tunc illa dixit tibi ut se sequereris ? *CH.* Nihil, nisi quod abiens mihi nutu capitis signam fecit. *PT.* Ehd, nonne id sufficiebat ? *CH.* At nesciebam illam mihi nutu significare, ut ipsam sequerer ; sed id quod minus intellexi, id apertius significavit miles, cum me violenter exturbavit foras adibus. Sed ecce ipsam. Miror in quâ parte via eam antecesserim.

ANNOTATIONES.

6. Sine Cerere & Libero friget Venus.] Ceres est Dea frugum, & Bacchus vini ; eleganter Terentius Cererem pro cibo, Bacchum pro vino dixit per macronymiam ; inventorem pro in-

vento. Voluptas in calore sanguinis constituta est, qui his rebus alitur. Horatius. Non enim posthac, aliâ ca- lebo Fœmina. Frigent in uxores mariti, qui non admodum amant.

P

ACTUS IV. SCENA VI.

THAIS. CHREMES. PYTHIAS.

TH. **C**redo equidem illum jam affuturum esse, illam ut eripiat sine veniat:

Atqui si illam digito attigerit uno, oculi illico effodientur, Usque adeo ego illi' ferre possum ineptias, & magnifica verba, Verba dum sint: verum enim si ad rem conferentur, vapulabit.

CH. Thais, ego jam dudum hic adsum. TH. o mi Chreme, te ipsum expectabam:

Scin' tu turbam hanc propter te esse factam? & adeo ad te attinere hanc

Omnem rem? CH. ad me? qui? quasi istuc! TH. quia dum tibi sororem studeo

Reddere, & restituere, hæc atque hujusmodi sum multa passa.

CH. Ubi ea est? TH. domi apud me. CH. ehem! TH. quid est?

10 Educta ita, uti teque illaque dignum est. CH. quid ais? TH. id quod res est.

Hanc tibi dono do, neque repeto pro illa abs te quidquam pretij.

CH. Et habetur, & refertur à me, Thais, tibi, ita uti merita es, Gratia. TH. atenim cave, ne priusquam hanc à me accipias, amittas,

INTERPRETATIO.

TH. **P**uto certè illum Thrasonem mox adventurum, ut illam Pamphilam à me rapiat. Sine veniat: atqui si illam summo attigerit digito, statim ei oculi eruentur. Adhuc usque tolerare possum illius ineptias, & gloriosa verba, dummodo tantum sint verba: nam si in rem deducantur, & quis ille dicit, opere exequi conetur, plangis cadetur. CH. Thais jam pridem huc adveni. TH. O mi Chreme, te ipsum expecto: scilicet tui causâ hoc jurgium & contentionem excitatam esse, adeo ut hæc omnis res ad te pertineat. CH. Ad me? quomodo? quasi istud commoverim. TH. Quia dum sororem

suam (Pamphilam) conor tibi reddere, & restituere, hæc à Milite, atque alia multa perpeti coacta sum. CH. Vbi ea est? TH. Domi mea est. CH. Hem (quàm timeo!) TH. Quid est? timesne ejus pudicitia? Educatia est, & instituta liberaliter, ut & te, & illâ dignum est. CH. Quid ais? verumne dicis? TH. Dicis id, quod res est. Hanc tibi dono do, nec pro eâ ullam impensas mihi à te reddi posco! CH. Hæc gratia tibi habetur, & in animo accepta fertur, si verbis tibi referrî nequit, ut merita es. TH. Verum enim cave ne prius hanc amittas, quam tibi à me trad-

15 Chreme: nam hæc ea est, quam Miles à me vi nunc venit ereptum.

Abi tu, cistellam, Pythias, domo affer cum monumentis.

CH. Viden' tu illum, Thais? PY. ubi sita est? TH. in risco. odiosa cessas?

CH. Militem secum ad te quantas copias adducere?

At at! TH. num formidolosus obsecro, es, mi homo? CH. apage sis.

20 Egon' formidolosus? nemo est hominum, qui vivat, minus.

TH. Atque ita opu' est. CH. hau! metuo, qualem tu me esse hominem existumes.

TH. Imo hoc cogitato: quicum res tibi est, peregrinus est,

Minu' potens quam tu, minu' notus, amicorum hic habens minus.

CH. Scio istuc: sed tu quod cavere possis, stultum admittere est.

25 Malo ego nos prospicere, quàm hunc ulcisci accepta injuria.

Abi tu, atque ostium obsera intus, ego dum hinc transcurro ad forum:

Volo ego adesse hic advocatos nobis in turba hac. TH. mane.

CH. Melius est. TH. mane. CH. amitte. jam adero. TH. nil opus est istis, Chreme:

Hoc dic modo, sororem illam tuam esse, & te parvam virginem

30 Amisisse, nunc cognosse: signa ostende. PY. adsunt. TH. cape.

INTERPRETATIO.

possit: Nam hæc ea est, quam Miles à me erepturus venit. Abi tu, Pythia, & arcam à domo nostrâ profer huc cum insignibus & ornamentis, ex quibus agnosci possit, quaque in ea asservantur. CH. Videsne Militem, Thais? PY. Vbi posita est, hæc arca? TH. In risco. Molestâ quid moraris? CH. Quantum exercitum huc agit? At, at. TH. Formidolosus es? CH. Egone formidolosus sum? Nemo est omnium hominum qui vivat minus formidolosus. TH. Atque ita nunc opus est ne sis talis. CH. Hau! vereor ut me talem esse, qualis sum, putes. TH. Imo hoc animo reputa; ille cum quo tibi decertandum est, advena est, minus potens, quàm tu; & minus notus & minus am-

corum habens in his locis. CH. Hoc fat scio; sed imprudentis est damnari pati, & recipere, quod evitare & arcerere possis. Malo ego nos cavere ab illo Milite, quam post acceptam injuriam vindictam adversus eum persequi. Tu abi domum intrò, & serâ fores claude, dum ego hinc ad forum transcurro, volo huc adducere advocatos, defensores nobis in hoc tumultu. TH. Mane. CH. Melius est ut advocatos adducam. TH. Mane. CH. Desine me detinere, mox rediero. TH. Nihil opus est istis auxiliis, Chreme: dic modo illam tuam sororem esse, & te illam parvulam amisisse, nunc cognovisse: signa hæc, quibus probes ita esse, ostende. PY. Adsunt hæc monumenta. TH. Cape ea Chreme.

ANNOTATIONES.

16. Cistellam.] Scriniolum, arcam, in qua erant ornamenta Virginis, quibus agnosceretur à suis, nempe forte armilla, crepundia. Ea Thais jubet efferri

domo, ut ostendantur Chremeti, atque ita sororem possit agnoscere.
17. In risco.] Risco, cista est pelle conlecta, nomen Phrygium est.

Si vim faciet, in jus ducito hominem : intellexit ? CH. probe. T H. Fac animo hæc præfenti dicas. CH. faciam. T H. attolle pallium. Perij, huic ipsi opus patrono est, quem defensorem paro.

I N T E R P R E T A T I O .

Si vim faciet Miles, in jus voca, aut trabe. Intellexistine ? CH. Omnino. T H. Audacter & animose hæc pronuncia. CH. Faciam. T H. Attolle pal-

lium humeris delapsam: perij. Huic Chyemti opus est patrono, quem mihi defensorem paro.

A C T U S I V . S C E N A V I I .

T H R A S O . G N A T H O . C H R E M E S . T H A I S .

S A N G A , Servus Thrasonis.

T H R. Hancine ego ut contumeliam tam insignem in me accipiam, Gnatho ?

Mori me fatius est. Simalio, Donax, Syrifce, sequimini. Primum ædeis expugnabo. G N. recte. T H R. virginem eripiam. G N. probe.

T H R. Male multabo ipsam. G N. pulcre. T H R. in medium huc agmen cum vecti, Donax,

5 Tu Simalio in sinistrum cornu, tu Syrifce in dexterum.

I N T E R P R E T A T I O .

T H R. N unquid indecorum est, Gnatho, tam atrocem injuriam mihi factam impune pati ? Mori me fortiter potius est. Simalio, Donax, Syrifce, sequimini. Primum ædes vi capiam. G N. Egregie T H R. Virginem eripiam. G N. Recte. T H R. Ipsam Thaidem acerbe puniam. G N. Belle. T H R. In medium huc agmen accede cum vecti, Donax. Tu, Simalio, in sinistrum cornu: tu, Syrifce, in dexterum.

A N N O T A T I O N E S .

4. In medium huc agmen cum vecti.] Primum agmen seu, ut nunc appellant prima custodia, l'avant-garde; medium agmen, la bataille; postremum agmen, l'arriere-garde. Vectis est lignum teres & oblongum; præterea est instrumentum ferreum & militare, quo perfodiuntur parietes. 5. Simalio.] Jucundum est intelligere nomina strenuorum Militum Thrasonis, Simalio quod simus esset, Donax,

δὲναξ, arundo, qui arundine pro hasta utebatur. Syrifcus à σὺρξος, quod Syrus esset origine, vel à Syrifco vale vimineo, in quo ficus solent asservari. In sinistrum cornu.] Cornua erant latera aciei, ita dicta quod prominere; in quibus stabant equites, qui utrinque claudebant latera aciei pedestris; quapropter turma equitum, alæ dicuntur, Des Compagnies de Cavalerie.

Cedo alios : ubi centurio est Sanga, & manipulus furum ? S A. eecum adest.

T H R. Quid ignave ? peniculon' pugnare, qui istum huc portes, cogitas ?

S A. Egone ? imperatoris virtutem noveram, & vim militum :

Sine sanguine hoc fieri non posse : qui abstergerem vulnera.

10 T H R. Ubi alij ? S A. qui, malum, alij ? solus Sannio forvat domi.

I N T E R P R E T A T I O .

Alij procedant. Vbi est centurio Sanga, & manipulus servorum culinariorum ? S A. Ecce eum, adest. T H. Quid iners ? An tu peniculo quem portas, pugnare cogitas ? S A. Egone peniculum in bello non ferrem, quo vulnera abstergerem ? Cum Imperatoris fortitudinem notam haberem, & robur militum, nec sine sanguinis effusione hanc obsidionem fieri posse. T H R. Vbi alij sunt ? S A. Qui nam, malum, sunt isti alij ? Solus Sannio adest, qui custodit res quæ sunt domi.

A N N O T A T I O N E S .

6. Vbi Centurio est Sanga.] Centurio est centum Militum Præfectus. Unde & centuria quoque dicitur, cujus tamen numerus postea variavit : nam legio apud Romanos antiquit' quatuor millium erat ; unde quadratum agmen dicebatur. Postea duo millia & duceatos adjecit Marius, ut constaret sex millibus, & ducentis Militibus. In legione erant sexaginta centuria, manipuli triginta, cohortes decem.

Manipulus furum.] Manipulus est fasciculus herbarum qui manu comprehenditur, quod signum in Militia fuit præficus Romanis. Ovidius.

Pertica suspensos portabat longa manipulos :

Vnde manipularis nomina Miles habet.

Inde ponitur pro exigua Militum ma-

nu quæ unum sequitur signum. Fures hic dicuntur servi, & fures nonnumquam pro servis accipi scripsit Servius ad illud carmen Virgilij.

Quid domini facient, audent cum talia fures ?

Sapissime tamen fures apud Comicos intelliguntur servi culinarij. Forte fossores intelligit, & cuniculos agentes ad evertenda mœnia, & arces, Pionniers. Sangam, quia coquus erat. Thraso vocat Centurionem tanquam alii honoratiorem. Sangam dictum quidam volunt à Sangia vico, vel Sangario flumine Phrygiæ; nam Phryges serviles sunt. Fortè à Græco σὺρξος. Quod securis quoddam genus est.

10. Qui, malum, alij ?] Malum vicem interjectionis irascensis sustinet,

THR. Tu hosce instrue. hinc ego ero post principia : inde omnibus signum dabo.

GN. Illuc est sapere : ut hosce instruxit, ipse sibi cavet loco.

THR. Idem hocce Pyrrus factitavit. *CH.* viden' tu, Thais, quam hic rem agit;

Nimirum consilium illud rectum est de occludendis ædibus.

15 *TH.* Sane, quod tibi nunc vir videatur esse, hic nebulo magnus est :

Ne metuas. *THR.* quid videtur ? *GN.* fundam' tibi nunc nimis vellem dari,

Ut tu illos procul hinc ex occulto cæderes : facerent fugam.

THR. Sed eccam Thaidem ipsam video. *GN.* quam mox irruimus ? *THR.* mane.

INTERPRETATIO.

THR. Tu hosce ordina. Hic ego stabo in media acie post principes milites. Ex isto loco omnibus signum dabo in eundi certaminis. *GN.* Istud est peritum & prudentem esse. Quam recte milites disposuit ! quam prospexit sibi tuto in loco ! *THR.* Hoc idem Pyrrhus observavit, hunc ordinem tenuit. *CH.* Videsne tu, Thais, quid agat Thraso, ut nos oppugnet ? Certe prudens consilium est, nos intra domum recipere, & fores occludere. *TH.* Sane hic vanus nugator est : nec est causa cur tibi fortis Imperator nunc esse videatur. *THR.* Quid censens faciendum, Gnatho ? *GN.* Fundam nunc vellem tibi in manus dari, ut tu illos obsessos ferires clandestinè & latenter ; in fugam se darent. *THR.* Sed ecce Thaidem ipsam video. *GN.* Quin mox impetum facimus ? *THR.* Mane.

ANNOTATIONES.

11. *Hic ero post principia :*] Id est post Principes in acie. Milites in Militia Romana Principes dicebantur secundæ aciei Milites, armis maximè insignes : ita enim acies apud Romanos instruebatur, ut primi hostes aggredierentur manipuli Hastatorum, ex flore juvenum pubescentium collecti : qui si hostem propulsare non possent, à Principibus, qui omnes scutati erant, in intervalla ordinum recipiebantur. Moxque hi, nempe Principes, in eorum, nempe hastatorum locum succedebant. Hastati autem post eos subsequebantur. Si à Principibus quoque non satis feliciter esset pugnatum, à primâ acie ad Triarios paulatim se referebant, unoque agmine facto, nullaque spe post se relicta, unâ omnes in hostem procedebant. Principia est locus in acie Principum militum. Inde, post principia esse, significat, in tuto esse, ubi noster Thraso se collocaverat. Principia etiam est locus in castris, ubi habitat Dux & Imperator. Hæc ex Livio sub finem Octavi libri primæ Decadis. Cæterum Homerus Iliados 5. laudat Diomedem, quod inter principes primæ acie pugnaret; sicut Hæmerum imitatus Virgilius similiter Aeneam de fortitudine laudans ait ;
Sæ quoque principibus permixtum agnovit Achivis.
13. *Pyrrhus factitavit.*] Sæ post principia posuit. Pyrrhus Epirotarum Rex. Pyrrho Annibal inter Imperatores, cum primas Alexandro Magno dedit, secundas tribuit, quod castra metari primus docuerit, id est describere, & locare, *Camper.* Ad hoc nemo elegantius loca ceperit, præsidia disposuerit, *Choisir bien les lieux : se fortifier.*

Omnia prius experiri verbis, quam armis, sapientem decet.

20 *Qui* scis, an, quæ jubeam, sine vi faciat ? *GN.* Dij vestram fidem !

Quanti est sapere ! nunquam accedo ad te, quin abs te abeam doctior.

THR. Thais, primum hoc mihi responde : cum tibi do istam virginem,

Dixtin' hos mihi dies soli dare te ? *TH.* quid tum postea ?

THR. rogitas,

Quæ mi ante oculos coram amatorem adduxisti tuum ?

25 *TH.* Quid cum illo agas ? *THR.* & cum eo clam subduxisti te mihi ?

TH. Libuit. *THR.* Pamphilam ergo huc redde, nisi si MAVIS eripi.

CH. Tibi illam reddat ? aut tu eam tangas ? omnium. *GN.* ah, quid agis ? tace.

THR. Quid tu tibi vis ? ego non tangam meam ? *CH.* tuam autem, furcifer ?

GN. Cave, sis : nescis, cui maledicas nunc viro. *CH.* non tu hinc abis ?

30 *Scin'* tu ut tibi res se habeat ? si quidquam hodie hic turbæ cæperis, Faciam, hujus loci, dieique, meique semper memineris.

GN. Miseret tui me, qui hunc tantum hominem facias inimicum tibi.

CH. Diminuam ego caput tuum hodie, nisi abis. *GN.* ain' vero, canis ?

INTERPRETATIO.

omnia prius consilij prudentia, quam vi armorum tentare sapientem convenit. Fortasse quæ jubebo, nulla vi adhibita factura est. *GN.* Dij vestram fidem ! quanti estimandus est ille, qui sapit ! nunquam ad te accedo, quin doctior recedam. *THR.* Thais primum hoc mihi responde ; cum tibi darem istam virginem nonne mihi promissisti hos dies soli mihi te concessuram ? *TH.* Quid tum postea ? *THR.* Istudne rogam, quæ mihi coram ante oculos amatorem apposuisti tuum ? *TH.* An tibi dignus videtur ille, quicum loquaris ? *THR.* Et cum eo furtim à me discessisti ? *TH.* Ita libuit. *THR.* Pamphilam huc igitur adduc, & redde, nisi vis eam tibi per vim eripi. *CH.* Tibi illam reddat ? aut tu eam attingas, omnium scelestissime ? *GN.* Ah quid ais ? tace. *CH.* Quid tu tibi vis, cum tua nihil intersit, Gnatho ? *THR.* Ergone meam tangere quis prohibeat ? *CH.* Tuam autem ais esse, furcifer ? *GN.* Vide, sis, ignoras cui viro nunc convitium dicis. *CH.* Non tu hinc abis, impure ? scisne, ô Miles ! ut tecum agatur ? Si vel minimam turbam hodie hic commoveris faciam, ut hujus loci, diei, meique semper memoriam habeas. *GN.* Misereor tui, qui hujus tanti hominis inimicitias suscipias. *CH.* Infringam caput tuum hodie, nisi abis, *GN.* Siccine minarur,

Siccine agis? *THR.* Quis tu es homo? quid tibi vis? quid cum illa rei tibi est?

35 *CH.* Scibis, principio eam esse dico liberam. *THR.* hem! *CH.* civem Atticam. *THR.* hui!

CH. Meam fororem. *THR.* os durum! *CH.* miles, nunc adeo edico tibi,

Ne vim facias ullam in illam. *Thais*, ego ad *Sophonam* eo Nutricem, ut eam adducam, & signa ostendam hæc. *THR.* tunc me prohibeas,

Meam ne tangam? *CH.* prohibeo, inquam. *GN.* audin' tu? hic furti se alligat.

40 *Satin'* hoc est tibi? *THR.* hoc idem tu ais? *TH.* quare, qui respondeat.

THR. Quid nunc agimus? *GN.* quin redeamus? jam hæc tibi aderit supplicans

Ultrò. *THR.* credin'? *GN.* imo certe, novi ingenium mulierum; Nolunt, ubi velis; ubi nolis, cupiunt ultro. *THR.* bene putas,

GN. Jam dimitto exercitum? *THR.* ubi vis. *GN.* Sanga, ita uti fortes decet


45 *Milites*, domi focique fac vicissim ut memineras.

S.A. Jam dudum animus est in patinis. *GN.* frugi es. *THR.* vos me hac sequimini.

INTERPRETATIO.

impudens? *THR.* Quis tu homo es? Quid tibi vis? Quid tibi rei est cum illa? *CH.* Primum ego assero eam esse liberam. *TH.* Hem! *CH.* Civem Atticam. *THR.* Hui! *CH.* Meam fororem. *THR.* Frons ferrea! *CH.* Miles, nunc etiam tibi denuncio, ne vim ullam facias contra illam. *Thais*, ego eo ad *Sophonam* nutricem, ut eam hæc adducam & hæc monumenta agnitionis ostendam. *THR.* Tunc prohibere possis, ne in servam meam manum injiciam. *CH.* Prohibeo, iterum tibi denuncio. *GN.* Audisne, *Thais*? Hic furti se reum fateatur scilicet, se dolo malo rem à proprio domino auferre & detinere. Sufficitne hoc tibi ad reparendam in jure virginem servam tuam? *THR.* An idem hoc ais, quod *Chre-*

mes, *Thais*? *TH.* Indignus es cui respondeam, quare aliò responsum. *THR.* Quid nunc agere debemus, *Gnatho*? *GN.* Age, redeamus: jam hæc ad te veniet sponte supplicans, ut ei veniam condones. *TH.* Credisne? Sic certe est: ita comparata sunt à natura mulieres; quando vis, nolunt; quando nolis, volunt, & cupiunt ultro, nemine suadente. *THR.* Recte judicas. *GN.* Iamne mox missionem militum faciam? *TH.* Quando volles. *GN.* Sanga, fac ut culina, cibique memineras, sicut fortes decet milites, qui alacros pro fociis & penatibus pugnant. *S.A.* Iam pridem à bello aversus animus in epulis & cupediis totus est. *GN.* Bona frugi es, & utilis. *THR.* Vos hæc me sequimini.



ACTUS

ACTUS QUINTI SCENA I.

THAIS. PYTHIAS.

TH. **P**ERGIN', scelestâ, mecum perplexè loqui? Scio, nescio: abiit: audivi: ego non affui.

Non tu istuc mihi dictura aperte es, quidquid est? Virgo conscissa veste lacrumans obticet,

Eunuchus abiit. quamobrem? quid factum est? taces?

PY. Quid tibi ego dicam misera? illum Eunuchum negant fuisse. *TH.* quis fuit igitur? *PY.* iste *Chærea*.

TH. Qui, *Chærea*? *PY.* iste *ephebus*, frater *Phædria*.

TH. Quid ais, venefica? *PY.* atqui certò comperi.

10 *TH.* Quid is obsecro ad nos? quamobrem adductus est? *PY.* nescio, Nisi amasse credo *Pamphilam*. *TH.* hem, misera! occidi Infelix, siquidem tu istac vera prædicas.

Num id lacrumat virgo? *PY.* id opinor. *TH.* quid ais, sacrilega? Istuccine interminata sum hinc abiens tibi?

15 *PY.* Quid facerem, ita ut justis, soli credita est.

TH. Scelestâ, ovem lupo commisti. dispudet

Sic mihi data esse verba. quid illuc hominis est?

PY. Hera mea! tace; tace, obsecro, salvæ sumus: hominem

INTERPRETATIO.

TH. **P**ergisne, scelerata, intricatè & cerè cognovi. *TH.* Cur ad nos, quaque obscure mecum loqui? so, venit? Cur ad nos adductus est? Scio, nescio, audivi stuprum illi esse P. Y. Nescio, nisi amore captum fuisse illatum: absui cum vitata est. Non se credo *Pamphila*. *TH.* Hem! Mi- ne tu istud mihi declarabis quod ex te sera interij. Si tu infelix quidem istac quæro, quidquid sit? Virgo lacrata verè commemoras. An idè virgo lacry- veste præ pudore obticet, Eunuchus au- mas fundit? *PY.* Id arbitror. *TH.* Quid fugit. Quamobrem aufugit? quid factum est? cum hæc à te quæro, nihil ais, sacrilega? Nonne istud tibi abiens quidquam respondes. *PY.* Quid ego minata imperavi, ne vir quisquam infelix tibi amplius respondere possum? ad eam adiret? *PY.* Quid facerem? Dicunt illum minime Eunuchum fuisse. ita ut imperasti, illi soli custodienda data est. *TH.* Pessima, lupo ovem tuen- *TH.* Quis fuit igitur? *PY.* Iste *Chæ-* dam dedisti. Valde me pudet, ita me- delusam esse. Quæ hæc est species? *TH.* Qui *Chærea*? *PY.* Iste *hominis*? *PY.* Hera mea sile, sile, adolescens frater *Phædria*. *TH.* Quid obsecro, salvæ sumus; habemus hominem

ANNOTATIONES.

4. Virgo conscissa veste.] *Thais* breviter refert quæ sibi *Pythias* latius recensuerat.

R

Habemus ipsum. *TH.* ubi is est? *PY.* hem ad sinistram, non vides?

- 20 *En. TH.* video, *PY.* comprehendi jube quantum potest. *TH.* Quid illo facias, stulta? *PY.* quid faciam, rogas? Vide, amabo, si non, cum aspicias, os impudens videtur. *TH.* non. *PY.* tum, quæ ejus confidentia est.

INTERPRETATIO.

ipsum (Chæream) in nostra potestate. TH. Vbi is est? PY. Hem, videlicet illum ad sinistram? TH. Video. PY. Manda in eum manum injici, tanquam in fugitivum. TH. Quid illi faciemus comprehenso, inepta? PY. Qua-

risne quid facias? Vide quæso, si non est insigniter impudens; ex adpectu sem videtur esse. Nonne talis est, qualem dico? PY. Atque etiam qualis est ejus audacia.

ACTUS V. SCENA II.

CHÆREA. THAIS. PTHIAS.

- CH.* **A** Pud Antiphonem uterque, mater, & pater, Quasi dedita opera, domi erant, ut nullo modo Introire possem, quin viderent me: interim Dum ante ostium sto, notus mihi quidam obviam Venit, ubi vidi, ego me in pedes, quantum queo, In angiportum quoddam desertum, inde item In aliud, inde in aliud, ita miserimus Fui, fugitando ne quis me cognosceret. Sed estne hæc Thais, quam video? ipsa est: hæreo
- 10 *Quid faciam? quid mea autem? quid faciet mihi? TH.* Adeamus, bone vir, Dore, salvè: dic mihi, Aufugistin? *CH.* hera, factum. *TH.* satin' id tibi placet? *CH.* Non. *TH.* credin' te impune habiturum? *CH.* unam hanc noxiam

INTERPRETATIO.

CH. IN adibus Antiphonis, & pater & mater ejus, quasi consilio presentes erant, cum ingressuri eramus, ita ut nullo modo introire possem, quin me viderent. Interea dum ante fores sto, notus quidam mihi occurrit in viâ. Simul ac vidi, mox me in pedes conjeci quam citissimè in angiportum quoddam solitarium; inde etiam in aliud, inde in aliud. Ita fugitando

miserimus fui, metuens ne qui me agnosceret. Sed estne hæc Thais, quam video? Ipsa est. Incertus sum animi quid agam? Verum quid mea refert? Quid faciet mihi? TH. Eamus ad eum, Bone vir Dore, salvè. Dic mihi, fugistine domo? CH. Hera, id feci. TH. Hæcine fecisse tibi jucundum est? CH. Minime. TH. Credistine hoc impune & inultum tibi fore? CH. Vnum hoc delictum mihi

- Mitte: si aliam unquam admifero ullam, occidito.
- 15 *TH.* Num meam sævitiam veritus es? *CH.* non. *TH.* quid igitur? *CH.* Hanc metui, ne me criminaretur tibi. *TH.* Quid feceras? *CH.* paululum quiddam. *PY.* eho, paululum, impudens? An paululum esse hoc tibi videtur, virginem Viriare civem? *CH.* conservam esse credidi.
- 20 *Conservam? vix me contineo, quin involem in Capillum. monstrum, etiam ultro derisum advenit. TH.* Abin' hinc, infana? *PY.* quid ita vero? debeam, Credo, isti quidquam furcifero, si id fecerim; Præsertim cum se servom fateatur tuum.
- 25 *TH.* Missa hæc faciamus, non te dignum, Chærea, Fecisti: nam si ego digna hac contumelia Sum maxime, at tu indignus qui faceres tamen. Neque ædopol, quid nunc consili capiam, scio, De virgine istac: ita conturbasti mihi
- 30 *Rationes omnes, ut eam non possim suis, Ita ut æquom fuerat, atque ut studui, tradere: ut Solidum parerem hoc mihi beneficium, Chærea. CH.* At nunc dehinc spero æternam inter nos gratiam

INTERPRETATIO.

remitte: si aliud unquam commifero ullum, interfici me jube. TH. Num meam duritiam, & crudelitatem timuisti, adeo ut fugeres? CH. Non. TH. Quid igitur? CH. Timui ne ista (Pythias) me accusaret apud te. TH. Quam culpam feceras? CH. Levem quamdam culpam. PY. Eho levem, impudens? An levem esse culpam aestimas, virgini civi vitium asserre. CH. Conservam meam esse putavi. PY. Conservam putasti? Vix mihi tempero quin irruam in comam. Monstrum, etiam nos ut ludibrio habeat, ex industria huc advenit. TH. Abi hinc, stulta. PY. Quasi vero ullam pœnam debeam isti furcifero, si involaverim in capillum ejus:

præsertim cum non liberum, sed servum tuum se esse prostitatur. TH. Hæc inutilia omitamus. Non te facinus dignum admisti, Chærea: nam quamvis propter conditionem meam hac injuria maxime digna videar, tamen tu indignus es, qui eam mihi faceres; neque per Pollucam nunc scio quale consilium capiam de ista virgine; ita res meas confudisti omnes, ut eam nequeam suis talem, intactam, & virginem reddere, ita ut æquum fuerat; atque ut omni studio conata fui: ut integram gratiam integram à Chremete & reliquis virginis cognatis, ut integrum & perfectum hoc beneficium conferrem in Chremetem & virginis cognatos. CH. At nunc exinde spero æternam fore inter nos omnes, me,

ANNOTATIONES.

27. *Attu indignus qui faceres tamen.]* Id est, non te decuit eam injuriam mihi facere, cum sis frater Phædriæ mei Amatoris, & diligenter ac liberaliter furtis institutus.

- Fore Thais. sæpe ex huiusmodi re quapiam, &
 35 Malo ex principio magna familiaritas
 Conflata est. quid si hoc quispiam voluit Deus?
TH. Equidem pol in eam partem accipioque & volo.
CH. Imo ita quæso. unum hoc scito, contumeliæ
 Non me fecisse causâ, sed amoris. *TH.* scio,
 40 Et pol propterea magis nunc ignosco tibi.
 Non adeo inhumano ingenio sum, Chærea,
 Neque tam imperita, ut, quid amor valeat, nesciam.
CH. Te quoque jam, Thais, ita me Dij bene ament, amo.
PY. Tum pol ab istoc tibi, hera, cavendum intelligo,
 45 *CH.* Non ausim. *PY.* nihil tibi quidquam credo. *TH.* desinas;
CH. Nunc ego te in hac re mihi oro ut adiutrix fies:
 Ego me tuæ commendo & committo fidei.
 Te mihi patronam cupio, Thais: te obsecro:
 Emoriar, si non hanc uxorem duxero.
 50 *TH.* Tamen si pater. *CH.* quid? ah volet, certò scio;
 Civis modo hæc sit. *TH.* paululum opperitier
 Si vis, jam frater ipse hic aderit virginis:
 Nutricem accersitum iit, quæ illam aluit parvolam:
 In cognoscendo rute ipse hic aderis, Chærea.
 55 *CH.* Ego vero maneo. *TH.* visne interea, dum is venit;
 Domi opperiamur potius, quam hîc ante ostium?
CH. Imo percupio. *PY.* quam tu rem actura, obsecro, es?

INTERPRETATIO.

illam. & te, benevolentiam, Thais: nam sæpe ex simili re aliqua turbulenta, atque ex malo principio magna necessitudo, & conjunctio contracta est. Quid si hoc, auctore aliquo Deo, factum est? *TH.* Equidem pol, in eam partem accipio, & ita volo evenire. *CH.* Quinimo, ita ut accipias, & velis te rogo. Hoc unum scias velim, me non eo animo cum virgine rem habuisse, ut tibi injuriam facerem; sed ab amore ad id faciendum impulsus fuisse. *TH.* Scio & per Pollucem propterea tibi libentius veniam do. Non adeo humanitatis expers sum, neque tam ignara, ut quanta sit amoris potentia non norerim. *CH.* Te quoque jam, Thais, ita me Dij ament, nunc amo. *PY.* Etiam per Deos tibi metuendum, hera, ab isto sentio, ne quam technam & fraudem faciat. *CH.* Non ausim, etiamsi ve-

lim (propter fratrem Phadriam.) *PY.* Nullam fidem tuis dictis habeo. *TH.* Fac ut desinas, Pythias. *CH.* Nunc in tuam, Thais, me do fidem, & in clientelam trado, teque obsecro ut in duenda uxore Pamphila me juves. Te mihi patronam eligo, Thais; te per Deos obsecro: moriar omnino, si non hanc in uxorem accipio. *TH.* Tamen si pater voluerit, *CH.* Ab quid dubitas? Volet, probe scio; dummodò hæc sit civis. *TH.* Si paulisper vis expectare, mox ipse frater illius huc adventurus est, Chærea; nutricem iovit accersitum qua Pamphilam parvulam aluit. Tu ipse dum de Pamphila origine inquiretur, præsens intereris. *CH.* Ego verò expectabo dum Chremes hîc adsit. *TH.* Visne interea, dum is hîc redit, domi maneamus, potius quam hic ante fores. *CH.* Imo vehementer cupio. *PY.* Quidnam, quæso, nunc factura es?

- TH.* Nam quid ita? *PY.* rogitas? hunc tu in ædes cogitas
 Recipere posthac? *TH.* cur non? *PY.* crede hoc meæ fidei,
 60 Dabit hîc aliquam pugnam denuo. *TH.* au, tace, obsecro.
PY. Parum perspexisse ejus videre audaciam.
CH. Non faciam, Pythias. *PY.* non pol credo, Chærea,
 Nisi si commissum non erit. *CH.* quin, Pythias,
 Tu me servato. *PY.* neque pol servandum tibi
 65 Quidquam dare ausim, neque te servare. apage te.
TH. Optime adest ipse frater. *CH.* perij hercle. obsecro;
 Abeamus intrò, Thais: nolo me in via
 Cum hac veste videat. *TH.* quamobrem tandem? an quia pudet?
CH. Id ipsum. *PY.* id ipsum? virgo vero? *TH.* î præ, sequor.
 70 Tu istic mane, ut Chremem introducas, Pythias.

INTERPRETATIO.

TH. Quidnam ita? *PY.* Tunc quaris? An hunc tu, que ab eo delicta es, intro ades posthac admittere cogitas. *TH.* Cur non? *PY.* Faciet aliquam turbam de integro; verbis meis fidem adhibe. *TH.* Au, tace, oro. *PY.* Non satis comperit habere vid. ris ejus confidentiam. *CH.* Non faciam quod vereris, Pythias. *PY.* Non per Pollucem credo, Chærea, nisi postquam nihil à te mali factum fuisse comperit fuerit. *CH.* Imo, Pythias, tu me servato. *PY.* Neque per Deos tibi quidquam servandum dare ausim, neque te servare. Apage te à me. *TH.* Advenit opportune ipse frater Pamphila Chremes. *CH.* Perij hercule. Obsecro Thais, intrò ades eamus: nolo me in via ut Chremes ita vestitum videat. *TH.* Quamobrem tandem? an quia te pudet? *CH.* Id ipsum nempe est. *PY.* Id ipsum? Virgo verò vitata an pudori fuit? *TH.* Præito; sequar: tu isthic mane Pythias, ut Chremetem domum introducas.

ACTUS V. SCENA III.

PYTHIAS. CHREMES. SOPHRONA.

- PY.* Quid? quid venire in mentem nunc possit mihi?
 Quidnam? quî referam sacrilego illi gratiam,
 Qui hunc supposuit nobis? *CH.* move verò ocys
 Te, nutrix. *SO.* moveo. *CH.* video, sed nil pro moves.
 5 *PY.* Iamne ostendisti signa nutrici? *CH.* omnia.

INTERPRETATIO.

PY. Quid? quid in animo excogitare nunc possum ego? Quidnam? quomodo nunc scilicet par pari referam, illi scelesto Parmenoni, qui hunc Chæream, pro Eunucho nobis supposuit? *CH.* Move te verò citius, nutrix! *SO.* Moveo. *CH.* Video, te moves; sed nihil promoves. *PY.* Iamne Chremes ostendisti omnia signa cistellæ Sophronæ nutrici? *CH.* Omnia ostendit.

PY. Amabo, quid ait, cognoscitne? CH. ac memoriter.

PY. Bene adpol narras: nam illi faveo virgini.

Ite intro: jamdudum hera vos expectat domi.

Virum bonum eccum Parmenonem incedere

10 Video, viden' ut otiosus it, si Diis placet?

Spero me habere, qui hunc meo excruciam modo.

Ibo intro, de cognitione ut certum sciam:

Post exhibo, atque hunc perterrebo sacrilegum.

INTERPRETATIO.

PY. Obsecro, quid dicit? Agnoscitne illa? CH. Agnoscit, & memoriter recenset. PY. Grata per Pollucem narras; nam bene illi puella cupio. Intrcite, nam jam pridem Thais hera vos expectat domi. Ecce virum bonum Parmenonem video spatari. Vide ut otiosus & securus ambulat. Spero me habituram facultatem, si Diis placet, quò eum arratu meo agitem, & anxium reddam.

ACTUS V. SCENA IV.

PARMENO. PYTHIAS.

PA. **R**eviso, quidnam Charea hinc rerum gerat,

Quod si astu rem tractavit, di vestram fidem!

Quantam & quam veram laudem capiet Parmeno!

Nam ut mittam, quod ei amorem difficillimum, &

5 Carissimum ab meretrice avara: virginem

Quam amabat, eam confeci sine molestia,

Sine sumptu, sine dispendio. tum hoc alterum,

Id vero est, quod ego mihi puto palmarium,

INTERPRETATIO.

PA. **R**edeo visum quas res hic agat Charea. Quod si astute conceptum exequutus est, di vestram fidem! testor, quantam & quam veram laudem consequetur Parmeno! nam ut taceam quod ei amorem difficillimum & ma-

gno pretio parandum à meretrice avara, virginem nimirum, quam perditè amabat, procuravi, & acquisitionem ejus perfeci sine difficultate, sine sumptu & impensis pecuniarum; id verò est gloriosum & palmà dignum.

ANNOTATIONES.

3. **P**almarium.] Palmarius, a, um; quod est palmà dignum aliquando substantivum est & videtur poni pro victoria: L. I. c. 5. D. De extraordinariis cognitionib. his verbis; Honoraria summa peti poterit usque ad

probabilem quantitatem; etsi nomine palmarij cautum est. Id vocabulum sumptum à Gladiatoribus; Nam victori Gladiatori is honos habebatur, ut coronatus palma laudes ferret.

Me reperisse, quo modò adolescentulus

10 Meretricum ingenia & mores posset noscere:

Mature ut cum cognorit, perpetuo oderit.

Quæ dum foris sunt, nihil videtur mundius,

Nec magis compositum quidquam, nec magis elegans:

Quæ, cum amatore suo cum cœnant, liguriunt.

15 Harum videre ingluviem, sordes, inopiam:

Quàm inhonestæ solæ sint domi, atque avidæ cibi;

Quo pacto ex jure hesterni panem atrum vorent.

Nosse omnia hæc, salus est adolescentulis.

PY. Ego pol te pro istis dictis & factis, scelus,

20 Ulciscar; ut ne inapune in nos illuseris.

INTERPRETATIO.

quod mihi tribuo, quoniam rationem inveni qua adolescentulus possit meretricum ingenia & mores pernoscere, ut cum tempestivè illas penitus cognoverit, perpetuo odio eas prosequatur. Dum foris cœnant, nihil videtur tersius, & honestius, nihil magis ornatum nec magis lepidum. Quæ cum epulantur, non vorant, sed lenitè, & delicatè suaviora quaque cum amatore suo mandunt:

harum vero licet videre insatiabilem voracitatem, immundicias, egestatem, cum domi sunt. Quàm obscæna, quàm gula dedita, quo pacto juris hesterni panem atrum deglutiant. Hæc omnia didicisse non modò utile, sed salutiferum adolescentibus. PY. Ego per Pollucem pro istis dictis & factis te, scelerose, ulciscar & puniam, ut non impune feras quod nos ludificatus fueris.

ACTUS V. SCENA V.

PYTHIAS. PARMENO.

PY. **P**ro Deum fidem! facinus fœdum! ô infelicem adolescentulum!

O scelestum Parmenonem, qui istum huc adduxit! PA. quid est?

PY. Miseret me: itaque, ut ne viderem, misera huc effugi foras.

Quæ futura exempla dicunt in eum indigna. PA. ô Jupiter!

5 Quæ illæc turba est? numnam ego perij? adibo. quid istuc Pythias?

INTERPRETATIO.

PY. **P**ro Deum fidem! facinus turpe & crudele! O infortunatum adolescentulum! O scelestum Parmenonem, qui istum in hanc domum adduxit! PA. Quid est? PY. Adeo misericordia commota sum, ut ne tam

atrox tormentum cernerem, misera huc foras me subduxerim. Quæ infanda & sæva suppliciorum exempla dicuntur in eum faciendâ esse! PA. O Jupiter! quæ illa turbatio est? Egone occidi? accedam. Quid istud est, Pythias?

Quid ais? in quem exempla fient? PY. rogitas, audacissime! Perdidisti istum, quem adduxti pro Eunucho, adolescentulum; Dum studes dare verba nobis. PA. quid ita? aut quid factum est? cedo.

PY. Dicam. virginem istam, Thaidi hodie quæ dono data est, Scin' eam hinc civem esse? & ejus fratrem adprime nobilem? PA. Nescio. PY. atqui sic inventa est. eam iste vitavit miser. Ille ubi rescivit factum frater violentissimus.

PA. Quidnam fecit? PY. colligavit primum eum miseris modis. PA. Colligavit! hem! PY. atque equidem orante, ut ne id faceret, Thaide.

PA. Quid ais? PY. nunc minitatur porro sese id, quod mæchis solet.

Quod ego nunquam vidi fieri, neque velim. PA. qua audacia Tantum facinus audet? PY. quid ita tantum? PA. an non hoc maximum est?

Quis homo pro mæcho unquam vidit in domo meretricia Deprendi quemquam? PY. nescio. PA. at ne hoc nesciatis, Pythias; Dico, edico vobis, nostrum esse illum herilem filium. PY. hem! Obsecro, quis est? PA. ne quam in illum Thais vim fieri sinat. Atque adeo autem cur non egomet introeo? PY. vide, Parmeno, Quid agas, ne neque illis profis, & tu pereas. nam hoc putant, Quidquid factum est, ex te esse ortum. PA. quid igitur faciam, miser?

INTERPRETATIO.

quid queris? in quo exempla gravia pœnarum edenda esse dicis? PY. An queris, impudentissime? Exitium attulisti huic adolescentulo, quem pro Eunucho ad ades nostras deduxisti, dum nos dolis circumvenire conaris. PA. Quid ita dicis? aut quid factum est? Dicit. PY. Dicam. Novistine virginem istam, qua hodie dono data est Thaidi, civem esse hujus urbis; ejusque fratrem inter primos nobiles numerari? PA. Nescio. PY. Atqui esse eam civem Atticam compertum est. Hanc iste adolescentulus suppravit miser. Ille frater ejus, impetuosus admodum, & ad vim inferendam promptissimus, ubi hoc mandavit. PA. Quidnam fecit? PY. Constrinxit primum eum, in modum crudelium, artibus vinculis. PA. Hem, colligavit? PY. atque id, deprecante illum Thaide ne id faceret. PA. Quid ais?

PY. Nunc minitatur se se id facturum, quod adulteris fieri solet: quod sumi supplicium non adhuc vidi, neque videre velim. PA. Quis ita audax, & temerarius, ut tantum facinus audeat? PY. Quid ita tantum ais? PA. An non hoc maximum est? Quisquamne hominum unquam vidit illum in adibus meretricis corripit pro mæcho? PY. Hoc nescio. PA. Ac ne hoc ignoretis, Pythias, nuncio, denuncio vobis, illum esse nostri heri filium. PY. Hem! quæso, an is est? PA. Ne quam in illum violentiam exerceri Thais permittat. Imo etiam, cur non ego intro domum irumpo? PY. Ne hoc facias: cave: nec enim illum juveris & te perditum iveris. Hoc enim credunt te hujus, quod factum est, quantumcumque sit, esse auctorem. PA. Quid igitur faciam, infelix? Quidve

35 Quidve incipiam? ecce autem video rure redeuntem senem. Dicam huic, an non? dicam hercle; etsi mihi magnum malum Scio paratum: sed necesse est, huic ut subveniat. PY. sapias: Ego abeo intro: tu isti narrato omnem rem ordine, ut factum fiet.

INTERPRETATIO.

Quidve aggrediar? Ecce autem aspicio senem herum à villa in urbem revertentem. Num illi dicam filij periculum, an non? Nunciabo per Herculem, quævis noverim mihi magnum malum inde datum iri; sed necesse est huic dicere, ut illi auxilietur. PY. Sapis, qui hæc facturus sis. Ego intro domum eo. Tu vero tuo recensere ex ordine, ut omnia facta sunt.

ACTUS V. SCENA VI.

LACHES. PARMENO.

LA. EX meo propinquo rure hoc capio commodi: Neque agri, neque urbis odium me unquam percipit. Ubi satias cœpit fieri, commuto locum. Sed estne ille noster Parmeno? & certe ipse est. Quem præstolare, Parmeno, hinc ante ostium? PA. Quis homo est? hem, salvum te advenire, here, gaudeo. LA. Quem præstolare? PA. perij, lingua hæret metu. LA. hem! Quid est? quid trepidas? sati ne salvæ? dic mihi. PA. Here, primum te arbitrari id, quod res est, velim: 30 Quidquid hujus factum est, culpa non factum est mea. LA. Quid? PA. recte sane interrogasti, oportuit

INTERPRETATIO.

LA. EX meo suburbano prædio hanc commoditatem habeo, quod neque ruris, neque urbis fastidium me unquam valde capit, ubi alterutrinus cœpit satietas fieri, locum alterum altero muto: sed estne ille noster servus Parmeno? & certe ipse est. Quem expectas, Parmeno, ante has fores? PAR. Quis homo me appellat? Ehem! salvum te redire, here, gaudeo. LA. Quem expectas? PA. Occidi. Lingua hæret palato præ metu. LA. Hem! cur contremiscis? Satisne domi salvæ sunt res nostræ? Dic mihi. PA. Here, primum te arbitrari velim; quidquid hujus rei, de qua quaritur, factum est, culpa mea factum non est. LA. Quidnam est? PA. Rectè quidem interrogasti: nam ante me

ANNOTATIONES.

9. Te arbitrari, quod res est, velim.] turbatio animum male conscium arguit. Se Parmeno excusat, & purgat antequam accusetur; quæ Orationis per-

- Rem prænarrasse me : emit quendam Phædria
Eunuchum , quem dono huic daret. *L A.* cui ? *P A.* Thaidi.
L A. Emit ! perij hercle. quanti ? *P A.* viginti minis.
15 *L A.* Actum est. *P A.* tum quandam fidicinam amat hic Chærea.
L A. Hem ! quid ? amat ? an scit jam ille quid meretrix fiet ?
An in Astu venit ? aliud ex alio malum.
P A. Here , ne me spectes : me impulsore hæc non facit.
L A. Omitte de te dicere. ego te , furcifer ,
20 Si vivo. sed istuc , quidquid est , primum expedi.
P A. Is pro illo Eunucho ad Thaidem deductus est.
L A. Pro Eunuchon' ? *P A.* sic est , hunc pro mæcho postea
Comprehendere intus & constrinxere. *L A.* occidi.
P A. Audaciam meretricum specta. *L A.* nunquid est
25 Aliud mali damnive , quod non dixeris ,
Reliquom ? *P A.* tantum est. *L A.* cesson' huc introrumpere ?
P A. Non dubium est , quin mihi magnum ex hac re sit malum ;
Nisi quia necesse fuit hoc facere , id gaudeo
Propter me hæc aliquid esse eventurum mali :

I N T E R P R E T A T I O .

narrasse oportuit rem qua te absente
evenit. Phædria emit quendam Eunu-
chum , quem donaret illi. *L A.* Cuiam ?
P A. Thaidi. *L A.* Occidi per Hercu-
lem. Quanto pretio ? *P A.* Pretio vi-
ginti minarum. *L A.* Actum est de me.
P A. Tum quandam Chærea fidicinam
amat hic apud Thaidem. *L A.* Hem !
quid ? amat ? an jam didicit quid sit
meretrix ? An in astu (in urbem) ex
Piræo venit ? Aliud ex alio malum
oritur. *P A.* Here , ne me minacibus
oculis intuearis ; non ego eum ad hoc
faciendum impulsi. *L A.* Desine de te
verba facere ; ego , te furcifer , si vitam
Dij provogent , male mulctabo : sed istud,

quodcumque est , paucis verbis enarra-
P A. Is (Chærea) pro Eunucho Thaidi
traditus est. *L A.* An pro Eunucho ?
P A. Sic est : hunc postea intus compre-
henderunt , & colligaverant. *L A.* In-
terij. *P A.* Temeritatem meretricum con-
sidera. *L A.* An aliud mali , damnive,
quod non dixeris , adhuc tibi dicen-
dum restat ? *P A.* Nihil præterea est.
L A. Quid moror , quin intrò hæc
ades impetum facio ? *P A.* Certum est
mihi magnum ex hæc re impendere ma-
lum : sed necesse fuit hoc factum referre
seni , ut filio suo Chærea succurreret.
Ex hoc gaudeo hæc meretricibus , mihi
causa , aliquid malum factum iri :

A N N O T A T I O N E S .

17. An in Astu venit.] Athenienses
urbem suam Astu vocabant. Cicero pri-
mo de legibus : *Thestus*, inquit , eosdem
migrare ex agris. & in Astu quod appella-
tur , omnes se conferre iussit. Astu Græcè
significat Urbem. Cæterum Athenæ in
duas divise erant partes ; Urbem quæ
dicta Astu , & portum qui *παιγεῖνός* vo-
catur : eas autem partes unus complecta-
batur ambitus , sed ita ut Plebeij & De-
mocratia fautores in regione Piræci

agerent ; elegantiores nobilioresque
Astu incolerent. A potiori igitur par-
te & ad portus discrimen Astu & Astu-
kous nominabant, Urbem & Urbanos,
19. Furcifer.] Dicebatur servus , qui
ob leve delictum cogebatur à domino
ignominia magis , quam supplicij
causa , in vicinia furcam in collo ferre,
subligatis ad eam manibus , & præ-
dicare peccatum suum , simulque mone-
re cæteros ne simile quid admittent ,

- 30 Nam jam diu aliquam causam quærebat senex ,
Quamobrem insigne aliquid faceret iis : nunc repperit.

I N T E R P R E T A T I O .

nam jam pridem aliquam causam opta-
bat habere senex , ut aliquod insigne , facinus in meretrices istas ederet : is
nunc invenit.

A C T U S V . S C E N A V I I .

P Y T H I A S . P A R M E N O .

- P Y.* N Unquam ædepol quidquam jam diu , quod magis vellem
evenire ,
Mi evenit , quam quod modo senex intro ad nos venit extans.
Mihi solæ ridiculo fuit , quæ , quid timeret , sciebam.
P A. Quid hoc autem est ? *P Y.* nunc id prodeo , ut conveniam
Parmenonem.
5 Sed ubi obscuro est ? *P A.* me quærit hæc ? *P Y.* atque ecum
video. adibo.
P A. Quid est , inepta ? quid tibi vis ? quid rides ? pergin' ? *P Y.* perij.
Defessa jam sum misera te ridendo. *P A.* quid ita ? *P Y.* rogitas ?
Nunquam pol hominem stultiozem vidi , nec videbo. ah !
Non pote satis narrari , quos ludos præbueris intus.
10 At etiam primo callidum & disertum credidi hominem.
P A. Quid ? *P Y.* illicone credere ea , quæ dixi , oportuit te ?

I N T E R P R E T A T I O .

P Y. N Unquam ædepol quicquam ad eum ibo. *P A.* Quid est , insana ?
jucundius , quod magis mihi quid tibi vis ? quid tam effuse rides ?
optarem accidere , unquam accidit , quàm perseverasne ridere ? *P Y.* Risu morior :
quod modo senex Laches intro domum ad delassata sum misera jam te deridendo.
nos venit , falso existimans filium suum *P A.* Quid ita ? *P Y.* Quarisne ? num
esse constructum. Soli mihi risum præbuit , ignoras ? nunquam pol quemquam ine-
qua causam , cur metueret , noveram. priorem cognovis , nec cognoscam : ah , ne-
P A. Quid autem hoc est , quod loquitur queo satis verbis exponere quos risus ex-
Pythias ? *P Y.* Nunc propter id prodeo citaveris intus in adibus : atque primò
foras , ut Parmenonem adeam & allo- te cantum , intelligentem , & facun-
quar ; sed ubi , quæso est ? *P A.* An me dum esse existimavi. *P A.* Quid ? *P Y.* An
quærit hæc ? *P Y.* Atque ecce eum video : statim fidem adhibere dictis meis debuisti :

A N N O T A T I O N E S .

3. Mihi sola.] Vetuste pro soli. eilla erumpere in risum , adeo ut sibi
temperare non possit.
6. Quid est , inepta , quid tibi vis ?] Conspicito servo cœpit an-

- An pœnitebat flagitij, te autore quod fecisset
Adolescens, in miserum insuper etiam patri indicares?
Nam quid illi credis animi tum fuisse, ubi vestem vidit
15 Illam esse eum indutum pater? quid? jam scis te periisse?
P. A. Ehem, quid dixti, pessima? an mentita es? etiam rides?
Itan' lepidum tibi visum est, scelus, nos irridere? P. T. nimium,
P. A. Siquidem istuc impune habueris. P. T. verum. P. A. reddam,
hercle. P. T. credo:
Sed in diem istuc, Parmeno, est fortasse, quod minitaretur:
20 Tu jam pendebis, qui stultum adolescentulum nobilitas
Flagitiis, & eundem indicas: uterque in te exempla edet.
P. A. Nullus sum. P. T. hic pro illo munere tibi honos est habi-
tus. abeo.
P. A. Egomet meo indicio miser, quasi forex, hodie perij.

I N T E R P R E T A T I O.

An te pœnitebat flagitium, quod te im-
pulsore commississet adolescens Chærea,
nimis leve fuisse, nisi amplius miserum
illum patri proderes & deserres? Nam
quomodo eum affectum fuisse putas, ubi
se vidit à patre deprehensum esse, in
illà veste Eunuchi? quid est? scisne de
te jam actum esse? P. A. Hem! quid di-
xisti, deterrima? An mentita es, cum
mibi dixisti Chæream à Chremete colli-
garum fuisse? etiam pergis videre? Itane
urbana & lepida existimari voluisti,
scelesti, si nos ludidrio haberes? P. Y.
Valde hoc visum est mihi lepidum. P. A.
Si quidem id inultum tuleris, tum de-
mum id lepidum tibi videri dicas. P. Y.

Quasi vero id valde metuam. P. A. Par-
tibi hercle referam. P. Y. Credo, sed in
longam diem forte accidet illud, quod
nobis minitaris: tu jam pendens è trabe
vapulabis, qui imprudentem adolescen-
tem spectatum, & insignem flagitiis red-
dis, & eundem etiam prodis, & denun-
cias. Uterque, pater, & filius, in te pa-
nas exercebunt, quæ sint documento ca-
teris, ne delinquant. P. A. Perij, P. Y.
Ejusmodi honos tibi & palmarium deser-
tur, pro Eunucho, quem dono Thaidi
adduxisti. Discedo. P. A. Egomet me in-
dicans sermonibus meis, quasi forex,
occentu, & strepitu se prodens, mihi
perniciem attuli.

A C T U S V. S C E N A V I I I.

G N A T H O. T H R A S O.

- G. N. Quid nunc? qua spe, aut quo consilio huc imus? quid
inceptas, Thraso?
T. H. Egone? ut Thaidi me dedam, & faciam quod jubeat.
G. N. quid est?

I N T E R P R E T A T I O.

- G. N. Cui venimus huc, nunc cum
Thais tibi irata est? qua
ibi spes est, quod consilium ut venias?
- Quod captum tuum est Thraso? T. H.
Ut Thaidi me dedam victus, & faciam
quacumque imperabit. G. N. Quid est?

- T. H. Qui minus huic, quam Hercules servivit Omphalæ?
G. N. exemplum placet.
Vtinam tibi committigari videam sandalio caput.
Sed quid? fores crepuere ab ea. quid autem hoc est mali?
Hunc ego nunquam videram etiam. quidnam properans hinc
proflit?

I N T E R P R E T A T I O.

T. H. Quare minus servivam Thaidi
quam Hercules servivit Omphalæ G. N.
Exemplum mihi gratum est. Vtinam
tibi videam demulceri calcamento ca-
put. Sed quid? fores ejus strepuere.

T. H. Perij! Quid autem hoc est mali?
Hunc ego nunquam conspexeram; &
nunc hic, quidnam celerans hinc latus
foras exsilii?

A N N O T A T I O N E S.

3. Quam Hercules servivit Omphalæ.]
Omphales Lydiæ Reginae amore ca-
pтус Hercules eò se demisit, ut leo-
nis exuviis, clavamque & arma ipsi
gestanda concederet: ipse vero mulie-
bri habitu inter virgines neret.
4. Committigari videam sandalio caput.]
Sandalium est calcamentum Mulie-
bre, quo Omphale Herculem, si pen-
sum in lanificio non absolvisset, cæ-
dere solebat.
5. Quid autem hoc est mali?] Eunuch-
i habitu Chærea, sed virili confi-
dentia proflit è domo Thaidis, &
militem velut novi rivalis terret af-
fectu.

A C T U S V. S C E N A I X.

C H Æ R E A. P A R M E N O. P H Æ D R I A.
G N A T H O. T H R A S O.

- C. H. O Populares, ecquis me vivit hodie fortunatior?
Nemo hercle quisquam: nam in me plane Dij potesta-
tem suam
Omnem ostendere, cui tam subito tot congruerint commoda.
P. A. Quid hic lætus est? C. H. ô Parmeno mi, ô mearum volu-
ptatum omnium
5 Inventor, inceptor, perfector, scin' me in quibus sum gaudiis?

I N T E R P R E T A T I O.

- C. H. O Populares viri, ô Cives, ec-
quis hodie extat me beatior?
Nemo unus per Herculem: nam in me
omnino Dij specimen dederunt sua po-
testatis; cui tam subito tot simul &
- cumulate bona contigerunt. P. A. Quam-
obrem hic lætitia exultat? C. H. O
Parmeno mi, ô omnium mearum
voluptatum inventor, inceptor, per-
fector, scisne quibus abundo gaudiis?
S iij

- Scis Pamphilam meam inventam civem? *PA.* audi. *CH.* scis sponsam mihi?
PA. Bene, ita me *Di* ament, factum. *GN.* audin' tu illum quid ait? *CH.* tum autem Phædriæ,
 Meo fratri, gaudeo amorem esse omnem in tranquillo: una est domus:
 Thais patri se commendavit in clientelam & fidem:
 10 Nobis dedit se. *PA.* fratris igitur Thais tota est. *CH.* scilicet.
PA. Jam hoc aliud est quod gaudeamus, Miles pellitur foras.
CH. Tum tu, frater ubi ubi est, fac quam primum hæc audiat.
PA. visam domi.
TH. Nunquid, Gnatho, dubitas. quin ego nunc perpetuo perierim? *GN.* sine
 Dubio opinor. *CH.* quid commemorem primum, aut quem laudem maxime?
 15 illumne qui mihi dedit consilium ut facerem; an me, qui id ausu' sim
 Incipere? an fortunam collaudem, quæ gubernatrix fuit,
 Quæ tot res, tantas, tam opportune in unum conclusit diem:
 an
 Mei patris festivitatem & facilitatem? ô Jupiter
 Serva obsecro hæc nobis bona. *PH.* Dij vestram fidem! incredibilia
 20 Parmeno modò quæ narravit. sed ubi est frater? *CH.* præsto est.
PH. gaudeo.
CH. Satis crede, nihil est Thaidæ hac, frater, tua dignius
 Quod ametur: ita nostræ est omni faulrix familiæ. *PH.* hui mihi

INTERPRETATIO.

Scisne Pamphilam meam agnitam fuisse Civem atticam? *PA.* Inaudi. *CH.* Scisne promissam mihi in uxorem? *PA.* Bene, ita me *Di* ament, factum. *GN.* Audisne. *Thraso*, quid ille dicit? *CH.* Tum autem gaudeo, Phædria fratri meo omnem amorem ex toto acquisitum esse sine metu cujusquam rivalis. Una est familia. Thais se in clientelam & fidem patris dedit. *PA.* Fratris tui igitur, Thais tota est in potestate? *CH.* Omnino. *PA.* Iam alia res super nobis causæ gaudij. *Thraso* excluditur à Thaidæ. *CH.* Tu, Parmeno, da operam ut Phædria frater ubicumque sit hæc resciat. *PA.* Visam domum, num is forte ibi sit. *TH.* Nunquid, Gnatho, dubitum me

peruisse. *GN.* Non dubito; imo, credo. *CH.* Quid primum memorem, aut quem laudibus extollam? illumne qui mihi suavit, ut facinus exequerer? an me, qui ausus fuerim illud aggredi an partem laudis tribuam fortuna qua direxit? quæ tot, tantisque res opportune uno absolvit die? an mei patris humanitatem & comitatem? O Jupiter, fac precor ut perpetua sint nobis hæc bona. *PH.* Dij vestram fidem! quomodo Parmeno incredibilia commemoravit? Sed ubi est frater? *CH.* Præsto est; hic præsens est. *PH.* Lator. *CH.* Vere credo. Nulla est mulier, tua illa Thaidæ dignior, quæ ametur, frater; ita faver, nostræ omni familiæ. *PH.* Mihi verè

- Illam laudas? *TH.* perij, quanto spes est minu', tanto magis amo. Obsecro, Gnatho, in te spes est. *GN.* quid vis faciam? *TH.* perfice hoc
 25 Precibus, pretio, ut hæream aliqua in parte tamen apud Thaidem.
GN. Difficile est. *PA.* si quid collibuit, novi te. hoc si effeceris, Quodvis donum & præmium à me optato, id optatum ferēs.
GN. Itane? *TH.* sic erit. *GN.* hoc si efficio, postulo ut tua mihi domus
 Te præsentem, absente, pateat; invocato ut sit locus
 30 Semper. *TH.* do fidem ita futurum. *GN.* accingar. *PH.* quem hic ego audio?
 O Thraso! *TH.* salvete. *PH.* tu fortasse quæ facta hinc sient Nescis. *TH.* scio. *PH.* cur te ergo in his ego conspicio regionibus?
TH. Vobis fretus. *PH.* scin' quam fretus? Miles, edico tibi, Si in platea hac te offendero post unquam, quod dicas mihi,
 35 Alium quærebam, iterhac habui, periisti. *GN.* eja, haud sic decet. *PH.* Dictum est. *GN.* non cognosco vestrum tam superbium.
PH. sic erit.
GN. Prius audite paucis: quod cum dixerò, si placuerit, Facitote. *PH.* audiamus. *GN.* tu concede paulum istuc, Thraso.

INTERPRETATIO.

Illam laudas, qui hanc amo & quanti sit scio. *TH.* Occidi. Quanto minus spei restat, tanto magis amore ardeo. Obsecro te, Gnatho, omnem spem in te posui. *GN.* Quid vis faciam. *TH.* Perfice precibus, pretio; ut mihi aliquis locus tandem restet certus, in amore Thaidis. *GN.* Difficillime id fieri potest. *TH.* Novi ingenium tuum; si tibi quid placet, id facile efficit: si hoc mihi adeptus fueris, cujusvis doni & præmij optionem tibi do. Opta, optatum à me accipies. *GN.* Itane ais? *TH.* Aio. *GN.* Si hoc efficio, postulo ut tua domus mihi semper fores aperta sint; sive adsis, sive absis; ut mensa tua mihi semper locus aliquis relinquatur vacuus, etsi non invitatus fuerim. *TH.* Polliceor tibi, meamque fidem obligo, hoc ita fore ut petis. *GN.* Aggrediar. *PH.* Quem hic ego audio? O Thraso tunc hic es? *TH.* Salvi estote. *PH.* Tu fortasse ignoras, quæ hic facta fuerint. *TH.* Minime ignoro. *PH.* Cur ergo in his urbis partibus te conspexi meo offers? cur non hinc abis? *TH.* Vobis confisus hæc adsum. *PH.* Scis quam confidere debeas? Miles, denuncio tibi, si posthac te unquam in hac platea forte obvium habuero; nihil causa erit, quod dicas mihi, quemdam alium quærebam, aut iter mihi hæc fuit; illud peribis. *GN.* Eia non sic convenit facere. *PH.* Satis hoc sufficiat dictum tibi fuisse. *GN.* Non vos cognosco tam superbos esse. *PH.* Sic fiet. *GN.* Prius audite qua breviter dicam: hæc ubi dixerò, si grata fuerint, facite. *PH.* Audiamus. *GN.* Tu abscede paululum isthuc, Thraso.

ANNOTATIONES.

32. In his regionibus.] Gallicè; En ces quartiers. Nam Urbs in Regiones, Regio in Vicos, Vici in aedes divisi sunt. 33. Tu concede paululum isthuc Thraso.] Id facit Gnatho, ne Miles se vituperatum audiat.

- Principio ego vos ambo credere hoc mihi vehementer velim;
 40 Me hujus quidquid faciam, id facere maxumè caussa mea:
 Verum idem si vobis prodest, vos non facere incititia est.
P. H. Quid id est? *GN.* Militem ego rivalem recipiendum censes.
P. H. hem!
 Recipiendum! *GN.* cogita modo. tu hercle cum illa, Phædria,
 Et libenter vivis: etenim bene libenter victitas,
 45 Et quod des paulum, & neccesse est multum accipere Thaidem.
 Ut tuo amori suppeditare possit sine sumptu tuo; ad
 Omnia hæc magis opportunus, nec magis ex usu tuo
 Nemo est. principio & habet quod det, & dat nemo largius.
 Fatuus est, infullus, tardus, stertit noctesque, & dies.
 50 Neque tu istum metuas, ne amet mulier: pellas facile ubi
 velis.
P. H. Quid agimus? *GN.* præterea hoc etiam, quod ego vel
 primum puto,
 Accipit homo nemo melius prorsus, neque prolixius.
P. H. Mirum, nî illoc homine quoquo pacto opus est. *CH.* idem
 arbitror.
GN. Recte facitis. unum etiam hoc vos oro, ut me in vestrum
 gregem
 55 Recipiatis. satis diu hoc jam saxum volvo. *P. H.* reci-
 pimus.
CH. Ac libenter. *GN.* at ego pro istoc, Phædria, & tu,
 Chærea,

INTERPRETATIO.

Primum hoc vos rogo, ut mihi credatis, me quicquid in hac re facio, me in primis mei gratia id facere: verum si idem quoque vobis utile est; stultitia est, si id non faciatis. *P. H.* Quidnam hoc est? *GN.* Ego, ut competitorum Militem in amore tibi esse patiaris, Phædria, tibi expedire arbitror. *P. H.* Hem! ut competitorum patiar? *GN.* Cogita modo, Phædria: tu me hercule cum Thaidem laute & sumptuose convivaris; nam etiam delicatis & amplis conviviis delectari soles. Quod vero ei des, parum tibi est; & neccesse est multum aliunde lucrari Thaidem, ut tuo amori satisfiat, nulloque pretio hoc tibi constet. Ad hac autem omnia, nemo est magis idoneus, nec magis utilis tibi, quam hic Thraso. Principio multum lar-

giri potest, & nemo est qui det largius. Stolidus est, illepidus, ignavus, somnia dies, noctesque immersus est, neque timendum est ne à muliere magis quam tu, ametur; facile illum expuleris, quandoquidem libebit. *P. H.* Quid vobis agendum est? *GN.* Insuper hoc quoque, quod ego præcipuum existimo; nemo hominem convivio excipit liberalius neque lautius & magnificentius. *P. A.* Nimirum hoc homine omnimodo nobis usus est. *CH.* Idem iudico. *GN.* Recte vobis prospiciis. Unum etiam est quod à vobis postulo, ut me in vestram sodalitatem admittatis. Satis diu hunc lapidem molior: jamdiu id conor. *P. H.* Admittimus. *CH.* Idque libenti animo facimus. *GN.* At ego pro ista gratia, Phædria, tuque, Chærea,
 Hunc

- Hunc comedendum & deridendum vobis præbeo. *CH.* placet.
P. H. Dignus est. *GN.* Thraso, ubi vis, accede. *T. H.* obsecro
 te, quid agimus?
GN. Quid? isti te ignorabant. postquam eis mores ostendi tuos,
 60 Et collaudavi secundum facta & virtutes tuas,
 Impetravi. *T. H.* bene fecisti. gratiam habeo maxumam.
 Nunquam etiam fui usquam, quin me omnes amarent plurimum.
GN. Dixin' ego vobis, in hoc esse Atticam elegantiam?
P. H. Nil præter promissum est. ite hac. vos valecte, & plaudite.

INTERPRETATIO.


hunc Militem vobis comedendum & deridendum præbeo: hunc vobis trado, ut ejus sumptibus lauta, & copiosa convivium faciatis, eique ex solito illudatis. *CH.* Gratum, hoc nobis est. *P. A.* Dignus est, Thraso, qui sic tractetur. *GN.* Thraso, quando libebit, accede. *T. H.* Amabo, quid egisti? *GN.* Isti ingenium tuum non cognoverant: postquam eis exposui mores tuos, teque etiam laudibus exuli, prout facta tua & vir-

tutes merentur, impetravi ab eis quod voluisti. *T. H.* Bene meritus es de me: gratiam habeo maxumam. Nunquam etiam ubicumque fui, ullus extitit, qui me summo amore non complecteretur. *GN.* Nonne ita est, ut vobis dixi, Thrasonis eloquentiam esse plane Atticam? *P. H.* Nihil, Gnathe, omissum est à te, de Thrasonis virtutibus scilicet. Ite hæc omnes. Vos valecte & plaudite.
 Calliopius recensui.

ANNOTATIONES.

57. Propino.] Græcus in conviviis mos fuit, prægustandi vinum, priusquam poculum alteri traderetur: unde *πρωπινῶν* & propinare dicuntur; propi-

nantes autem sublatum poculum ostentabant, nominantes cui erant illud tradituri.





P.

T E R E N T I J
CARTHAGINENSIS AFRI
HEAUTONTIMOR-
RUMENOS.

ACTA LUDIS MEGALENSIBUS, L. CORNELIO LENTULO, ET L. VALERIO FLACCO ÆDILIBUS CURULIBUS. EGIT L. AMBIVIVS TURPIO. MODOS FECIT FLACCUS CLAUDII. GRÆCA EST MENANDRI. ACTA I. TIBIIS IMPARIBUS. DEINDE DUABUS DEXTRIS. ACTA ETIAM III. M. JUVENTIO ET TI. SEMPRONIO COSS.

ANNO AB URBE CONDITA DXCL. ANTE CHRISTUM NATUM CLXI.

INTERPRETATIO EPIGRAPHES.

HÆc fabula Græca Menandri Latina facta à Terentio, nomen Græcum retinuit *ἑαυτὸν πινυέντος*, id est, *seipsum puniens*. Acta est Ludis sacris Cybele magnæ Deorum matris, L. Cornelio Lentulo, L. Valerio Flacco, Ædilibus Curulibus. Egit Ambivivus Turpio. Modos fecit Flaccus Claudij (Filius supple) Acta pri-

mum tibiis imparibus; hoc est dextra, & sinistra: deinde duabus dextris, Prior est modus Phrygius, alter Lydius, ut diximus. Quod cùm fiebat, adscribi Scenæ solebat M. M. C. *Mutantur modi Cantici*. Acta etiam tertio M. Juventio, & M. Sempronio Consulibus.



FABULÆ INTERLOCVTORES.

CHREMES, senex. A *χρέμιεσθαι*, scire, quòd senes scire soleant.
 CLITIPHO, adolescens. A *κλειπός*, inclutus, & *φῶς*, lux. q. d. inclutum lumen.
 SYRUS, servus. A patria Syriâ dictus.
 MENEDEMUS, senex, Clinia pater. A *μῆδος*, robur, & *δῆμος* populus. q. d. Robur populi.
 CLINIA, adolescens. A *κλίνω*, inclino. Vel à *κλίνη*, lectus nuptialis; nam Antiphilam uxorem duxit.
 DROMO, servus. A *δρόμος*, cursus.
 SOSTRATA, Chremetis uxor. A *σῶζω*, seruo, ut quæ filiam exponi iussam conservavit.
 BACCCHIS, meretrix. A *βάκχος*, propter ebrietatem vel insaniam.
 PHRYGIA, ancilla. A patria nominata.
 NUTRIX.
 ANTIPHILA, ab *ἀντι* contra, & *φίλη* amica. Quasi contra, & vicissim amans.

ARGVMENTVM.

CLINIA juvenis, Menedemi filius, Antiphilam, Philteræ Anus Corinthiæ creditam filiam, perditè amare cœpit; quod ubi rescivit pater Menedemus, iniquo animo tulit; ita ut assiduè iurgiis militatum in Asiam abire coëgerit; sed postea facti vehementer pœnitens agrum emit, quem assidue exercens, senectutem miseris modis excruciatam suam, & supplicium absenti filio suæ dabat savitiæ. Clinia vero post tres menses revertitur; & clam patre, cujus duritiam verebatur, ad Clitiphonem Chremetis filium, sodalem suum divertit, mittitque accersitum Antiphilam. Syrus servus Clitiphonis non tantum illam, sed etiam Bacchidem meretricem à Clitiphone amatam secum adducit. Hanc adolescentes Antiphilam esse, Clinia amicam, simulant; Antiphilam vero Bacchidis servam esse Chremeti persuadent. Dum hæc aguntur, Sostrata Chremetis uxor, Antiphilam suam esse filiam, ex annulo, cum quo exposita fuerat, cognovit, & gaudio exiliens omnem rem defert ad virum Chremetem, qui repertam esse filiam ipse quoque gavisus est. Jam omnia in tranquillo erant, absque Bacchide fuisset, cui Clitipho decem minas promiserat, quæ quoquo modo ei conficiendæ erant; ne aliqua ratione eam Chremes filij amicam esse rescisceret. Syrus igitur suis technis hanc summam à Chremete elicit. Dehinc Antiphila Clinia in uxorem datur, Chremes Bacchidem à Clitiphone filio amari animadvertit; irascitur, minatur, sed Menedemi & uxoris precibus delinitus ignoscit Clitiphoni, & aliam dat ei uxorem.

C.

SULPITII APOLLINARIS
PERIOCHA.

IN militiam proficisci gnatum Cliniam,
Amantem Antiphilam, compulit durus pater:
Animique sese angebat, facti pœnitens.
Mox ut reuorsus est, clam patrem diuertitur
Ad Clitiphonem. is amabat scortum Bacchidem.
Cum accerseret cupitam Antiphilam Clinia,
Ut ejus Bacchis venit amica, ac seruale
Habitum gerens Antiphila; factum id, quo patrem
Suum celaret Clitipho. hic technis Syri
Decem minas meretricula aufert à sene:
Antiphila Clitiphonis reperitur soror.
Hanc Clinia, aliam Clitipho uxorem accipit.

INTERPRETATIO.


Pater Menedemus justo severior Cliniam filium coëgit victum jurgis, cum Antiphilam amaret, ad bellum ire. & ipse Menedemus pœnitentiã datus talis duritiei, seipsum cruciabat in animo. Statim ut ipse Clinia rediit militiã, nesciente patre diuertit, & se recipit apud Clitiphonem, Chremetis filium. Is Clitipho captus erat amore Bacchidis meretricis. Quum Clinia accersitum misisset Antiphilam, cujus videntis ingenti desiderio flagrabat, Bacchis

etiam venit cum Antiphila, qua seruali habitu induta est, quasi foret Bacchidis serua. Id factum fuit, ut hanc rem patri suo occultaret Clitipho, ne ille animaduerteret Bacchidem à se amari. Hic Clitipho à Chremete extorquet pro Bacchide amica decem minas, arte, & astutia Syri serui. Antiphila reperitur soror Clitiphonis, & filia Chremetis. Clinia hanc duxit uxorem; Clitipho aliam accipit, dimissã Bacchide.

ANNOTATIONES.

Decem minas.] Scriptores Latini patenter & Græci drachma & denario promiscue utuntur: denarius autem Romanus valet sex assibus nostris Turonensibus, ut drachma Attica. Mina

Attica habet centum drachmas: igitur decem minæ Atticæ, valent 600. Coronatis nostris, siue trecentis libris Turonensibus: nam mina decem coronatis æquivaleret.



PROLOGVS.

NE cui sit vestrum mirum, cur parteis seni Poëta dederit, quæ sunt adolescentium: Id primum dicam: deinde, quod veni, eloquar. Ex integra Græca integram comœdiam
5 Hodie sum acturus Heautontimorumenon:
Duplex quæ ex argumento facta est simplici. Novam esse ostendi, & quæ esset. nunc, qui scripserit, Et cuja Græca sit, ni partem maxumana Existimarem scire vestrum, id dicerem.
10 Nunc, quam ob rem has parteis didicerim, paucis dabo: Oratorem voluit esse me, non Prologum: Vestrum iudicium fecit: me actorem dedit.

INTERPRETATIO.

NE quis vestrum, qui auditis, miretur, cur Terentius noster Poëta, mihi seni dederit officium recitandi Prologi, quod solet fieri ab adolescentibus. Causam primum vobis aperiam; deinde enarrabo, quare in scenam prodierim. Ego sum hodie recitaturus hanc Comœdiam integram, nominatam Heautontimorumenon, translata ex integra Græca Menandri Comœdia, qua facta est duplex (nimirum quia in hac Comœdia duo sunt filii-familias amatores, dua amica, duo senes, duo serui, qua omnia in Menandro erant simplicia) ex simplici argumento, quod praeiit Menedemus se labore & dolore macerans. In-

dicavi recenter esse ex Græca translata, & quo nomine vocaretur. Nunc nisi arbitraverer plebsque vestrum, qui hic adestis, scire, qui composuerit & cujus autoris ea sit, id significarem. Nunc brevi sermone dicam, quamobrem has partes agendi apud vos susceperim; & hanc orationem recitandam didicerim. Poëta Terentius voluit me Oratoris officio fungi, ut hunc defenderem ab adversariis, & ab eorum insectationibus vestra protectione tutus esset, non Prologi praefationem agentis. Ipse Poëta voluit, ut orata ejus causa, judicaretis inter ipsum, & adversarios, meque recitatore pro se, vobis exhibuit.

ANNOTATIONES.

Orationem voluit esse me.] Id est, plus possit oratio iniquorum quam bonorum, ut æqui sitis, ut crescendi copiam faciatis iis qui novas exhibent Comœdias; æquo animo aditis, ut liceat per silentium statariam agere Comœdiam.

causa defendenda datur: talem se esse. Actor hujus Comœdiæ declarat; non Prologi recitatore, qui argumentum narret; sed qui pro Terentio, causam apud Spectatores dicat, adversus rumores à Lucio Lavinio malevolo, ceterisque adversariis contra Poëtam sparsos.

ii. Non Prologum.] Orator est, cui

- Sed hic actor tantum poterit à facundia,
 Quantum ille potuit cogitare commodè,
 15 Qui orationem hanc scripsit, quam dicturus sum.
 Nam quod rumores distulerunt malevoli,
 Multas contaminasse Græcas, dum facit
 Pauca Latinas: factum hic esse id non negat,
 Neque se id pigere, & deinde facturum autumat.
 20 Habet bonorum exemplum: quo exemplo sibi
 Licere id facere, quod illi fecerunt, putat.
 Tum quod malevolus vetus poeta dicitur,
 Repente ad studium hunc se applicasse musicum,
 Amicum ingenio fretum, haud natura sua:
 25 Arbitrium vestrum, vestra existimatio
 Valebit. Quam ob rem omnes vos oratos volo,
 Ne plus iniquum possit quam æquum oratio.
 Facite, æqui sitis: date crescendi copiam
 Novarum qui spectandi faciunt copiam
 30 Sine vitiis: ne ille pro se dictum existimet.

INTERPRETATIO.

Sed hic Actor (ego nempe qui ago, recito hanc Comœdiam) tantum ex ornatuloquendi, & suavitate pronuntian- di consequetur; quantum Poëta valuit apud inveniit (id est Actor studebit pronuntiatione & suâ vobis placere, si ut Poëta sua commoda inventionem, & artificio Argumenti) qui composuit hanc orationem quam sum pronuntiaturus. Nam quod invidi divulgaverunt sermones, ipsum Poëtam Terentium maculasse, & corripisse multas Comœdias Græcas, quando fecit pauca Latinas: hic non inspicitur à se factum esse, ut ex multis Græcis, pauca componerentur Latina, seque non pœnitere affirmat, & se deinde itidem facturum opinatur: habet enim autores bonos, Nævium, Plantum, & ceteros Poëtas Comicos. Quâ imitatione putat sibi licere idem facere, quod

illi fecerunt. Tum deinde quantum ad id pertinet quod vultus Poëta ille L. Lavinius malignus suis detractionibus jacitavit, Terentium animum appulisse subito ad studium Musarum & ad scribendas Comœdias, confisum potius ingenio, & industria suorum familiarium Scipionis, & Lelij, quam suâ naturâ, & arte; in hoc vestrum iudicium & vestra sententia pondus, & auctoritatem habebit. Quapropter oro vos omnes ne sermo iniquorum plus valeat, quam sermo bonorum, & iustorum. Curate, ut ex æquitate vestra hanc rem arbitremini. Facite potestatem ut augetur, & incrementum capiat eorum fama & favor, qui dant copiam & facultatem spectandi novas fabulas Comici, nullis erroribus & vitiis inquinatas. Ne Lavinius putet hac dici sui causâ,

ANNOTATIONES.

13. Sed hic actor tantum poterit à facundia.] Commendatio est sumpta à personis Actoris, & Poëta: & hic esse sensus videtur, Quamvis Poëta inventio in hac Comœdia sit admodum artificiosa;

& oratio commodè excogitata, ut nihil aptius & facundius esse possit; Actor tamen ita eleganter eam pronuntiatione, voce & gestu corporis exprimet, ut eam gratam, & insignem magis efficiat.

- Qui nuper fecit servo currenti in via
 Decesse populum: cur insano serviat?
 De illius peccatis plura dicet, cum dabit
 Alias novas, nisi finem maledictis facit.
 35 Adeste æquo animo: date potestatem mihi,
 Statariam agere ut liceat per silentium:
 Ne semper servos currens, iratus senex,
 Edax parasitus, Lycophanta autem impudens,
 Avarus leno, assidue agendi sint mihi
 40 Clamore summo, cum labore maximo.
 Mea causa, causam hanc justam esse, animum inducite,
 Ut aliqua pars laboris minuatur mihi.
 Nam nunc novas qui scribunt, nihil parcunt seni:
 Si qua laboriosa est, ad me curritur:
 45 Sin levis est, ad alium mox defertur gregem.

INTERPRETATIO.

cum non ita multo antehac fecit in suo poemate, ut populus decederet, & locum daret servo fatuo discurrenti per plateam contra decorum. Quasi vero populus obsequi & cedere debeat mancipio dementi? De Lavinij erroribus Poëta pluribus ager, quando edet alias novas fabulas, nisi finem imponit detractionibus, & dictis contumeliosis. Attenti estote & favete mente placidâ & quietâ. Concedite ut usque ad exitum, cum silentio vestro possim recitare hanc Comœdiam statariam, qua motus non habet, neque turbas: ne semper servus festinans, senex ira motus, parasitus vorax, calumniator impudens, leno pecunia avidus mihi, qui senex sum, & quietem quæro, assidue sint represen-

tandi cum vociferatione magnâ, & de- fatigatione. O vos spectatores! mei causâ, credite justam esse causam, cur petam, ut vos cum silentio attentis sitis, & ut in agendo aliqua parte laboris sublever; ne mihi semper exhibendi sint, vel servus currens, vel senex iratus, vel parasitus edax, vel calumniator impudens, vel leno avarus. Nam Poëta qui novas Comœdias nunc faciunt, nullam mihi servi, veteris Actoris rationem habent, & difficili- ores ut agam Comœdias mihi mandant. Si qua Comœdia huiusmodi est, ut in ea recitanda multum laboris exigatur, ad me venit, ut eam agam: sin facilis est actus, si non motoria est, sed stataria, alijs Actoribus mandatur agenda. In hac stataria Comœdia sermo est nitidus, & purus.

ANNOTATIONES.

31. Qui nuper fecit servo currenti.] Lavinium perstringit qui in quadam Comœdiâ servum furentem, & discurrentem per vicos expresserat, & populum illius imperui cedentem: quod contra decorum est, disconveniens Comœdiæ, & nimis Tragicum, furentes in scenam Comicam inducere.

36. Statariam agere.] Romana Comœdia etiam dividitur in statariam, motoriam, & mixtam; in primâ res sunt

quietiores; in alterâ magis turbulenta; in tertiâ utrumque concurren- tia est Amphitryo Plauti; stataria ejusdem Cistellaria; mixta Eunuchus Terentij. Hanc Comœdiam Poëta ait esse statariam.

41. Mea causa.] Actor postulat, ut ejus opera inferriat potius agendis Comœdis statariis, quam motoris, cum Actor ipse sit senex, cui parci debeat.

In hac est pura oratio, experimini,
 In utranque partem ingenium quid possit meum.
 Si nunquam avare pretium statui arti meæ,
 Et cum esse quæstum in animum induxi maximum,
 45 Quam maxime servire vestris commodis;
 Exemplum statuite in me, ut adolescentuli
 Vobis placere studeant potius, quam sibi.

I N T E R P R E T A T I O.

Periculum facite, tam in Comædiis lenibus, quam laboriosis; tam in statariis, quam motoris, quæ sint ingenij mei vires in utrisque recitandis. Si quidem nunquam caro pretio artem meam æstimavi, & mihi putavi hoc lucrum ingens esse vestris commodis infer-

vire & prospicere; exemplum in me proponite, & ita mihi favete, ut juvenes actores prodituri vobis potius, quam sibi oblectationem asserre contentur, & potius gratia vestra demerenda, quam quæstus sui causa artem comicam exercent.

A C T U S P R I M I S C E N A I.

C H R E M E S. M E N E D E M V S.

CH. QUANQUAM hæc inter nos nupera notitia admodum est,
 Inde adeo quod agrum in proximo hic mercatus es,
 Nec rei fere sane amplius quidquam fuit;
 Tamen vel virtus tua me, vel vicinitas,
 5 Quod ego in propinqua parte amicitiae puto,
 Facit, ut te audacter moneam, & familiariter,
 Quod mihi videre præter ætatem tuam
 Facere, & præterquam res te adhortatur tua.
 Nam pro Deum atque hominum fidem! quid vis tibi?
 10 Quid quæris? annos sexaginta natus es,
 Aut plus eo, ut conjicio: agrum in his regionibus
 Meliorem, neque pretij majoris nemo habet.

I N T E R P R E T A T I O.

CH. QUANQUAM hæc notitia admodum nova inter nos est; inde nata, quod pradium in hac vicinia emisti: nec ulla certe prior causa alia est ejus notitia: ceterum vel virtus tua, vel vicinitas, quod non in extremâ parte amicitiae pono, me inducit, ut te familiariter & liberè moneam, te mihi videri contra senilem tuam ætatem gerere, & præterquam utilitas tua suadet. Nam proborum atque hominum fidem! quid vis, aut quid petis? explevisi annum sexagesimum, aut eum excedis, ut coniecto: nemo possidet agrum fertiliorum, neque pluris æstimatum in consinibus, quam tu habes.

Servos

Servos complures. Proinde quasi nemo fiet,
 Ita tute attente illorum officia fungere.
 15 Nunquam tam mane egredior, neque tam vespere
 Domum revortor, quin te in fundo conspicer
 Fodere, aut arare, aut aliquid ferre: denique
 Nullum remittis tempus, neque te respicis.
 Hæc non voluptati tibi esse, satis certò scio.
 20 At enim me, quantum hic operis fiat, pœnitet.
 Quod in opere faciundo operæ consumis tuæ,
 Si sumas in illis exercendis, plus agas.
 M E. Chreme, tantumne ab re tua est otij tibi,
 Aliena ut cures, eaque nihil quæ ad te attinent?
 25 C H. Homo sum: humani nihil à me alienum puto.
 Vel me monere hoc, vel percontari puta;
 Rectum est, ego ut faciam; non, ut deterream.
 M E. Mihi sic est usus: tibi ut opus est factò, face.
 C H. An cuiquam est usus homini, se ut cruciet? M E. Mihi.
 30 C H. Si quid laboris est, nollem: sed istud quid mali est?
 Quæso, quid de te tantum meruisti? M E. heu, hoi.
 C H. Ne lacryma, atque istuc, quicquid est, fac me ut sciam.
 Ne retice, ne verere, crede, inquam, mihi:

I N T E R P R E T A T I O.

tamen tu ipse illorum officia facis; animo tam attento, quasi nullos habeas. Nunquam tam mane exeo, neque redeo domum tam serò, ut non videam te palà, aut alio ferramento terram eruere in agro tuo, aut arando laborare, aut aliquid onus gerere; denique nullum relaxas tempus, quin semper te fatiges, nec tua parvis valetudini. Pro certo compertum habeo hæc ad delectationem tuam non fieri. At enim dices; tædet me operis, quod sit hic à servis meis, qui nimis cessare solent; idèò operi manum libet ad-movere: at si sumas id laboris, quod perdis operando in agro, in illis incitandis ad opus faciendum; magis utilitati tua prospicias. M E. O Chreme! tantumne tibi vacat à tuis negotiis, ut de alienis sollicitus sis; & præsertim de his quæ nihil ad te spectant? C H. Ego

me hominem esse cognosco; nihil quod ad hominem pertinet, ad me non pertinere arbitror. Vel monendi causâ, vel inquirendi, me hac tibi dicere puta: inquirendi causa, ut si hoc quod facis, rectum est, ego quoque sic faciam; monendi causâ, ut si rectum non est, id facere tibi dissuadeam. M E. Virile est mihi sic facere: tu facio ut tibi opus esse putas. C H. An utile est cuiquam homini, ut se torquant, & affligat? M E. Mihi id utile est. C H. Si quis labor esset necessarius, nollem te reprehendere; sed quod infortunium est isthuc quod pateris? obsecra, quid tam male de te meruisti, ut te tam perditè affliges? M E. Eheu me miserum! C H. Noli flere, fac ut sciam: istud quid est, noli colare, ne time, mihi fidem habe: levabo te hac molestia.

A N N O T A T I O N E S.

20. Atenim dices.] Anthypophora; responso ad ea quæ objici possent.

V

Aut consolando, aut consilio, aut re juvero.

- 35 *ME.* Scire hoc vis? *CH.* hac causa equidem, qua dixi tibi,
ME. Dicitur. *CH.* at istos rastros interea tamen
Depone, ne labora. *ME.* minime. *CH.* quam rem agis?
ME. Sine me, vacivom tempus ne quod diu mihi
Laboris. *CH.* non sinam, inquam. *ME.* ah, non æquom facis:
40 *CH.* Hui, tam graveis hos, quæso? *ME.* Sic meritum est
meum.

CH. Nunc loquere. *ME.* Filium unicum adolescentulum
Habeo. ah! quid dixi habere me? imo habui, Chreme:
Nunc habeam, nec ne, incertum est. *CH.* Quid ita istuc?
ME. scies.

Est è Corintho hîc advena anus pauperula.

- 45 Ejus filiam ille amare cœpit perditæ,
Prope jam ut pro uxore haberet. hæc clam me omnia.
Ubi rem rescivi, cœpi non humanitus,
Neque ut ægotum animum decuit adolescentuli,
Tractare; sed vi & via pervolgata patrum.
50 Quotidie accusabam: hem! tibine hæc diutius
Licere speras facere, me vivo patre,
Amicam ut habeas prope jam in uxoris loco?
Erras, si id credis, & me ignoras, Clinia.
Ego te meum esse dici tantisper volo,
55 Dum, quod te dignum est, facies: sed si id non facis,

INTERPRETATIO.

aut consolationem dando, aut consu-
lendo, aut re ipsa tibi operam navando.
ME. Vis scire quid hoc est? *CH.* Ita
certe volo, propter hanc causam, quam
tibi dixi, videlicet ut te juvem. *ME.*
Dicitur tibi. *CH.* At interim, dum
dices, depone istos rastros. *ME.* Mini-
me sum depositurus. *CH.* Ne laborare
pergas, quid agis te ita macerando?
ME. Patere me laborare, ut nullo non
tempore, labore me exerceam. *CH.* Non
patiar, inquam. *ME.* Ah! inique agis,
qui mihi laboranti impedimento sis.
CH. Hui! obsecro, tam ponderosos portas
hos rastros? *ME.* Pœna, quâ dignus
sum, sic postulat. *CH.* Nunc explica
causam, cur te crucias. *ME.* Est mihi
filius unicus adolescentulus. Ah! quid
dixi, mihi esse; ô Chreme? sed fuit mihi
antehac: nunc utrum sit, necne, du-
bium est. *CH.* Cur istud, ita est, ut

nunc non habeas filium? *ME.* Au-
dies. *CH.* Vetula egena, peregrina ex Corin-
tho urbe Achaia, habitat in hoc oppido.
Ille filius meus captus est amore nimis
vehementi filia hujus vetula, adiu-
t ut fere jam haberet eam pro uxore.
Fecit hæc omnia, me nesciente. Vbi il-
lud cognovi, repente, cœpi tractare ani-
mum filij mei agrum amore, in-
humane & inclementer, neque ut
dehinc; sed objurgabam eum quoti-
die violenter & more communi pa-
trum. Hem! dicebam; an credis tibi
permitteri hujusmodi, qua facis, longini
tempore facere, me vivente, videlicet
ut habeas amicam vice uxoris? Falli-
ris opinione tua, si putas tibi hæc
me licere, nec meam nosti voluntatem.
Clinia. Ego volo te nominari filium
meum, interea dum facies officium, quod
te decet: at si talem non te præstas,

- Ego, quod me in te sit facere dignum, invenero.
Nulla adeo ex re istuc fit, nisi ex nimio otio.
Ego istuc ætatis non amori operam dabam,
Sed in Asiam abii hinc propter pauperiem, atque ibi
60 Simul rem & gloriam armis belli repperi.
Postremò adeo res rediit: adolescentulus
Sæpe eadem, & graviter audiendo victus est:
Ætate me putavit & sapientia
Plus scire, & providere, quam se ipsum sibi.
65 In Asiam ad regem militatum abiit, Chreme.
CH. Quid ais? *ME.* clam me profectus, menses treis abest.
CH. Ambo accusandi: etsi illud inceptum tamen
Animi est prudentis signum, & non instrenui.
ME. Ubi comperi ex iis, qui ei fuere conscii,
70 Domum revortor mœstus, atque animo fere
Perturbato, atque incerto præ ægritudine;
Adfido: accurrunt servi: soccos detrahunt:
Video alios festinare, lectos sternere,
Cœnam apparare: pro se quisque sedulo
75 Faciebant, quo illam mihi lenirent miseriam.
Ubi video hæc, cœpi cogitare; hem! tot mœi

INTERPRETATIO.

ego excogitabo id, quod honestum, &
æquum est me agere contra te. Certe
istud, quod facis, ex nulla causa nascitur,
præterquam ex desidia, & nimia cessa-
tione. Ego cum essem eâ ætate, qua tu
ex patria in Asiam, quia pauper eram,
atque ibi mihi acquisivi armis pariter
divitias & laudem. Tandem res eò pla-
nè deducta est; adolescentulus defatiga-
tus fuit assiduas objurgationes audiendo,
& eadem verba gravia & probra. Exi-
stimavit me ea quæ decent intelligere
melius, & certius consulere, quæ è re
suâ essent, quam is ipse, propter æta-
tem meam. Profectus est in Asiam ad
Regem Persarum, ut ei militaret. *CH.*
Quid ais? *ME.* Abiit, me inscio; ab-
sens est jam per tres menses. *CH.*
Ambo estis culpandi: quamvis hoc filij
tui propositum animi verecundi est indi-
cium, uno fortis & strenui. *ME.* Post-
quam cognovi ex sodalibus eum disces-
sisse, qui id sciebant; domum redeo tri-
stis, atque animo penitus commoto, &
perplexo præ animi dolore: sedeo: ser-
vi celeriter ad me accedunt: educunt
pedibus calceamenta. Video alios pro-
perare, parare lectulos discubitorios,
cœnam curare: quisque pro virili
sua parte efficiebat diligenter, ut mihi
mitigarent hanc tristitiam. Postquam
vidi, quæ servi faciebant, considera-
re cœpi; hem! tot servi sunt anxij mœi

ANNOTATIONES.

66. *Quid ais.*] Admirantis potius, quam interrogantis.
72. *Soccos.*] Socci sunt calceamenta humilia, quibus maxime utebantur Co-
mædi; sicut Cothurni proprij Tragoedorum, altiores soccis.

- Solius solliciti sunt causâ, ut me unum expleant?
Ancillæ tot me vestiant? sumptus domi
Tantos ego solus faciam? sed gnatum unicum,
80 Quem pariter uti his decuit; aut etiam amplius,
Quod illa ætas magis ad hæc utenda idonea est,
Ego eum hinc ejeci miserum injustitia mea.
Malo quidem me dignum quovis deputem,
Si id faciam; nam usque dum ille vitam illam colet
85 Inopem, carens patria ob meas injurias,
Interea usque illi de me supplicium dabo,
Laborans, querens, parcens, illi serviens.
Ita facio prorsus, nihil relinquo in ædibus,
Nec vas, nec vestimentum: conrasi omnia.
90 Ancillas, servos, nisi eos, qui opere rustico
Faciundo facile victum exercerent suum,
Omnes produxi ac vendidi: inscripsi illico
Ædeis: mercedem quasi talenta ad quindecim
Coëgi: agrum hunc mercatus sum: hinc me exerceo.
95 Decrevi, tantisper me minus injuriæ,
Chreme, meo gnato facere, dum fiam miser;

INTERPRETATIO.

Solius gratiâ, ut mihi soli satisficiant, & morem gerant. An æquum est, ut tot ancilla vestibus me induant? ut ego tantas impensas solus domi faciam? ego, inquam, qui expuli meis ædibus unicum filium Cliniam, misere afflictum injuriâ, quem conveniebat uti æqualiter his sumptibus & servis, aut etiam magis; quod ætas juvenilis ad utendum his est aptior. Certe existimem me quavis poena dignum esse, si his bonis solus utar; nam quandiu filius deget vitam illam arummosam, exul à patria propter meas contumelias; interea tandiu dabo illi assidue pœnas, conficiens me arum-

nis, acquirens laboriose, parcens vita & genio, serviens illi in colendo agro. Facio omnino ut deliberavi. Nihil domi mea reliqui, vas nec vestimentum: omnem collegi suppellectilem; venales proposui, ac vendidi omnes ancillas, servos, præter eos qui bene collocarent operam, & demererentur impensas suas in rure exercendo: proscripsi protinus domum venalem pretio, apponens inscriptionem ad fores; comparavi prope quindecim talenta: hunc emi fundum: fatigo me in hoc agro. O Chreme! judicavi me minus iniquum esse, & injuriam in filium, interea dum in miseria versabor;

ANNOTATIONES.

93. Quindecim Talenta coëgi.] Talentum apud Athenienses erat pecuniæ summa, valens sexcentis Coronatis Gallicis; eratque duplex, minus, & majus. De minore Talento Attico, quod sexaginta minas continebat, hic agitur. Majus continebat 80. minas. Coëgi, id

est in unum redegi: inde coactiones argentariæ sunt collectiones pecuniarum, & Coactores, des Receveurs particuliers. Quindecim Talenta conficiunt summam novem millium Coronatorum Gallicorum.

- Nec mihi fas esse ulla me voluptate hinc frui,
Nisi ubi ille huc salvos redierit meus particeps.
C H. Ingenio te esse in liberos leni puto, &
100 illum obsequentem, si quis recte aut commode
Traçtaret. Verum neque tu illum sati noveras,
Nec te ille, hoc ubi fit, ibi non vere vivitur.
Tu illum, nunquam ostendisti, quanti penderes,
Nec tibi ille est credere ausus quæ est æquom patri.
105 Quod si esset factum, hæc nunquam evenissent tibi.
M E. Ita res est, fateor: peccatum à me maximum est.
C H. Menedeme, at porro recte spero; & illum tibi
Salvum affuturum esse hinc confido propediem.
M E. Utinam ita Dij faxint. C H. facient. nunc, si commo-
dum est,
110 Dionysia hinc sunt: hodie apud me sis volo.
M E. Non possum. C R. cur non? quæso tandem aliquantulum
Tibi parce. idem absens facere te hoc volt filius.
M E. Non convenit, qui illum ad laborem impulerim,
Nunc me ipsum fugere. C H. siccine est sententia?

INTERPRETATIO.

nec mihi licere hinc aliquam voluptatem capere, nisi postquam filius meus, heres, & honorum particeps huc reversus fuerit incolamis. C H. Puto te esse natura miti in liberos, & filium esse obsequentem, si quis cum eo ageret leniter & convenienter; sed tu nec satis exploraveras ejus ingenium, nec ille tuum perspexerat. Non vivitur ibi recte & quiete, ubi mores invicem ignoti sunt. Tu nunquam indicasti, quanti eum estimares, & ille veritus est tibi committere consilia; quæ æquum est patri communicare filium: quod si factum esset, hæc molestia nunquam tibi contigisset.

M E. Eo modo, quod dicis, res se habet; confiteor; gravissimè erravi. C H. At, o Menedeme! certè spero & credo illum brevi salvum, & bene valentem ad te venturum. M E. Utinam ita Dij faxiant. C H. Efficient, ut filium recuperes. Nunc, si tibi est opportunum & gratum, volo venias hodie apud me: Bacchanalia hinc celebrantur. M E. Non possum. C H. Cur non? Aliquantulum, quæso, tuos remitte labores. Clinia filius tuus etiam absens idem precatur. M E. Non decet nunc me cessare à labore, qui illum laborare coëgerim. C H R. Itane decrevisti?

ANNOTATIONES.

98. Meus particeps.] Id est hæres meus. Justinianus Imperator in Institutionibus juris lib. 2. tit. 19. sic ait: Sed sui quidem hæredes appellantur; quia domestici hæredes sunt, & vivo quoque patre quodammodo domini existimantur. Unde passim servi in Comœdiis filios dominorum heros minores vocant, &

servus Abraham Isaacum dominum suum appellat, cap. 24. Genes. vers. 65. 110. Dionysia hic sunt.] Ludi sunt, festi dies in honorem Dionysij, id est Bacchi Latinis, qui & Liber dicitur, unde Bacchanalia, Liberalia: Græcis sunt Dionysia.

115 ME. Sic. CH. bene vale. ME. & tu. CH. lacrimas excussit mihi,
Miseretque me ejus: sed, ut diei tempus est,
Monere oportet me hunc vicinum Phanium,
Ad cœnam ut veniat. ibo. visam si domi est,
Nil opus fuit monitore, jamdudum domi,
120 Præsto apud me esse ajunt: egomet convivas moror.
Ibo adeo hinc intro. sed quid crepuerunt fores?
Hinc à me quisnam egreditur? huc concessero.

INTERPRETATIO.

ME. Ita. CH. Sis valens & sanus.	cœnam vocatore. Dicunt eum adesse
ME. Tu quoque, Chreme. CH. Melan-	jam dudum domi apud me. Egomet in
erimari cœgit, & ejus valde misereor,	mora sum convivis iis, qui ad cœnam
verum dum adhuc aliquid diu superest,	vocati sunt. Ibo hinc intro domum: sed
oportet me admonere hunc vicinum Pha-	quid janua, & à quo aperiente stridit
niam, ut veniat ad cœnam. Ibo vi-	quis exit à domo mea? Huc intro me
sum, si est domi. Nihil opus fuit ad	conferam.

ACTUS I. SCENA II.

CLITIPHO. CHREMES.

CL. Nihil adhuc est, quod vereare, Clinia: haudquaquam etiam cessant:
Et illam simul cum nuntio tibi hic affuturam
Hodie scio. proin' tu sollicitudinem istam falsam, quæ te
Excruciat, mittas. CH. quicum loquitur filius? CL. Pater adest,
5 Quem volui. adibo. Pater, opportunè advenis.
CH. Quid id est? CL. hunc Menedemum nosti ne nostrum
vicinum? CH. probe.

INTERPRETATIO.

CL. O Clinia, nihil est propter quod	falsè conceptam, quæ angit animum
timeas Antiphilam non ventu-	rum. CH. Quem alloquitur filius?
ram. Nondum etiam illa, & Dromo	CL. Pater advenit, quem desideravi.
servus, qui ad eam accersendam missus	Ad eum ibo. O Pater, accedis tempestive,
est, nimium diu morantur: & scio il-	CH. Quid illud est, propter quod tempe-
lam hodie affuturam hic unà cum nun-	stive accedo? CL. Nosti ne hunc Menede-
tio Dromone: ideo depelle hanc curam	num vicini nostrum? CH. Recte novi enim.

ANNOTATIONES.

i. Nihil adhuc est quod vereare, Clinia.] inter se locuti adolescentes Clinia, & Hoc principium indicat, de qua re sint Clitipho.

CL. Huic filium scis esse? CH. audivi esse in Asia. CL. non est, pater. apud
Nos est. CH. quid ais? CL. advenientem, è navi egredientem adduxi illico
Ad cœnam: nam mihi magna cum eo jam inde usque à pueritia
10 Semper fuit familiaritas. CH. voluptatem magnam nuntias.
Quàm vellem Menedemum invitatum, ut nobiscum hodie esset amplius,
Ut hanc lætitiā nec opinanti primus objicerem domi.
Atque etiam nunc tempus est. CL. Cave faxis: non opus est, pater.
CH. Quapropter? CL. quia enim incertum est etiam, quid se faciat: modo venit:
15 Timet omnia: patris iram, & animum amicæ se erga ut sit suæ.
Eam misere amat. propter eam hæc turba atque abitio evenit.
CH. scio.
CL. Nunc servolum ad eam in urbem misit, & ego nostrum unà Syrum.
CH. Quid narrat? CL. quid ille? se miserum esse. CH. miserum? quem minù' credere est?
Quid reliqui est, quin habeat, quæ quidem in homine dicuntur bona,
20 Parenteis, patriam incolumem, amicos, genus, cognatos, divitias?
Atque hæc perinde sunt, ut illius animus, qui ea possidet:

INTERPRETATIO.

CL. Scis eum habere filium? CH.	tris: & dubitat quo animo amica sua
Audivi eum esse in Asia. CL. O Pa-	ter, non est in Asia, in adibus no-
stris est. CH. Quid dicis? CL. Con-	ter. Hæc discordia inter eum & Pa-
tinuè eum ad cœnam duxi exessem è	træ, & profectio in Asiam contigit
navi: nam mihi magna semper fuit	ejus causâ. CH. Hæc omnia mihi nota
eum eo amicitia à tenera usque state.	sunt. CL. Iussit servum Dromonem
CH. Affers mihi nuntium latum.	eam quasitum ire, & ego servum no-
Quàm vellem Menedemum, quem in-	strum Syrum simul misit. CH. Quid
vitaveram hodie, nobiscum epulari,	novi refert? CL. Quævis quid dicit?
præter alios convivas, ut insperatum	ait se esse infortunatum? CH. Quem
hoc gaudium primus ei offerrem. Ad-	minus credendum est esse, quàm ille est?
huc satis tempestivum est eum invitare.	Quid deest, quòd non habeat ea, qua
CL. O Pater! vide ne id facias: non	certe à vulgò censentur esse bona in homi-
convenit eum hic esse. CH. Quare?	ne? Habet patrem & matrem, pa-
CL. Quia dubium est adhuc quid	triam salvam, amicos, natalium claritu-
Clinia intendat facere de se. Modò ad-	dinem, propinquos, opes, & divitias:
venit: timet omnia: indignationem pa-	atque hæc omnia talia sunt, qualis ani-
	mus ejus, qui ea tenet: atque utilis ei.

Qui uti scit, ei bona; illi, qui non utitur recte, mala.

CL. Imo ille senex fuit importunus semper; & nunc nihil magis Vereor, quam ne quid in illum iratus plus satis faxit pater.

25 CH. Illene: sed reprimam me: nam, in metu esse hunc, illi est utile;

CL. Quid tute tecum? CH. dicā. ut ut erat, mansum tamen oportuit.

Fortasse aliquanto iniquior erat præter ejus lubidinem;

Pateretur, nam quem ferret, si parentem non ferret suum?

Hunc cene erat æquom ex illius more, an illum ex hujus vivere? &

30 Quod illum insinulat durum, id non est: nam parentum injuriæ

Uniusmodi sunt ferme, paulo qui est homo tolerabilis.

Scortari crebro nolunt; nolunt crebro convivariæ;

Præbent exigue sumptum; & ea sunt tamen ad virtutem omnia,

Verum ubi animus semel se cupiditate devinxit mala,

INTERPRETATIO.

qui scit illis frui, ut decet; illi verò qui his abutitur, nocua sunt, & mala verè tunc dicantur. CL. Sed ille senex Menedemus fuit semper acerbus, & molestus; & nunc nihil magis timo, quam ne ille plus a quo succensens, aliquid faciat adversus filium. CH. Illene Menedemus? sed linguam cohibeo, neque dicam quod sentio, patrem nempe posthac facturum, quodcumque libuerit filio. Certe utile est Clitiphoni, hunc Cliniam revereri patrem, & permanere in timore. CL. Quid dicis apud te? CH. Dicam: utcumque res erat, oportebat filium domi manere, nec patrem deserere. Fortasse pater erat aliquando severior contra effrenam filij voluptatem: at ille pati debebat: quem enim alium

toleraret, si patrem suum non pateretur? Verum rationi consentaneum erat, hunc patrem vivere ex arbitrio filij, an hunc filium ex voluntate patris? & quod Clinia accusat patrem Menedemum, ut asperum & morosum; id non est verum, nam parentum facta aspera & iniuria in filios, sunt unius ferè generis, nec dissimilia: verum inter illos qui æquiores sunt, & qui facilius tolerari possunt; filios quidem permittunt scorta visere, & convivia inire; sed non sapius & frequenter fieri ea permittunt: parce impensus suppeditant, & tamen omnia qua faciunt, virtutis causâ faciunt: nam postquam animus humanus irretitus est voluptatibus obscænis,

ANNOTATIONES.

22. Qui uti scit ei bona.] De bonis externis loquitur, sive bonis fortunæ, quæ sunt nobilitas; bona fama; honor; divitiæ, *πολυφιλία καὶ χρησφιλία*, amicitia cum multis, bonisque; *πολυτεχνία καὶ εὐτεχνία*, liberorum multitudo & bonitas. Quæ dicuntur *ἀδιάφορα*, indifferentia, neque bona, neque mala; sed sunt bona bene his utenti; mala male utenti.

25. Sed reprimam me.] Hæc submissa voce Chremes protulit, ne audiret filius.

30. Parentum injuriæ uniusmodi sunt.] Id sibi vult, patres duos inter se omnes similes esse; asperè exercere imperium in liberos, atque omnia animi laxamen-

ta prohibere. At pater qui paulò æquior, & tolerabilior est, aliqua sane patitur, sed non crebrò fieri. Commentator Horatij Satyra 2. lib. 1. refert Catonem Censorium, cum vidisset hominem honestum ex fornice exeuntem, laudasse, cum existimaret libidinem, sine crimine compescendam esse: at, postea cum frequentius eum ex eodem lupanari exeuntem advertisset; Adolescens, inquit, ego te laudavi, quòd interdum huc venires, non quòd hic habitares. Inter Ethnicos sapientissimi non putabant peccare, qui fœminis ad hoc venalibus uterentur, ut apparet ex 15. cap. Actuum Apostolorum: sed eodem capite omnis fornicatio prohibetur.

35 Necessè

35 Necessè est, Clitipho, consilia consequi consimilia. hoc

Scitum est, *periculum ex aliis facere, tibi quod ex usu fiet.*

CL. Ita credo. CH. ego ibo hinc intro, ut videam, nobis quid cœnæ fiet.

Tu, ut tempus est dici, vide sis, ne quò hinc abeas longius.

INTERPRETATIO.

necessè est, ô Clitipho, ut similia consilia inveniatur, & locum habeant. Hoc est enim verò prudenter factum, ex aliorum eventu sumere consilium; aliorum exemplis erudiri sapientissimum est, & utilissimum. CL. Existimo esse ita ut dicas. CH. Ego ibo intro domum, ut sciam quid ad cœnam paratum sit. Tu, Clitipho, dum adhuc dies est, noli discedere hinc longius.

ACTUS SECUNDI SCENA I.

CLITIPHO.

QUAM iniqui sunt patres in omneis adolescentis iudices!

Qui æquom esse censent, nos jam à pueris illico nasci senes;

Neque illarum affines rerum esse, quas fert adolescentia.

Ex sua libidine moderantur, nunc quæ est, non quæ olim fuit.

5 Mihi si unquam filius erit, næ ille facili me utetur patre.

Nam & cognoscendi, & ignoscendi dabitur peccati locus:

Non ut meus, qui mihi per alium ostendit suam sententiam.

Perij. is mihi, ubi adhibet plus paulo, sua quæ narrat facinora!

Nunc ait, periculum ex aliis facito, tibi quod ex usu fiet.

10 Astutus! næ ille haud scit, quam mihi nunc surdo narret fabulam.

Magis nunc me amicæ dicta stimulant: da mihi, atque affer mihi.

Cui quid respondeam, nil habeo: neque me quisquam est inferior.

Nam Clinia hic, etsi is quoque suarum rerum satagit, attamen

INTERPRETATIO.

CL. Quam patres sunt acervi & importuni censes in omnes juvenes, & arbitrantur esse justum nos nasci sapientes, mores seniles habentes statim à pueritiâ, neque nos esse participes harum rerum, quæ juvenilis aetas affert. Hi ex sua cupiditate quæ nunc est, non quæ olim fuit, cum adolescenter erant, modum nobis imponunt atque imperant. Si unquam filius mihi natus fuerit, certe is me patrem experietur mitem & benignum; nam facultas dabitur mihi cognoscendi peccata ejus, & ignoscendi ei. Non faciam sicut pater meus, qui mihi d. clarat, quod sensit per alterius exemplum. Perdutus sum praenimia ejus importunitate. Is postquam bibit paulò largius, quæ facta sua commemorat mihi! Nunc dicit, delige tibi exempla ex aliorum eventis, quæ tibi sunt utilia: cautus scilicet. Certe ille non intelligit quàm ad ejus sermonem surdus sim, quasi fabulam narret. Verba Bacchidis amica me magis instigant: da mihi munus hoc, atque affer aliquid novi. Atque ad hæc nescio quid respondere debeam. neque quisquam est infelicior me. Nam hic Clinia est etiam anxius est, & sollicitus de rebus suis: attamen

Habet bene ac pudice eductam, ignaram artis meretriciæ.

- 15 Mea est potens, procax, magnifica, sumptuosa, nobilis:
Tum, quod dem ei, recte est: nam nihil esse mihi, religio est dicere.
Hoc ego mali non pridem inveni: neque etiam dum scit pater.

INTERPRETATIO.

possidet amicam honestè & castè educatam. nesciam astutiarum meretricum. Mea est opulenta, petrus assidue, petulans, magnificè se gerens in omnibus, sumptus avida, spectata, & insignis. Præterea unde ei munera faciam mihi non li-

quet. Nam religioso metu impediatur dicere, me nihil habere, quod ei dem. Non dudum nactus sum hanc Bacchidem nequitia insignem, neque adhuc pater rescivit me isto malo laborare.

ANNOTATIONES.

16. Tum quod dem ei, recte est.] Recte, pro, nihil, veteres boni omnis causâ dicebant. Idem Terentius in Eunuchis; — Rogo numquid velit. Rectè, inquit, abeo. Plautus in Mercatore, Act. 2. Scen. 3. D E. Unde incedis? quid festinas Gnate mi? C H. recte, pater. Nam nihil esse, religio est dicere.] Religio pro metu accipitur, ut testatur Servius in illud lib. 8. Æneidos: Iam tum religio pavidos terrebat agrestes Diva loci. Metus vicissim sumitur pro religione à veteribus; certe idem Virgilius 7. Æneidos de lauro dixit: — Multosque metu servata per annos. In quem locum ita Servius: metu, id est religione que nascitur per timorem, nempe juxta illud Arbitri: Primus in orbe Deos fecit timor.

ACTUS II. SCENA II.

CLINIA. CLITIPHO.

CL. SI mihi secundæ res de amore meo essent, jam dudum, scio, Venissent: sed vereor, ne mulier me absente, hinc corrupta sit, Concurrunt multæ opiniones, quæ mihi animum exangeant; Occasio, locus, ætas, mater, cujus sub imperio est, mala;

INTERPRETATIO.

CL. SI res, quæ ad amorem meum spectant, prosperè se habent, non dubito quin jam pridem Antiphila, & servi qui eam accerserunt, venissent: sed metuo ne Antiphila pecuniarum largitione expugnata alium amatorem acceperit, dum absens fui. Multa suspi-

ciones simul in mentem veniunt, quæ me inducunt ad credendum sic esse: locus in quo est, ubi prava habet exempla petulantia; oportunitas ut corrumpatur, quia formosa est, & nota, & ætas florida, quæ plerumque lubrica; mater improba, sub cujus potestate est.

ANNOTATIONES.

3. Exangeant.] Pro, exangant. Sic veteres loquebantur. Claudeo. pro, claudio: Vixeo, pro, vivo; Dicoo, pro, dico. Navius: Tibi, dum vivebo, fidelis ero. Idem: Primum quod dicebo, recte: secundum quod dicebo, eo melius.

5 Cui nihil præter pretium jam dulce est. CLI. Clinia. CL. hei misero mihi!

CLI. Etiam caves, ne videat forte hinc te à patre aliquis exiens. CL. Faciam. sed nescio quid profecto mihi animus præfagit mali.

CLI. Pergin' istuc prius dijudicare, quam scis, quid veri fiet?

CL. Si nihil mali esset, jam hic adessent. CLI. jam aderunt.

CL. quando istuc erit?

10 CLI. Non cogitas hinc longule esse? & nosti mores mulierum: Dum moliantur, dum comuntur, annus est. CL. ô Clitipho! Timeo. CLI. respira: eccum Dromonem cum Syro. una ad-

sunt tibi.

INTERPRETATIO.

enihil suavis est pecuniâ, & mercede. CLI. ô Clinia. CL. Me Miserrum! CLI. Vide ne quis ex adibus patris egrediens forte aspiciat te. CL. Cavebo; sed certe cor mihi prædivinat nescio quid infortunij. CLI. Perseverasne discernere hoc curiosius, antequam noscas quid erit? CL. Si nihil adversi esset, huc Antiphila cum servis jam venisset. CLI. Statim advenient. CL. Quando? CLI. Non consideras eam procul hinc habitare? Cognoscis consuetudinem feminarum; dum petuntur, dum ornant comas, dum formam parant vario cultu, in his faciendis annum contemunt. CL. ô Clitipho! timeo. CLI. Ad te redi, ecce Dromonem cum Syro, mox tibi præsto sunt.

ACTUS II. SCENA III.

SYRVS. DROMO. CLINIA. CLITIPHO.

ST. A In tu? DR. sic est. ST. verum interea dum sermones cadimus, Illæ sunt relicte. CLI. mulier tibi adest, audin' Clinia? CL. Ego vero audio nunc demum, & video, & valeo, Clitipho.

INTERPRETATIO.

SY. D Icisne? illas in propinquo esse? DA. Sic est ut dico, Syrus. Interea dum colloquimur, illæ mulieres, Bacchis, & Antiphila relicte sunt. CLI. Ad te appropinquat mulier, quam tantopere desideras. Audisne servos loquentes, Clinia? CL. ô Clitipho, certe, nunc tandem eos audio, & aspicio, & sanus sum, pulso timore.

ANNOTATIONES.

1. A In tu?] Exordiuntur servi, quasi plura jam inter se collocuti sint. Sermones cadimus.] A Græcis hæc phrasis sumpta est; eos enim ita dicere solitos monet Priscianus lib. 18. scilicet; κόπτεν λόγους Cadere sermones.

D. R. Minime mirum : adeo impeditæ sunt : ancillarum gregem
 5 Ducunt secum. C. L. perij , unde illi sunt ancillæ ? C. L. men-
 rogas ?
 S. Y. Non oportuit relictas : portant quid rerum. C. L. hei mihi.
 S. Y. Aurum , vestem : & vesperscit , & non noverunt viam.
 Factum à nobis stulte est , abi dum tu , Dromo , illis obviam ,
 Propera. quid istas ? C. L. væ misero mihi , quanta de spe decidi !
 10 C. L. I. Quid istuc ? quæ res te sollicitat autem ? C. L. rogitas
 quid fiet ?
 Viden tu ancillas , aurum , vestem : quam ego cum una ancillula
 Hic reliqui. unde esse censes ? C. L. vah ! nunc demum intelligo.
 Dij boni , quid turbæ est ? ædes nostræ vix capient , scio.
 Quid comedent ? quid ebibent ? quid sene erit nostro miserius ?
 15 Sed video eccos , quos volebam. C. L. ô Jupiter , ubinam est
 fides ?
 Dum ego propter te errans patria careo demens , tu interea loci
 Conlocupletasti te , Antiphila , & me in his deseruisti malis ,
 Propter quam in summa infamia sum , & meo patri minus obse-
 quens :
 Cujus nunc pudet me , & miseret , qui harum mores cantabat mihi ,
 20 Monuisse frustra : neque potuisse eum unquam me ab hac expellere.
 Quod nunc faciam tamen : tum cum gratum mihi esse potuit , nolui.

INTERPRETATIO.

DR. Non est mirum eas tandiu moratas esse ; tam sunt occupata , ducunt in comitatu suo cateruam famularum. CL. Nullus sum , unde tot ancillas Antiphila acquisiuit ? CLI. Quarisne à me unde tot illi sint ancilla ? S. Y. Non oportuit illas Bacchidem , & Antiphilam , incomitata relinquare ; tum magnam rerum copiam secum ferunt. CL. Væ mihi misero ! S. Y. Aurum , vestem , & vesperscit imminet ; iter ignorant ; & imprudenter fecimus , qui eas comitati non simus. Tu , Dromo , abi ergo celeriter obviam illis. Festina , quid cunctaris ? CL. Quam miser ego sum ! quanta spe frustratus sum ! CLI. Quid hoc rei est ? quid te sollicitum reddiit ? CL. Quaris quid sit ? Vigetne illam (Antiphilam) ancillis , auro , veste instruitam , quam ego discedens reliqui hic cum una servula ? Vnde opinaris has res istam acquisivisse ? CLI. Vah ! tandem cognosce quid te sollicitat. S. Y. Dij boni ,

qua turba mulierum ! vix poterunt recipi in nostras ades , quantum intelligo. Quid edent ? quid ebibent ? quid erit miserius nostro sene Chremete , quem tanta turba terrefaciet ? Ecce hic video adolescentes , quos quarebam. CLI. O Jupiter ! ubinam invenietur fides , & constantia ? Dum ego desipiens propter te peregrè profectus sum vagus , patria privatus , O Antiphila , tu interea loci , me absente , opulentam te fecisti , & me dereliquisti in hac miseria : tu , propter quam amisi famam , & minus obtemperans fui voluntati patris , cuius causâ , nunc pudore & miseratione vehementer commoveor : qui frequenter culpabat mihi mores harum meretricum : itane est , ut me frustra monuerit , nec potuerit unquam me abducere ab hujus Antiphila amore ? Attamen nunc ab ea me abstraham , qui tunc cum mihi patris gratiam conciliare potui , eam relinquare nolui.

Nemo est inferior me. S. Y. hic de nostris verbis errat videlicet ,
 Quæ hic sumus locuti. Clinia , aliter tuum amorem , atque est ,
 accipis.
 Nam & vita est eadem , & animus te erga idem ac fuit ,
 25 Quantum ex ipsa re conjecturam cepimus.
 C. L. Quid est , obsecro ? nam mihi nunc nihil rerum omnium est ,
 Quod malim , quàm me hoc falso suspicariet.
 S. Y. Hoc primum , ut ne quid hujus ignores : anus
 Quæ est dicta mater esse ei antehac , non fuit.
 30 Ea obiit mortem : hæc ipsa in itinere alteræ
 Dum narrat , forte audivi. C. L. quænam est altera ?
 S. Y. Mane , hoc , quod cæpi , primum enarrem , Clitipho :
 Post istuc veniam. C. L. I. propera. S. Y. jam primum omnium ,
 Ubi ventum ad ædis est , Dromo pultat fores :
 35 Anus quædam prodit , hæc ubi aperuit ostium ,
 Continuo hic se coniecit intro : ego consequor :
 Anus foribus obdit pessulum , ad lanam redit.
 Hinc sciri potuit , aut nusquam alibi , Clinia ,
 Quo studio vitam suam te absente exegerit ;
 40 Ubi de improviso est interventum mulieri.
 Nam ea res dedit tum existumandi copiam.

INTERPRETATIO.

Nemo vivit me infelicio. S. Y. Hic Clinia errat propter verba , qua hic locuti sumus. O Clinia ! de tuo aliter judicas amore , quàm æquum est : nam modus vivendi hujus puella idem est , & animus ejus idem est erga te , ac prius fuit ; quantum ex ipsa re , consuetudine scire potuimus. CLI. Quæso quid est quod dicis ? Nihil enim est ex omnibus rebus , quod mihi gratius sit quam me in falsam suspicionem venisse. S. Y. Imprimis hoc te scire velim , ne quicquam rerum Antiphila ignores : vetula illa mulier , qua ante hoc tempus credita est ejus mater , non fuit , ea vetula mortua est. Hoc inaudivi forte , dum ipsa Antiphila id retulit in via alteri femina. CLI. Quænam est hac

altera , cui dicis eam hoc narrasse ? S. Y. Desine interrogare , & sine prius recitem hoc quod cæpi dicere. Ad id quod quæris respondebo. CLI. Festina. S. Y. Iam primum omnium , postquam perventum est ad domum puella , Dromo pulsat ostium , quadam anus egreditur ; postquam hac anus reclusit fores , continuo hic Dromo intro se immisit ; ego cum ipso intro tanquam ejus comes ; Anus opponit obviam ostio , & claudit illud : revertitur ad lanificium exercendum. Ex hac re agnosci potuit , aut nunquam ex alia , quo exercitio vitam suam traduxerit , dum absens fuisti , cum ad mulierem in medio opere ejus ex insperato venimus. Nam talis inopinatus interventus dedit facultatem existumandi nobis .

ANNOTATIONES.

30. Altera dum narrat. Ullæ , nullæ , solæ , totæ , aliæ , alteræ , pro , Ulli , nulli , soli , toti , alij , alteri , in fœminino ge-
 neri apud Antiquos in usu fuisse invenimus.

- Quotidianæ vitæ consuetudinem ;
 Quæ , cuiusque ingenium ut sit , declarat maxime .
 Textentem telam studiosè ipsam offendimus ,
- 45 Mediocriter vestitam veste lugubri ,
 Ejus anvis causa , opinor , quæ erat mortua ,
 Sine auro tum ornatam , ita uti quæ ornantur sibi ;
 Nulla mala re esse expositam muliebri :
 Capillus passus , prolixus , circum caput
- 50 Reiectus negligenter . pax ! C L . Syre mi , obsecro
 Ne me in lætitiã frustra conjicias . S Y . anus
 Subtemen nebat : præterea una ancillula
 Erat : ea texebat una , pannis obrita ,
 Neglecta , immunda illuvie . C L I . si hæc sunt , Clinia ;
- 55 Vera , ita ut credo , quis te est fortunatior ?
 Scin' tu hanc , quam dicit sordidatam & sordidam ?
 Magnum hoc quoque signum est dominam esse extra noxiam ;
 Cum' ejus tam negliguntur internuntij :
 Nam disciplina est eisdem , munerarier
- 60 Ancillas primum , ad dominas qui affectant viam .
 C L . Perge , obsecro te , & cave ne falsam gratiam
 Studeas inire . quid ait , ubi me nominas ?
 S Y . Ubi dicimus rediisse te , & rogare uti
 Veniret ad te , mulier telam desinit .

I N T E R P R E T A T I O .

quam consuetudinem vitæ quotidiana habuerit . Consuetudo ostendit perspicue qualiter natura cuiusque sit . Ipsam forte reperimus telam textentem attentè , indutam mediocriter veste lugubri , propter anum , puto , quæ mortua erat , nullam auro , eo modo quo solent illa mulieres quæ ornantur , ut sibi solis placeant , non amatoribus , nullâ censurâ , nullo artificio genas fuciatam ; crinis ejus erat sparsus , longus , nullâ curâ circa caput immixtus . C L . Mi Syre , precor ne me inducas in lætitiã falsâ . S Y . Anus nebat subtemen , solum torquebat quod in tela texenda stamen intercurrit . Præter eam anum una servula texebat simul , pannosa , squalida fœdis immunditiis horrida . C L I . O Clinia , si Sy-

rus verâ narrat , ita ut credo , quis te beatior ? Scisne hanc ancillulam , de qua iste loquitur servus , ut incultâ & sordibus turpi , ingens indicium esse dominam ipsius esse sine culpâ , cum qui ei inserviunt in nuntiis ferendis ad amatores , tam negligenter se curant & parant . Nam præceptum in arte amandi hoc amatores observant , qui captant accessum ad dominas , ut ancillas primum muneribus sibi concilient . C L . Precor , persequere inceptam narrationem , & vide . ne de industria captes mendaciam benevolentiam . Quando me nominasti , quid dixit ipsa Antiphila ? S Y . Quando nunciavimus te reversum esse peregre , teque eam precari , ut ad te viseret ; illico puella abiecit telam quam

A N N O T A T I O N E S .

46. Ejus causâ anvis .] Anvis , genitivus casus , prisca usurpatus .

- 65 Continuo , & lacrimis opplet os totum sibi , ut
 Facile scires desiderio id fieri tuo .
 C L . Præ gaudio (ita me Dij ament) ubi sim nescio .
 Ita timui . C L I . at ego nihil esse sciebam , Clinia .
 Agedum vicissim , Syre , dic quæ illa est altera .
- 70 S Y . Adducimus tuam Bacchidem . C L I . hem ! quid , Bacchidem ?
 Eho , sceleste , quò illam abducis ? S Y . quò illam ego ? ad nos
 scilicet .
 C L I . Ad patremne ? S Y . ad eum ipsum . C L I . ô hominis impudentem audaciam ! S Y . heus .
 Non fit sine periculo facinus magnum & memorabile .
 C L I . Hoc vide . in mea vita tu tibi laudem is quasitum , scelus ?
- 75 Ubi si paululum modo quid te fugerit , ego perierim .
 Quid illo facias ? S Y . at enim . C L I . quid , enim ? S Y . si finas ,
 dicam . C L . sine .
 C L I . Sino . S Y . ita res est hæc nunc , quasi cum . C L I . quas , ma-
 lum ! ambages mihi
 Narrare occipit ? C L . Syre , verum hic dicit : mitte : ad rem redi .
 S Y . Enimverò reticere nequeo , multimodis injuriosus
- 80 Clitipho es , neque ferri potis es . C L . audiendum hercle est : tace .
 S Y . Vis amare : vis potiri : vis , quod des illi , effici .
 Tuum esse in potiundo periculum non vis . haud stulte sapis :
 Siquidem id sapere est , velle id , quod non potest contingere .

I N T E R P R E T A T I O .

texebat , & lacrimis totam faciem perfudit , adeo ut clare intelligeres , id fieri amore , & cupiditate tui videri . C L . Ita mihi Dij sint propitij , non sum apud me , præ nimia lætitiã ; asleo metui prius . C L I . At , ô Clinia , ego sciebam nullam esse causam , cur metueres . O Syre , agedum refer quæ est illa altera ? S Y . Adducimus tuam amicam Bacchidem . C L I . Hem ! quid ? Bacchidem adducis ? Eho , ô flagitiose ! quò ducis illam ? S Y . Quò illam ducis , rogas ? certe ad ades nostras . C L I . Virum ducis illam apud patrem ? S Y . Ad eum ipsum duco . C L I . O impudentem audaciam scelerati hominis ! S Y . Heus tu , res insignis & memoranda non sine discrimine geritur . C L I . Illud vide : tu , sceleste , studeas laudem quarere in vita mea periculo . In quâ re faciendâ si quid etiam

tantillum erraveris , de me actum erit . Quid facias illo ? S Y . At vero nullum erit periculum . C L I . Quid , verò , non erit ? S Y . Dicam , si patiaris . C L . Permite ut dicam . C L I . Permitto . S Y . Ita se res nunc habet , quasi cum . C L I . Quas , ô malam ! verborum circuitiones incipit mihi recitare ? C L . O Syre , Clitipho verum dicit ; omite ista tam longa sermonis diverticula ; revertere ad præpositum . S Y . Certe non possum continere , quin dicam quod sentio ; Clitipho est iniquus & molestus multis de causis , atque intolerabilis . C L . Mehercule oportet illum audire , Clitipho , file . S Y . Vis amator esse : vis compos esse amica : vis quari , & inveniri qua illi dones : nullum vis subire periculum , ut fruaris amica : non imptè sapis , si sapere est , velle evenire quod non potest .

Aut hæc cum illis sunt habenda, aut illa cum his amittenda sunt.

85 Harum duarum conditionum nunc utram malis, vide:
Etsi consilium, quod cepi, rectum esse & tutum scio:

Nam tua apud patrem amica tecum sine metu ut sit, copia est:
Tum, illi argentum quod pollicitus es, eadem hac inveniam via:
Quod ut efficerem, orando surdas jam aureis reddideras mihi.

90 Quid aliud tibi vis? *CL.* siquidem hoc fit. *SY.* siquidem experiundo scies.

CL. Age, age, cedo istuc tuum consilium, quid id est? *SY.* affimulabimus

Tuam amicam, hujus esse. *CL.* pulcre: cedo quid hic faciet sua?
An ea quoque hujus dicitur, si hæc una dedecori est parum?

SY. Imo ad tuam matrem abducetur. *CL.* quid eò? *SY.* longum est, Clitipho,

95 Tibi si narrem, quam ob rem id faciam: vera causa est.
CL. fabulæ:

Nihil fati firmi video, quam ob rem accipere hunc mihi expediat metum.

SY. Mane, habeo aliud, si istuc metuis, quod ambo confiteamini

Sine periculo esse. *CL.* hujusmodi, obsecro, aliquid reperi.
SY. maxime:

Ibo obviam hinc: dicam, ut revertantur domum. *CL.* Hem!

INTERPRETATIO.

aut pericula suscipienda sunt cum his commoüs; amare, potiri scilicet amica, invenire quod illi detur: aut illa commoda sunt relinquenda cum periculis. Nunc cogita & delibera utram harum conditionum præptas; aut cum amica periculum suscipere; aut eam recusare unã cum periculo; quamvis pro certo sciam, hoc consilium, quod inivi, esse id meum, & expers perculi; nam factu est facile mihi, ut Bacchis amica tua sit unã tecum in domo patris, sine timore; deinde, hac eadem ratione, pecuniam reperiam quam promisisti amica: quod ut efficerem, etiam, atque etiam, rogitando aures mihi jam obrude-vas, & obstupesceras. Quid aliud, & melius consilium tibi dari cupis? *CL.* Si quidem hoc quod dicis, efficies, res se bene habet. *SY.* Dicis, si quidem hoc efficies; & videris dubitare: videbis id fieri reipsã. *CL.* Eia, age, dic, quale est istud tuum consilium. *SY.* Fing-

mus Bacchidem esse amicam Clinia, *CL.* Belle dicis. Quid vero rei ager hic Antiphila? An ea quoque dicitur esse amica Clinia, si hæc una non satis affert ei dedecoris, & magis decet eum habere duas? *SY.* Sed ducetur Antiphila ad Sostratam matrem tuam; non hic manebit. *CL.* Quid tum, si ad Sostratam matrem ducetur? *SY.* O Clitipho, prolixior sermo est, si mihi dicendum sit tibi, cur id faciam non sine justa causa suadeo ut Antiphila deducatur ad matrem tuam. *CL.* Sunt nuga; nihil stabile satis in tuo consilio video, propter quod sit mihi utile hunc timorem subire, ut amica mea sit apud patrem. *SY.* Mane, audi quod dicturus sum, scio aliud consilium, si istud times, quod quidem ambo confiteamini expers esse periculi. *CL.* Rogo, excogita tale consilium, quale dicis. *SY.* Libertissimè: ibo obviam illis mulieribus: dicam eis ut in ades suas revertantur. *CL.* Hem!

100 Quid

100 Quid dixisti? *SY.* ademptum tibi jam faxo omnem metum,
In aurem utramvis otiose ut dormias.

CL. Quid ago nunc? *CL.* tunc? quid boni. *CL.* Syre, dic modo.
Verum. *SY.* age modo hodie: fero ac nequidquam voles.

CL. Datur modo; fruare, dum licet: nam nescias,

105 Eju' sit potestas posthac, an nunquam tibi.

CL. Syre, inquam. *SY.* perge porro, tamen istuc ago.

CL. Verum hercle istuc est, Syre, Syre, inquam; heus, heus, Syre.

SY. Concaluit: quid vis? *CL.* redi; redi. *SY.* adsum, dic quid est:

Jam hoc quoque negabis tibi placere. *CL.* imo, Syre,

110 Et me, & meum amorem, & famam permitto tibi,

Tu es iudex: ne quid accusandus sis, vide.

SY. Ridiculum est, te istuc me admonere Clitipho:

Quasi istuc minor mea res agatur, quam tua.

Hic si quid nobis forte advorsis evenerit?

115 Tibi erunt parata verba, huic homini verbera.

Quapropter hæc res ne utiquam neglecta est mihi.

Sed istum exora, ut suam esse adsimulet. *CL.* scilicet

INTERPRETATIO.

Quid dixisti? *SY.* Iam auferam omnem ex animo metum, ut tranquille absque sollicitudine somnum capias. *CL.* Quid facio nunc? *CL.* Tunc quæris quid facias? tibi aliquid boni fortuna offert, fruere eo, dum licet. *CL.* O Syre, dic nunc vere mihi, quid facere debeo. *SY.* Agendum modo, age nunc; nam hodie tarde, ac frustra voles agere, si differas. *CL.* Conceditur tibi frui amica, fruere, dum per occasionem licet; nam ignoras an posthac ejus rei tibi facultas detur. *CL.* Syre, inquam. *SY.* Perge ultra in me revocando; nihilominus mulieribus obviam eo, amicam tuam remissurus. *CL.* Per Herculem verum dicis; Syre, Syre, inquam; Heus, heus, Syre. *SY.* Ho-

minem excitavi: quid petis? *CL.* Revertere revertere. *SY.* Presto sum, dic quare me revocas. Iam statim etiam negabis hoc tibi jucundum esse, ut amica veniat, & non domum revertatur. *CL.* Quin potius, o Syre, tibi trado etiam me & meum amorem & existimationem meam; arbitrum te constituo. Cave ne in aliqua re sis reprehendendus. *SY.* O Clitipho, res digna risu est, mihi hoc præcipere quasi minus de meo periculo agatur, quam de tuo in hac re, si forte quidquam non prospere successerit: à patre verbis objurgaberis; ego verberibus cadar: idcirco hæc res, ego, quam cogito agere, nullo modo à me negligitur, sed persuade Clinia, ut fingat tuam amicam esse suam. *CL.* Profecto

ANNOTATIONES.

101. In utramvis aurem otiose ut dormias. In utramvis aurem dormire, est animo otioso, securoque esse. Eodem sensu dixit Plinius: Nihil est, quod in dextram aurem, fiducia mei dormias. Admonent medici ut in primo somno, in aurem dextram incumbamus; cum expectati redormire cupimus, ut in fini-

stram. Qui autem levi somno uti vult, in neutram incumbit aurem, quò facilius expergefiat.

106. Syre, inquam. Clitipho revocat Syrum discedentem.

108. Concaluit. Hæc Syrus clam loquitur, vel ad spectatores.

Facturum me esse, in eum jam res rediit locum,
Ut sit necesse. C L I. merito amo te, Clinia.

120 C L I. Verum illa ne quid titubet. S Y. perdocta est probe.

C L I. At hoc demiror, qui tam facile potueris
Persuadere illi, quæ solet quos spernere!

S Y. In tempore ad eam veni; quod rerum omnium est
Primum: nam quendam misere offendi ibi militem

125 Eju' noctem orantem. hæc arte tractabat virum,

Cupidum ut illius animum inopia incenderet,
Eademque ut esset apud te hoc quam gratissimum.

Sed, heus tu, vide sis ne quid imprudens ruas.

Patrem novisti ad has res quam sit perspicax;

130 Ego te autem novi, quam esse soleas impotens:

Inversa verba, everfas cervices tuas:

Gemitus, screatus, tussis, risus abstine.

C L I. Laudabis. S Y. vide sis: C L I. tutemet mirabere.

S Y. Sed quam cito sunt consecuta mulieres?

135 C L I. Ubi sunt? cur retines? S Y. jam nunc hæc non est tua.

C L I. Scio, apud patrem, at nunc interim. S Y. nihilo magis.

INTERPRETATIO.

res pervenit in eum statum, ut necesse sit
facere me, quod suadet Syrus; ut simu-
lem tuam amicam esse meam. C L I. O
Clinia! amo te, ita de me meritis es;
verum metuo ne in aliquo Bacchis hasitet
& verbis se prodar. S Y. Peritissima il-
la est talium dissimulationum. C L I. Sed
illud valde mirum est mihi, quomodo
potueris persuadere illi, tam facile ut
veniret, qua Bacchis solet despiciere qua-
les amatores? S Y. Conveni eam oppor-
tune, quod est precipuum in omnibus re-
bus; nam apud eam inveni, quendam
miserum Militem obsecrantem, ut ejus
noctua copia sibi esset. Hæc agebat cum
hoc milite astuta meretricia ita subtili-
ter, ut animum illius amore captum
& cupidine sui desiderio, cum sui co-
piam non permitteret, inflammaret, ut-
que eadem operâ maxime placeret ti-
bi, propter talem Militis repulsam.
Sed, heus tu, cave si vis, ne in ali-
quem errorem incantus incidas. Tibi ex-

ploratum est, quam pater tuus sit au-
tus in his rebus perspicendis; ego qui
que probe novi quam sis impotens affe-
ctuum tuorum moderator. Nota mihi
sunt verba tua prapostere prolata, &
ambigua: cervicis inflexio in sinistram
partem, (quod signum est amantis &
impudici stulti.) Mitte suspiria &
singultus screatus, tussim risum: C L I.
Laudabis maos gestus. S Y. Cave si vis,
C L I. Tutemet me miraberis, &
meum agendi rationem. S Y. Sed quam
velociter nos affecuta sunt mulieres!
(Ironica.) C L I. Ubi sunt? cur reti-
nes eas, neque sint nos earum presu-
pta delectari. S Y. Jam nunc hæc Bac-
chis non est amica tua; memineris ejus
rei, de qua inter nos nunc convi-
nit. C L I. Scio quod coram patre
simulandum est eam esse amicam Cli-
nia; sed interea priusquam ad patrem
eatur, sine mea ut sis. S Y. Non
plus nunc est tua, quam apud patrem.

ANNOTATIONES.

124. Miserum militem.] Delusum arte meretricia.

C L I. Sine. S Y. non finam, inquam. C L I. quæso, paulisper. S Y. veto.
C L I. Saltem salutare. S Y. abeas, si sapias. C L I. eo, quid
Istic? S Y. manebit. C L I. ô felicem hominem! S Y. ambula.

INTERPRETATIO.

C L I. Permite. S Y. Non permittam, in-
quam. C L I. Quæso, paulisper id con-
ced. S Y. Te hac re prohibeo. C L I. Sal-
tem sine ut eam salutem. S Y. Discede,
si prudens es. C L I. Discedo. Quid iste
faciet Clinia? S Y. Remanebit. C L I.
O hominem fortunatum Cliniam! quæ
maneat cum amica. S Y. Perge, quam-
vis invitus.

ACTUS II. SCENA IV.

BACCHIS. ANTIPHILA. CLINIA. SYRUS.

B A. **A** Depol, Antiphila mea, laudo te, & fortunatam judico,
Id cum studuisti, isti formæ mores ut consimiles forent:

Minimeque (ita me Dij ament) miror, si te sibi quisque ex-
petit.

Nam mihi quale ingenium haberes, fuit indicio oratio tua.

5 Et cum egomet nunc mecum in animo vitam tuam considero;

Adeoque vostrarum omnium, vulgus quæ ab sese segregant;

Et vos esse istiusmodi, & nos non esse, haud mirabile est.

Nam vobis expedit esse bonas: nos, quibuscum res est, non
sunt.

Quippe forma impulsu nostra nos amatores colunt:

10 Hæc ubi immutata est, illi suum animum alio conferunt.

Nisi si prospectum est interea aliquid, desertæ vivimus.

Vobis cum uno semel ubi ætatem agere decretum est viro,

INTERPRETATIO.

B A. **P**er adem Pollucis, ô chara An-
tiphila; laudem tibi tribuo.
& te felicem esse censeo; quod omni
studio curavisti, ut mores tui essent con-
venientes, & conformes pulchritudini,
& venustati corporis. Nec mirum est
mihi (ita me Dij adjuvent) si te quis-
que exoptat suam esse. Nam sermo tuus
fuit mihi index ingenij tui. & cum
apud me animo meditor rationem vita
tuæ, atque etiam amittam vestrarum
juvenularum, quæ summovent à suo
consortio amatorum multitudinem, mi-
rum non est vos esse tales, quales estis,

& vos non esse vestri similes: nam ubi
bis conducit, & commedum est probe
esse vita: illi amatores, quibuscum ha-
bemus consuetudinem, non permittunt
nos esse vobis similes, quia incitati no-
stra pulchritudine nos diligunt; pesti-
quam iste decor amissus est: illi ad alias
amicas à nobis desiciunt. Interea, nisi
dum flaret forma vestra, & ab illis ob-
servamur; aliquid prævisum est nobis
exigendo ab illis, pecunias, vitam ego-
mus derelicta. & obiecta. Postquam vo-
bis semel constitutum est tempus vita-
rum non est vos esse tales, quales estis,

Cujus mos maxime est consimilis vestrum; hi se ad vos applicant;
Hoc beneficio utrique ab utrisque vero devincimini;

15 Ut nunquam ulla amoris vestro incidere possit calamitas.

AN. Nescio alias: me quidem semper scio fecisse sedulo,
Ut ex illius commodo meum compararem commodum. *CL.* ah!
Ergo, mea Antiphila, tu nunc sola reducem me in patriam facis.
Nam, dum abs te abssum, omnes mihi labores fuere, quos cepi,
leves,

20 Præterquam tui carendum quod erat. *SY.* credo. *CL.* Syre, vix
suffero.

Hocine me miserum non licere meo modo ingenium frui?
SY. Imo, ut patrem tuum vidi esse habitum, diu etiam duras dabit.
BA. Quisnam hic adolescens est, qui intuitur nos? *AN.* ah,
retine me obsecro.

BA. Anabo, quid tibi est? *AN.* disperij. *BA.* perij misera,
quid stupes,

25 Antiphila? *AN.* videon' Cliniam, an non? *BA.* quem vides?
CL. salve, anime mi.

AN. O mi expectate Clinia, salve. *CL.* ut vales?

AN. Salvom venisse gaudeo. *CL.* teneone te,

Antiphila, maxime animo exoptata meo?

SY. Ite intro. nam vos jamdudum expectat senex.

INTERPRETATIO.

cujus vivendi modus admodum convenit moribus vestris; tales viri vobis animos adjiciunt. Hac vero gratia fidei mutua, utroque obligamini; ita ut nulla clades miseria, unquam possit evenire vestro amoris. *AN.* Nescio quid alia faciant, me certe scio semper omni studio curasse, ut nullum perciperem commodum, nisi ex commodo illius. *CL.* Vah! ergo, mea Antiphila, tu sola causa es mei reditus in patriam; nam dum longe absui à te, omnes arumne, quas toleravi, fuere mihi leves assidua tui cogitatione; nisi quod desiderio tui videndi afficiebar. *SY.* Credo ita esse, quod dicis. *CL.* Difficulus fero, o Syre, quod in ea sum angustia, ut liberè colloqui cum Antiphila non concedatur mihi. Hoc ne tolerare possim, ut mihi non licitum sit modo meo, & ex voluntate me gerere? *SY.* Quin etiam, ut patrem

tuum animadverti animatum esse erga te, tibi molestus erit, ac negotium successet, si te cognoverit adhuc amare. *BA.* Quisnam est ille juvenis, qui nos aspicit? *AN.* Ab Bacchis! oro te, retine me, ne cadam. *BA.* Per amorem rogo te, quid habes? *AN.* Occidi, præ amore sum impos mei. *BA.* Infelix ego perditam sum. O Antiphila, cur ita ætonitata es, & consternata? *AN.* Videm video amicum meum Cliniam, an non? *BA.* Quem intueris? *CL.* O Antiphila! meum corculum! mea vita! salvam te esse, quam gaudeo! *AN.* O mi optate Clinia, salve! *CL.* Quo modo te habes? *AN.* Letitia singulari afficior, quod te reducem, & incolumem cerno. *CL.* O Antiphila, tantopere desiderata amoris meo! tene adhuc meam possideo? *SY.* Inrò concedite; nam jam pridem senex Chremes vos expectat.

ACTUS TERTII SCENA I.

CHREMES. MENEDEMVS.

CH. **L**uciscit hoc jam. cesso pultare ostium
Vicini? primum ex me ut sciat, sibi filium

Rediisse; etsi adolescentem hoc nolle intelligo:

Verum, cum videam miserum hunc tam excruciarier

Ejus abitu, celem tam insperatum gaudium,
Cum illi nihil periculi ex indicio fiet?

Haud faciam: nam, quod potero, adjutabo senem,

Item ut filium meum amico atque æquali suo

Video inservire, & socium esse in negotiis.

10 Nos quoque senes est æquom senibus obsequi.

ME. Aut ego profecto ingenio egregio ad miseras

Natus sum, aut illud falsum est, quod volgo audio

Dici, diem adimere ægritudinem hominibus.

Nam mihi quidem quotidie augetur magis

15 De filio ægritudo; & quanto diutius

Abest, magis cupio tanto, & magis desidero.

CH. Sed ipsum egressum foras video: ibo, alloquar.

Menedeme salve: nuntium apporto tibi,

Cujus maxime te fieri participem cupis.

20 *ME.* Num quidnam de gnatho meo audisti Chreme?

CH. Valet atque vivit. *ME.* Ubinam est quaeso; *CH.* apud me domi.

INTERPRETATIO.

CH. **D**ies advenit. Quare tardo nunc
pulsare has fores vicini Menedemi? ut primum à me fiat certior, filium peregre reversum esse sibi: quamvis noverim Cliniam nolle ut pater sciat eum venisse; sed cum videam hunc miseris afflictum patrem adeo vexari discessu filij, an reticere debeam gaudium tam inexpectatum, cum nihil ex hac indicatione impendeat periculosum juveni? Non celabo senem; nam jurabo eum quoad potero; sicut cerno filium meum Clitiphonem præsto esse amico ac atate parili Clinia, ejus filio, in omnibus: eo etiam modo justum est, nos senes inservire senibus. *ME.* Certe, aut ego

valde à natura comparatus sum ad infelicitatem perferendam, aut illud non est verum quod audio dici; scilicet tempus auferre ætatem hominibus. Nam certe augetur quotidie animi molestia quam habeo ex absentia filij, & quanto longius absens est; tanto majori cupiditate afficior, ejusque desideria teneor. *CH.* Sed aspicio Menedemum egressum extra domum: accedam ad eum, & compellabo. O Menedeme, salvus sis: rem gratam nunciatum tibi venio; & quo impertiri magnopere desideras. *ME.* O Chreme, nonne aliquid rescivisti de filio Clinia? *CH.* Sanus est. *ME.* Obsecro, ubi est? *CH.* Domi mea.

ME. Meus gnatus? *CH.* sic est. *ME.* venit? *CH.* certe.
ME. Clinia.
 Meus venit? *CH.* dixi. *ME.* eamus, duc me ad eum obsecro.
CH. Non vult te scire se rediisse etiam, & tuum
 25 *Conspectum fugitat ob peccatum: tum hoc timet,*
 Ne tua duritia antiqua illa etiam adaucta sit.
ME. Non tu ei dixisti, ut essem? *CH.* non. *ME.* quamobrem,
 Chreme?
CH. Quia pessime istuc in te atque in illum consulis,
 Si te tam leni & victo esse animo ostenderis.
 30 *ME.* Non possum: satis jam, satis pater durus fui. *CH.* ah!
 Vehemens in utramque partem, Menedeme, es nimis.
 Aut largitate nimia, aut parsimonia.
 In eandem fraudem ex hac re, atque ex illa, incidet.
 Primum olim potius, quam paterere filium,
 35 *Filium commutare ad mulierculam, quae paululo*
 Tum erat contenta, cuique erant grata omnia,
 Proterruisti hinc, ea coacta ingratis
 Postilla cepit victum vulgo quarere.
 Nunc, cum sine magno intertrimento non potest
 40 *Haberi, quidvis dare cupis, nam, ut tu scias,*
 Quam ea nunc instructa pulcre ad perniciem fiet.
 Primum, jam ancillas secum adduxit plus decem
 Oneratas veste, atque auro, satrapes si fiet,

INTERPRETATIO

ME. Domitius meus gnatus est? *CH.* Ita est. *ME.* Venit? *CH.* Certe. *ME.* Rediit meus filius? *CH.* Iam satis dixi eum venisse. *ME.* Eamus, oro, ut pater ad eum ubi est. *CH.* Non vult te suum reditum scire, etiam tuam praesentiam evitavit, propter culpam amoris a te prohibita; deinde hoc formidat ne riva prius illa severitas gravior facta sit. *ME.* An non dixisti ei qualiter me haberem? *CH.* Non dixi. *ME.* O Chreme, quare non dixisti? *CH.* Quia pessimum consilium capis adversus te, & filium, si te gesseris erga eum tam indulgenti, & fracto animo. *ME.* Non possum aliter me gerere. Fui plusquam equum est acerbus. *CH.* Ab Menedeme, nimis propendes in utramque partem.

ANNOTATIONES.

37. *Ingratis.* Adverbialiter ponitur, id est, invito animo.

Sufferre amator nunquam ejus sumptus queat:
 45 *Nedum tu possis. ME.* estne ea intus? *CH.* sit, rogas?
 Sensi: nam ei unam cenam, atque ejus comitibus
 Dedi. quod si iterum mihi sit danda, actum fiet.
 Nam, ut alia omittam, pitissando modo mihi
 Quid vini absumpsit? sic, hoc, dicens, *asperum*
 50 *Pater, hoc est: aliud lenius fodes vide.*
 Relevi dolia omnia, omnes serias:
 Omnes habui sollicitos, atque haec una nox.
 Quid te futurum censes, quem assidue exedent?
 Sic me Diij amabunt, ut tuarum miseritum est
 55 *Menedeme fortunarum. ME.* faciat, quod lubet:
 Sumat, consumat, perdat: decretum est pati;
 Dum illum modo habeam mecum. *CH.* si certum est tibi
 Sic facere, illud permagni referre arbitror,
 Ut nescientem fentiat te id sibi dare.
 60 *ME.* Quid faciam? *CH.* quidvis potius, quam quod cogitas:

INTERPRETATIO.

vel Praefectus Provincia sit amator ejus puella, nunquam queat sustinere impensam faciendam ejus causa; tantum abest, ut tu his sufficere possis. *ME.* Eamne est in domo tua? *CH.* Quarene, an sit apud me? Satis percepi eam ibi esse. Nam ei, atque ancillis quae sunt in ejus comitatu unam cenam prabui; quae si iterum prabenda sit, nihil mihi relinquatur ex bonis. Nam ut prater eam alia, quae impensa sunt; leviter degustando vinum tentandi gratia, quantum vini exhaustum est mihi, cum dicerent, hoc vinum est acerbum, aliud mitius prabe, quaso. Considera, Menedeme, aperui omnes cados, omnes amphoras, & vasa fictilia in quibus vinum asservabatur, omnes servos

meos variis ministeriis occupavi: atque haec una tantum nocte facta sunt. Quid te putas fore, cujus corrodet substantiam & facultates tam frequenter? sic me Diij ament, ut tuorum bonorum jactura commiseratione moveor. *ME.* Faciat filius meus ex animi sui sententia; sponte capiat, & quantum volent, exhauriat, ad nihilum redigat; decrevi hac omnia ferre, dummodo ejus praesentia fruatur. *CH.* Si ita constitutum est tibi facere, censeo id multum ad vestram rem interesse, ut ille existimet, te nesciente vel decepto, tantum sibi sumptuum concedi facere. *ME.* Quid agam? *CH.* Quodlibet aliud, potius quam id quod constituisti, scilicet pati, ut sumat, consumat, perdat.

ANNOTATIONES.

48. *Pitissando.* Id est, expressis labris expundo; dum quis saporem vini probat.
 51. *Relevi dolia omnia, omnes serias.* Dolia fuerunt Romanis vasa majora vino servando praecipue idonea, quae maximo fictilia erant; nam Plinius

refert, dolis quibus hodie utimur, tantum in Alpibus suo tempore homines uti coepisse. Seria est vas vinarium fictile oblongum. Relinere est, aperire quod oblitum, obrutumque erat, soluta argilla aut gyppo, quo erant oblita.

Per alium quemvis ut des, falli te sinas
 Technis per servolum. etsi subsensu id quoque;
 Illos ibi esse, id inter se agere clanculum.
 Syrus cum illo vestro confusurrat: conferunt

- 65 Consilia adolescentes: & tibi perdere
 Talentum hoc pacto satius est, quam illo minam.
 Non nunc de pecunia agitur, sed illud, quo modo
 Minimo periculo id demus adolescentulo.
 Nam si semel tuum animum is intellexerit,
 70 Prius proditurum te tuam vitam, & prius
 Pecuniam omnem, quam abs te amittas filium; hui;
 Quantam fenestram ad nequitiam patefeceris!
 Tibi autem porro ut non sit suave vivere.
Nam deteriores omnes sumus licentia.
 75 Quodcumque inciderit in mentem, volet: neque id
 Putabit, pravumne an rectum sit quod petet.
 Tu, rem perire, & ipsum, non poteris pati.
 Dare denegaris; ibit ad illud illico,
 Quo maxime apud te se valere sentiet,
 80 Abiturum se abs te esse illico minabitur.

ME. Videre verum, atque ita uti res est, dicere.

CH. Somnum hercle ego hac nocte oculis non vidi meis,
 Dum id quaero, tibi qui filium restituerem.

ME. Cedo dextram: porro te oro idem ut facias, Chreme.

- 85 *CH.* Paratus sum. *ME.* Scin', quid nunc facere te volo?

I N T E R P R E T A T I O.

ut quod illi dari vis, des per quemli-
 bet alium, patiaris te deludi fallaciis
 per servulum: quamvis etiam aliquo
 modo percepisti, illos, nempe servos, in
 eo totos esse, & moliri clam fraudes in-
 ter se, ut te fallant. Syrus cum Dro-
 mone submissa voce colloquitur: filij no-
 stri communicant in vicem consilia. Me-
 lius est tibi perdere talentum eorum te-
 chnis, quam minam, te filio indulgentio-
 rem ostendendo. Nunc non agitur utrum
 pecuniam largiaris filio, nec ne; sed il-
 lud, quo pacto illi largienda sit, mini-
 mo incommodo: nam si filius tuus per-
 ceperit voluntatem tuam, videlicet te
 prius proditurum vitam tuam, atque
 omnem pecuniam quam filium abire si-
 nis, hui, quam magnum aditum ape-
 rueris ad luxum ac libidinem! adco ut

certè non sit tibi jucundum vivere, nam
 deteriores evadimus nimia libertate. Fi-
 lius tuus volet omne quod ei in mentem
 venerit, neque considerabit, an id quod
 postulabit, sit iniquum, an justum: tu
 non poteris ferre bona tua deperdi, &
 ipsum unà filium. Si recuses dare ei qua
 petet, continuo ea re utetur, quâ se vi-
 gere, & validum esse adversum te in-
 telliget & statim minabitur se discessu-
 rum à te. *ME.* Existimo te vera lo-
 qui, atque ita ut res se habet. *CH.*
 Per Herculem praterita nocte somnum
 minime coepi, dum cogito, quemad-
 modum redderem tibi patri cupido fi-
 lium tuum. *ME.* Da dextram. Etiam
 te precor ut deinceps idem facere pergas.
CH. Sum paratus ad id faciendum.
ME. Scisne quid cupio te modò facere?
CH. Dic.

CH. Dic. *ME.* quod sensisti illos me incipere fallere,
 Id ut maturent facere. cupio illi dare,
 Quod volt. cupio ipsum jam videre. *CH.* operam dabo.
 Syrus estprehendendus atque adhortandus mihi.

- 90 A me nescio quis exit. concede hinc domum,
 Ne nos inter nos congruere sentiant.
 Paulum hoc negoti mihi obstat: Simus & Crito
 Vicini nostri hic ambigunt de finibus:
 Me cepere arbitrum. ibo, ac dicam, ut dixeram;
 95 Operam daturum me, hodie non posse his dare.
 Continuo hic adero. *ME.* ita quaeso. Dij vestram fidem?
*Itan' comparatum esse hominum naturam omnium,
 Aliena ut melius videant & dijudicent
 Quam sua? an eo sit, quia in re nostra aut gaudio*
 100 Sumus prepediti nimio, aut ægritudine?
 Hic mihi nunc quanto plus sapit, quam egomet mihi?
CH. Dissolvi me, otiosus operam ut tibi darem.


I N T E R P R E T A T I O.

CH. Quid est, cedo. *ME.* Quia in-
 tellexisti illos inceptare me decipere,
 fac ut festinent id persicere. Cupio illi
 dare quacumque velis: cupio statim
 eum videre. *CH.* Faciam ut prope-
 rent, & filium videas. Syrus est mihi
 conveniendus atque adhortandus, ut de-
 ducat filium tuum ad te. Nescio quis
 egreditur à domo mea. Conser te hinc
 domum, ne filij nostri percipiant nos
 consentire in eadem mente. Aliquid con-
 troversia impedit me, quominus domum
 eam: videlicet Simus & Crito vicini
 nostri litigant hic de terminis agrorum
 suorum: elegerunt me arbitrum. Ibo ad
 eos, & eis dicam me non posse hodie

vacare eorum negotiis, sicut promise-
 ram me vacaturum. Continuo praesto
 hic ero. *ME.* Sic facias, rogo. Dij ve-
 stram fidem atque opem invoco! Itane
 est verum ingenium hominum sic esse
 constitutum, ut acutius persciant ne-
 gotia aliorum, & melius discernant,
 quam sua? Ideone istud sit quod sumus
 impediti, quominus recte judicemus in
 causa nostra: aut nimia letitia, aut
 nimio animi dolore? Hic Chremes
 quanto magis nunc sapienter sentit &
 loquitur pro utilitate meâ, quam ego-
 met? *CH.* O Menedeme, expediri me
 curo à vicinis, ut tuis rebus vacarem.

A N N O T A T I O N E S.

89. Syrus estprehendendus.] In Andriâ; Tuus pater modò me apprehendit.



ACTUS III. SCENA II.

SYRVS. CHREMES.

- SY. **H**Ac illac circumcurſa : inveniendum eſt tamen Argentum , intendenda in ſenem eſt fallacia.
 CH. Num me feſellit , hoſce id ſtruere ? videlicet Eſt Clinia ille ſervus tardiuſculus :
 5 Iccirco huic noſtro tradita eſt provincia.
 SY. Quis hinc loquitur ? perij , numnam hæc audit ? CH. Syre.
 SY. hem.
 CH. Quid tu iſtic ? SY. recte. equidem te demiror , Chreme Tam mane , qui here tantum biberis . CH. nihil nimis .
 SY. Nihil , narras ? viſa verò eſt , quod dici ſolet ,
 10 *Aquila ſenectus* . CH. eja . SY. mulier eſt commoda , & Faceta hæc meretrix . CH. fanè idem viſa eſt mihi .
 SY. Et quidem hercle forma luculenta . CH. ſic ſatis .
 SY. Ita non ut olim , ſed uti nunc , ſane bona :
 Minimeque miror , Clinia hanc ſi deperit :
 15 Sed habet patrem quendam avidum , miſerum , atque aridum ;

INTERPRETATIO.

SY. **A**Ge , Syre , diſcurre undique ; tamen pecunia conſicienda eſt .
 CH. Num me latuit hoſce ſervos , & adoleſcentes neſtere fallaciam in Menedemum ? Nimirum ille ſervus Clinia Dromo , aliquanto lentior eſt , ideo negotium quarenda pecunia datum eſt huic ſervo noſtro Syro . SY. Quis loquitur hic , nullus ſum . Num Chremes audivit hæc , qua dixi ? CH. Syre . SY. Hem . CH. Quid tu iſtic facis ? SY. Nihil quidem , ſed Chreme , valde miror te ſurrexiſſe tam mane , qui heſterna die tantum biberis . CH. Non

plus a quo . SY. Non plus a quo niſi Senectus aquila viſa eſt in te , ut plus biberis , quam comederis : quod proverbium in ore populi habetur . CH. Eia de hoc ſatis dictum . SY. Hac meretrix qua eſt cum Clinia , eſt mulier elegans & feſtiva . CH. Sane viſa eſt mihi talis qualem reſers . SY. Et certe per Herculem eſt forma ſpecioſa , & ſplendida . CH. Mediocriter . SY. Bona quaque , non ut quondam erant bona ; ſed ſicut hiſ temporibus ſunt mulieres : nec mirum eſt mihi , ſi Clinia eam ardentè amat , ſed ille habet quemdam patrem avarum , miſerum & ſiccum parſimoniam .

ANNOTATIONES.

10. **A**quila ſenectus.] Proverbium in ſenes qui plus bibunt , quam edunt . Refert enim Plinius lib. 10. c. 3. hiſt. aquilam fame mori , adeo ſuperiore accreſcente roſtro , ut

aperiri non queat ; eoque Aquilam tantum in ſenecta bibere , aut de præda ſanguinem ſugere , unde plus bibit quam comedit .

- Vicinum hunc : noſtin' ? at quaſi is non divitiis Abundet , gnatu' ejus profugit inopia .
 Scin' eſſe factum , ut dico ? CH. quid ego neſciam ?
 Hominem piſtrino dignum ! SY. quem ? CH. iſtunc ſervulum
 20 Dico adoleſcentis ? SY. Syre , tibi timui male .
 CH. Qui paſſus eſt id fieri . SY. quid faceret ? CH. rogas ?
 Aliquid reperiret , fingeret fallacias
 Unde eſſet adoleſcenti amicæ quod daret ,
 Atque hunc difficilem , invitum ſervaret ſenem .
 25 SY. Garris . CH. hæc facta ab illo oportebant , Syre .
 SY. Eho , quaſo , laudas qui heros fallunt ? CH. in loco ,
 Ego vero laudo . SY. recte ſane . CH. quippe quia
 Magnarum ſæpe id remedium ægritudinum eſt .
 Jam huic manſiſſet unicus gnatus domi .
 30 SY. Jocone an ſerio illæc dicat , neſcio ;
 Niſi mihi quidem addit animum , quo lubeat magis .
 CH. Et nunc quid expectat , Syre ? an , dum hinc denuo
 Abeat , cum tolerare hujus ſumptus non queat ?
 Nenne ad ſenem aliquam fabricam fingit ? SY. ſtolidus eſt .

INTERPRETATIO.

Noviſtine hunc vicinum ? Sed quaſi hic non valde ſit dives , filius ejus profugus abiit egeſtate coactus . Sciſne factum eſſe , ut dico ? CH. Cur ego ignorem ? O hominem dignum , qui detrudatur in piſtrinum , ad circumagendas molas ! SY. Quem dicis ? CH. Intelligo Dromonem ſervum Clinia SY. O Syre , metui ne quid mali tibi accideret ex hac re . CH. Qui ſervus paſſus eſt , ut filius diſcederet . SY. Quid faceret ? CH. Queris quid faceret ille ? Excogitaret technam aliquam , ex qua adoleſcens haberet , quod donaret amica , ac vitam conſervaret huic ſeni , qui continuo labore ſe enecat , moroſo , ac vitam ſuſtinenti . SY. Iocaris . CH. O Syre , debebat hic ſervus hæc qua dixi facere . Eho , obſecro , laudibus proſequeris eos ſervos , qui verba dant dominis ? CH. Laudo eos ſcilicet , quando id faciunt in tempore , & opportune . SY. Certe recte facis . CH. Nam fallacia ejuſmodi plurimis mentis & corporis doloribus ſæpe medetur . Si feſelliſſet Dromo dominum ſuum Menedemum , jam ab eo filius Clinia non auſugiſſet . SY. Neſcio an Chremes dicat iſta per jocum , an ex animo , ſed mihi auget voluntatem , ut magis cupiam technas quas cogito , perficere . CH. O Syre , quid ipſe ſervus expectat nunc ? an expectat donec Clinia iterum hinc ex domo patris diſceat , cum is non poſſit ferre ſumptus hujus meretricis ? An machinatur aliquam fallaciam in Menedemum ? SY. Ipſe ſervus eſt ſtupidus , nullam habet ſolertiam aptam ad ejuſmodi fraudem fabricandam .

ANNOTATIONES.

20. Syre , tibi timui male .] Secum hoc ſuſurrat Syrus .

30. Jocone an ſerio illæc dicat , neſcio .] Hac ſecum clam Syrus loquitur .

31. Niſi mihi quidem .] Niſi hoc loco uſurpatur pro ſed , ut ſæpe apud Terentium .

- 35 *CH.* At te adiutare oportet adolescentuli
Causa. *SY.* Equidem facile facere possum, si jubes:
Etenim, quo pacto id fieri soleat, calleo.
CH. Tanto hercle melior. *SY.* non est mentiri meum.
CH. Fac ergo. *SY.* at heus tu, facito dum eadem hæc memineras,
40 Si quid hujus simile forte aliquando evenerit,
Ut sunt humana, tuus ut faciat filius.
CH. Non usus veniet, spero. *SY.* spero hercle ego quoque:
Neque eò nunc dico, quò quidquam illum fenserim:
Sed si quid, ne quid, quæ sit ejus ætas, vides:
45 Et nã ego te, si usus veniat, magnifice, Chreme,
Tractare possim. *CH.* de istoc, cum usus venerit,
Videbimus quid opus sit. nunc istuc age.
SY. Nunquam commodius unquam herum audiivi loqui:
Nec, cum malefacere crederem mihi impunius
50 Licere, quisnam à nobis egreditur foras?

I N T E R P R E T A T I O.

CH. Sed oportet te ei opem ferre, adolescentis Clinia gratiã, *SY.* Possum eum in hac re juvare, si imperas: nam longe usu scio, quã arte id faciendum sit. *CH.* Mehercule eò aptior es servus, qui dominis scias mederi. *SY.* Meus non est mos mendacium proferre. *CH.* Ergo id effice, tu qui calles. *SY.* At heus tu, Chreme, fac ut memineras hæc eadem, quæ præcipis me facere: si quid aliquando acciderit, quemadmodum se habent humana res, ut filius tuus Clitipho, aliquid simile hujus facti Clinia agat. *CH.* Non hoc eveniet, ut spero. *SY.* Spero quoque ego per herculem non eventurum: neque idcirco

hæc dico, quod aliquid tale perceperim de illo: sed dico si quid evenerit, ne quid mihi succenscas. Quæ sit hujus ætas vides, quàm amori obnoxia, profecto etiam si id usu veniat, arte mea possum efficere ne talem in te mororem suscipias, quo Menedemum confici vides: ita pulcere te tractabo, & splendide. *CH.* Considerabimus de ista re, quid opus sit, cum acciderit, nunc intende fallaciam in senem Menedemum, *SY.* Nunquam audiivi herum loqui opportunius, quàm nunc, nec cum aliquid mali moliver, crederem me unquam majori cum impunitate id posse facere. Quisnam exit domo nostra?

A C T U S III. S C E N A III.

CHREMES. CLITIPHO. SYRVS.

CH. Quid istuc, quæso? qui istic mos est, Clitipho? itane fieri oportet? *CL.* Quid ego feci? *CH.* vidin' ego te modò manum in sinum huic

I N T E R P R E T A T I O.

CH R. O Clitipho, quid istud sibi vult? Qualis hac consuetudo, ludere cum meretrice? Oportetne id te facere? *CLIT.* Quid ego feci? *CH R.* Nonne ego te vidin' immittere manum in sinum hujus

- Meretrici inferere? *SY.* acta est res, perij. *CL.* mene? *CH.* hisce oculis, ne nega.
Facis adco indigne injuriam illi, qui non abstineas manum:
5 Nam istæc quidem contumelia est, hominem amicum ad te recipere,
Atque ejus amicam subagitare: vel here in vino quam immodestus fuisti? *SY.* Factum est. *CH.* quam molestus? ut equidem,
Ita me Dij ament, metui quid futurum denique esset. novi ego Amantium animum: graviter advortunt, quæ non censeas.
10 *CL.* At mihi fides apud hunc est, nihil me istius facturum, pater. *CH.* Esto. at certe concedas ab ore eorum aliquantisper aliquo, Libido multa fert: ea facere prohibet tua præsentia.
Ego de me facio conjecturam. nemo est meorum hodie, Apud quem expromere omnia mea occulta, Clitipho, audeam.
15 Apud alium prohibet dignitas: apud alium ipsius facti pudet, Ne ineptus, ne protervos videar. quod illum facere credito. Sed nostrum est intelligere, utcunque, atque ubicunque opus sit, obsequi.
SY. Quid istic narrat? *CL.* perij. *SY.* Clitipho, hæc ego præcipio tibi: Hominis frugi & temperantis functus officium. *CL.* tace.

I N T E R P R E T A T I O.

muliercula? *SY.* Actum est de hac re: sentiet Chremes Bacchidem esse amicam Clitiphonis. Perij ego. *CL.* Dicisne me manum in sinum huic meretrici inferuisse? *CH.* Vidi hisce oculis: noli negare. Certè facis injuriam indecenter illi Clinia, qui non reprimas manum tuam à tractatione ejus amica: nam hoc quidem est injuria, admittere in domum suam hominem amicum, & cum amica ejus rum habere. Quàm etiam immoderate te gessisti here in convivio? *SY.* Actum est. *CH.* Quam importunus, & acerbus fuisti? adeo, ita me Dij servent, ut equidem timui quid contingeret, ne oriretur contentio inter te & Cliniam. Ego novi ingenium amatorum: accipiunt moleste ea, quæ non putes eos animadvertere & suspicari. *CL.* Sed, ô pater, hic confidit mihi,

& sat credit me nihil facturum istius rei quàm times. *CH.* Sit ita: saltem secede in aliquem locum aliquandiu à conspectu illorum. Multa libido concupiscit & incitat amantes inter se agere: & tua præsentia, impedit eos. Ego de meipso id conjicio. Hodie nullum habeo amicum cui audeam detegere omnia mea arcana. Apud alium ejus auctoritas interdicit, apud alium me pudet ipsius facti, ne videar insulsus & petulans: quod crede illi Clinia accidere, nempe eum timere ne ante te videatur protervus & lascivus. Sed debemus scire obsecundare & inservire commodis aliorum qualitercumque & quocumque in loco necessum sit. *SY.* Audisne quid narrat Chremes pater? *CL.* Occidit. *SY.* Clitipho, sicut jam feci ex officio servi, prohi, & utilis, te admoneo, ut discenda aliquid, ut jussit pater. *CL.* Sile,

A N N O T A T I O N E S.

12. Ea prohibet facere tua præsentia,] Impersonaliter id est cujuscumque præsentia.

- 20 Sodes. *SY.* recte sane. *CH.* Syre, pudet me. *SY.* credo: neque id injuria:
 Quin mihi molestum est. *CL.* pergin' ? *SY.* hercle verum dico, quod videtur.
CL. Nonne accedam ad illos ? *CH.* eho quæso, una accedundi via est ?
SY. Actum est: hic prius se indicarit, quàm ego argentum effecero. Chreme, vin' tu homini stulto mihi auscultare ?
 25 *CH.* Quid faciam ? *SY.* jube hunc
 Abire hinc aliquò. *CL.* quò ego hinc abeam ? *SY.* Quò ? quò libet: da illis locum:
 Abi deambulatum. *CL.* deambulatum, quò ? *SY.* vah, quasi desit locus.
 Abi sane istac, istorsum, quovis. *CH.* recte dicit: cenfeo.
CL. Dij te eradicent, Syre, qui me hinc extrudas. *SY.* at tu pol tibi
 30 Posthac comprimito istas manus.
 Censen' vero ? quid illum porro credis facturum, Chreme, Nisi eum, quantum Dij dant opis tibi, servas, castigas, mones ?
CH. Ego istuc curabo. *SY.* atqui nunc, here, hic tibi asservandus est.
CH. Fiet. *SY.* si sapias: nam mihi jam minu' minusque optemperat.
 35 *CH.* Quid tu: ecquid de illo, quod dudum tecum egi, egisti, Syre ? aut Reperisti quod placeat, an nondum etiam ? *SY.* de fallacia Dicis ? st. inveni quandam nuper. *CH.* frugi es: cedo, quid id est?

INTERPRETATIO.

obsecro. *SY.* Recte profecto me tacere vis. *CH.* O Syre, pudet me. *SY.* Non dubito te pudere, nec immerito: quin etiam ego, qui pater non sum, id agere fero. *CL.* Per Herculem perseverasne adversus me loqui ? *SY.* Dico quod videtur mihi verum esse. *CL.* An non licet accedere ad Cliniam & Bacchidem ? *CH.* Una ratio honesta est ad eos appropinquandi, protervè & lascivè te immiscens eorum amoribus. *SY.* Actum est de incepto meo. Hic Clitipho se indicabit, antequam elicio pecuniam quam det meretrici. O Chreme, visne tu mihi homini hebetioris & crassioris ingenij credere ? *CH.* Quid agam ? *SY.* Jube Clitiphonem abscedere hinc aliò. *CL.* In quem locum abscedam ? *SY.* Quoquò voles. Cede paulum Clinia & Bacchidi. Abi spatiatum. *CL.* Spatiatum ? Quò ? *SY.* Vah ! quasi nullus sit locus ubi spatieris. Certe abi per

istam partem, versus istam, in quam libet. *CH.* Syrus recte dicit, sic arbitror esse faciendum. *CL.* O Syre, Dij te exstirpent, qui me istinc ejicis. *SY.* Sed per Pollucem, tu cohibeto posthac istas manus tuas, nec eas inseras in sinum mulieribus. Censesne vero, Chreme, quid sit agendum ? Quid putas illum filium facturum esse, nisi castigas, ob-servas, admones eum, quantum potestatis Dij tibi dant ? *CH.* ego omni studio istud faciam. *SY.* Certe nunc filius est tibi custodiendus. *CH.* Ita fiet. *SY.* Si sapienter agas, hoc facies: nam jam minus minusque sequitur mea consilia. *CH.* Quid tu fecisti ? Num aliquid egisti de illa re, de qua paulo ante te conveni ? aut invenisti, quod tibi gratum sit ? an nondum etiam ? *SY.* Loqueris de fabrica seni int'nderda ? Non ita multò antehac excogitavi aliquam. *CH.* Frugi es. Dic, quod invenisti.

- SY.* Dicam: verum, ut aliud ex alio incidit. *CH.* quidnam, Syre ?
SY. Pessima hæc est meretrix. *CH.* ita videtur. *SY.* imo, si scias.
 40 Hoc vide, quod inceptet facinus. Fuit quædam anus Corinthia
 Hic: huic drachmarum argenti hæc mille dederat mutuam.
CH. Quid tum ? *SY.* ea mortua est. reliquit filiam adolescentulam:
 Ea relicta huic arrhaboni est pro illo argento. *CH.* intelligo.
SY. Hanc secum huc adduxit, eaque est nunc ad uxorem tuam.
 45 *CH.* Quid tum ? *SY.* Clinia orat, sibi uti id nunc det illam, illi tamen
 Post daturam mille nummum, poscit. *CH.* & poscit quidem ? *SY.* hui !
 Dubium id est ? *CH.* ego sic putavi. quid nunc facere cogitas ?
SY. Egone ? ad Menedemum ibo: dicam hanc esse captam è Caria,
 Ditem, & nobilem: si redimat, magnum inesse in ea lucrum.
 50 *CH.* Erras. *SY.* quid ita ? *CH.* pro Menedemo nunc tibi ego respondeo:

INTERPRETATIO.

SY. Dicam, sed ut aliud ex alio sequitur. *CH.* O Syre, quidnam est ? *SY.* Hæc meretrix est admodum prava. *CH.* Talis apparet. *SY.* Imo si scias quàm sit pessima, miraberis. Vah ! cognosce quid incipiat facere: quædam vetula ex Corintho hic habitavit, hæc meretrix dedit illi mutuum mille Drachmas argenti. *CH.* Quid inde factum est ? *SY.* Hæc vetula è vita decessit: reliquit filiam adolescentulam. Ea filia data est pignori huic meretrici, pro ea pecunia, quam illi crediderat. *CH.* Intelligo. *SY.* Hæc meretrix adduxit secum hanc adolescentulam, qua nunc est apud Sostratam uxorem tuam. *CH.* Quid inde colligis ? *SY.* Clinia orat

ut illa meretrix det nunc sibi illam puellam, tamen ipse Clinia spondet se daturum illi Bacchidi mille nummos, quos ipsa poscit. *CH.* Et poscit quidem Bacchis tantum argenti ? *SY.* Hui ! an dubium est quin illa poscat hanc summam ? *CH.* Ego non dubito. Quid nunc, Syre, facere cogitas ? *SY.* Quid faciam quaris ? conveniam Menedemum, dicam hanc adolescentulam esse captam & advectam è Caria, locupletem, & clari generis & multum lucri illum quasiturum ex ea, si det mille drachmarum pro ejus redemptione. *CH.* Falleris. *SY.* Quid ita ? Nego Menedemum tanti puellam redempturum, & loco Menedemi, tibi nunc respondeo:

ANNOTATIONES.

39. Drachmarum argenti mille.] Drachma Attica, & denarius Romanus sunt ejusdem æstimationis sex assibus Turonensibus, Mille drachmæ valebunt centum Coronatis Gallicis, aut trecentis libris Turonensibus. Constituitur autem mille substantivum cum genitivo utroque numero; Mille nummum: Mille talentum, pro nummorum & talentorum. Ovidius 13. Metamorph.

Est aliquid de tot Graiorum millibus unum

A Diomede legi.

Aliquando mille adjectivum est pluralis numeri tantum & indeclinabile, ut, mille drachmæ, mille nummi.

43. Relicta huic Arrhaboni est.] Arrhabo, & arrha, est id quod dari solet ad confirmationem contractus; aliquando idem quod pignus, ut hic sumitur.

Non emo. SY. quid ais? optata loquere. CH. atqui non est opus.
SY. Non opus est? CH. non hercle vero. SY. qui istuc? miror.
CH. jam scies.
Mane mane, quid est, quod tam à nobis graviter crepuere fores?

INTERPRETATIO.

nolo emere: quid dicis? SY. Loquere no-
bis grata verba, & nostris votis com-
moda. CH. Certe non est usus eam
emere. SY. Non est usus? CH. Non
est usus per Herculem. SY. Miror qua-

re hoc dicas. CH. Statim cognosces:
desine loqui, & audi. Quidnam est,
propter quod fores nostra tantum strep-
tum ediderunt?

ACTUS QUARTI SCENAI.

SOSTRATA. CHREMES. NUTRIX. SYRVS.

SO. NISI me animus fallit, hic profecto est annulus, quem ego
suspicio,

Is, quicum exposita est gnata. CH. quid volt sibi, Syre, hæc oratio?

SO. Quid est? isne tibi videtur? NV. dixi equidem, ubi mihi
ostendisti, illico,

Eum esse. SO. at ut sati' contemplata modo sis, mea nutrix,
NV. satis.

SO. Abi nunc jam intro: atque, illa si jam laverit, mihi nuntia.
Hic ego virum interea opperibor. SY. te volt: videas, quid velit.
Nescio quid tristis est. non temere est. metuo, quid sit. CH. quid
fiet?

Næ ista hercle magno jam conatu magnas nugas dixerit.

SO. Ehem mi vir. CH. Ehem mea uxor. SO. teipsum quæro.
CH. loquere, quid velis.

SO. Primum te hoc oro, ne quid credas me advorsum edictum tuum

INTERPRETATIO.

SO. NISI animus errat, hic certe est annulus, quem
ego opinor esse: is est, cum quo filia mea
exposita fuit. CH. O Syre, quid hic
sermo uxoris meae significat? SO. Quid
est, ò nutrix, isne tibi videtur. NV.
Dixi eum esse ubi primum mihi eundem
ostendisti. SO. At diligenter vide, ut
eum satis modo intuita fueris. NV. Sa-
tis eam intuita sum. SO. Iam abi in-
trò domum, & mihi refer, si illa An-
tiphila jam laverit. Interea hic expe-
ctabo maritum. SY. Chreme, uxor tua
te quarit, videas quid velit. Ignoro
qua de causa maesta sit. Non sine cau-
sa id contingit. Metuo quid sit. CH.
Quid sit? Ista femina summopere se fa-
tigabit, in nugis profereudis. SO. Ehem,
mi v. r. CH. Ehem, mea uxor. SO. Quæ-
ro teipsum. CH. Dic quid est, quod velis.
SO. In primis hoc à te postulo, ne me
credas ausam esse aliquid facere contra
Facere

Facere ausam. CH. Vin' tibi me istuc, etsi incredibile est, credere?
Credo. SY. nescio quid peccati portat hæc purgatio.

SO. Meministin' me esse gravidam, & mihi te maximo opere
dicere,

Si puellam parerem, nolle tolli? CH. scio quid feceris:

15 Sustulisti. SO. sic est factum. CH. domin' ? SY. ergo herus dam-
no auctus est.

SO. Minimè: sed erat hic Corinthia anus haud impura, ei dedi
Exponendam. CH. ò Jupiter, tantam esse in animo inscitiam!

SO. Peri, quid ego feci? CH. at rogitas? SO. si peccavi, mi-
Chreme,

Insciens feci. CH. id quidem ego, etsi tu neges, certe scio,

20 Te inscientem atque imprudentem dicere ac facere omnia:]

Tot peccata in hac re offendis: nam jam primum, si meum

Imperium exequi voluisses, interemptam oportuit,

Non simulare mortem verbis, re ipsa spem vitæ dare.

At id omitto: misericordia, animus maternus: sino.

25 Quam bene vero abs te prospectum est! quid voluisti? cogita:

Nempe anui illi prodita abs te filia est planissime

Per te: vel uti quæstum faceret, vel uti veniret palam.

Credo id cogitasti, quidvis satis est, dum vivat modo.

INTERPRETATIO.

justum tuum. CH. Visne me credere
istud tibi? credo, quamvis non creden-
dum sit. SY. Nescio quid culpa ferat
hac excusatio. SO. Recordarisne cum
essem gravida, te mihi maxime mina-
tum esse, si parerem puellam, nolle ut
nurreretur? CH. Scio quid feceris: edu-
casti eam. SO. Ita factum est: edu-
cavi. SY. O hera, si educasti puel-
lam, herus ex hoc damnum percepit.
SO. Minime, sed vetula ex Corin-
tho non inhonesta, nec impudica hic
habebat: tradidi ei filiam meam
exponendam. CH. Proh Iupiter!
oportetne esse tantam ignorantiam in-
mente ullius? SO. Perdita sum, quid
commisi? CH. Quæris. SO. Mi Chre-
mes, si erravi, per imprudentiam, non
auditiã operã id feci. CH. Certum id
sane est mihi, quamvis negares, te di-
cere ac facere omnia [per ignorantiam:
tot peccata tua in hoc facto ostendis. In
primis si voluisses complere justum meum,
oportebat puellam interire, non verbis
fingere eam esse mortuam, & re ipsa eam
spe vitæ donare, cum posset fieri ut
anus illam educaret, non expone-
ret. At id prætereo, te debuisse exe-
qui meum imperium: misericordia,
affectus maternus te impulerunt: con-
cedo. Quam pessimè vero providisti fi-
lia! quid voluisti facere? conside-
ra. Certe filia prostituta est omnino
à te: vel ut quæstum turpiter cor-
pore suo faceret, vel ut venderetur
publicè. Credo ita putasti: quidlibet eve-
niat, lucrum corpore faciat, sive ser-
viat: satius est, quam eam non vivere.

ANNOTATIONES.

15. Ergo damno herus auctus est.] Propter dotem, quæ danda est filiae.

Quid cum illis agas qui neque jus, neque bonum, atque æquom
sciunt,
30 Melius, pejus, proferit, oblit, nil vident, nisi quod lubet?
SO. Mi Chreme, peccavi, fateor: vincor: nunc hoc te obsecro,
Quanto tuus est animus natu gravior, ignoscentior;
Ut mea stultitiæ in iustitia tua sit aliquid præsidii.
CH. Scilicet equidem istuc factum ignoscam: verum, Sostrata,
35 Male docet te mea facilitas multa. sed istuc quidquid est,
Qua hoc conceptum est causa, loquere, SO. ut stulte & miserè
omnes sumus
Religiøsæ; cum exponendam do illi, de digito annulum
Detraho; & eum dico ut unà cum puella exponeret;
Si moreretur, ne expers partis esset de nostris bonis.
40 CH. Istuc recte: conservasti te, atque illam. SO. is hic est annulus;
CH. Unde habes? SO. quam Bacchis secum adduxit adolescen-
tulam. SY. hem!
CH. Quid ea narrat? SO. ea lavatum dum it, servandum mihi dedit.
Animum non advorti primum. at postquam aspexi, illico
Cognovi: ad te exsilij. CH. quid nunc suspicari, aut inveniri
45 De illa? SO. nescio, nisi ex ipsa quæras, unde hunc habuerit,
Si potis est reperiri. SY. interij: plus spei video, quam volo:

INTERPRETATIO.

Quomodo te geras erga eos qui nesciunt, neque rationem iuste vivendi, neque quid honestum sit factu, neque aequitatem naturalem, quid juvet magis, quid magis noceat, nihil sibi proponunt, nisi quod eis placet. SO. O mi Chremes, erravi, confiteor delictum, jure arguor. Nunc tibi supplico, ut quanto tuus animus est atate peritior, sit tanto promptior ad parcendum, ut tua aequitas aliquid auxilij præbeat simplicitati mee. CH. Scilicet equidem, hanc culpam tibi condono; sed, o Sostrata, te male multa facere suadet mea lenitas. Sed quidquid istud est quod narraſti de exposita filia, dic qua occasione inceptum est. SO. Ut omnes nos mulieres sumus inconsulta, & superstitiosa, cum do illi anui filiam exponendam, eximo annulum de digito.

& præcipio illi ut exponeret puellam cum annulo: si illa interiret, ut aliquam partem bonorum nostrorum haberet. CH. Fecisti istud recte, sic servasti te, ne faceres contra religionem; atque illam, ne moveretur. SO. Ecce hic est annulus. CH. A quo eum recuperasti? SO. Habeo ex adolescentula, quam Bacchis adduxit secum. SY. Hem! CH. Quid ea refert? SO. Dum hac Antiphila it lavatum, tradidit mihi illum, ut servarem. Quamprimum animo non attendi: sed postquam aspexi, statim agnovi, & exultans ad te veni. CH. Quis conjecit esse, aut quid reperis indicij in illa adolescentula? SO. Nescio nisi ut requiras ab eâ unde acceperit hunc annulum, si id potest sciri. SY. Occidi, quod plus esse spei, de agnitione filia, quam vult.

ANNOTATIONES.

42. Lavatum.] Secundum antiquos: nos dicimus lotum.
46. Interij.] Nolebat Syrus Antiphilam agnosci tam citò filiam à Chreme-

te, ne occasio præriperetur auferendi illo argentum, & ne vulparet, si cognosceret Bacchidem esse amicam Antiphonis filij.

Nostra est, ita si est. CH. vivitne illa, cui tu dederas? SO. nescio!
CH. Quid renuciavit olim fecisse? SO. id, quod jufferam.
CH. Nomen mulieris cedo quod sit, ut quærat. SO. Philtere.
50 SY. Ipsa est. mirum, ni illa salva est, & ego perij. CH. Sostrata;
Sequere me intrò hac. SO. ut præter spem euenit. quàm timuim
male,
Ne nunc animo ita esses duro, ut olim in tollendo Chreme.
CH. Non licet hominem esse sape ita ut volt, si res non sint.
Nunc ita tempus est mihi, ut cupiam filiam: olim nil minus.

INTERPRETATIO.

Si ita est, ut refert Sostrata, hac adolescentula est de nostra familia. CH. Vivitne illa anus cui tu tradideras filiam tuam? SO. Nescio. CH. Quid illa retulit tibi quondam se fecisse, postquam ei dederas filiam exponendam? SO. Retulit se fecisse id quod jufferam, scilicet se puellam exposuisse. CH. Dic quod sit nomen anus, ut quærat. SO. Philtere est nomen ejus. SY. Ipsa est, à qua Antiphila educata est. Mi-

rum est, ni illa anus est incolumis, & ego perij. CH. Sostrata, sequere me domum hæc viâ. SO. Ut contra quam speravi evenit! quam misere timuim ne nunc ita immitis esses, ut olim fuisti, cum filiam tolli & nutrirî noluisti. CH. Non esse licet hominem saepe, ut ei libet, nisi res patiatur: ita nunc fert conditio temporis, ut cupiam filiam habere, sed olim nihil minus, re familiari non permittente.

ACTUS IV. SCENA II.

SYRVS.

SY. Nisi fallit me animus, haud multum à me aberit infortunium;
Ita hercle in angustum oppidò nunc meæ coguntur copiar: Nisi aliquid video, ne esse amicam hanc gnati resciscat senex. Nam quod sperem de argento, aut posse postulem me fallere, Nihil est: triumpho, si licet me latere te tecto abscedere. Crucior bolum tantum mihi ereptum tam subito è faucibus. Quid agam? aut quid comminiscar? ratio de integro ineunda est mihi.

INTERPRETATIO.

SY. Nisi mens in præſagiendo me decipit, mala fortuna non longe erit à me; adeo per Herusalem mei conatus vehementer in arctum redacti sunt. Nisi provideo, ut Chremes non cognoscat hanc Bacchidem esse amicam filij sui; nam nihil est unde ullam spem habeam auferendi argenti, aut faller-

di senis. Victoriã obtineo, si mihi conceditur tutò, & sine plagis elabior Angor animi, quod tam bonum fructum mihi ex gutture tam repente extractum sit, id est tanta opportunitas extorquendi argenti à sene. Quid faciam, aut quid excogitem? Invenientium denuo mihi est aliud commentum;

Nil tam difficile est, quin quaerendo investigari possiet.
 Quid, si hoc sic nunc incipiam? nihil est, si sic? tantundem egero.
 10 At sic opinor: non potest: immo optume. euge habeo optumam.
 Retraham hercle, opinor, ad me idem illud fugitivum argen-
 tum tamen.

INTERPRETATIO.

Nil est tam impeditum, quod non possit conando expediri. Quid erit si nunc sic ordiar? tale figmentum nullius momenti est. Quid erit si hoc pacto faciam? non amplius profecero: at censeo sic posse fieri: minime potest: imo vero perbelle fieri potest. Eia scio bonam pecunia elicienda rationem. Per Herculem, ad me, ut puto, reducam pecuniam eandem illam, qua tanquam mancipium fugitivum à me se proripuit.

ACTUS IV. SCENA III.

CLINIA. SYRVS.

CL. **N**ULLA mihi res posthac potest jam intervenire tanta;
 Quæ mihi ægritudinem afferat: tanta hæc lætitia oborta est.
 Dedo patri me nunc jam, ut frugalior sim quam volt.
 SY. Nil me fefellit: cognita est, quantum audio hujus verba.
 5 Istuc tibi ex sententia tua obtigisse lætor.
 CL. O mi Syre, audistin' obsecro? SY. quid ni, qui usque
 una affuerim?
 CL. Cui æque audisti commode quidquam evenisse? SY. nulli.
 CL. Atque, ita me Dij ament, ut ego nunc non tam meapte causa
 lætor, quam illius, quam ego scio esse honore quovis dignam.
 10 Ita credo: sed nunc, Clinia, age, da te mihi vicissim:
 Nam amici quoque res est videnda, in tuto ut collocetur,
 Ne quid de amica nunc senex. CL. ô Jupiter! SY. quiesce.

INTERPRETATIO.

CL. **N**ULLA res tanta potest mihi accidere posthac, qua animi molestiam mihi pariat: tanta lætitia mihi advenit. Trado me nunc totum in patris potestatem, ut siam etiam frugalior quam cupit. SY. Non erravi, cum ita esse judicavi: quantum enim intelligo verba hujus Clinia, Antiphila à parentibus agnita est: istud, ut optabas, evenisse valde gaudeo. CL. O mi Syre, quaeso, audistine rem totam de agnitione Antiphila? SY. Cur non audiverim, qui fuerim assidue cum pa-

rentibus, quando eam recognoscebam.
 CL. Cui homini audisti tantum evenisse boni, ut mihi evenit? SY. Nulli.
 CL. Atque ita me Dij ament, ut non tam propter me ipsum lætor, quam propter illam Antiphilam, quam scio omni honore esse dignam. SY. Credo sic esse, ut ais: sed, ô Clinia, eia, age nunc, obsecro mihi, ut tibi sum obsecutus. Nam ut amici res extra omne periculum sit, etiam providendum est, ne senex Chremes nunc aliquid de amica Clitiphonis Bacchide. CL. O Jupiter! SY. Mane

CL. Antiphila mea nubet mihi. SY. ficcine mihi interloquere?
 CL. Quid faciam, Syre mi? gaudeo: fer me. SY. fero hercle vero.
 15 CL. Deorum vitam adepti sumus. SY. frustra operam, opinor, sumo.
 CL. Loquere; audio. SY. at jam hoc non ages. CL. agam. SY. vi-
 dendum est, inquam,
 Amici quoque res Clinia tui in tuto ut collocetur:
 Nam si nunc à nobis abis, & Bacchidem hinc relinquis;
 Senex resciscet illico esse amicam hanc Clitiphonis:
 20 Si abduxeris, celabitur itidem, ut celata adhuc est.
 CL. Atenim istoc nihil est magis, Syre, meis nuptiis advorsum:
 Nam quo ore appellabo patrem? tenes, quid dicam? SY. quid ni?
 CL. Quid dicam? quam causam afferam? SY. quid? nolo mentiare:
 Aperte, ita ut res sese habet, narrato. CL. quid ais? SY. jubeo
 25 Illam te amare, & velle uxorem; hanc esse Clitiphonis.
 CL. Bonam atque justam rem oppido imperas, & factu facilem.
 Et scilicet jam me hoc voles orare patrem, ut celet
 Senem voftrum. SY. imo ut recta via rem narret ordine omnem.
 CL. hem!
 Satin' sanus es & sobrius? tu quidem illum plane perdis:
 30 Nam qui ille poterit esse in tuto, dic mihi?
 SY. Huic equidem consilio palmam do: hinc me magnifice effero,
 Qui vim tantam in me & potestatem habeam tantæ astutiæ,
 Vera dicendo ut eos ambos fallam; ut, cum narrat senex

INTERPRETATIO.

CL. Antiphila mihi dabitur in uxorem. SY. Sicne me interpellas loquentem? CL. O mi Syre, quid faciam? praenimio gaudio non sum apud me: pater me. SY. Certe patior agre quidem.
 CL. Acquisivimus vitam Deorum. SY. Operam perdo, ut puto. CL. Loquere, audio. SY. Sed statim me non audies.
 CL. Audiam. SY. Proficiendum est quoque, ut jam antea dixi, ut res amici tui Clitiphonis in tutum locum deducatur: nam si nunc discedis hinc à nobis relicta hic Bacchide, statim Chremes repente cognoscat eam amari à filio: si eam tecum hinc à nobis duxeris, ipsa celabitur ejus esse amica, ita ut huc usque celata est. CL. Verum, ô Syre, nihil magis contrarium meis nuptiis ista re, quam mones: nam quâ fronte videbo patrem, ubi duxero mecum Bacchidem? Scis quid velim dicere. SY. Cur non sciam? CL. Quid dicam aut quam ra-

tionem reddam? SY. Etiam nolo eam reddendo, ut mentiarius. Clare, & vere exponito id quod res est. CL. Quid dicis? SY. Volo significes te amare Antiphilam, & te eam velle habere uxorem, & Bacchidem esse amicam Clitiphonis. CL. Suades vero rem valde bonam & equam, nec factu difficilem tu scilicet voles hoc me imperrare à Patre ut celet senem; vestrum Chremetem? SY. Quin potius ego volo, ut vere & sine diverticulis verborum, rem ut acta est, recenseat. CL. Hem, satissime sana mentis es? an non temulentus? Certe tu prodis Clitiphonem. Nam quomodo poterit ille esse tutus, si pater ejus negotia resciverit? dic mihi. SY. Certe huic meo commento primas defero, de hac re mihi placeo. & triumpho, qui habeam potestatem tanta versutia & fraudis, ut dicendo vera hos ambos senes decipiam. Vi quando vester Meneatus,

Voster nostro, esse istam amicam gnati, non credat tamen:

35 *CL.* Atenim spem istoc pacto rursum nuptiarum omnem eripis: Nam dum amicam hanc meam esse credet, non committet filiam. Tu fortasse, quid me fiat, parvi curas, dum illi consulis.

SY. Quid, malum, me atatem censes velle id adsimularier? Unus est dies, dum argentum eripio, pax! nihil amplius.

40 *CL.* Tantum sat habes? quid tum quaeso, si hoc pater resciverit?
SY. Quid, si redeo ad illos, qui ajunt, quid si nunc caelum ruat?
CL. Metuo, quid agam? *SY.* metuis? quasi non ea potestas sit tua, Quo velis in tempore ut te exsolvas, rem facias palam.

CL. Age, age, traducatur Bacchis. *SY.* optume. ipsa exit foras.

INTERPRETATIO.

dicet nostro Chremeti istam Bacchidem esse amicam Clitiphonis, tamen Chremes nullam fidem dictis illius adhibeat. *CL.* Sed certe rursus adimis mihi hoc modo omnem spem nuptiarum Antiphila: nam dum ipse Chremes credet hanc Bacchidem à me amari, non tradet mihi filiam suam uxorem. Fortasse tu, Syre, parum curas, quid fiet de me, dum modo provideas Clitiphoni. *SY.* Quid (malum) putasne per longum tempus id velle fingi de Bacchide? Vnum diem tantum postulo simulationi, dum argentum aufero: nullum amplius volo tempus. *CL.* Tan-

tum sat habes temporis ad pecuniam eripiendam? Quaeso quid deinde sequitur, si Chremes hoc figmentum perceperit? *SY.* Quid si me remittis ad illos, qui dicunt, quid si caelum labatur deorsum? *CL.* Dubito, quid debeam agere. *SY.* Dubitas? quasi non habeas potestatem hanc, ut te liberes quando tibi libebit, & palam dicaste velle Antiphilam uxorem, & Bacchidem esse amicam Clitiphonis, non verotnam *CL.* Eia, age, Bacchis ad nos deducatur. *SY.* Optime: ipsa Bacchis domo Chremetis egredietur opportune.



ACTUS IV. SCENA IV.

BACCHIS. CLINIA. SYRVS. DROMO.

PHRYGIA.

B. A. Sati' pol proterve me Syri promissa huc induxerunt, Deceperit; saepe obsecrans me, ut veniam, frustra veniet: Aut, cum venturam dixerò, & constituero; cum is certe Renunciarit; Clitipho cum in spe, pendebit animi; Decipiam, ac non veniam; Syrus mihi tergo poenas pendet. *CL.* Sati' scite promittit tibi. *SY.* atqui tu hanc jocari credis? Faciet, nisi caveo. *B. A.* dormiunt. pol ego istos commovebo. Mea Phrygia audistin', modo iste homo quam villam demonstravit
10 *Charini?* *PH.* audivi. *B. A.* proxumam huic fundo ad dexteram? *PH.* memini.
B. A. Curriculo percurrere: apud eum miles Dionysia agit.
SY. Quid inceptat? *B. A.* dic me hic oppidò esse invitam, atque asservari:

INTERPRETATIO.

B. A. *P.* Er Pollucem satis ineptè, & inconsideratè, promissa Syri me huc ad Clitiphonem induxerunt, propter decem minas quas Clitipho promittit se mihi daturum. Quod si Syrus nunc fefellerit me, ipse saepe mihi supplicans, ut Clitiphonem veniam, frustra veniet. Aut postquam promiserò me venturam, & tempus praefixero, isque Clitiphoni retulerit certum id fore, Clitipho vero ut veniam sperans, cum anceps animi pendebit, fallam eum, nec veniam, ut constitueram ei. Tum vero Syrus persolveret mihi poenas dorso suo. *CL.* Bacchis promittit tibi Syre satis lepide, se essetuturam, ut poenas luas, si eam decipis. *SY.* Sed certe, an tu credis Bacchidem hac joco dicere? Faciet id quod minatur, nisi providero ut illi pecunia subducatur à sene nostro. *B. A.* Desides sunt atque otiosi: ego excitabo istos (Cliniam & Syrum) O Phrygia mea, audistine, quam villam Charini iste homo paulo ante indicabat? *PH.* Audivi. *B. A.* Audivistine eam esse vicinam huic praedio dextrorsum? *PH.* Recordor istum hominem ita demonstrasse. *B. A.* Illuc celeriter curre uno cursu, sine intermissione. Miles celebrat Bacchanalia apud eum. *SY.* Quid hac Bacchis de novo parat? *B. A.* Nuncia illi me custodiri arctè apud Chremetem, contra voluntatem:

ANNOTATIONES.

1. *P.* Promissa huc induxerunt.] Sic explico; Satis pol proterve me Syri promissa ad Clitiphonem huc duxerunt, in decem minas; id est ad decem minas accipiendas quas Clitipho pollicitus est dare mihi.

2. Decem minas.] Mina continet centum drachmas, Drachma valet sex assibus Turonensibus: valet igitur mina triginta libras Turonenses, & decem minae valent trecentas ejusmodi libras, vel centum Coronatos.

Verum aliquo pacto verba me his daturam esse, & venturam.
S Y. Perij hercle: Bacchis, mane, mane: quo mittis istanc,
 quaso?

15 Jube maneat. *B A.* abi. *S Y.* quin paratum est argentum. *B A.* quia
 ego maneo.

S Y. Atqui jam dabitur. *B A.* ut lubet, num ego in isto? *S Y.* at
 scin' quid, fodes?

B A. Quid? *S Y.* transeundum nunc tibi ad Menedemum est, &
 tua pompa

Eo traducenda est. *B A.* quam rem agi' scelus? *S Y.* ego argen-
 tum cudo,

Quod tibi dem. *B A.* dignam me putas, quam illudas? *S Y.* non
 est temere.

20 *B A.* Etiamne tecum hic res mihi est? *S Y.* minime: tuum tibi
 reddo.

B A. Eatur. *S Y.* sequere hac. heus, Dromo. *DR.* quis me volt?
S Y. Syrus. *DR.* quid est rei?

S Y. Ancillas omnes Bacchidis traduce huc ad vos properè.

B A. Quam ob rem? *S Y.* ne quæras. efferunt, quæ secum huc
 attulerunt.

Sperabit sumptum sibi senex esse harumc' abitu levatum.

25 Næ illæ haud scit, hoc paulum lucri quantum ei damni apporret.

I N T E R P R E T A T I O.

verum me verbis decepturam illos qui hic me detinent, quovis modo, & ad eum venturam. *S Y.* Mehercule nullus sum. O Bacchis, siste, siste, obsecro: quod mittis Phrygiam? lube non eat quod missa est. *B A.* Phrygia, abi quod te jussi ire. *S Y.* Imo, decem mina sunt parata. *B A.* Imo, ego maneo. *S Y.* Sed certe statim accipies pecuniam. *B A.* Quemadmodum tu vis. Detur nec ne, non curo amplius. Num urgeo, ut des? *S Y.* Sed scisne, amabo, quid facias? *B A.* Quid? *S Y.* Oportet transeas nunc ad ades Menedemi, & tuus ancillarum comitatus eo traducatur. *B A.* O sceleste, quid moliris? *S Y.* Quarisne, quid ego moliar? Pecuniam fabrico, quam tibi tradam.

B A. Putasne me esse idoneam, quam derideas & fallas? *S Y.* Non sine causa id ago. *B A.* Habto me quicquam negotij hic recum? *S Y.* Minime, sed solvo mori tibi quod est promissum. *B A.* Eatur, si ita est, ut dicis. *S Y.* Sequere me hac parte, Bacchis. Heus Dromo, *DR.* Quis me appellat? *S Y.* Syrus te vult. *DR.* Qua res de novo obtigit? *S Y.* Traducfe-
 stinanter hinc ad vos, omnes ancillas Bacchidis. *DR.* Quamobrem? *S Y.* Noli quarere; & ipsa ancilla secum exportent, quacumque huc asportaverunt. Chremes sperabit impensas sibi esse diminutas harum discessu muliercularum; certe senex Chremes ignorat, quantum damni, hoc paulum lucri afferat ei.

A N N O T A T I O N E S.

25. Næ ille.] Significat Syrus senem Chremetem facilius potuisse Bacchidem aliquandiu alere, quam decem minis defraudari.

Tu

Tu nescis id quod scis Dromo, si sapias. *DR.* mutum dices.

I N T E R P R E T A T I O.

Tu Dromo, quod scis, dissimulabis, quasi taciturnus ea sum, ut mutum me esse dicas. nescias, si sapienter vis agere. *DR.* Adeo

A N N O T A T I O N E S.

26. Tu nescis id, quod scis.] Sic Terentius in Eunuchis: Tu pol si sapias, quod scis, nescis, est figura dicta Græcè ἐξουαεσν. Composita hæc vox ex ἐξυς, acutus, & μωεσ, fatuus. Nempe acute dicitur, quod fatue prolatum videtur, sic Cicero in Bruto: Eloquentia loqui dedidicit, & Horatius, Ode 35. lib. 1. Insanientis dum sapientia Consultus erro.

A C T U S I V. S C E N A V.

C H R E M E S. S Y R U S.

CH. Ita me Dij amabunt, ut nunc, Menedemi vicem
 Miseret me, tantum devenisse ad eum mali.

Illancne mulierem alere cum illa familia?

Eti scio, hosce aliquot dies non sentiet;

5 Ita magno desiderio fuit ei filius.

Verum ubi videbit tantos sibi sumptus domi

Quotidianos fieri, nec fieri modum,

Optabit rursum ut abeat ab se filius.

Syrum optume eccum. *S Y.* cesso hunc adoriri? *CH.* Syre,
S Y. hem.

10 Quid est? te mihi ipsum jam dudum optabam dari.

CH. Videre egisse jam nescio quid cum sene.

S Y. De illo quod dudum? dictum factum reddidi.

CH. Bonan' fide? *S Y.* bona hercle. *CH.* non possum pati;

I N T E R P R E T A T I O.

CH. Ita me Dij juvent, ut nunc miseror incommodi Menedemi; scilicet tanta in eum mala cecidisse. Itane est, ut alenda sit ei mulier illa (Bacchis) cum tanto ancillarum comitatu? Quamvis non sum nescius eum egre non laturum per aliquot dies tantum impensarum onus, adeo desideravi filium videre: sed quando cognoscer tantos sumptus quotidie faciendos esse in homo sua, idque omnino ultra modum, denuo cupiet ut filius à se discedat. Ecce hic Syrus opportunè. *S Y.* Quid moror verbis aggredi Chremetem? *CH.* Syre. *S Y.* Hem, quid est? jam dudum desiderabam te mihi obviam offerri. *CH.* Videris egisse jam nescio quid cum Menedemo. *S Y.* De illa re, quam longa ante communicaveramus? Vt dixi, sic effect. *CH.* Verene dicis? *S Y.* Per Herculem verè dico. *CH.* Non possum abstinere

B b

- Quin tibi caput demulceam. accede huc Syre :
- 15 Faciam boni tibi aliquid pro ista re, ac lubens.
SY. At si scias, quam scite in mentem venerit!
CH. Vah! gloriare evenisse ex sententia?
SY. Non hercle vero: verum dico. *CH.* dic, quid est?
SY. Tui Clitiphonis esse amicam hanc Bacchidem
- 20 Menedemo dixit Clinia, & ea gratia
 Secum adduxisse, ne id tu pensentisceres.
CH. Probe. *SY.* dic fodes. *CH.* nimium, inquam. *SY.* imo si
 scias.
- Sed porro ausculta quod superest fallaciae.
 Sese ipse dicet tuam vidisse filiam:
- 25 Sibi complacitam ejus formam, postquam aspexerit.
 Hanc cupere uxorem. *CH.* modone quae inventa est? *SY.* eam.
 Et quidem jubebit posci. *CH.* quam ob rem istuc Syre?
 Nam profum nihil intelligo. *SY.* hui, tardus es.
CH. Fortasse. *SY.* argentum dabitur ei ad nuptias.
- 30 Aurum, atque vestem, qui, tenesne? *CH.* comparet?
SY. Idipsum. *CH.* at ego illi nec do, nec despondeo.
SY. Non? quam ob rem? *CH.* quam ob rem me rogas? homini,
SY. ut lubet.
- Non ego in perpetuum dicebam illam illi ut dares,
 Verum ut simulares. *CH.* non mea est simulatio:
- 35 Ita tu istaec tua misceto, ne me admisceas.

INTERPRETATIO.

ut non tibi caput demulceam, ita mihi places. O Syre, appropinqua ad me; faciam tibi aliquid boni pro ista astutia, idque lubenti animo. *SY.* Sed si scires quantum ingeniose adinveni. *CH.* Vah! in hoc tibi falso fortasse apud me gloriaris, quod res evenerit ut volebas? *SY.* Non mehercule vero: verum dico. *CH.* Dic quid hoc est. *SY.* Clinia dixit patri suo Menedemo hanc Bacchidem esse amicam filij tui Clitiphonis, & se eam adduxisse secum ea de causa ne tu id perciperes. *CH.* Optime, scite inventum. *SY.* Dic vere amabo. *CH.* Valde scite, inquam. *SY.* Imo magis scite inventum, si scias: sed deinde audi quod reliquum est astutiae. Ipse Clinia dicet se vidisse tuam filiam Antiphilam, ejusque pulchritudinem sibi complacuisse, ubi primum illam vidit; uxorem suam esse velle. *CH.* Dicisne eam quam paulo ante

nostram esse reperimus? *SY.* Eandem; & certe mandabit eam a te in uxorem peti. *CH.* Cur dicis istud, Syre? nam omnino sermonem tuum non capio. *SY.* Vah, quam tardi es ingenij, qui verba mea non capias! *CH.* Fortasse id in causa est. *SY.* Pecunia dabitur Clinia ad nuptias, quae emat ornamenta aurea, indumenta, mundum & suppellectilem; intelligisne? *CH.* Pecuniam qua emat sibi talia? *SY.* Idipsum est. *CH.* Sed ego Chremes neque do, neque despondeo filiam meam in uxorem. *SY.* Quare non das? *CH.* Quare? num id quaris a me? filiam meam dem uxorem juveni huic, qui more fugitivi servi, patre reliquit, & qui meretricem amat? *SY.* Fac ut lubet. Ego non dicebam ut eam illi propriam in manum dares, verum ut sparges te daturum. *CH.* Non est meum quid simulare: tu misceto fallacias & rebus tuas eo modo ut non me hu intermiscas.

- Egon cui daturus non sum, ut ei despondeam?
SY. Credebam. *CH.* Minime. *SY.* Scite poterat fieri:
 Et ego hoc, quia dudum tu tantopere jussieras,
 Eo coepi. *CH.* credo. *SY.* caeterum equidem istuc, Chreme,
 40 Equi bonique facio. *CH.* atqui cum maxime
 Volo te dare operam ut fiat, verum alia via.
SY. Fiat: quaeratur aliud. sed illud quod tibi
 Dixi de argento, quod ista debet Bacchidi;
 Id nunc reddendum est illi. neque tu scilicet:
 45 Eo nunc confugies. quid mea? num mihi datum est?
 Num jussi? num illa oppignerare filiam
 Meam me invito potuit? verum illud, Chreme,
 Dicunt: jus summum, saepe summa est malitia.
CH. Haud faciam. *SY.* imo aliis si licet, tibi non licet.
 50 Omnes te in lauta & bene parte aucta putant.
CH. Quin egomet jam ad eam deferam. *SY.* imo filium
 Jube potius. *CH.* quam ob rem? *SY.* quia enim in eum suspicio est
 Translata amoris. *CH.* quid tum? *SY.* quia videbitur
 Magis verisimile id esse, cum hic illi dabit:
 55 Et simul conficiam facilius ego, quod volo.
 Ipse adeo adest, abi, effere argentum. *CH.* effero.

INTERPRETATIO.

visne ut despondeam meam filiam in uxorem, ei, cui dare nolo? *SY.* Credebam te velle id facere. *CH.* Minime. *SY.* Id subtiliter poterat fieri, & ego ideo ostes sum hanc technam, quoniam ita instanter id jubebas. *CH.* Credo. *SY.* Sed certe, here, istud aequi bonique causa facio. *CH.* At vero deinde volo te summopere conari, ut fallacia intendatur in Menedemum; verum volo id fieri alio modo. *SY.* Fiat: alius modus excogitetur: sed illud quod tibi dixi de argento, quod ista filia tua debet Bacchidi, propterea quod ei oppignerata fuit, istud argentum Bacchidi persolvendum est, neque tu nimirum recurras ad id prae-textus, dicendo, quid mea interest? num mihi creditum est? num mandavi ut daretur? num anus illa jus habuit danai filiam meam piguari me nolente? o Chremes, verum

est istud, quod vulgo dicitur; nimius juris rigor, saepe nimis pugnat cum aequitate. *CH.* Non confugiam ad eas summi juris rationes. *SY.* Sed si juris ille rigor alijs permittitur, tamen non decet te eo uti quod omnes te numerant inter lautos, & locupletes. *CH.* Quin imo, ego nunc argentum feram ad Bacchidem. *SY.* Sed potius jube filium id facere. *CH.* Quare? *SY.* Certè quia suspicio amoris translata est in hunc filium tuum, qui putatur a Menedemo esse Bacchidis amator. *CH.* Quid inde sequitur, si talis putatur? *SY.* Quia id videbitur esse verisimilius, cum filius tuus dabit illi Bacchidi argentum hoc. Et simul officiam minimo negotio id quod incepi; facilius decipiam Menedemum. Certè Clitipho ipse advenit, o Chreme, id domum & argentum profer. *CH.* Profero.



ACTUS IV. SCENA VI.

CLITIPHO. SYRVS.

- CL. **N**ulla est tam facilis res, quin difficilis fiet,
 Quam invitata facias. vel me hæc deambulatio;
 Quam non laboriosa, ad languorem dedit:
 Nec quidquam magis nunc metuo, quam ne denuo
 5 Miser aliquo extrudat hinc, ne accedam ad Bacchidem.
 Ut te quidem omnes Dij, Deæ, quantum est, Syre,
 Cum tuo istoc invento, cumque incepto perduint.
 Hujusmodi mi res semper comminiscere,
 Ubi me excarnifices. SY. I tu hinc quo dignus es;
 10 Quam pene tua me perdidit protervitas.
 CL. Vellem hercle factum: ita meritu'. SY. Meritu', quomodo?
 Næ me istuc ex te prius audisse gaudeo,
 Quam argentum haberes, quod daturus jam fui.
 CL. Quid igitur dicam tibi vis: abiisti, mihi
 15 Amicam adduxti, quam non licitum est tangere.
 SY. Jam non sum iratus: sed scin' ubi nunc sit tibi
 Bacchis? CL. apud nos, SY. non. CL. ubi ergo? SY. apud
 Cliniam.
 CL. Perij. SY. bono animo es. jam argentum ad eam deferes,
 Quod ei es pollicitus. CL. garris. unde? SY. à patre.
 20 CL. Ludis fortasse me. SY. ipsa re experibere.

INTERPRETATIO.

CL. **N**ulla res est tantum facilis, ut difficilis non videatur, si eam contra voluntatem facias. Etiam hæc deambulatio minimi laboris, quam me defatigavit & languescit! Neque nunc timeo ullam rem magis, quam ut iterum ejiciat hinc in aliquem locum, ne possim ire ad amicam. O Syre, utinam omnes Dij, Deæque, quotquot sunt, te perdant cum isto commento tuo & consilio. Tu mihi semper excogitas ejusmodi res, in quibus me excrucies, SY. Tu ipse hinc abi in malam rem, ut meruisti. Quam pene tua petulantia ad perniciem adigit me. CL. Per Herculem, vellem id evenisse, ita dignus es exitio. SY. Dignus? quâ de causa? Certe gaudeo istud me convitium à te audisse, antequam pecuniam accipias, quam statim tibi numeraturus eram. CL. Quid igitur vis dicam aliud, cum causam aliter dicendi mihi non deris? hinc discessisti, adduxisti mihi amicam, quam non permittatur attrahere? SY. Iam non sum iratus propter felicem exitum mei incepti: sed scin', ubi nunc sit amica tua Bacchis? CL. Est in domo nostrâ, SY. Non est, CL. Vbi igitur? SY. Apud Cliniam. CL. Occidi. SY. Animo bono esto: jam deferres ad eam argentum, quod ei promisisti. CL. Nugaris. Unde istud argentum sumetur. SY. A patre tuo. CL. Fortasse derides me. SY. Experiere ipso factu.

CL. Næ ego fortunatus homo sum: deamo te, Syre.
 SY. Sed pater egreditur, cave, quidquam admiratu' sis,
 Qua caussa id fiat, obsecundato in loco.
 Quod imperabit, facito: loquitur paucula.

INTERPRETATIO.

CL. Certe ego sum homo fortunatus: quam videaris, nempe quod argentum valde te amo, Syre. SY. Quâ causâ accipias deferendum ad Bacchidem. Fac tibi hæc pecunia tradatur, noli quærere; cito id quod ille imperabit, loquere ad tantum obsequere in tempore. Sed pater modum pauca verba, ne ex sermone tuus domo exit, vide ne tu mirari quicquam suspicio ei oboriatur.

ACTUS IV. SCENA VII.

CHREMES. CLITIPHO. SYRVS.

- CH. **U**bi Clitipho nunc est? SY. eecum me, inque. CL. eecum hic tibi.
 CH. Quid rei esset, dixti huic? SY. dixi pleraque omnia.
 CH. Cape hoc argentum, ac defer. SY. hei, quid stas, lapis? Quin accipis? CL. cedo sane. SY. sequere hæc me ocyus:
 5 Tu hic nos, dum eximus, interea opperibere:
 Nam nihil est illic, quod moremur diutius.
 CH. Minas quidem jam decem habet à me filia:
 Quas pro alimentis esse nunc duco datas.
 Hæc ornamentis consequentur alteræ.
 10 Porro hæc talenta dotis apposcunt duo.
 Quam multa iniusta ac prava fiunt moribus!
 Mihi nunc, relictis rebus, inveniendus est
 Aliquis, labore inventa mea cui dem bona.

INTERPRETATIO.

CH. **U**bi nunc est Clitipho? SY. ubi est Bacchis. CH. Certe filia mea Clitipho, dic, adsum. CL. à me jam habet decem minas, quas a-
 Hic adsum, tibi morem gerere paratus, stimo me dedisse pro nutrimentis ejus:
 CH. Syre, dixistine filio meo qua res altera decem mina consequentur hæc
 SY. Dixi pleraque omnia. CH. Cape pro ornamentis corporis, hæc deinde or-
 has decem minas, Clitipho, ac defer ad namenta requirent sibi adjungi duo ta-
 Bacchidem. SY. Hei, stupide, cur stas? lenta pro dote. Quam multa iniusta, &
 cur non accipis argentum? CL. Certe perversa sunt, his corruptis temporis mo-
 dato. SY. Sequere me per hanc viam ribus, ut nimij & supervacanei sumptus
 cito. Tu, Chremes, interea dum ibi in liberis & educandis, & elocandis
 mus, expectabis nos in hoc loco, donec siant! Aliquis est nunc reperendus mi-
 egredimur: nam nulla est causa, pro hi sponsus filia, omnibus alijs negotijs
 ter quam longam moram faciamus istic, pratermissis, cui dem bona mea parva cor-
 poris opera, & mentis industria.

ACTUS IV. SCENA VIII.

MENEDEMV S. CHREME S.

ME. **M**ulto omnium nunc me fortunatissimum
Factum puto esse, gnate, cum te intelligo
Resipisse. *CH.* ut errat! *ME.* te ipsum quærebam, Chreme:
Serva, quod in te est, filium, & me, & familiam.
CH. Cedo, quid vis faciam? *ME.* invenisti hodie filiam.
CH. Quid tum? *ME.* hanc uxorem sibi dari volt Clinia.
CH. Quæso, quid tu hominis es? *ME.* quid? *CH.* jamne obli-
tus es,

Inter nos quid sit dictum de fallacia,
Ut ea via abs te argentum auferretur? *ME.* scio.

CH. Ea res nunc agitur ipsa. *ME.* quid dixti, Chreme?
Erravi. res acta est. quanta de spe decidi!

CH. Imo, hæc quidem quæ apud te est, Clitiphonis est
Amica. *ME.* ita ajunt. *CH.* Et tu credis? *ME.* omnia.

CH. Et illum ajunt velle uxorem, ut, cum desponderis,
ME. Id est profecto: id amicæ dabitur. *CH.* scilicet
Daturum! *ME.* ah' frustra igitur gavissus sum miser.
Quidvis tamen jam malo, quam hunc amittere.

Quid nunc renunciem abs te responsum, Chreme?

INTERPRETATIO.

ME. **M**I fili, existimo me factum
esse multo felicissimum om-
nium, qui nunc vivunt, cum cognosco
te ad meliorem mentem rediisse. *CH.*
Quantum fallitur arbitrans filium resi-
puisse! *ME.* O Chreme, te ipsum
quærebam. Serva me, & filium Cli-
niam & familiam, quod potes. *CH.*
Dic, quid me vis facere? *ME.* Filiam
tuam hodierno die reperisti. *CH.* Quid
inde sequitur? *ME.* Clinia cupit hanc
filiam tuam sibi tradi in uxorem. *CH.*
Obsecro, qualis homo es tu? *ME.* Qua-
lis homo sum? *CH.* An oblivioni man-
dasti ea, qua collocuti sumus de falla-
cia in te per servum faciendâ: scilicet
ut sito matrimonio, argentum tibi eri-
peretur. *ME.* Teneo memoria ea de qui-
bus inter nos convenit. *CH.* Fallacia
ista nunc fit, quam tu putas esse rem se-
riam. *ME.* O Chreme, quid dixisti?
falsus sum: sic res acta est, ut decipiar.
Quanta spe privatus sum? *CH.* Imo
hæc Bacchis, qua est in adibus tuis, est
amica Clitiphonis. *ME.* Sic dicunt fi-
lius, & servi. *CH.* Et tu credis? *ME.*
Credo. *CH.* Et illi servi dicunt illum
filium tuum Cliniam petere sibi uxorem:
ut ubi filiam meam in matrimonium
illi promiserim, ei tradas pecuniam,
quâ coëmat ornamenta aurea, ac ve-
stimenta, atque alium ornatum qui ad
nuptias requiritur? *ME.* Certe ita res
se habet: id argentum dabitur amica
Bacchidi. *CH.* Scilicet credas eum da-
turum. *ME.* Vah! igitur ego miser
frustra latatus sum, existimans filium
resipuisse: tamen malo quidvis mihi pe-
rire quam filium. Quid referam fi-
lio nunc, te mihi respondiisse, Chreme,

ME. Ne sentiat me sensisse, atque ægre ferat?
CH. Ægre? nimium illi, Menedeme, indulges. *ME.* sine;
Inceptum est: perfice hoc mihi perpetuum, Chreme.
CH. Dic convenisse, egisse te de nuptiis.
ME. Dicam: quid deinde? *CH.* me facturum esse omnia.
ME. Generum placere: postremo etiam, si voles,
Desponsam quoque esse dicito. *ME.* hem, istuc volueram.
CH. Tanto ocyus te ut poscat, & tu id, quod cupis,
Quam ocyssime ut des. *ME.* cupio. *CH.* nã tu propediem,
Ut istam rem video, istius obsaturabere.
ME. Sed hæc ut ut sunt, cautim, & paulatim dabis,
CH. Si sapiens. *ME.* faciam. *CH.* abi intro: vide, quid postulet.
Ego domi ero, si quid me voles. *ME.* sane volo:
Nam te scientem faciam, quidquid egero.

INTERPRETATIO.

ne filius intelligat me intellexisse falla-
ciam, idque moleste ferat? *CH.* Mo-
leste ferat? O Menedeme, nimium illi
permittis. *ME.* Sine, jam incepti ei
indulgere. Perfice o Chreme, ut perpetuo id
mihi liceat. *CH.* Dic illi te me adiisse, &
mecum de nuptijs contrahendis egisse. *ME.*
Dicam: quid postea? *CH.* Dic me
esse facturum omnia, qua petit, dic
quoque gratum esse mihi, eum mihi ge-
nerum fieri: postremo si voles dicito si-
liam meam à me ipsi desponsam esse. *ME.*
Filiam tuam ipsi esse desponsam? hem,
cupiebam te hæc dicere, ut ei renun-
ciarem. *CH.* Dic illi ista, ut tanto
citius à te pecuniam petat, & tu illi
quancivissime quod cupis illi dare, lar-
giaris. *ME.* Cupio dari, quodcumque
poscet. *CH.* Certe ut considero sumptum,
quem es factururus brevi, te satias capiet
istius filij. Sed, ita ut hæc res se habent,
si sapienter vis te gerere, dabis argen-
tum cum omni cautela & minutim. *ME.*
Ita faciam. *CH.* Abi domum tuam:
vide quid petat: ego manebo domi, se-
quid vis me facere. *ME.* Sane volo:
nam nihil faciam quicquam nisi ex tuo
consilio.

ACTUS QUINTI SCENA I.

MENEDEMV S. CHREME S.

ME. **E**GO me non tam astutum, neque ita perspicacem esse, id
scio:
Sed hic adjutor meus, & monitor, & præmonstrator Chremes
Hoc mihi præstat. in me quidvis harum rerum convenit,
Quæ sunt dictæ in stultum, caudex, stipes, asinus, plumbeus;

INTERPRETATIO.

ME. **C**ERTO scio me non esse tam cal-
lidum, neque ita circumspectum:
Sed hic Chremes auxiliator meus, & consi-
liarius, & præceptor in hoc me anteit. Om-
nia qua dicuntur in stultum, in me concur-
runt, caudex, stipes, asinus, plumbeus:

- 5 In illum nil potest : exsuperat ejus stulticia omnia hæc.
CH. Ohe , jam desine Deos uxor gratulando obrundere ;
 Tuam esse inventam gnatum ; nisi illos tuo ex ingenio judicas ;
 Ut nil credas intelligere , nisi idem dictum est centies .
 Sed interim quid illic gnatus cessat cum Syro ?
- 10 *ME.* Quos ais homines , Chreme , cessare ? *CH.* hem , Menedeme , advenis ?
 Dic mihi , Clinia , quæ dixi , nunciastin' ? *ME.* omnia .
CH. Quid ait ? *ME.* Gaudere adeo coepit , quasi qui cupiunt nuptias .
CH. Ha , ha , he . *ME.* Quid risisti ? *CH.* servi venere in mentem Syri
 Calliditates . *ME.* itane ? *CH.* voltus quoque hominum fingit scelus .
- 15 *ME.* Gnatus quod se assimulat lætum , id dicis ? *CH.* id . *ME.* idem istuc mihi
 Venit in mentem . *CH.* veterator . *ME.* magi' si magi' noris , putes Ita rem esse . *CH.* ain' tu ? *ME.* quin tu auscultata . *CH.* mane : prius hoc scire expeto ,
 Quid perdidideris , nam ubi desponsam nuntiasti filio ,
 Continuo injecisse verba tibi Dromonem scilicet ,
 20 Sponsæ vestem , aurum , atque ancillas opus esse , argentum ut dares .
ME. Non . *CH.* quid non ? *ME.* non , inquam . *CH.* neque ipse gnatus ? *ME.* Nil profusus , Chreme .

INTERPRETATIO.

in illum nequaquam ; nam ejus vecordia excedit hæc omnia . *CH.* Ohe , uxor , cessa tadio & molestia Deos aspicere toties gratias agendo , nisi illos ex tua natura aestimes , ut tibi persuadeas nihil illos percipere , nisi eadem centies eis dixeris . Sed imerea cur Clitipho moratur tandiu cum Syro apud Menedemum ? *ME.* O Chremes , quos homines dicis morari tandiu ? *CH.* O Menedeme , ergo hic ades ? dic mihi , retulistine Clinia qua tibi respondi ? *ME.* Omnia . *CH.* Quid dixit ? *ME.* Incepit latari , tanquam illi qui volunt cupide uxorem habere . *CH.* Ha , ha , he . *ME.* Quid risisti ? *CH.* Astutia Syri venerunt mihi in memoriam . *ME.* Itane est ? *CH.* Etiam scelestus ille format & docet homines vultus componere ad simulandum quemlibet habitum . *ME.* An

hoc ais , propterea quod filius Clinia fingit se esse lætum ? *CH.* Scilicet . *ME.* Eiusdem rei memini . *CH.* Syrus est veteranus in astutia & fallacijs , *ME.* Magis id verum esse , si eum magis cognoscas , existimes . *CH.* Itane est , ut dicis ? *ME.* Quin te auscultata . *CH.* Siste paululum ; prius audire cupio quid perdidideris per ejus technam & fallaciam : nam postquam nunciasti filio tuo filiam meam Antiphilam illi in uxorem à me promissam , nonne verum est Dromonem dixisse tibi illud necesse esse , ut dares sponsa filij vestimenta , ornamenta aurea , pedissequas , servas , argentum ? *ME.* Nihil mihi quidquam horum dixit ? *CH.* Quid non dixit ? *ME.* Nihil , inquam , quidquam simile dixit . *CH.* Neque ipse filius ? *ME.* N . Nihil profusus .
 Magis

- Magis unum etiam instare , ut hodie confierent nuptiæ .
CH. Mira narras . quid Syrus meus ? ne is quidem quidquam ?
ME. nihil .
CH. Quamobrem ? *ME.* Nescio equidem : sed te miror , qui alia tam plane scias .
- 25 Sed tuum ille quoque Syrus idem mire finxit filium ,
 Ut ne paululum quidem suboleat amicam esse hanc Clinia .
CH. Quid ais ? *ME.* mitto jam osculari , atque amplexari : id nil puto .
CH. Quid est , quod amplius simuletur ? *ME.* vah . *CH.* quid est ?
ME. audi modo .
 Est mihi ultimis conclave in ædibus quoddam retro :
 30 Huc est intro latus lectus , vestimentis stratus est .
CH. Quid , postquam hoc est factum ? *ME.* dictum factum , huc abiit Clitipho .
CH. Solus ? *ME.* solus . *CH.* timeo . *ME.* Bacchis consecuta est illico .
CH. Sola ? *ME.* sola . *CH.* perij . *ME.* ubi abiere intro , operuere ostium . *CH.* hem !
 Clinia hæc fieri videbat ? *ME.* quid ni ? unà mecum simul .
 35 *CH.* Filij est amica Bacchis , Menedeme : occidi .
ME. Quamobrem ? *CH.* decem dierum vix mihi est familia .

INTERPRETATIO.

sed potius urgebat solummodo , ut hodie die nuptia celebrarentur . *CH.* Mira refers . Quid ? Syrus servus meus nihilne etiam quidquam petijt ? *ME.* Nihil . *CH.* Cur nihil petijt ? *ME.* Hoc ego quidem ignoro : sed te illud nescire valde miror , qui tam clarè & perspicuè res alias scias ; ille idem Syrus informavit etiam mirum in modum filium , adè ut ne tantillum quidem sentiat quisquam amorem Clinia erga Bacchidem . *CH.* Quid ais ? *ME.* Nunc mitto osculationes , atque amplexus Clitiphonis & Bacchidis . *CH.* Quid est quod amplius simulari possit , ubi ventum est ad oscula , & amplexus ? *ME.* Vah ! *CH.* Quid est ? *ME.*

Auscultata nunc mihi . Est quoddam cubiculum secretum in interiori parte domus mea : lectus portatus est intrò in istud cubiculum : paratus est , & ornatus est stragulis . *CH.* Postquam hoc factum est , quid consecutum ? *ME.* Dicto citius , Clitipho in conclave se conjecit . *CH.* Solus ? *ME.* Solus . Bacchis illic eodem abiit post illum . *CH.* Sola ? *ME.* Sola . *CH.* Perditus sum . *ME.* Postquam introierunt , clauserunt januam . *CH.* Hem ! Clinia hæc intuebatur ? *ME.* Cur non intuitus esset ? mecum simul unà intuebatur . *CH.* O Menedeme , Bacchis est amica filij Clitiphonis : perij . *ME.* Quamobrem ? *CH.* Vix habeo rem familiarem ad decem dies .

ANNOTATIONES.

28. *ME.* Vah .] Hæc interjectione Vah ! Menedemus significat multo plura esse ignota Chremeti .

Se. hic ita, ut liberos est æquom, dictis confutabitur.
Sed Syrum. *ME.* quideum? *CH.* egone? si vivo, adeo exor-
natum dabo,

Adeo depexum, ut, dum vivat, meminerit semper mei:
Qui sibi me pro ridiculo ac delectamento putat.

80 Non (ita me *Dij* ament) auderet facere hæc viduæ mulieri;
Quæ in me fecit.

I N T E R P R E T A T I O.

*se ad nuptias. Hic (Clitipho) ita ver-
bis convictus objurgabitur, ut iustum
est reprehendi liberos à parentibus; sed
Syrum puniam supplicio quo dignus est.
ME. Cur illum punies? CH. Qua-
risne? Si vita superest, ita illum ex-
sultum, politum & comptum dabo, ut*

*mei semper recordaturus sit: qui Syrus
putat me esse dignum, quem ludibrio ha-
beat, & fallat. Dij ita mihi sint pro-
pitij; ille Syrus non auderet facere vi-
dua mulierculæ ludos & technas quam
mihi fecit.*

A C T U S V. S C E N A II.

CLITIPHO. MENEDEMVS. CHREMES. SYRVS.

CL. **I** Tane tandem, quæso, est, Menedeme, ut pater
Tam in brevi spatio omnem de me ejecerit animum patris?
Quodnam ob facinus? quid ego tantum sceleris admisi miser?
Volgo id faciunt. *ME.* scio tibi esse hoc gravius multo, ac durius,
5 Cui sit: verum ego haud minus ægre patior id, qui nescio,
Nec rationem capio, nisi quod tibi bene ex animo volo. *CL.* hic
Patrem adstare ajebas? *ME.* eccum. *CH.* quid me incusas, Cli-
tipho?

Quidquid ego hujus feci, tibi prospexi, & stultitiæ tuæ.

Ubi te vidi animo esse omisso, & suavia in præsentia

10 *Quæ* essent, prima habere, neque consulere in longitudinem;

I N T E R P R E T A T I O.

CL. **O** Menedeme, rogo, itane tan-
dem pater expulit animo om-
nem paternam benevolentiam in tam
parvo tempore? propter quod delictum?
quod tam grave scelus ego infelix com-
misi? aequales mei facere solent quod
ego feci. *ME.* Scio hoc tibi, cui sit,
esse molestius & acerbius multo, quam
ulli alij; sed ego id fero non minus mo-
lestè tui causâ; id quomodo nescio nec

*causam, cur id doleam, intelligo, nisi
quod tibi cupio quavis omnia. CL. Di-
cebas hic patrem meum prope esse. ME.
Ecce eum. CH. O Clitipho, quid me
culpas? quidquid in hac refeci, ut pro-
viderem tibi, & tua insania, id factum est,
postquam te cognovi esse desidem & igna-
vum, & reputare ea esse præcipua, quati-
bi dulcia & jucunda sunt in tempore præ-
senti, neque providere longe in futurum;*

Cepi rationem, ut neque egeres, neque ut hæc posses perdere.

Ubi, cui decuit primo, tibi non licuit per te mihi dare,
Abij ad proximos tibi qui erant, eis commisi, & credidi.

Ibi tuæ stultitiæ semper erit præsidium, Clitipho;

15 *Victus, vestitus, quo in rectum te receptes. CL.* hei mihi!

CH. Satius est, quam te ipso hærede hæc possidere Bacchidem.

SY. Disperij: scelestus quantas turbas concivi insciens?

CL. Emori cupio. *CH.* prius, quæso, disce, quid sit vivere.

Ubi scies, si displicebit vita, tum istoc utitor.

20 *SY.* Hæc, licetne? *CH.* loquere. *SY.* at tuto. *CH.* loquere. *SY.* quæ
ista est pravitas,

*Quæ*ve amentia est, quod peccavi ego, id obesse huic? *CH.* ilicet,

Ne te admisce: nemo accusat, Syre, te: nec tu aram tibi,

Neque precatorem pararis. *SY.* quid agis? *CH.* nil succenseo,

Nec tibi, nec huic; nec vos est æquum, quod facio, mihi.

25 *SY.* Abiit. vah! rogasse vellem. *CL.* quid, Syre? *SY.* unde mihi
peterem cibum.

Ita nos alienavit. tibi jam esse ad sororem intelligo.

CL. Adeon' rem rediisse, ut periculum etiam famæ mihi sit, Syre!

SY. Modo liceat vivere, spes est. *CL.* quæ? *SY.* nos esurituros
fatis.

CL. Irrides in re tanta, neque me quidquam consilio adjuvas?

I N T E R P R E T A T I O.

*inveni modum, ut neque tu indigeres
necessarijs, neque posses absumere hac
mea bona. Postquam tibi, cui debui
primo hæredi, non potui propter tuos
mores mea bona donare, converti me
ad consanguinitate proximos, nempe ad
sororem: eorum fidei commendavi, o
Clitipho, illa bona; apud eos quoddam
perfugium, atque auxilium habebis
semper tua stultitia, victum, vestitum,
& rectum quò te recipias. CL. Hei
mihi! CH. Melius est ita me dispo-
suisse de bonis meis, quam Bacchidem
hac habere: quod fieret, si tu esses mi-
hi hæres. SY. Disperij. Quantos motus
ego scelestus excitavi imprudens. CL.
Moriam omnino desidero. CH. Obsecro,
disce primo quid sit cum virtute & ra-
tione vivere: postquam didiceris, si vita
perdas fueris, tunc uttor hoc sermo-
ne. SY. An permittis mihi te alloqui?
CH. Loquere. SY. At licetne loqui si-
ne periculo? CH. Loquere. SY. Quæ*

*est ista perversitas, vel qua est ista men-
tis insania, id nocere huic filio tuo quod
peccatum commisi? CH. Desine plura
loqui; ilicet: actum est quod constitui,
perficietur. Noli te in hoc negotio inter-
ponere, o Syre; nemo accusat te: noli
tibi querere asylum, nec deprecatorem,
quoniam non indignor, neque ulla tibi
minitor, neque Clitiphoni, nec iustum
est vos vicissim mihi irasci de eo, quod
facio. SY. Discessit, at vellem eum
interrogasse. CL. Quid? SY. Unde
mihi cibus dabitur, ita abdicavit nos.
Nunc video te victum habere apud sor-
rem, quam heredem sibi constituit. CL.
Adeone id verum est, forinam meam re-
dactam esse in eum statum, ut periculum
subeam fame pereundi? SY. Dummodo per-
mittatur nobis frui vita, spes est. CL. Qua-
nam spes relicta est? SY. Spes est fore ut
non mediocriter esurie premamur. CL. Ri-
des in re tam seria & misera, neque
aliquantulum consilio mihi succurris.*

- 30 S Y. Imo & ibi nunc sum, & usque dudum id egi, dum loquitur pater:
Et, quantum ego intelligere possum. C L. quid? S Y. non abierit longius.
C L. Quid est ergo? S Y. sic est, non esse horum te arbitror.
C L. quid istuc, Syre?
Satin' sanus es? S Y. ego dicam, quod mi in mentem: tu dijudica.
Dum istis fuisti solus, dum nulla alia delectatio,
35 Quae propior esset, te indulgebant, tibi dabant: nunc filia
Postquam est inventa vera, inventa est causa, qua te expellerent.
C L. Est verisimile. S Y. an tu ob peccatum hoc esse illum iratum putas?
C L. Non arbitror. S Y. nunc aliud specta: matres omnes filii
In peccato adjunctrices, auxilio in paterna injuria
40 Solent esse: id non fit. C L. verum dicis, quid ergo nunc faciam, Syre?
S Y. Suspicionem istam ex illis quare: rem profer palam.
Si non est verum, ad misericordiam ambos adduces cito, aut
Scibus cujus sis. C L. recte suades: faciam. S Y. sat hoc recte mihi in
Mentem venit: namque adolescens quam minima in spe situs erit,
45 Tam facillime patris pacem in leges conficiet suas.
Etiam haud scio an uxorem ducat, ac Syro nil gratiae.

INTERPRETATIO.

S Y. Imo, & nunc praesto sum tibi adjuutor, & semper adhuc fui: etiam dum pater loquebatur tecum, & quantum conjicere possum. C L. Quid est? S Y. Non diu pater absens futurus est. C L. Ergo quid est? S Y. Ita res se habet, opinor, te non esse filium horum Chremetis & Sostrata. C L. O Syre, cur dicis istud? Satisne mentis compos es? S Y. Ego dicam quod menti occurrat, tu arbitrare: quandiu parentibus unicus esse existimatus es, quandiu nulla fuit illis major, & propinquior voluptas quam in te: tibi favebant & faciles erant, tibi largè dabant: nunc postquam Antiphila filia reperta est, occasio est reperta propter quam te ejicerent. C L. Quod ais, probabile est. S Y. An opinaris Chremetem illum patrem tuum indignatum esse, ob hoc flagitium: quod scivit te Bacchidem amare? C L. Non opinor. S Y. Nunc considera aliam rem: omnes matres ut plurimum sunt auxiliatrices filijs suis, cum peccaverunt, & opem eis ferunt, quando pater in eos inique agit. Nunc vides matrem tuam minime te adjuvare. C L. Dicis verum. Quid ergo, Syre, mihi nunc agendum est? S Y. Quare ab illis id quod suspicaris, an sis eorum filius, necne: dic illis plane, quare adductus sis in eam suspicionem. Si id falso suspicaris, statim adduces eos ad miserandum tui: aut si verum est te non esse eorum filium, scies ex eorum relatione cuius sis. C L. Bene mihi consulis, quod suades faciam. S Y. Satis commode hac cogitatio mentem subijt, mihi que valde istud consilium placet: namque juvenis: quanto minus spei se habere simulabit, fore ut pro filio admittatur: tanto facilius pacem inibit, cum bono patre, his conditionibus quae dante voluerit filius. Et fortasse contiget ut Clitipho uxorem ducat: nihil tamen gratia habentur Syro.

Quid hoc autem? senex exit foras: ego fugio. adhuc quod factum est
Miror, non jussisse illico me arripi. ad Menedemum hinc pergam:
eum
Precatorem mihi paro: seni nostro fidei nihil habeo.

INTERPRETATIO.

Quid autem est hoc? Chremes egreditur, iam ad Menedemum: comparabo eum ego fuga mihi consulo. Miror eum non mihi intercessorem: non fido seni nostro imperasse adhuc me comprehendi. Persuadet Chremeti.

ACTUS V. SCENA III.

SOSTRATA. CHREMES.

- 50 P. Profecto, nisi caves tu homo, aliquid gnato conficies mali:
Idque adeo miror, qui tam ineptum quidquam potuerit tibi
Venire in mentem, mi vir. C H. oh, pergin' mulier esse; ullamne ego
Rem unquam volui, quin tu in ea re mihi adversatrix fueris, Sostrata? at
5 Si rogitem jam, quid est quod peccem, aut quamobrem id faciam, nescias;
In qua re nunc tam confidenter restas, stulta? S O. ego nescio.
C H. Imo, scis potius, quam quidem redeat ad integrum eadem oratio.
S O. Oh, iniquos es, qui me tacere de re tanta postules.
C H. Non postulo. jam loquere. nihilominus ego hoc faciam tamen.
10 S O. Facies? C H. verum. S O. non vides, quantum mali ex ea re excites?

INTERPRETATIO.

S O. Certe nisi provides tu homo, aliquod malum procurabis filio: & valde miror, mi conjux, quod pacto quicquam tam absurdum potueris in animum inducere. C H. Oh, perseverasne mulier molesta esse? Nullamne unquam rem volui, ut non mihi contraria fueris? Sed si nunc ego te interrogem quid est, in quo errem, aut quare id faciam, nescias respondere, in qua re nunc tam audacter resistis mihi, o fatua! S O. Ego ignoro scilicet? C H. Quin verò malo fateri te scire, & intelligere quid velim dicere, quam me de eadem re sermonem redintegrare. S O. Quin verò nullam aequitatis rationem habes, qui velis me silere de re tanti momenti, in qua agitur de perniciie filij. C H. Non peto ut fileas, jam loquere quantum voles: nihilominus exequar quod institui. S O. Exequeris? C H. Verum dico. S O. Non consideras, quantum mali moveas ex hac re, exheredatione filij:

Subditum se suspicatur. *CH.* subditum ! ain' tu? *SO.* certe inquam, mi vir.

CH. Confitere tuum non esse. *SO.* au, obsecro te, istuc inimicis fiet. Egon' confitear meum non esse filium, qui sit meus?

CH. Quid? metuis ne non, cum velis, convincas esse illum tuum?

15 *SO.* Quod filia est inventa? *CH.* non: sed, quod magi' credendum fiet,

Id quod est consimilis moribus;

Facile convinces ex te natum: nam tui similis est probe:

Nam illi nihil vitij est relictum, quin sit & idem tibi:

Tum præterea talem, nisi tu, nulla pareret filium.

20 Sed ipse egreditur: quam severus! rem, cum videas, censeas.

INTERPRETATIO.

ipse filius in suspicionem venit se esse suppositum, non verum filium. *CH.* Se esse suppositum opinatur? *SO.* Certe, mi conjux. *CH.* Fatera non esse filium tuum. *SO.* Au, rogo te, istud enuntiat inimicis nostris, Egon' dicam hunc non esse filium meum, qui sit meus? *CH.* Quid? an vereris, ne non possis eum volueris probare in judicio illum esse filium tuum? *SO.* Idcirco quod filia est reperta, hunc similiter meum esse filium probare possim? *CH.* Non

propter hoc dico, sed propter aliud quod magis fide dignum est, quia nempe tibi moribus est persimilis; idcirco facili probatione convinces eum te peperisse: nam ipse est tibi simillimus; nullum vitium illi relictum est, quod non & in te appareat: præterea nulla famina parvum ederet filium ejusmodi, nisi tu. Sed ipse *Clitipho* exit, quam gravis & serius. Si rei veritatem cognoscas; tunc judicis de ejus moribus quales sint, an revera sit severus & gravis.

ACTUS V. SCENA IV.

CLITIPHO. SOSTRATA. CHREMES.

CL. Siquam ullum fuit tempus, mater, cum ego voluptati tibi

Fuerim, dictus filius tuus tua voluntate, obsecro

Ejus ut memineris, atque inopis nunc te miserescat mei;

Quod peto, & volo, parentis meos ut commonstres mihi.

3 *SO.* Obsecro, mi gnate, nec istuc in animum inducas tuum,

INTERPRETATIO.

CLIT. Mater, si unquam fuit tempus ullum in quo tibi sui delectationi, appellatus filius tuus, te volente me talem crederet, quæso ut recorderis illius temporis, atque ut te misericordia mei egredi te moveat: quoniam posco, & cupio, ut indices mihi veros meos parentes. *SOST.* Fili mi, rogo ne istud tibi persuadens te esse suppositum, Alienum.

Alienum esse te. *CL.* sum. *SO.* miseram me! hoccine quæstisti, obsecro?

Ita mihi, atque huic sis superstes, ut ex me, atque ex hoc natus es: Et cave posthac, si me amas, unquam istuc verbum ex te audiam. *CH.* at

Ego, si me metuis, mores cave in te esse istos sentiam.

10 *CL.* Quos? *CH.* si scire vis, ego dicam: gerro, iners, fraus, helluo,

Ganeo, damnosus. crede; & nostrum te esse credito.

CL. Non sunt hæc parentis dicta. *CH.* non, si ex capite sis meo Natus, item ut ajunt Minervam esse ex Jove, ea causa magis Patiar, *Clitipho*, flagitiis tuis me infamem fieri.

15 *SO.* Di istæc. *CH.* Deos nescio: ego, quod potero enitar sedulo. Quæris id, quod habes, parentes: quod abest, non quæris, patri

Quomodo obsequare, & serves quod labore invenerit.

Non mihi per fallacias adducere ante oculos? pudet

Dicere, hac præsentem, verbum turpe: at te id nullo modo

20 Facere puduit. *CL.* eheu quam ego nunc totus displiceo mihi!

Quam pudet! neque, quod principium incipiam ad placandum, scio.

INTERPRETATIO.

& falsum filium. *CL.* Sum. *SO.* O me infelicem! an hoc, amabo, quære potuisti? ita mihi, ac *Chremetis* superstitias ut ex me matre, atque hoc patre genitus es. Et vide si me amas, ut nunquam ista proferas. *CH.* Sed si me times, cave ne intelligam istos mores malos inesse tibi. *CL.* Quos mores? *CH.* Si vis scire, ego exponam; cave ne sis nugator, ineptus, ignavus, sine arte & industria, fraudulentus, vorax, bonorum consumptor, scortator, perniciosus tuis parentibus (ut qui à me decem minas *Bacchidis* per servum extorsisti) crede meis præceptis, & ita credito te esse nostrum filium. *CL.* Talia verba contumeliosa nunquam procedunt ab eo qui verus est pater. *CH.* Non patiar me notari infamia propter tuam nequitiam, eâ causa quia sis filius meus; etiam si ex meo capite ortus fueris, similiter ut *Pœta* fingunt *Palladem* esse natam ex *Iove*. *SO.* Di istud prohibeant, te fieri infamem propter filium. *CH.* Nescio an Di prohibebunt, cavebo ego diligenter ne fiam, quantum potero. Tu quæris id, quod habes, nempe parentes; non id quod abest tibi, videlicet quomodo complaceas patri, & conserves id boni, quod pater acquisivit multo labore: non erubuit adducere mihi ante conspectum meum per fraudem & mendaciam, quam ut infamem pudet me nominare coram matre tua, fingendo eam esse amicam *Clinia*: at te non puduit facere rem flagitiosam & turpem. *CL.* Eheu! quantum me nunc mei tædet! quantum me pudet id fecisse! neque scio unde incipiam ut patrem iratum leniam, & placidum reddam.



ACTUS V. SCENA V.

MENEDEMVS. CHREMES. CLITIPHO.

SOSTRATA.

ME. **E**Nimvero Chremes nimis graviter cruciat adolescentulum, Nimisque inhumane. exeo ergo, ut pacem conciliem, optume.

Ipfos video. **CH.** ehem, Menedeme, cur non accerfi jubes Filiam, & quod dotis dixi, firmas? **SO.** mi vir, te obsecro
5 Ne facias. **CL.** pater, obsecro ut mi ignoscas. **ME.** da veniam, Chreme:

Sine te exoret. **CH.** egon' mea bona ut dem Bacchidi dono sciens?

Non faciam. **ME.** at id nos non sinemus. **CL.** si me vivum vis, pater,

Ignosce. **SO.** age, Chremes mi. **ME.** age, quaeso, ne tam obfirmate te, Chreme.

CH. Quid istuc? video non licere, ut coeperam, hoc pertendere,
10 **ME.** Facis, ut te decet. **CH.** ea lege hoc adeo faciam, si facit id,

Quod ego hunc æquom cenfeo. **CL.** pater, omnia faciam impera.

CH. Uxorem ut ducas. **CL.** pater, **CH.** nihil audio. **ME.** ad me recipio;

INTERPRETATIO.

ME. **P**rofecto Chremes nimis acerbè, nimisque inhumanè oburgando vexat adolescentem Clitiphonem; ergo egredior ad eos, ut pacem inter eos componam. Video ipsos oportune. **CH.** Ehem, Menedeme, cur non mandas advocari filiam meam Antiphilam, ut sit tibi nurus; & cur non approbas & admittis eam dotem quam dixi? **SO.** O, mi conjux, ne facias id, exheredans filium, te precor. **CL.** O pater, tibi supplico ut mihi parcas. **ME.** O Chreme, parce illi, permittite ut precibus id à te impetrem. **CH.** Vt ego donem mea bona meretrici Bacchidi sciens, videns? non faciam. **ME.** At nos non permittemus

quoque. **CL.** O Pater, da mihi veniam, si vis mihi vitam amplius superesse. **SO.** Age, Chremes mi, fac quod petitur. **ME.** O Chreme, ignosce, vult te tam obstinatum ostendere. **CH.** Quid hoc sibi vult? video non mihi permitti perficere hoc, quod inceperam. **ME.** Facis, ut tibi convenit. **CH.** Eà conditione, ignoscam Clitiphoni, si exequatur quod ego arbitror justum esse eum exequi. **CL.** O pater, faciam omnia: impera. **CH.** Impero, ut ducas uxorem. **CL.** O pater, da mihi tempus ad deliberandum de re tanti momenti. **CH.** Nullam excusationem audio. **ME.** Rem in me recipio,

Faciet. **CH.** nil etiam audio ipsum. **CL.** perij, **SO.** an dubitas, Clitipho?

CH. Imo utrum vult? **ME.** faciet omnia. **SO.** hæc, dum incipias, gravia sunt.

15 **Dumque ignores: ubi cognovis, facilia.** **CL.** faciam, pater.

SO. Nate mi, ego pol tibi dabo illam lepidam, quam tu facile ames,

Filiam Phanocratæ nostri. **CL.** rufamne illam virginem, Cæliam, sparso ore, adunco naso? non possum pater.

CH. Eja, ut elegans est! credas animum ibi esse. **SO.** aliam dabo.

20 **CL.** Quid istuc? quandoquidem ducenda est, egomet habeo pro-

pemodum,

Quam volo. **SO.** nunc laudo te, gnate. **CL.** Archonidis filiam.


SO. Perplacet. **CL.** pater hoc nunc restat. **CH.** quid? **CL.** Syro ignoscas volo,

Quæ mea causa fecit. **CH.** fiat. Ω Vos valete, & plaudite.

INTERPRETATIO.

Clitiphonem ducturum uxorem. **CH.** Nihil respondentem audio ipsum. **CL.** Nullus sum. **SO.** O Clitipho, an veris uxorem accipere? **CH.** Quin ab eo quaerendum, utrum uxorem velit ducere, necne. **ME.** Faciet omnia, qua imperabis. **SO.** Consilium capere de ducenda uxore, in principio difficile est ei, qui matrimonij ignavus est; sed postquam cognovis quid sit, facile, & gratum tibi fiet. **CL.** Faciam, pater, ut vis. **SO.** Fili mi, per Pollucem, dabo tibi puellam illam venustam, quam tu cupidè ames, filiam Phanocrata nostri vicini. **CL.** Dabisne illam puellam rufam, glaucis oculis, lentiginosa facie, naso incurvo & inflexo, & Pater, non possum eam ducere. **CH.** Eja, quam prudens est in hoc delectu! Facile agnoscas ipsum ad hanc artem animum adjecisse. **SO.** Dabo aliam tibi. **CL.** Qui tantum laborandum est? certe quoniam necesse est me uxorem ducere, ego invenire fere quod quaeritur. **SO.** O fili, nunc laudo te. **CL.** Gratam habeo filiam Archonidis hujus. **SO.** Valde grata est mihi. **CL.** O pater, nunc unum reliquum est. **CH.** Quidnam istud? **CL.** Volo, ut Syro condones offensas, quas in te mei causa fecit. **CH.** Fiat ignoscatur ei. Ω Vos spectatores valete, plaudite.

Calliopius recensui.





P.

TERENTIJ CARTHAGINENSIS AFRI ADELPHI.

ACTA LUDIS FUNEBRIBUS, L. ÆMILII PAULI,
QUOS FECERE Q. FABIVS MAXIMVS, ET L. CORNELIVS
AFRICANVS. EGERVNT L. ATTILIVS PRÆNESTINVS,
ET MINVTIVS PROTIVS. MODOS FLACCIVS CLAVDIVS
CLAVDII, TIBIVS SERRANIS. GRÆCA EST MENANDRI,
EDITA L. ANICIO GALLO,
ET M. CORNELIO CETHEGO COSS.

ANNO AB VRBE CONDITA DCCV. ANTE CHRISTVM NATVM CLXVIII.

EPIGRAPHES INTERPRETATIO.

ADELPHI Comœdia Terentij acta ludis funebribus Lucij Æmilij Pauli, quos dederunt Q. Fabius Maximus; P. Cornelius Africanus illius filij. Egerunt L. Attilius Prænestinus, & Minu-

civus Protimus. Modos fecit, & cantus Flaccus Claudij filius, tibijs Sarranis paribus, sinistras. Hæc Comœdia facta est Latina à Græca Menandri, L. Anicio Gallo, M. Cornelio Cethego Consulibus.

ANNOTATIONES.

ADELPHI.] Id est, fratres Græcè. Sic ideo hæc Comœdia nonainata est, quod fratres Demea & Mitio senes; & Æschinus, Ctesiphoque Demeæ filij, fabulæ suppeditent materiam.

Acta ludis funebribus.] Ludi funebres erant, qui in honorem defunctorum exhibebantur, quales Homerus memorat celebratos ab Achille in funere Patrocli; & Virgilius refert ab Æneâ celebratos in honorem Anchisæ parentis: ejusmodi hic dicuntur facti à Q. Fabio Maximo, & P. Cornelio Africano Patri ipsius naturali L. Æmilio Paulo, à quo dati sunt in adoptionem; ille quidem Q. Fabio Maximo: hic vero Africano superioris filio.

Egere L. Attilius Prænestinus.] Hi erant Magistri Histriionum, qui fabulam egerunt.

Tibijs Sarranis,] Sic dictæ à Sarra urbe, quæ Tyrus est: sinistrae fuerunt hæc tibiæ, auctore Evanthio in Prolegomenis in Terentium, & acuminis levitate jocum in Comœdia ostendebant; nam plura foramina habebant, & sonus idcirco erat acutior: cum dextræ, si-ve Lydiae, pauciora foramina haberent, & sonum proinde graviorem. Lydiae conveniebant rebus gravibus; Sarranæ jocos; Phrygiæ, si gravitas jocos misceretur: sed de his uberius diximus ad inscriptionem Andriæ.

ADELPHORVM PERSONÆ.

MITIO, senex. Nomen Latinum à mitis.

DEMEA, senex. ἀπὸ τοῦ δήμου, à plebe, quasi plebeius.

SANNIO, leno. Α σαῖνος fatuus, quod in hac Comœdia populo risui esset.

ÆSCHINUS, adolescens. Ab αἴσχος, dedecus, quod flagitiis esset infamis.

SYRUS, servus. A patria, gentile nomen.

CTESIPHO, adolescens. ἀπὸ τῆς κτήσεως à prædio & φάρμακον, viro, id est, agricola.

SOSTRATA, matrona. Α σώζειν quod est servare.

CANTHARA, nutrix. Α κάλυκας, poculum, à præbendo potum puero.

GETA, servus. Gentile nomen, à natione.

HEGIO, senex. ἀπὸ τοῦ ἡγεῖσθαι, ducere, quia curam Sofratæ, ejusque familiæ habet.

DROMO, servus. Α δρόμος, cursus.

PAMPHILA, nurus. Quasi παντὶ φίλη, omnibus chara.

ARGVMENTVM.

MITIO, & Demea Athenienses fratres fuerunt. Erant Demeæ filij duo, ex quibus natu majorem Æschinum adoptavit Mitio, eumque indulgentius & licentius educavit, adeo ut Pamphilam virginem, quam mater Sophrona vidua pudice conservabat, noctu temulentus per vim compresserit, gravidamque fecerit; sed pollicitus Sophronæ matri se eam uxorem ducturum, veniam obtinuit. Ctesipho autem Æschini frater, quem pater Demea secum ruri habuit severe admodum ac stricte, Citharistrix cujusdam amore captus, cum eam à lenone puellæ domino, præ argenti penuria habere non posset; Æschinus ejus frater, domum lenonis per vim ingressus, puellam abreptam tradit Ctesiphoni. Spargitur tota urbe rumor, qui pervenit ad Sophronam, & Pamphilam brevi parituram. Illæ mutatum Æschini animum, se proditas & perfide desertas putant: itaque Getam ad Hegionem cognatum Pamphilæ, rem, ut erat, expositurum mittunt. Hegio postea incidit in Demeam, eique de constuprata ab Æschino Pamphila facinus narrat. Mitio quoque de re tota certior factus, profectus ad mulieres, jacentes jam, & afflictas erexerat, pollicitus se Æschino Pamphilam uxorem daturum. Interea Demea filium Ctesiphonem quem putabat ruri fodere, aut arate, apprehendit in urbe cum meretrice suaviter potitantem, & accubantem; quapropter tanta iracundia incitatus est, ut arderet. Verum postquam satis

D d iij

diu vociferatus est, tandem ita placatur suavi oratione Mitionis, ut deposita veteri sævitiâ, benignus atque affabilis fiat. Itaque permittitur Ctesiphoni frui amicâ, fiant nuptiæ Æschini, & Phamphilæ, Mitio ipse Sophronam ducit uxorem, Hegioni datur unde vivat, Syrus unâ cum Phrygia uxore manumittitur.


C.

SULPITII APOLLINARIS PERIOCHA.

DVos cum haberet Demea adolescentulos,
Dat Mitioni fratri adoptandum Æschinum,
Sed Ctesiphonem retinet. hunc citharistræ
Lepore captum, sub duro ac tristi patre,
Frater celabat Æschinus; famam rei
Amorisque in se transferbat: denique
Fidicinam lenoni eripuit. vitia verat
Idem Æschinus civem Atticam pauperculam;
Fidemque dederat, hanc sibi uxorem fore.
Demea iurgare, & graviter ferre. mox tamen
Ut veritas patefacta est, ducit Æschinus
Vitiatam, potitur Ctesiphonem citharistram,
Exorato suo patre duro Demea.

INTERPRETATIO.

Demea duos habens filios, dat ex illis Æschinum fratri Mitioni in adoptionem, & Ctesiphonem alterum in sua potestate retinet: hunc fidicina festiva formâ & ingenio irretitum, cum aspero, & sævo patri subditus esset, frater Æschinus occultabat; rumorem, & amorem in se transferebat, simulans se esse amatorem citharistræ: denique eam lenoni per vim abripuit. Stupraverat quoque Æschinus Pamphilam virginem Atticam, pauperculam quidem, sed bonam, bonis civibus prognatam, pollicitusque fuerat se eam daturum uxorem. Demea morosum & iurgiosum se præbebat, & iniquo animo ferebat. Sed citò postquam id quod res erat manifestum fuit de psaltriâ, Æschinum non sibi, sed Ctesiphoni fratri eam rapuisse, ducit Æschinus uxorem Pamphilam à se compressam; Ctesiphonem fit compos fidicina, placato, & victo precibus Demea patre s. vero, & molesto.



PROLOGUS.

Postquam poëta sensit scripturam suam Ab iniquis observari, & adversarios Rapere in pejorem partem, quam acturi sumus; Indicio de se ipse erit: vos eritis iudices, Laudine an vitio duci factum id oporteat. Synaporthnescontes Diphili comœdia est. Eam Commorientes Plautus fecit fabulam. In Græca adolescens est, qui lenoni eripuit Meretricem in prima fabula. cum Plautus locum Reliquit integrum: eum hic locum sumpsit sibi In Adelpbos: verbum de verbo expressum extulit. Eam nos acturi sumus novam: pernoscite, Furtivane factum existimetis, an locum Reprehensum, qui præteritus negligentia est. Nam quod isti dicunt malevoli, homines nobiles Eum adjutare, assidueque una scribere, Quod illi maledictum vehemens esse existimant, Eam laudem hic ducit maxumam, cum illis placet, Qui vobis universis, & populo placent;

INTERPRETATIO.

Postquam Poëta Terentius intellexit Comœdias, quas scripsit, curiose explorari, & notari ab improbis hominibus atque adversariis obtruncandi gratiâ, & Comœdiam quam exhibituri sumus, ab his reprehendi & culpari; ipsemet quid fecerit vobis indicabit; vos iudicabitis utrum factum laude dignum sit, an vituperio. Diphilus Poëta comicus Græcus Comœdiam fecit, quam Plautus Latine composuit, & Commorientes nominavit. In Græca Diphili quidam inducitur adolescens rapiens lenoni meretricem, in prima parte fabule; eum locum reliquit Plautus intactum: hic vero poëta Terentius hunc locum transtulit in Adelpbos, & ex Græco in Latinum vertens ornatorem reddidit. Eam Comœdiam novam, nempe Adelpbos, vobis, spectatores, nunc acturi, & recitaturi sumus. Nunc perspicite an censere debeatis, hunc locum, quem mutuatus est Terentius, furti vitio accusandum sit, an potius dicendum ab eo resumptum & retentum esse, postquam Plautus eum pro derelicto negligenter habuerat. Nam quod adversarij isti in vulgus jactant, homines nobili, & patricia stirpe clarissimos & operam suam dare, & perpetuâ unâ Comœdiâ facere: quod illi vituperium grave arbitrantur, id sibi ingenti gloria tribuit, cum illis gratus, & acceptus est, qui vobis, quotquot hic estis, & universo populo grati, & accepti sunt:

ANNOTATIONES.

15. **H**omines nobiles.] Nempe Scipionem Africanum, Lælium, & Fulvium Publum.



- 20 Quorum opera in bello, in otio, in negotio,
Suo quisque tempore usu' est sine superbia.
Dehinc ne expectetis argumentum fabulæ:
Senes qui primi venient, hi partem aperient;
In agendo partem ostendent. facite, æquanimitas
25 Vestra poetæ ad scribendum augeat industriam.

INTERPRETATIO.

quorum beneficia in militia & in pace, ipso initio, partem in reliquo dramate, commodè in omnes collata fuerunt sine Concedite, ut æquo, & propitio animo fastu, & ostentatione. Exinde nolite expectare ut argumentum fabula vobis adstis, quò labor & industria Poëta ad faciendas Comœdiam magis, ac magis anarretur. Senes, qui primi in prosecutionum prodibunt, ij partem explicabunt exciretur.

ACTUS PRIMI SCENA I.

MITIO.

- STORAX, non rediit hac nocte à cœna Æschinus;
Neque servulorum quisquam, qui adversum ierant.
Profecto hoc vere dicunt: si absis uspiam,
Aut ubi si cesses, evenire ea fatius est,
5 Quæ in te uxor dicit, & quæ in animo cogitat
Irata, quàm illa, quæ parentes propitij.
Uxor, si cesses, aut te amare cogitat,
Aut tete amari, aut potare, aut animo obsequi!

INTERPRETATIO.

M. I. **H**EVs. Storax: non reversus est domum Æschinus filius hac nocte à convivio cui affuit cum sodalibus suis, neque ullus ex servis, qui obviam ei missi fuerant, eum comitarum. Equidem hac communis sententia vera est: minus damnosum est ea acci-

ANNOTATIONES.

i. **STORAX.** Sublata voce Storacem è servulis unum vocat, quo non respondente, intelligit nondum rediisse filium: Storacem enim huic ad cœnam eunti comitem dederat, & alios postea servos emiserat, qui obviam irent, & eum reducerent. Propriè locutus est, cum dixit adversum, nam hi servi adversitores dicebantur, qui adversum ibant foris cœnanti, officij, & tuitionis gratia. Storax Græcè *στῶραξ*, est arboris lachryma odorata. Et ab odore ita servus nominatur.

Et

- Et tibi bene esse soli, cum sibi sit male.
10 Ego, quia non rediit filius, quæ cogito!
Quibu' nunc sollicitor rebus! ne aut ille alserit;
Aut uspiam ceciderit, aut perfregerit
Aliquid. vah, quenquamne hominem in animum instituere, aut
Parare, quod sit carius, quam ipse est sibi?
15 Atqui ex me hic natus non est, sed ex fratre. is adeo
Dissimili studio est. jam inde ab adolescentia
Ego hanc clementem vitam urbanam, atque otium
Secutus sum: & quod fortunatum isti putant,
Uxorem nunquam habui. ille contra, hæc omnia:
20 Ruri agere vitam, semper parce, ac duriter
Se habere. uxorem duxit: nati filij
Duo, inde ego hunc majorem adoptavi mihi:
Eduxi à parvulo, habui, amavi pro meo:
In eo me oblecto: solum id est carum mihi.
25 Ille ut item contra me habeat, facio sedulo:
Do, pratermitto, non necesse habeo omnia
Pro meo jure agere. postremo, alij clanculum
Patres quæ faciunt, quæ fert adolescentia,
Ea ne me celet, consuefeci filium:
30 Nam qui mentiri, aut fallere insuerit patrem, aut
Audebit, tanto magis audebit cæteros.
Pudore, & liberalitate liberos
Retinere, satius esse credo, quàm metui.

INTERPRETATIO.

denique te solum in deliciis versari, dum ipsa molestiis, & tristitia cruciatur. Ah, qua suspiciones mentem meam agitant, quia non rediit filius! quibus timoribus animus angitur! ne aut ille Æschinus algore obstupuerit, aut uspiam lapsus membrum aliquod sibi omnino ruperit. Vah! potestne illud esse, ut quispiam ita animo sit affectus, ut quidquam charius habeat quam seipsum? Attamen ex me non est genitus, sed ex fratre meo Demæ. Is frater dissimiliter vitam instituit, atque ego: jam inde usque ab ephēbis ego hanc comem elegi vitam urbanam & tranquillam, & quod plerique beatum estimant, uxorem nunquam ducere volui: ille omnia alia potiora duxit, ergo colendo vitam exercere, semper austere, & laboriose se tractare: uxorem matrimonio sibi junxit: filios duos genuit: deinde hunc ego majorem natum in adoptionem accepi: à puero educavi: habui, & dilexi tanquam filium naturalem: in eo delicias omnes capio, hoc solum pretiosum habeo: ego omnè cura laboro, ut pariter me charum vicissim habeat ille: do sumptus, pratermitto, & dissimulo delicta ejus. nec oportere me pu- to in omnibus rebus patriâ potestate uti erga illum. Postremo ita eum institui, ne mihi occultet ea, qua alij filij clam patribus suis faciunt, nempe culpas, quibus obnoxia est ætas adolescentia: nam qui mendacium proloqui coram patre, aut eum solitus fuerit verbis decipere, multò audacius hac faciet incæteros. Vtilius, & melius esse censeo, verecundiâ & liberali clementia eum avocare à vitis, quàm timore.

E

- Hæc fratri mecum non conveniunt, neque placent;
 35 Venit ad me sæpe clamitans, quid agis, Mitio?
 Cur perdis adolescentem nobis? cur amat?
 Cur potat? cur tu his rebus sumptum suggeris?
 Vestitu nimium indulges: nimium ineptus es.
 Nimium ipse est durus, præter æquumque & bonum;
 40 Et errat longe mea quidem sententia,
 Qui imperium credat gravius esse aut stabilius,
 Vi quod sit, quam illud quod amicitia adiungitur.
 Mea sic est ratio, & sic animum induco meum:
 Malo coactus qui suum officium facit,
 45 Dum id rescitum iri credit, tantisper cavet:
 Si sperat fore clam, rursus ad ingenium redit,
 Ille quem beneficio adjungas, ex animo facit:
 Studet par referre, præfens absensque idem erit.
 Hoc patrium est, potius consuefacere filium,
 50 Sua sponte recte facere, quam alieno metu.
 Hoc pater, ac dominus interest. hoc qui nequit,
 Fateatur se nescire imperare liberis.
 Sed estne hic ipse, de quo agebam? & certe is est.
 Nescio quid tristem video. credo jam, ut solet,
 55 Jurgabit. Salvom te advenire, Demea,
 Gaudemus.

INTERPRETATIO.

Hæc non ita fratri, ut mihi, videntur observanda, neque probantur. Ille sæpe me convenit vociferans, quid facis, Mitio? cur nobis corrumpis filium? cur sumptus das ei, ut amicas habeat? ut in potationibus se mergat? cur vestimenta splendidiora, & nimio pretiosiora largiris? nimis imprudenter eum moderaris. Ille vero (Demea) asperior est, & saevior plus aequo & bono; & valde fallitur ita sentiendo, ut ego quidem opinor, quicumque sibi persuadet imperium quod cum violentiâ quaritur, & exercetur, esse fortius & diuturnius, quam illud quod amore conciliatur. Ego sic reor, credoque; qui vi, aut necessitate adigitur ad suum faciendum officium, tantisper cavet sibi, & abstinet à malo, cum id cognitum iri putat; si scedit oc-

cultum fore, rursus ad suos mores revertitur. Ille quem beneficio acquirit, omni studio libens officium facit, curat diligenter vicissim benefacere; sive ad sit coram, vel clam absit, similem sui semper se geret, & in officio suo manebit. Hoc patrem decet potius assuefacere filium, libenter & ultrò recte faciendo, quam terrendo exemplis propositis penarum alienarum. Hæc differentia est inter patrem ac dominum. Qui non potest talem se prestare; concedat hic oportet se ignarum esse regendi liberorum ingenia. Sed est ne hic ipse Demea, de quo loquebamur? Equidem is ipse est. Nescio propter quid tristis mihi videtur: puto jam pro more suo jurgis mecum agere. Salvom ita adesse lator. Demea.



ACTUS I. SCENA II.

DE MEA. MITIO.

- DE. Hem! opportune: te ipsum quærito.
 MI. E. Quid tristis es? DE. Rogas me, ubi nobis Æschinus
 Siet, quid tristis ego sim? MI. dixin' hoc fore?
 Quid fecit? DE. quid ille fecerit? quem neque pudet
 Quidquam: nec metuit quenquam: neque legem putat
 Tenere se ullam. nam illa, quæ antehac facta sunt,
 Omitto: modo quid designavit? MI. quidnam id est?
 DE. Fores effregit, atque in ædes irruit
 Alienas: ipsum dominum atque omnem familiam
 10 Multavit usque ad mortem: eripuit mulierem,
 Quam amabat: clamant omnes indignissime
 Factum esse. hoc adveniendi quot mihi, Mitio,
 Dixere? in ore est omni populo. denique
 Si conferendum exemplum est, non fratrem vider
 15 Rei dare operam, ruri esse parcum ac sobrium?
 Nullum hujus simile factum. hæc cum illi, Mitio,
 Dico, tibi dico. tu illum corrumpi finis.
 MI. Homine imperito nunquam quidquam injustius;
 Qui, nisi quod ipse facit, nihil rectum putat.
 20 DE. Quorsum istuc? MI. quia tu, Demea, hæc male judicas.

INTERPRETATIO.

DE. Hem! commodè, in tempore advenis; te ipsum quæro scilicet, MI. Quid tristis es? DE. Interrogas me quid tristis sim, cum filium Æschinum habeamus? Nempe ejus causa sum tristis & sollicitus. MI. Nonne vere dixi illum morose jurgatum esse? Quid is fecit? DE. Quid fecerit, quaris? Qui neque pudore ullo afficitur, neque veretur quemquam, aut timet; neque æstimat se ulla lege obligari: nam quæ antehac fecit, prætereò: ò quanam modo nefanda palam gessit? MI. Quidnam id est? DE. Portam rupit aditum, in ædes irruit alienas, ipsum dominum cum omni familia verberavit, viribus laceravit, ac pene occidit, per vim abduxit mulierem ejus amore im-

pulsus erat. Omnis populus vociferatur nefarium scelus commissum esse. Quot mihi huc venienti, Mitio, hoc nunciaverunt. Factus est totius populæ fabula, & querela. Quod si exemplum proponere utile est, nonne advertit fratrem suum Ctesiphonem in re familiarum augenda studium omne ponere, vitam ducere frugaliter, & temperanter in agro colendo? nullum unquam ejusmodi facinus ille ausus est. Hæc cum in illum dico, in te etiam dico: tu illum depravari pateris, Mitio. MI. Homine ingraro rerum nunquam quicquam iniquius fuit, qui nihil recte factum æstimat, nisi quod à seipso factum est. DE. Quare hæc dicis? MI. Quia tu, Demea, pravo judicio res æstimas.

- Non est flagitium, mihi crede, adolescentulum
 Scortari, neque potare; non est: neque fores
 Effringere. hæc si neque ego, neque tu fecimus;
 Non fivit egestas facere nos. tu nunc tibi
 25 Id laudi ducis, quod tum fecisti inopia.
 Injurium est. nam si esset unde id fieret,
 Faceremus: & tu illum tuum, si esses homo,
 Sineres nunc facere, dum per ætatem licet,
 Potius quam, ubi te expectatum eiecisset foras;
 30 Alieniore ætate post faceret tamen.
 D E. Prò Jupiter, tu me homo, adigis ad insaniam.
 Non est flagitium facere hæc adolescentulum? M I. ah!
 Ausculta, ne me obtundas de hac re sapius.
 Tuum filium dedisti adoptandum mihi:
 35 Is meus est factus: si quid peccat, Demea;
 Mihi peccat: ego illi maximam partem feram.
 Obsonat, potat, olet unguenta: de meo.
 Amat? dabitur à me argentum, dum erit commodum:
 Ubi non erit, fortasse excludetur foras.

I N T E R P R E T A T I O.

Non est flagitij nomine dignum delictum, adolescentem cum meretricibus consuetudinem habere, & potationibus vacare, neque portæ aditum pervumpere, mihi crede. Si neque ego, neque tu hæc commisimus, indigentia nobis non permisit. Tu nunc te laude dignum existimas, quod tunc ab his abstinuisti præ inopia; hæc est injuste judicare. Nam olim si nobis facultas fuisset hæc faciendi, fecissemus: & tu, illum tuum Ctesiphonem, si humanitate præditus esses, patereris hæc facere nunc, dum atas permittit: potius quam ubi post mortem tuam tam exoptatam, te ante januam collocasset, & mortuum extulisset, hæc

post faceret tamen, quamvis aliena ætate, & intempestivâ. D E. Prò Jupiter! tu homo me insanire coges. An non flagitiosum hæc agere adolescentem? M I. Audi, ne me tadio eneces, hæc sapius inculcando. Filium tuum mihi dedisti in adoptionem: is meus est factus legitimus: si quid dilinquit, Demea, in meum delinquit damnum: ego in illa re potiore partem sustinebo. Lautis epulis & cœnis insumit plurimum, large bibit vina, unguentorum odoribus fragrat? impensis meis hæc facit. Amicæ habet? argentum largiar, quandiu mihi facultas erit: quando non erit, fortasse ex adibus & familia dimittetur:

A N N O T A T I O N E S.

29. Expectatum eiecisset foras.] Mortui, apud Romanos, ubi animam egerant, lecto extracti humi deponabantur, deinde lavabantur, ungebantur, lecto funebri aptabantur, tum ad ostium domus cadaver admovebatur, versis in portam pedibus; quod Mitio suis ver-

bis significat. Hæc Perſius indicat Satyra 3, his versibus:

Hinc tuba, candela, tandemque beatus alto

Compositus lecto, crassiq; lutatus Amomis
 In portam rigidos calces extendit: at illum
 Externi capite induto subiere Quirites.

- Fores effregit: restituentur. discidit
 Vestem: resarciatur. Est, Diis gratia,
 Et unde hæc fiant, & adhuc non molesta sunt.
 Postremò aut desine, aut cedo quemvis arbitrum:
 Te plura in hac re peccare ostendam. D E. hei mihi!
 45 Pater esse discite ab aliis qui vere sciunt.
 M I. Natura tu illi pater es, consiliis ego.
 D E. Tum' consulis quidquam? M I. ah! si pergis, abiero.
 D E. Siccine agis? M I. an ego toties de eadem re audiam?
 D E. Curæ est mihi. M I. & mihi curæ est: verum, Demea,
 50 Curemus æquam uterque partem: tu alterum,
 Ego item alterum: nam ambos curare, propemodum
 Reposcere illum est, quem dedisti. D E. ah, Mitio!
 M I. Mihi sic videtur. D E. quid istuc? tibi si istuc placet,
 Profundat, perdat, pereat, nihil ad me attinet.
 55 Jam si verbum unum posthac. M I. rursum, Demea,
 Irascere? D E. an non credis? repeton' quem dedi?
 Agre est, alienus non sum, si obsto. hem desino.
 Unum vis curem: curo: & est Diis gratia,
 Quom ita, ut volo, est: iste tuus ipse sentiet
 60 Posterius: nolo in illum gravius dicere.

I N T E R P R E T A T I O.

januam dirupit? rescietur. Vestem dilaceravit, reparabitur: est (Diis gratia) facultas satis ampla hac præstandi, & adhuc non sunt mihi gravia: tandem, aut desine me molestia afficere, aut dic quemvis arbitrum: hujus sententia acquiescam, & te plus errare, quam me clare arguam. D E. Hei mihi! discite te patrem gerere ab alijs, qui peritiores sunt vera patria potestatis exercenda. M E. Naturâ tu illi pater es, ego consilijs, & recta institutione. D E. Tunc consulis bene quicquam, qui nimia indulgentia illum perdis? M E. Ah! si perseveras aures obtinere, illico discessero. D E. Itane me audire recusas, & abis? M I. An ego toties de hac re iterata, odiosa verba audire cogar? D E. Non possum non habere curam filij. M I. Equè mihi cura est, ac tibi. Atqui, Demea, æqualiter partiamur curas filiorum tuorum: tu alterum curabis, hunc nempe, quem reinuisti apud te, in tua potestate: ego alterum itidem, quem adoptavi: nam quod ambos regere

tuo velis arbitrio, hoc pene est repetere illum quem per adoptionem in filium dedisti. D E. Ah, Mitio, quid me accusas! M I. Sane sic cenſeo. D E. Ah! quid plura verba perdam? cur hæc mihi exprobras? si ita sentis, prodigat, absumat, in perniciem ruat; nihil mea refert: jam si unum verbum posthac de hac re tibi fecero. M I. Rursum, Demea, irâ commoveris? D E. Annon credis me irasci? num reposco quem adoptivum tibi tradidi? minime quidem reposco, sed agre fero ejus luxum, & libidinem, quamvis per adoptionem eum tibi cesserim, tamen cognationis jure naturali extraneus non sum, quominus mirari debes, si obsum tua voluntati: sed tamen ego desisto. Vis unius Ctesiphonis, quem in potestate retinui, solummodo curam habeam, volo ut vis: & Dijs gratias habeo, quod ille meus Ctesipho talis est, qualem cupio: iste tuus ipse Æschinus postremò experietur mala quæ nimia tua facilitas, & indulgentia ipsi attulerit. Nolo contra illum peiora prædicere atque ominari.

- M I. Nec nihil, neque omnia hæc sunt, quæ dicit, tamen
 Nonnihil molesta hæc sunt mihi: sed ostendere
 Me ægre pati illi nolui. nam ita est homo:
 Cum placo, advorfor sedulo, & deterreo,
 65 Tamen humane vix patitur: verum si augeam,
 Aut etiam adjutor sim ejus iracundiæ,
 Infaniam profecto cum illo. et si Æschinus
 Nonnullam in hac re nobis facit injuriam.
 Quam hic non amavit meretricem, aut cui non dedit
 70 Aliquid? postremo nuper (credo jam omnium
 Tædebat) dixit velle uxorem ducere.
 Sperabam jam defuisse adolescentiam:
 Gaudebam, ecce autem de integro. nisi quidquid est;
 Volo scire, atque hominem convenire, si apud forum est.

INTERPRETATIO.

M I. Nonnulla quæ dicit Demæa de Æschino, vera quidem sunt, non autem omnia. Et si nonnulla illa aliquam molestiam mihi exhibeant, nolui tamen manifestum facere Demæa, me non a quo animo illa pati: sic enim homo à natura factus est; cum eum placidum ex irato reddere volo, ei acerrime repugno, & per vim & metum ab ira revoco; & tamen vix leniter id patitur: verum si ei obsequendo magis irriterem, adjuvemque impetum ejus iracundiæ, hoc erit profecto cum ipso insanire: et si Æschinus aliquam nobis hæc agendo facit injuriam, & dedecori est. Quam is meretricem amicam non habuit, aut cui (meretrici) donâ non largitus est? Vltimò nuper (puto omnium amicorum satietas eum ceperat) dixit se cupere uxorem habere. Spem conceperam fervorem juveniliū voluptatum sedatum esse: gaudebam, ecce autem de nova amare cepit. Sed quicquid est, volo certò id scire, hominemque adire atque alloqui, si in foro versatur.

ACTUS SECUNDI SCENA I.

SANNIO. ÆSCHINVS.

- S A. **O**BSERO, populares, ferte misero atque innocenti auxilium:
 Subvenite inopi. Æ S. otiose, nunc jam illicò hîc consistite:
 Quid respectas? nihil pericli est: nunquam, dum ego adero, hic te
 Tanget. S A. ego istam inviti omnibus.

INTERPRETATIO.

S A. **P**ER Deos oro, cives, auxiliamini infelici, atque innocenti, subsidium afferte homini omnium ope privato. Æ S. Parmeno, jam nunc hîc constanter & otiosè mane. Quid toties aspicias, mulier? (fascina) nullum hîc tibi periculum est: nunquam Sannio leno, dum hîc presens ero, te attinget. S A. Ego istam contra voluntatem omnium obstitentium retinebo.

- 5 Æ S. Quamquam est scelestus, non committet hodie unquam iterum ut vapulet.
 S A. Audi, Æschine, ne ignarum fuisse te dicas meorum morum, Ego leno sum. Æ S. scio. S A. at ita, ut usquam fuit fide quicquam optuma.
 Tu quod re posterius purges, nolle hanc injuriam mihi factam esse: hujus non faciam. crede hoc, ego meum jus persequar:
 10 Neque tu verbis solves unquam; quod re mihi malefeceris.
 Novi ego vestra hæc: nollem factum: dabitur jusjurandum, esse te indignum injuria hac: indignis cum egomet sim acceptus modis.
 Æ S. Abi præ strenuè, ac fores aperi. S A. cæterum hoc nihil facies.
 Æ S. I intro nunc jam. S A. at enim non sinam. Æ S. accede illic, Parmeno,
 15 Nimum abiisti istoc; hic propter hunc assiste. hem, sic volo, Cave nunc jam oculos à meis oculis quoquam dimoveas tuos, Ne mora sit, si innuerim, quin pugnus continuo in mala hæreat. S A. Istuc volo ergo ipsum experiri. Æ S. hem, serva. omitte mulierem.

INTERPRETATIO.

Æ S. Quamvis flagitiosus est, & nequam, nunquam quidquam hodie faciet, cur iterum à me cadatur. S A. Ausculta, Æschine, ne te excuses, quod ingenium, & institutum vita mea haud noveris; ego leno sum. Æ S. Probe id scio. S A. At sum talis, ut nullus usquam fidei magis observator fuerit: hoc scire te velim; nihil ducam, si ut te excuses, dixeris te invitum hanc mihi injuriam intulisse, te poenitere facti. Hòc mihi satisfactum non erit; nihilominus actionem, quæ mihi competit, intendam; neque tu mihi unquam verbis satisfacies, quod factò mihi damnum, & injuriam feceris. Mihi nota sunt vestra subterfugia, & remedia juris, nimirum ista; poenitet me fecisse, jurando dices me non meritum esse, cui hac injuria fieret: hac mihi non satis erunt, cum aliter tractatus fuerim ac meritis sum. Æ S. Abi ante, Parmeno, confidenter & januam aperi. S A. Atqui nihil efficias. Æ S. Tu, puella, intra nunc jam domum. S A. At enim non permittam ut intret. Æ S. Accede huc, Parmeno, nimum hinc secessisti. Hîc prope hunc mane. Hem, sic volo facias; vide ne oculos tuos avertas à meis oculis; Parmeno, ne in mora sis, si nutu oculorum significavero, quin pugnus male lenonis contundantur. S A. Istud igitur volo ipsum, quod minaris, experiri. Æ S. Hem, Parmeno, custodi puellam; tu, leno, omitte illam rapere.

ANNOTATIONES.

8. Nolle hanc injuriam mihi factam.] 9. Hujus non faciam.] Pilum, aut hæc est sententia; Non contentus ero solenni verborum satisfactione, scilicet; Agnosco indigno me intulisse injuriam: nollem factum.

- S A.* O facinur' indignum. *Æ S.* geminabit, nisi caves. *S A.* hei misero mihi!
- 20 *Æ S.* Non innueram: verum in istam partem potius peccato tamen:
- I* nunc jam. *S A.* quid hoc rei est? regnumne, *Æschine*, hic tu possides?
- Æ S.* Si possiderem, ornatus esses ex tuis virtutibus.
- S A.* Quid tibi rei mecum est? *Æ S.* nihil. *S A.* quid? nostin' quisim? *Æ S.* non desidero.
- S A.* Terigin' tui quidquam? *Æ S.* si attigisses, ferres infortunium.
- 25 *S A.* Qui tibi magis licet meam habere, pro qua ego argentum dedi? Responde. *Æ S.* ante ædeis non fecisse erit meli' huic convitium: Nam si molestus pergis esse, jam intro abripiere, atque ibi Usque ad necem operiere loris. *S A.* loris liber? *Æ S.* sic erit.
- S A.* O hominem impurum! hiccine libertatem ajunt æquam esse omnibus?
- 30 *Æ S.* Si satis jam debacchatus es, leno, audi si vis nunc jam.
- S A.* Egon' debacchatus sum autem, an tu in me? *Æ S.* mitte ista, atque ad rem redi.
- S A.* Quam rem? quò redeam? *Æ S.* jamne me vis dicere, quò ad te attinet?
- S A.* Cupio, æqui modo aliquid. *Æ S.* vah! leno iniqua me non volt loqui.
- S A.* Leno sum, fateor, perniciis communis adolescentium,

INTERPRETATIO.

S A. O factum iniquum! *Æ S.* Duplicabit plagas Parmeno, nisi prospicis tibi. *S A.* O me miserum! *Æ S.* Non innueram, Parmeno, ut Sannioni alterum colaphum infringeres: verum quòd tu cecideris eum, satis factum esse duco, & potius mihi, gratumque est, quam si non fecisses. Abi nunc jam cum virgine, Parmeno. *S A.* Quidnam hoc facti sibi vult? Regemne hęc te gerere audes Athenis, libera civitate? *Æ S.* Si Rex hic essem, haberes tuis virtutibus digna premia. *S A.* Quid negotij est, quamobrem me cadis? *Æ S.* Nihil. *S A.* Quid? num tibi notus sum? *Æ S.* Non valde cupio te mihi notum esse. *S A.* Quidquamne ex tuis rebus attrectavi? *Æ S.* Si attigisses tantum, male & infeliciter id tibi cederet. *S A.* Si mihi non permissum est qua tua sunt, attingere, cur tibi liceat puellam quam emi, retinere? responde. *Æ S.* Utilius tibi erit, hic ante ades publice injuriam mihi vociferando non fecisse: nam si persistis molestiam mihi exhibere, intro dum sublatu' innumeris lororum plagis caderis, ad necem usque. *S A.* Me hominem liberum loris cades? *Æ S.* Sic fiet. *S A.* O hominem flagitij obscenum! Itane libertate aequali Athenis omnes fruuntur? *Æ S.* Si satis bacchantis more insanivisti, leno, ausculta, si videtur, nunc jam tandem. *S A.* Egone bacchatus sum in te, an tu in me? *Æ S.* Desine ista, atque ad rem de qua inter nos agitur, redi. *S A.* Quam rem? Quò redeam? *Æ S.* Iamne tibi placeat ut dicam quòd ad te spectat. *S A.* Volo, dummodò aequitatis aliquid habeat. *Æ S.* Vah! leno religiosus scilicet, me cupit aqua proponere. *S A.* Leno sum, haud nego, exitium juvenutis,

35. Perjurus,

- 35 Perjurus, pestis: tamen tibi à me nulla est orta injuria.
- Æ S.* Nam hercle etiam hoc restat. *S A.* illuc quæso redi, quò cœpisti, *Æschine*.
- Æ S.* Minis viginti tu illam emisti, quæ res tibi vortat male: Argenti tantum dabitur. *S A.* quid, si ego illam nolo vendere, Coges me? *Æ S.* minime. *S A.* namque id metui. *Æ S.* neque vendundam cenfeo,
- 40 Quæ libera est. nam ego illam liberali assero caussa manu: Nunc vide utrum vis, argentum accipere, aut caussam meditari tuam.
- Delibera hoc, dum ego redeo, leno. *S A.* prò supreme Jupiter! Minime miror, qui insanire occipiunt ex injuria. Domo me eripuit, verberavit: me invito abduxit meam:
- 45 Homini misero plus quingentos colaphos infregit mihi. Ob malefacta hæc tantidem emptam postulat sibi tradier. Verum enim, quando bene promeruit, fiat: suum jus postulat. Age jam cupio, si modò argentum reddat, sed ego hæc haariolor:

INTERPRETATIO.

perjurus, pestis publica, & calamitas, tamen nulla cepta est à me tibi fieri injuria. *Æ S.* Nempe id unum tibi faciendum superest. *S A.* Rogo, *Æschine*, ut pergas loqui de re ipsa, qua ad nos attinet, ut jam incepisti. *Æ S.* Minis viginti tu illam fiduciam emisti, qua res male tibi succedat: tantumdem pecunia tibi reddetur. *S A.* Quid si ego illam nolo tibi vendere, an me vi compelles ad id faciendum? *Æ S.* Minime. *S A.* Quasi vero id metuam. *Æ S.* Neque eam vendundari posse aio, qua libera est: nam ego illam vindico, & assero ejus libertatem actione, qua est de libertate. Nunc delibera, utrum vis facere, vel recipere viginti minas, quas pro pretio ejus dedisti, aut te preparare ad judicium de libertate ad quòd te provoco: hoc apud te constitue, donec ego huc revertar. leno. *S A.* Proh supreme Deorum Jupiter! minime miror insanos fieri per injuriam quamplurimos, cum ego insaniam ex injuria, quam accepi; domo me extraxit & cecidit; per vim, contra voluntatem meam servam mihi abripiuit; pro his malefactis postulat, ut tantie hanc fiduciam vendam, quanti eam emi. Mihi homini misero plusquam quingentos colaphos inflixit: enimvero quia tam bene meritus est de me, fiat quòd vult; postulat jus suum sibi tribui scilicet. Age, consentio, si modò pecuniam rependat, sed ego hoc divino.

ANNOTATIONES.

40. Ego illam liberali assero causa manu.] Ordo est: Ego assero hanc manu, causa liberali: id est, apprehendo hanc manu, hanc mecum duco, in libertatem eam asserens actione de libertate. Assertores dicuntur & vindices, qui aliquem ingenuum, in servitute injustè detentum esse, actione liberali, id est, de libertate, contendebant, & affirmabant esse liberum, petebantque vindicias secundum libertatem, id est, ut in possessione libertatis maneret, interea dum de causa cognosceretur.

F f

Ubi me dixerō dare tanti, testeis faciet illico,
 50 Vendidisse me: de argento somnium: mox, cras redi:
 Id quoque possum ferre, si modo reddat: quanquam injurium est.
 Verum cogito id, quod res est: quando eum quæstum occeperis,
 Accipiunda & mustanda injuria adolescentium est.
 Sed nemo dabit: frustra egomet mecum has rationes puto.

INTERPRETATIO.

ubi me dixerō puellam ei tradere tanti, quanti eam emi, statim testes vocabit, dicet viginti minis me illi vendidisse: nec postea competet mihi actio de vi propter ereptam virginem: quantum ad argentum spectat, spes nulla, aut certe vana erit instar somnij; non numerabitur: semper eludet procrastinatione, dicens subinde: cras ad me huc revertere, pretium solvam conventum. Has dilaciones, & moras possum etiam ferre, si modo tandem quod promissit pra-

stet, & viginti mina mihi reponantur: quamvis injuriam mihi faciat, cogens me invitum vendere: atqui mihi propono id, quod verum est, & mecum sic loquor: quando tu leno, turpe lucrum facere coepisti, suscipienda & toleranda est cum silentio, ne verbum quidem mutiendo, contumelia adolescentium. Sed nullum mihi reddetur ab Æschino argentum: frustra sum, & mecum ratiocinationis male subduco.

ANNOTATIONES.

49. Testes faciet illico.] Testato denunciabit me illi puellam vendidisse; sic actio de ereptione peribit, vel accusatio de vi. Deinde solutio erit expectanda.

50. Mox, cras redi.] Verba procrastinantis debitoris, & frustrantis creditorem.

ACTUS II. SCENA II.

SYRVS. SANNIO.

SY. **T**Ace, egomet conveniam jam ipsum: cupidè accipiat faxo, atque etiam
 Bene dicat secum esse actum. Quid istuc, Sannio, est, quod te audio
 Cum hero nescio quid concertassè? SA. nunquam vidi iniquius
 Concertationem comparatam, quam quæ hodie inter nos fuit:

INTERPRETATIO.

SY. **T**Ace, Ctesipho, bono sis animo; egomet adibo Sannionem, efficiamque ut cupiat sibi reddi viginti minas pro puella Citharistrâ, fateaturque id sibi lucrosum esse. Quid

rei est, Sannio, quod audio te nescio quam concertationem habuisse cum hero meo Æschino? SA. Nunquam vidi magis inaequalem concertationem, quam hac hodie inter nos fuit,

Ego vapulando, ille verberando, usque ambo defessi sumus.
 SY. Tua culpa. SA. quid agerem? SY. adolescenti morem gestum oportuit.
 SA. Quî potui melius? qui hodie usque os præbui. SY. age, scis quid loquar?
 Pecuniam in loco negligere, maxumam interdum est lucrum. SA. hui.
 10 SY. Metuisti, si nunc de tuo jure concessisses paululum,
 Atque adolescenti esses morigeratus, hominum homo stultissime:
 Ne non tibi istuc fœneraret? SA. ego spem pretio non emo.
 SY. Nunquam rem facies. abi, nescis inescare homines, Sannio.
 SA. Credo istuc melius esse: verum ego nunquam adeo astutus fui,
 15 Quin, quidquid possem, malle m auferre potius in præsentia.
 SY. Age, novi tuum animum; quasi quidquam tibi sint viginti minæ,
 Dum huic obsequare: præterea autem te aiunt proficisci Cyprum.
 SA. hem!
 SY. Coëmisse hinc, quæ illuc veheres, multa: navem conductam: hoc scio,
 Animus tibi pendet: ubi illinc, spero, redieris, tamen hoc ages.
 20 SA. Nusquam pedem: perij hercle: hac illi spe hoc inceperunt.
 SY. timet:
 Injeci scrupulum homini. SA. ô scelera! illud vide,

INTERPRETATIO.

qua ego vapulans, ille me usque cadens utriusque defatigati sumus. SY. Tu in causâ fuisti. SA. Quid facerem? SY. Adolescenti te obsequi oportuit. SA. Quomodo id potui melius, qui hodie assidue os ei percutiendum dedi. SY. Age, scisne, quid velim dicere? Argentum vili facere in tempore, & loco convenienti, aliquando est lucrifacere. SA. Hui! SY. Timuisti, si nunc de tuo jure aliquid adolescenti (Æschino) remisisses, atque ejus voluntati obsecundasses, ô ineptissime omnium mortalium, ne non tibi istud cum fœnore reponeret. SA. Ego spem lucri pecuniâ præsentî minime commuto. SY. Nunquam rem familiarem augebis, nec amplas facultates accumulabis: valeas, apage, nescis juvenes quasi escâ oblatâ, tanquam aves allicere. SA. Puto id melius esse, quod

& subtilis fui, ut non malle, quam lecumque compendium representari mihi, quam promitti. SY. Novi animum tuum liberalem: quasi vero pluri facias summam viginti minarum, præstudia obsequendi Æschino. Præterea autem jam profecturus es Cyprum, ut rumor est. SA. Hem! SY. Aiunt te multa simul emisse, qua hinc illuc exportares: navem te conduxisse: hoc certè scio. Animi dubius es, utrum proficiscaris Cyprum, an hic maneas. Vbi ex insula Cypro reversus fueris, ut exopto, debitas minas ab Æschino tunc accipies. SA. Nusquam pedem effero: per Herculem res mihi perij: hac illi expectatione moti, quod peregre mihi abeundum esset, viginti minas se reddituros promiserunt. SY. Metuit, Sannio, propter pecuniam: injeci in animu homini scrupulum. SA. O scelesti! Vide ut occasione opportunâ me aggressus est.

ANNOTATIONES.

21. O scelera! Id est, O scelestos!

- Ut in ipso articulo oppressit, emptæ mulieres
Complures, & item hinc alia, quæ porto Cyprum?
Ni eo ad mercatum venio, damnium maximum est.
- 25 Nunc si hoc omitto, ubi illinc rediero, actum agam!
Nihil est, refrixerit res: nunc demum venis?
Cur passus? ubi eras? ut sit satius perdere,
Quam aut hinc manere tam diu, aut tum persequi.
S Y. Jamne enumerasti id quod ad te rediturum putes?
- 30 S A. Hoccine illo dignum est? hoccine incipere Æschinum?
Per oppressionem ut hanc mihi eripere postulet?
S Y. Labascit, unum hoc habeo: vide si satis placet:
Potius, quam venias in periculum, Sannio,
Serve sine, an perdas totum, dividuum face:
- 35 Minas decem corradet alicunde. S A. hei mihi!
Etiam de sorte nunc venio in dubium miser.
Pudet nihil? omnes dentes labefecit mihi,
Præterea colaphis tuber est totum caput;
Etiam insuper defrudet? nusquam abeo. S Y. ut lubet.

INTERPRETATIO.

ut pecunia solutionem differret: emptas mulieres habeo multas, alias etiam merces quas Cyprum vebo. Nisi illuc mercatum proficiscor, detrimentum ingens accipiam: nunc si hoc negotium cum Æschino non perficiam, si viginti minas non recipiam, antequam abeam Cyprum, nihil ago: ubi illinc rediero, nihil est sperandum, voluntas debitoris imminuta erit, & tarda ad solvendum; dicet, quid tardius redis? nunc occasio mihi non est, cur passus es te tanto tempore absentem esse, ubi eras, quando paratus eram tibi pecuniam numerare, nunc mihi facultas non est. Talia objiciet, adeo ut melius sit perdere debitum, quam aut hinc morari tam diu, dum iter non facio Cyprum; aut postquam rediero, pecuniam petere. S Y. Jamne tecum computasti, quod

recipere debes argenti? S A. Hocne decet Æschinum facere? hocne aggredi? ut per vim me cogendo, hanc mihi tollere conetur? S Y. Nutat animo, Vnum hoc habeo, tibi quod dicam, Sannio: considera, si id satis tibi gratum est, potius quam in periculum totum amittendi incidas. Dimidium pretij pro puella, id est decem minas in presentia accipe: hanc summam corrobabit ab amicis, vel conficiet alicunde. S A. Hei mihi! etiam miser in periculo versor amittendi sortem pecunia. Nullo pudore Æschinus movetur? Omnes dentes concussit mihi, colaphis quoque caput totum tumefactum est: præterea etiam meam rem mihi per fraudem eripere audebit? Nusquam proficiscar, Cyprum non ibo: persequar actionem adversus illum. S Y. Fac ut tibi videtur.

ANNOTATIONES.

22. Ut in ipso articulo oppressit.] Perfeverat in ipsa metaphora sumpta à scrupulo, id est lapillo qui in calceos incidens, nos in articulis pedum premit & lædit. Itaque hinc allegoricè hæc

verba, Ut in ipso articulo oppressit, significant; in temporis puncto, & angustiis, quibus premor, me jam-jam profecturum Cyprum, aggressus est.

- 40 Nunquid vis, quin abeam? S A. imo hercle hoc quaeso, Syre,
Ut ut hæc sunt facta, potius, quam lites sequar,
Meum mihi reddatur, saltem quanti emptæ est, Syre.
Scio te non usum antehac amicitia mea;
Memorem me dices esse, & gratum. S Y. sedulò
45 Faciam. sed Ctesiphonem video. lætus est
De amica. S A. quid, quod te oro? S Y. paulisper mane.

INTERPRETATIO.

Nisi quid mandas mihi, nihil me impedit quin abeam. S A. Imo sane, hoc rogo, Syre, utcumque hæc sunt in me facta, saltem viginti minas mihi reddantur pro puella pretio, potius, quam litigare cogar. Scio te antehac amicitiam meam expertum non esse, postea

cognosces me non esse immemorem beneficii, nec ingratum. S Y. Sincere id agam. Sed Ctesiphonem cerno. Exultat lætitia propter amicum quam possidet. S A. Quid? an agis quod te precor? S Y. Aliquantisper expecta.

ANNOTATIONES.

40. Nunquid vis quin abeam?] Sermo discendentis, sexcenties à Plauto, & Terentio usurpatus. Donatus ad illud Terentij Eunuchi Actu 2. Scena 3. Rogo nunquid velit, notat; Hoc est significo me abire: nam abituri ne id dure facerent, dicebant his, quibuscum essent, nunquid vis? Vous plaist-il me commander quelque chose?

ACTUS II. SCENA III.

CTESIPHON. SYRVS.

- CT. **A** Bs quisvis homine, cum est opus, beneficium accipere gaudeas:
Verum enimvero id demum juvat, si, quem æquom est facere, is benefacit.
O frater, frater, quid ego nunc te laudem? satis certo scio,
Nunquam ita magnifice quidquam dicam, id virtus quin superet tua:
Itaque unam hanc rem me habere præter alios præcipuam arbitror,

INTERPRETATIO.

CT. **N**emo est, qui lætus non sit, cum, usus venit, à quovis beneficium accipere; verum profecto, id omnino gratum est, si is quem decet officium præstare, is præstat. O frater, tuas verbis celebrem? Satis equidem scio, me nunquam illas tam honorifice prædicaturum, ut orationem virtus tua non excedat. Itaque præcipuum unum hoc proprium arbitror me habere, cuius alij expertes sunt:

Fratrem homini nemini esse primarum artium magi principem.
SY. O Ctesipho. *CT.* ð Syre, Æschinus ubi est? *SY.* ellum, te
 expectat domi. *CT.* hem!

SY. Quid est? *CT.* quid sit? illius opera, Syre, nunc vivo: festivum caput!

Omnia sibi qui postularit esse præ meo commodo,
 10 Maledicta, famam, meum amorem, & peccatum in se translulit:

Nihil pote supra. sed quisnam? fores crepuit? *SY.* mane, mane, ipse exit foras.

INTERPRETATIO.

scilicet fratrem primis artibus, humanitate, beneficentia, omnibus antiferendum. *SY.* O Ctesipho. *CT.* O Syre, ubinam Æschinus est? *SY.* Ecce illum, in adibus te expectat. *CT.* Hem! *SY.* Quid est? *CT.* Quid sit quæris? Illius labore, & industria factum est, ut vita mihi salva sit. O lepidum vi-

rum! imo etiam omnes res iste n-
 das sibi esse putavit meis commodis. Maledicta, infamiam, amoris mei periculum, & peccatum propter rapum puella suscipit in se: nihil supra tot beneficentia dici potest: sed quisnam venit? *SY.* Ianua strepuit: ipse domo huc procedit.

ANNOTATIONES.

6. *Homini nemini.*] Vel *Hominem neminem*, vel *Homini neminem*, variae sunt lectiones, Nemo homo est antiqua locutio, pro, nullus homo. Si legas, *Homini nemini*, sensus erit planior. Si legas, *Neminem hominem*, ita

explica; unam hanc rem me habere præter alios præcipuam arbitror; scilicet hominem neminem, id est, nullum hominem, qui frater sit alicui, primarum artium magis principem,

ACTUS II. SCENA IV.

ÆSCHINVS. SANNIO. CTESIPHO. SYRVS.

ÆS. Ubi ille est sacrilegus? *SA.* men' quærit? num quidnam effert? occidi:

Nil video. *ÆS.* ehem, opportune, te ipsum quærito; quid fit Ctesipho?

In tuto est omnis res: omitte vero tristitiam tuam.

INTERPRETATIO.

ÆS. Ubinam est ille scelestus leno Sannio? *SA.* Mene appellat? num pecuniam domo exportat? Perij; nihil video pecunia illum domo asserve.

ÆS. Ehem; commode occurris, te ipsum studiose quæro. Quid agitur? in securo loco posita est res omnis tua; expelle vero omnem animo dolorem.

CT. Ego illam vero omitto, qui quidem te habeam fratrem: ð mi Æschine!

O mi germane! ah vereor coram in os te laudare amplius, Ne id assentandi magis, quam quod habeam gratum, facere existumes.

ÆS. Age, inepte, quasi nunc non norimus nos inter nos, Ctesipho.

Hoc mihi dolet, nos pene sero scisse, & pene in eum locum Rediisse, ut, si omnes cuperent, nihil tibi possent auxiliarier.

10 *CT.* Pudebat. *ÆS.* ah, stultitia est istæ, non pudor, tam ob parvolam

Rem pene è patria? turpe dictu. Deos quæso ut istæc prohibeant.

CT. Peccavi. *ÆS.* quid ait tandem nobis Sannio? *SY.* jam mitis est.

ÆS. Ego ad forum ibo, ut hunc absolvam. tu intro ad illam, Ctesipho.

SA. Syre insta. *SY.* eamus: namque hic properat in Cyprum. *SA.* ne tam quidem;

15 Quamvis etiam maneo otiosus hic. *SY.* reddetur, ne time.

SA. At ut omne reddat. *SY.* omne reddet, tace modò, ac sequere hac. *SA.* sequor.

CT. Heus, heus, Syre. *SY.* hem, quid est? *CT.* obsecro hercle, hominem istum impurissimum

Quam primum absolvitote, ne, si magis irritatus fiet, Aliqua ad patrem hoc permanet, atque ego tum perpetuo perierim.

INTERPRETATIO.

CT. Per Herculem verò illam expello, qui quidem fratrem te possideo. O mi Æschine, ð mi germane: ah vereor te presentem amplioribus laudibus prosequi, ne id adulandi magis gratiâ id me facere putes, quàm quod memor sum beneficij. *ÆS.* Age, stulto, hac omitta; quasi nunc inter nos notitia incipiat; verum doleo, nos fere tarde certiores factos esse tuarum rerum, & fere è redactos esse periculi, ut si omnes homines cuperent te juvare, nullo modo id possent. *CT.* Pudore impediabar. *ÆS.* Ah! stultitia est ista, non verecundia; ob rem tam parvi momenti pene, ex patria, profugisse: pudet me id dicere: Dijs supplico, ut ista avertant, nempe fugam patria præ desperatione in amore. *CT.* Erravi.

ÆS. Quid postremò nobis Sannio dicit? *SY.* iam mansuetus est. *ÆS.* Ego ad forum me conferam, ut soluta pecuniâ, illum dimittam. Tu intro domum, ita ad amicam. *SA.* Syre, urge Æschinum. *SY.* Eamus quæso, Æschine, nam hic Sannio in Cyprum proficisci festinat. *SA.* Non tantum festino, quantumvis moram hic otiosus faciam. *SY.* Reddetur tibi pecunia, ne dubita. *SA.* At effice, ut totam restituat. *SY.* Totam restituat, sile modò, & me sequere hac via. *SA.* Sequor. *CT.* Heus, heus, Syre. *SY.* Hem, quid me vis? *CT.* Per Herculem te oro, homini isti sordidissimo pecuniam pro pretio puellæ citò solvite, ne si magis irritetur aliquo modo, rumor hujus rei ad patrem perveniat, atque ego tunc omnino interierim.

20 SY. Non fiet. bono animo es. tu cum illa te intus oblecta interim,
Et lectulos jube sterni nobis, & parari cætera.
Ego jam transacta re, convortam me domum cum obsonio.
CT. Ita quæso: quando hoc bene successit, hilarem hunc sumamus diem.

INTERPRETATIO.

SY. Id non fiet, securus esto. Tu interea cum amica voluptati indulge, & lectos sterni, cæteraque ad cœnam necessaria adornari jube: ego jam confecto negotio, illinc domum me referam cum edulis, quaempta sunt. CT. Sic fiat quæso; quando hac res feliciter nobis evenit, hunc latum agamus diem.

ACTUS TERTII SCENA I.

SOSTRATA. CANTHARA.

SO. **O**BSECRO, mea tu nutrix, quid nunc fiet? CA. quid fiet, rogas?
Recte adepol spero. SO. modo dolores, mea tu, occipiunt primulum.
CA. Jam nunc times, quasi nunquam adfueris, nunquam tute pepereris.
SO. Miseram me, neminem habeo, solæ sumus: Geta autem hic non adest;
5 Nec quem ad obstetricem mittam, nec qui accersat Æschirum.
CA. Pol is quidem jam hic aderit. nam nunquam unum intermittit diem,
Quin semper veniat. SO. solus mearum miseriarum est remedium.
CA. E re nata melius fieri haud potuit, quam factum est, hera: Oblatum quando vitium est, quod ad illum attinet potissimum,

INTERPRETATIO.

SOS. **P**RECOR te, mea nutrix, dic mihi, quid eveniet. CAN. Quaris? per Pollucem faustum rerum eventum spero. SO. Iam modo dolores parituram invadere ceperunt. CAN. Nunc metuis, quasi nunquam parturientibus præfens interfueris, neque tu ipsa enixa liberos fueris. SOS. O me infortunatam! Nemo mihi est, qui opem ferat; sola relicta sumus: Geta autem hinc abest, nec ullus ex domesticis mihi nunc restat, quem ad obstetricem accersendam mittam, aut qui Æschinum huc vocet. CAN. Per Pollucem is certe mox præsto hic erit. Etenim nullo cessat die nos invisere. SO. Solus is meis agritudinibus mædetur. CH. Ex repentino rei casu, nihil fortunatius contingere potuit, quando filia tua vitata est; quantum præcipue spectat ad juvenem, qui id fecit:
10 Talem

10 Talem, tali genere, tali animo, natum ex tanta familia.
SO. Ita pol est, ut dicis: salvus nobis, Deos quæso, ut fiet.

INTERPRETATIO.

Ita tam præstanti sit forma, tam clara mo. SO. Per Pollucem vera loqueris. siripe, tam bona indole, tam divite do- Deos precor ut hunc nobis servent.

ACTUS III. SCENA II.

GETA. SOSTRATA. CANTHARA.

GE. **N**unc illud est, quod si omnes omnia sua consilia conferant,
Atque huic malo salutem quærant, auxilii nihil afferant,
Quod mihi que, heræ que, filia que herili est. vix misero mihi!
Tot res repente circumvallant, unde emergi non potest:
5 Vis, egestas, injustitia, solitudo, infamia.
Hocce feculum? ô scelera! ô genera sacrilega! ô hominem impium!
SO. Me miseram! quidnam est, quod sic video timidum & properantem Getam?
GE. Quem neque fides, neque jusjurandum, neque ulla misericordia
Repreffit, neque reflexit, neque quod partus instabat prope,
10 Cui miseræ indigne per vim vitium obtulerat. SO. non intelligo
Satis, quæ loquatur. CA. propius obsecro accedamus, Sostrata. GE. ah!
Me miserum, vix sum compos animi, ita ardeo iracundia,
Nihil est, quod malim, quam totam familiam dari mihi obviam.

INTERPRETATIO.

GE. **N**unc talis est miseria nostra; ut si omnes omnia sua simul consilia adhibeant, atque huic malo, quod mihi que, dominae que mea Sostrata, filiae que ejus Pamphila factum est, mederi conemur, nihil quidquam juvent. Va misero mihi! tot difficultates inopinatio circumstant, ex quibus evadi non potest: vis stupri, inopia ipsius puella, injustitia erga miseros, solitudo à defensoribus, infamia ab ijs, qui credunt vitiatam pretio. Hacno tempora adeo corrupta sunt? O crimina infanda! ista Mittonis familia mihi obvius offerri
10 Talem

- Ut iram hanc in eos evomam omnem, dum ægritudo hæc est recens:
- 15 Satis mihi id habeam supplicij, dum illos ulciscar modò. Seni animam primum extinguerem ipsi, qui illud produxit scelus: Tum autem Syrum impulsorem, vah! quibus illum lacerarem modis!
- Sublitem medium primum arriperem, & capite in terrã statuerem; Ut cerebro dispergat viam:
- 20 Adolescenti ipsi oculos eriperem, post hæc præcipitem darem: Cæteros ruerem, agerem, raperem, tunderem, & posternerem. Sed cesso hoc malo heram impertiri prope: S O. revocemus. Geta. G E. hem.
- Quisquis es, sine me. S O. ego sum Sostrata. G E. ubi ea est? te ipsam quærito:
- Te exspecto. oppidò opportune te obtulisti mi obviã;
- 25 Hera. S O. quid est? quid trepidas? G E. hei mihi! S O. quid festinas, mi Geta?
- Animam recipe. G E. prorsus. S O. quid istuc prorsus ergo est? G E. perimus.
- Actum est. S O. obsecro te quid sit. G E. jam. S O. quid jam? Geta?
- G E. Æschinus. S O. quid ergo is? G E. alienus est ab nostra familia. S O. hem!
- Perij. quare! G E. amare ocepit aliam. S O. væ miseræ mihi.
- 30 G E. Neque id occulte fert: à lenone ipse eripuit palam.

INTERPRETATIO.

ut iram hanc omnem in eos evomam, dum hic dolor meus novus est. Pœna sufficiens mihi fuerit, dum modo nunc ultionem de illis sumam: seni patri primum vitam eriperem, qui tam scelestum juvenem in lucem edidit: tum autem Syrum instigatorum, vah! quibus illum tormentis dilaniarem! in sublime elatum medium ejus corpus ad me traherem, & præcipitem in solum durum, & saxosum alliderem, sic, ut ejus cerebrum per diversas partes via spargatur: adolescenti ipsi eruerem oculos, postea præcipitem ex alto: reliquos ex illa domo projicerem, impellerem, distrahерem, concuterem, & in terram affligerem; sed differone heram hoc malum cito communicare? S O. Revocemus eum currentem. Geta. G E. Hem, quicum-

que sis, sine me festinare, ne me time. S O. Ego sum heram tua Sostrata. G E. Vbinam stas? te ipsam ubique peto, te exspecto: valde tempestivi te mihi obviam dedisti heram. S O. Quidnam tibi est? quid trepidus es? G E. Hei mihi! S O. Quid properas, mi Geta? Animum collige. G E. Omnino, S O. Quid istud omnino? G E. Perimus, actum est de nobis. S O. Enarra, quæso, quam res sit. G E. Jam. S O. Quid jam? Geta. G E. Æschinus, S O. Quid igitur is fecit? G E. Alienavit animum suum à nobis; amare incepit aliam virginem, quam Pamphilam. S O. Hem! perij. Quare alienus factus est à nobis? G E. Aliam amicam, reliquit Pamphilã filiã tuã, sibi junxit. S O. Væ miseræ mihi! G E. Neque id celat, ipsemet à lenone puellam vi abstulit.

30. Satis hoc certum? G E. certum. hisce oculis egomet vidi, Sostrata. S O. ah!
- Me miseram! quid credas jam? aut cui credas? nostrumne Æschinum?
- Nostram vitam omnium, in quo nostræ spes opesque omnes sitæ erant?
- Qui sine hac jurabat se unum nunquam victurum diem?
- 35 Qui in sui gremio positurum puerum dicebat patris? ita obsecraturum, ut liceret hanc uxorem ducere?
- G E. Hera, lacrimas mitte, ac potius, quod ad hanc rem opus est, porro consule;
- Patiamurne, an narremus cuiquam? C A. au, mi homo, fanusne es?
- An hoc proferendum tibi usquam esse videtur? G E. mihi quidem non placet.
- 40 Jam primum, illum alieno animo à nobis esse, res ipsa indicat. Nunc si hoc palam proferimus, ille inficias ibit, fat scio: Tua fama, & gnata vita in dubium veniet. tum si maxime fateatur, cum amet aliam, non est utile hanc illi dari.
- Quapropter, quoquo pacto tacito est opus. S O. ah! minime gentium:
- 45 Non faciam. G E. quid ages? S O. proferam. G E. hem! mea Sostrata, vide quam rem agas.
- S O. Pejore res loco non potis esse esse, quam in hoc, quo nunc sita est,

INTERPRETATIO.

S O. Satis hoc certum habes? G E. Certe his oculis egomet deprehendi hoc, Sostrata. S O. O me infortunatam! Quam res jam credi potest, aut cui homini credatur? nostre Æschinus hæc fecit? ille salus nostrum omnium? in quo spes nostra, omnia bona nostra posita erant? qui jurabat se ne unum quidem diem sine Pamphila spirare posse? qui promittebat se puerum, qui natus positum educaturum? se patri supplicaturum, ut permetteret eam sibi matrimonio jungere? G E. Hera, desine lacrymari, ac potius quod ad hanc rem attinet, in posterum consilium quare, an feramus cum silentio hoc malum, an alicui communicemus. C A. N. Hæu, mi homo,

composne mentis es? An hoc verbis detegendum esse ullo in loco censes? G E. Mihi quidem non videtur esse proferendum. Jam primum amorem suum à nobis avertisse, re ipsa nobis manifestum apparet. Nunc si hoc divulgemus, ille pernegabit, probe scio, se stuprasset Pamphilam: tua existimatio, & salus tua filia in periculum adducetur: tum etiam si fateatur eam vitasse, non conducit hanc illi nubere, quando aliam sibi amicam sumpserit. Quamobrem, quovis modo, silere istud oportet. S O. Ah! neutiquam id faciam, non tacebo. G E. Quid vis agere? S O. Id manifestabo! G E. Ah, mea Sostrata, considera quid agendum sit tibi. S O. In deteriori conditione res esse non potest, quam in qua nunc posita est.

- Primum indotata est : tum præterea , quæ secunda ei dos erat.
 Perit : pro virgine dari nuptum non potest. hoc reliquum est,
 Si inficias ibit , testis mecum est annulus , quem amiserat.
 50 Postremò , quando ego conscia mi sum , à me culpam hanc procul
 esse , nec
 Pretium , neque rem ullam intercessisse illa , aut me , indignam ,
 experiar , Geta.
 G E. Quid istic ? accedo , ut melius dicas. S O. en , quantum po-
 tes , abi ,
 Atque Hegioni cognato hujus rem omnem narrato ordine.
 Nam is nostro Simulo fuit summus , & nos coluit maxime.
 55 G E. Nam hercle alius nemo respicit nos. S O. propera tu , mea
 Canthara ,
 Curre , obstetricem accerse , ut , cum opus sit , ne in mora nobis
 fiet.

INTERPRETATIO.

primum nulla dos ei est : præterea , pu-
 dicitia qua loco dotis erat , amissa est .
 pro virgine dari in uxorem non potest :
 si negabit Æschinus Pamphila vitium
 obtulisse , testimonium mecum perhibe-
 bit hic annulus , quem amiserat . Po-
 stemò , quoniam mecum scio certò , me
 omnis culpa esse expertem , neque ullam
 rem intervenisse , qua illam , aut me
 non deceat , Geta , iudicio agam . G E.
 Quid istud est ? quid tibi resistam ? ac-
 cedo tua sententia , ut qua melius , quam
 ego dicas , & prudentius sentias . S O.
 Tu quantum potes celeriter proficisce-
 re , atque Hegioni cognato Pamphi-
 la rem omnem , ut acta est , expone-
 is enim Simulo marito meo , patri vir-
 ginis summus amicus fuit , & nos ma-
 xime observavit . G E. Recte facis , nam
 per Herculem nemo alius nostri curam
 habet . S O. Festina tu , mea Cantha-
 ra , abi propera , obstetricem adducito ,
 ut cum partus instabit , nullam moram
 faciat .

ACTUS III. SCENA III.

DEMEA. SYRVS.

- D E. D isperij , Ctesiphonem audivi filium
 Unà fuisse in raptione cum Æschino.
 Id misero restat mihi mali , si illum potest ,
 Qui alicui rei est , etiam ad nequitiam abducere.
 3 Ubi ego illum quæram ? credo abductum in ganeum

INTERPRETATIO.

D E. O cidi ; audivi Ctesiphonem co-
 mitem fuisse Æschini , cum puel-
 lam rapuit ; id mihi infelici summum
 malum adhuc reliquum est , si Æschinus
 Ctesiphonem , qui alicui rei utilis esse potest ,
 ad luxum & libidinem impellat . Vbinam
 igitur Ctesiphonem quæram ? in lupanar ut
 suspicor , quoddam ab Æschino abductus est .

- Aliquò , persuasit ille impurus , sat scio.
 Sed eccum ire Syrum video. hinc scibo jam , ubi fiet.
 Atque hercle hic de grege illo est : si me fenserit
 Eum quæritare , nunquam dicer carnufex.
 10 Non ostendam id me velle.
 S Y. Omnem rem modo seni ,
 Quo pacto se haberet , enarramus ordine.
 Nil quidquam vidi lætius. D E. prò Jupiter !
 Hominis stultitiam ! S Y. collaudavit filium :
 15 Mihi , qui id dedissem consilium , egit gratias.
 D E. Disrumpor. S Y. argentum adnumeravit illico !
 Dedit præterea in sumptum dimidium minæ :
 Id distributum sane est ex sententia. D E. hem !
 Huic mandes , si quid recte curatum velis.
 20 S Y. Hem ! Demea , haud aspexeram te : quid agitur ?
 D E. Quid agatur ? vosfram nequeo mirari satis
 Rationem. S Y. est hercle inepta , ne dicam dolo , atque
 Absurda. pisces cæteros purga , Dromo :
 Congruum istum maxumum in aqua finito ludere
 25 Paulisper : ubi ego venero , exossabitur ;
 Prius nolo. D E. hæccine flagitia ? S Y. mihi quidem non pla-
 cent :
 Et clamo sæpe : falsamenta hæc , Stephanio ,
 Fac macerentur pulcre. D E. Dij , vosfram fidem !
 Utrum studione id sibi habet , an laudi putat
 30 Fore , si perdidit gnatum ? vae misero mihi !

INTERPRETATIO.

persuasit flagitiosus ille Ctesiphoni , pro-
 be scio , ut secum illuc iret . Sed ecce Sy-
 rum venire video : jam ex illo sciam ,
 ubi sit Ctesipho : atque mehercule de illo
 hominum cætu est : si animadvertent
 me illum cupide quærere , nunquam di-
 cet , ubi sit ganeo ille : dissimulabo
 me id cupere . S Y. Res gestas ab Æs-
 chino Mitroni ex ordine recitavi : ne-
 minem quemquam hilariorem illo vidi .
 D E. Proh Iupiter , hominis ineptiam !
 S Y. Filium Æschinum laudibus profe-
 quitus est : mihi qui illi suavissem , gra-
 tias egit pro consilio . D E. Animi dis-
 crucior . S Y. Pecuniam statim nume-
 ravit ; insuper in sumptum dimidium
 minæ largitus est : postea id disparti-
 tum est ex voluntate Æschini . D E.
 Si quid recte paratum esse cupias , hoc
 officium manda huic Syro . S Y. Ehem ,
 Demea , non te videram : quid fit ?
 D E. Quid fiat rogas ? non possum satis
 mirari vestrum agendi morem . S Y. Est
 mehercule inconueniens , ne mentiar ,
 & ineptus . Pisces cæteros sordibus ex-
 purga , Dromo ; congrum istum maximum
 in aqua sine paulisper spatiari . & sub-
 silire : postquam ego venero , ossa ei de-
 trahentur . Prius nolo eum purgari . D E.
 Hæcne flagitia fieri debent : S Y. Mihi
 quidem displicent ; & clamitare soleo .
 Hæc sale condita edulia eluc , & emolli
 diligenter . Stephanio . D E. Dij vosfram fidem
 invoco , utrumne id cum delectatione studet
 facere , an in hoc se laudandum esse existi-
 mat , si corruerit filium . Vae misero mihi !

Videre videor jam diem illum, cum hinc egens
Profugiet aliquo militatum, SY. ô Demea!

*Istuc est sapere, non quod ante pedes modò est,
Videre, sed etiam illa, qua futura sunt,*

35 *Prospicere.* DE. quid? istæc jam penes vos psaltria est?
SY. Ellam intus. DE. eho, an domi est habiturus? SY. credo,
ut est

Dementia. DE. hæccine fieri? SY. inepta lenitas
Patris, & facilitas prava. DE. fratris me quidem
Pudet, pigetque. SY. nimium inter vos, Demea, ac

40 Non, quia ades præsens, dico hoc, pernimum interest.

Tu, quantus quantus, nihil nisi sapientia es:

Ille, somnium. fineres vero illum tu tuum

Facere hæc? DE. finerem illum? annon sex totis mensibus
Prius olfecissem, quàm ille quidquam cœperit?

45 SY. Vigilantiam tuam tu mihi narras? DE. sic fiet

Modo, ut nunc est. SY. ut quisque suum vult esse, ita est.

DE. Quid cum? vidistin' hodie? SY. tuumne filium?

(Abigam hunc rus) jam dudum aliquid ruri agere arbitror.

DE. Sati' scis ibi esse? SY. oh, qui egomet produxi. DE.
optume est.

INTERPRETATIO.

Videre videor diem illum, cum hinc
omnium indigus abibat ad militiam.
SY. ô Demea! hoc est sapientem esse,
non quod obvium est, & ob oculos so-
lum versatur videre; sed etiam qua
ventura sunt prævidere. DE. Quid
istane fidicina in vestris est adibus?
SY. Ecce illam intus. DE. Eho, an
domi eam Æschinus tenebit? SY. Cre-
do, qua eorum insania est. DE.
Adeone flagitiosi sunt, ut hæc commit-
tant? SY. Stulta Mittonis mansueru-
do, & indulgentia nimia id efficit.
DE. Pudore afficior propter fratris tur-
pitudinem, & dolore, propter licentiam,
quâ perdit filium. SY. Nimium,
Demea, tu & Mitio dissimiles estis,
nec hoc dico ut te præsentem in os lau-
dem: pernimum dissimiles, inquam.
Tu quantuscumque es, non sapiens tan-

tum es, sed ipsa sapientia: ille vanus,
instar somni, & iners. An ferres il-
lum tuum filium Ctesiphonem, si ea com-
mitteret, qua Æschinus committit?
DE. Ferre illum? an non sex mensi-
bus integris antè odoratus fuissim, &
d.prehendissem, quàm ille ullam rem
cæpturus esset facere. SY. Quid vigi-
lantiam, & prudentiam tuam mihi
commemoras, qua mihi maxime nota
est? DE. Talis esse pergat cupio, qualis
nunc est. SY. Ut quis optat esse suum
filium, sic est. DE. Quid eum? (in-
telligit Ctesiphonem) vidistine hodie.
SY. Tuumne filium? (abigam hunc mo-
lestumne senem ad suum prædium.) Iam-
pridem hunc ruri, alicui rei dare ope-
ram epinor. DE. An certior es, ibi
eum agere. SY. Oh, qui egomet illum
eò usque deduxi. DE. Recte factum.

ANNOTATIONES.

48. Abigam hunc rus.] Hæc secum Syrus tacite loquitur.

50 Metui ne hæreret hic. SY. atque iratum admodum.
DE. Quid autem? SY. adortus jurgio fratrem apud forum

De psaltria istac. DE. ain' vero. SY. vah, nil reticuit:

Nam, ut numerabatur forte argentum, intervenit

Homo de improvviso: cœpit clamare; & Æschine,

55 Hæccine flagitia facere te? hæc te admittere

Indigna genere nostro? DE. oh, lacrumo gaudio.

SY. Non tu hoc argentum perdis, sed vitam tuam.

DE. Salvos sit: spero, est similis majorum suum. SY. hui!

DE. Syre, præceptorum plenus istorum ille. SY. phy!

60 Domi habuit, unde disceret. DE. fit sedulo:

Nil prætermitto: consuefacio: denique

Inspicere, tanquam in speculum, in vitas omnium

Jubeo, atque ex alijs sumere exemplum sibi.

Hoc facito. SY. recte sane. DE. hoc fugito. SY. callide.

65 DE. Hoc laudi est. SY. istæc res est. DE. hoc vitio datur.

SY. Probissume. DE. porro autem. SY. non hercle otium est

Nunc mihi auscultandi: pisces ex sententia

Nactus sum: hi mihi ne corrumpantur, cautio est.

Nam id nobis tam flagitium est, quam illa Demea

70 Non facere vobis, quæ modo dixi: &, quod queo.

INTERPRETATIO.

Timui ne hic hærens cum Æschino
moraretur. SY. Atque ira valde com-
motum. DE. Quamobrem? SY. Ince-
pit in foro fratrem objurgare propter
hanc fidicinam. DE. Itane est, ut ais?
SY. Vah! nihil prætermisit eorum, qua
exprobranda fuerunt: nam ut lenoni
pecunia forte numerabatur pro pretio
puella, repente Ctesipho supervenit in
ipso facto: cœpit ita vociferari: Æs-
chine, hæc ne flagitia committere te non
pudet: indecora sanguini nostro, &
familia? DE. Oh, præ gaudio lachry-
mas continere nequeo. SY. Non tu hoc
argentum perdis solum, sed etiam te-
ipsum. DE. Hunc Dîj servent: ut spe-
ro majores suos imitabitur. SY. Hui!
DE. Syre, ejusmodi præceptis, quibus
fratrem monuit, abundat Ctesipho. SY.
Phy! domestica hæc habuit à te moni-

ta, & exempla quibus imbutus est.
DE. Sic informatur à me diligenter:
nihil negligo: his eum exerceo studiis:
denique spectare, tanquam in speculo,
mores, & actiones omnium volo, at-
que ex alijs, quod ei usui sit, exemplum
petere: hoc facito, dico. SY. Sapien-
ter certe. DE. Ab hoc caveo tibi.
SY. Perite. DE. Hoc laudem af-
fert. SY. Hoc utile est. DE. Hoc
dedecus parit. SY. Præclare. DE. Ut
longius, & amplius memorem. SY.
Per Herculem nunc nihil mihi re-
stat otij, ut sermoni tuo atten-
tas aures præbeam: pisces ut opta-
bam inveni: qui ne computrescant mi-
hi sedulo cavendum est: nam id no-
bis tam flagitiosum est, & indeco-
rum, quam vobis hæc non agere, qua
modo loquutus es: & quoad possum

ANNOTATIONES.

58. Hui!] Fingit se admirari quæ dicit senex.

- Conservis ad eundem istunc præcipio modum.
 Hoc falsum est, hoc adustum est, hoc lautum est parum?
 Illud recte, iterum sic memento: sedulo.
 Moneo, quæ possum, pro mea sapientia:
 75 Postremo, tanquam in speculum, in patinas, Demea,
 Inspicere jubeo, & moneo quid facti usi sit.
 Inepta hæc esse, nos quæ facimus, sentio.
 Verum, quid facias? ut homo est, ita morem geras.
 Nunquid vis? D E. mentem vobis meliorem dari.
 80 S Y. Tu rus hinc ibis? D E. recta. S Y. nam quid tu hic agas,
 Ubi, si quid bene præcipias, nemo obtemperet?
 D E. Ego vero hinc abeo, quando is, quamobrem huc vene-
 ram,
 Rus abiit: illum curo unum: ille ad me attinet,
 Quando ita volt frater: de istoc ipse viderit.
 85 Sed quis illic est, quem video procul? estne hic Hegio
 Tribulis noster? si satis cerno, is hercle est. vah!
 Homo amicus nobis jam inde à puero. Dij boni!
 Næ illiusmodi jam magna nobis civium
 Penuria est; antiqua homo virtute ac fide.
 90 Haud cito mali quid ortum ex hoc sit publice.

I N T E R P R E T A T I O.

hæc conservos meos sic moneo; hoc sale nimis conspersum; hoc ustum præ nimia coctione; hoc parum mundatum est; illud recte; fac ut iterum recordes sic apparare cibum: diligenter sic præcipio, pro eo, quod sapere possum. Vltimò tanquam in speculum, in patinas, lanceas, discos, paropsides spectare jubeo. Et moneo, suadeo, doceo, quæcumque facere utile est. Fateor stulte fieri, quæ committuntur in hac familia: verum, quid facias? ut Mitio à natura factus est, ita obsequendum ei, qui herus est. Num quid vis mandare? D E. Ut ad sanioverem mentem redeatis. S Y. Tu ad prædium proficis? D E. Sic est. S Y. Nam quid tu hic facias, ubi si quadam bona præcepta tradas, nullus est qui ea ob-servet? D E. Ego verò hinc discedo, cum Ctesipho, cujus causâ huc veneram, rus reversus est. Illius solius curam gero, ille mihi proprius est filius: quoniam ita se velle frater significavit, pro arbitrio suo ei consulat. Sed quis ille est quem procul venientem video? estne hic Hegio tribulis noster? Si recte aspicio, is certe ipse est. Vah! homo est amicitia nobis conjunctus jam inde à primis annis. Dij boni! profectò eorum, qui ei similes sunt, magna est egestas civium: vir antiqua virtute, ac fide præditus: non facile damnatum aliquod ab illo publice eveniet.

A N N O T A T I O N E S.

86. Tribulis noster.] Qui ex eadem est Tribu, Populus Atheniensis distributus fuit in Tribus duodecim, ad mensium numerum, & rursus una-

Quam

Quam gaudeo, ubi etiam hujus generis reliquias
 Restare video! vah! vivere etiam nunc luber.
 Operiar hominem hic, ut salutem, & conloquat.

I N T E R P R E T A T I O.

Quam vehementer gaudeo, cum etiam adhuc homines his moribus præditos superventus aspicio! Vah! Vitam agere etiam nunc jucundum est. Prætolabor hic illum, & cum eo sermonem conferam.

A C T U S I I I . S C E N A I V .

HEGIO. GETA. DEMEA. PAMPHILA.

- HE. P Rô Dij immortales! facinus indignum, Geta
 Quid narras? GE. sic est factum. HE. Ex illan' familia
 Tam illiberale facinus esse ortum! ô Æschine,
 Pol haud paternum istuc dedisti. DE. videlicet
 5 De psaltria hac audivit: id illi nunc dolet
 Alieno; pater is nihil pendit, hei mihi!
 Utinam hic prope adesset alicubi, atque audiret hæc.
 HE. Ni facient quæ illos æquom est, haud sic auferent.
 GE. In te spes omnis, Hegio, nobis sita est:
 10 Te solum habemus: tu es patronus, tu parens:
 Ille tibi moriens nos commendavit senex.
 Si deseris tu, periimus. HE. Cave dixeris:
 Neque faciam, neque me satis pie posse arbitror.
 DE. Adibo. salvere Hegionem plurimum
 15 Jubeo. HE. oh! te quærebam ipsum: salve Demea.

I N T E R P R E T A T I O.

HE. P Rô, Dij immortales! facin-
 nus infandum, Geta, quid
 refers? GE. Sic istud commissum est.
 HE. Ex illone genere tam claro, tam
 indignum ingenâ personâ scelus exi-
 re potuit? O Æschine, per Pollucem
 haud parentum moribus conveniens
 istud fecisti. DE. Scilicet de cithari-
 stria hujus raptione inaudivit; pro-
 pterea ille, quamvis non sit propin-
 quus genere, tamen id agre fert:
 pater vero ipse Mitio hoc facinus mi-
 nimi facit. Hei mihi! utinam hic
 presens esset, atque Hegionem que-
 rentem audiret. HE. Nisi hanc in-
 juriam ex aequitate reparabunt, non
 sic impune habebunt. GE. In te,
 Hegio, omnem spem nostram posui-
 mus, nullum alium defensorem habea-
 mus, tu es Patroni loco, & parentis:
 ille senex pater Pamphila Simulius, &
 vita discedens, nos fidei tuæ custodia
 dos tradidit: si à te deserimur, per-
 diti sumus. HE. Ne hujusmodi verba
 loquaris, neque hoc faciam, neque
 fas esse, neque nisi cum impietate me
 id posse facere judico. DE. At cadam,
 Hegionem salvum esse & bene valen-
 tem ex animo opto. HE. Te ipsum in-
 venire cupiebam: salvus sis, Demea.

H h

- D E.* Quid autem? *H E.* major filius tuus Æschinus,
Quem fratri adoptandum dedisti, neque boni,
Neque liberalis functus officium est viri.
- D E.* Quid istuc? *H E.* nostrum amicum noras Simulum: atque
20 Æqualem? *D E.* quid ni? *H E.* filiam ejus virginem
Vitiavit. *D E.* hem! *H E.* mane, nondum audisti, Demea,
Quod est gravissimum. *D E.* an quid est etiam amplius?
H E. Vero, amplius? nam hoc quidem ferendum aliquo modo est,
Perfuasit nox, amor, vinum, adolescentia:
- 25 Humanum est. ubi scit factum, ad matrem virginis
Venit ipse ultro, lacrumans, orans, obsecrans,
Fidem dans, jurans se illam ducturum domum.
Ignotum est, tacitum est, creditum est. virgo ex eo
Compressu gravida facta est. mensis hic decimus est:
- 30 Ille bonus vir nobis pateriam, si diis placet,
Paravit, quicum vivat, illam deferit.
D E. Pro certon' tu istuc dicis? *H E.* mater virginis
In medio est, ipsa virgo, res ipsa: hic Geta
Præterea, ut captus est servorum, non malus,
- 35 Neque iners, alit illas, solus omnem familiam
Sustentat. hunc abduce, vinci: quære rem.
G E. Imo hercle extorque, nisi ita factum est, Demea:
Postremo non negabit, coram ipso cedo.
D E. Pudet: nec, quid agam, neque quid huic respondeam,

INTERPRETATIO.

D E. Quid autem est, quod me velis?
H E. Filius tuus Æschinus major natu, neque probo, neque ingenuo viro rem dignam egit. *D E.* Quid istud est?
H E. Amicus noster Simulus noxus fuit tibi, qui eadem ætate erat nobiscum?
D E. Quare mihi notus non fuerit?
H E. Filiam ejus violavit Æschinus.
D E. Hem! *H E.* Audi, nondum tibi renunciavi, Demea, illud, quod est deterrimum. *D E.* An quidquam est etiam deterius? *H E.* An deterius etiam aliquid sit? nam hoc quidem aliqua ratione excusari potest: impulsit eum ad hoc facinus nox, amor, vinum, adolescentia: hoc peccatum in hominem cadere potest. Vbi vidit se id fecisse, matrem virginis Sofratam adit sponte, flens, supplicans, deprecans, promittens, juramento se obligans illam in uxorem ducturum: paritum est, silentio facinus

tectum est, fides illi habita est. Virgo se per vim stuprata ex hoc concubitu gravidata est: jam mensem decimum uterum gestat. Ille bonus vir nobis pateriam, si ita Diis visum est, quaesivit, cum qua consuetudinem habeat, derelicta Pamphila. *D E.* Hacne certa sum, qua dicis? *H E.* Sofrata, mater virginis, in medium proditura est, ut id probet, ipsa virgo Pamphila, ipsa virginis graviditas: hic præterea Geta, servus frugi, pro conditione & statu servili, & solers, alimenta illis ministrat, solus toti domui victum præbet, abducto, vinculis adstringito, facinus quarit. *G E.* Quin etiam tormentis exquire, & supplicij crucia, nisi ita factum est, Demea, postremo non incitabitur ipse Æschinus: hunc nobis hic presentem statue. *D E.* Pudore suffundor, neque quid faciam, neque quod responsum

- 40 Scio. *P A.* Miseram me! differor doloribus:
Juno Lucina fer opem, serva me, obsecro. *H E.* hem!
Numnam illa, quaeso, parturit? *G E.* certe, Hegio. *H E.* hem!
Illæ fidem nunc vestram implorat, Demea.
Quod vos jus cogit, id voluntate impetret.
- 45 Hæc primum ut fiant, Deos quaeso, ut vobis decet:
Sin aliter animus voster est, ego, Demea,
Summa vi defendam hanc atque illum mortuum.
Cognatus mihi erat: una à pueris parvoli
Sumus educti: una semper militiæ, & domi
50 Fuimus: paupertatem unam pertulimus gravem.
Quapropter nitar, faciam, experiar, denique
Animam relinquam potius quam illas deferam.
Quid mihi respondes? *D E.* fratrem conveniam, Hegio:
Is quod mihi de hac re dederit consilium, id sequar.
- 55 *H E.* Sed, Demea, hoc tu facito cum animo cogites,
Quam vos facillime agitis, quam estis maxime
Potentes, dites, fortunati, nobiles,
Tam maxime vos æquo animo æqua noscere
Oportet, si vos vultis perhiberi probos.
- 60 *D E.* Redito, sient, quæ fieri æquom est, omnia.
H E. Decet te facere: Geta, duc me intro ad Sofratam.
D E. Non me indicente, hæc fiunt: utinam hoc sit modo
Defunctum. verum nimia illæ licentia
Profecto evadet in aliquod magnum malum.
- 65 Ibo, requiram fratrem, ut in eum hæc evomam.

INTERPRETATIO.

ei dem invenio. *P A.* O me infelicem! differor doloribus. Juno Lucina fer mihi auxilium parturienti, salvam me præsta, te precor. *H E.* Hem! anne Pamphila, quaeso, in partiendo laborat?
G E. Sic sane est, Hegio. *H E.* Hem! illa auxilium vestrum plorans invocat, Demea: quod jure exigere potest, à volentibus, id exoret. Hæc primum Deos precor ut faciatis, quemadmodum vos decet: sin aliter animati estis, summo conatu eam propugnabo, atque illum patrem ejus defunctum. Is mihi cognatione conjunctus erat, unam à pueris educati sumus, unam semper in bello, & pacis socij sumus, inopiam unam perpeffi sumus, onerosam valde, & acerbam: quapropter contendam, laborabo, tentabo omnia, denique vitam potius amittam, quam illas indefensas solas relin-

quam. Quid responsi mihi das? *D E.* Fratrem meum Mitionem adibo, Hegio: quod is mihi de hac re suaserit, id faciam. *H E.* Sed tu, Demea, hæc apud te considera, quanto majores vobis sunt facultates, quanto potentiores, locupletiores, faciliores, nobiliores estis, tanto libentiori animo vos aequitati obsequi par est, si vos honestos æstimari vultis. *D E.* Redi: omnia ex aequitate observabuntur. *H E.* Hoc te facere convenit. Geta: duc me intro ad Sofratam. *D E.* Non hæc fiunt, quin ante denunciaverim. Utinam, hoc facinore Æschinus finem flagitijs suis imposuerit: at nimis illa non modo libertas, sed licentia, certe progreditur eò usque, ut magnam perniciem afferat. Abo, ut fratrem conveniam, & hæc in eum tadia exonerem.

ACTUS III. SCENA V.

HEGIO.

BONO animo fac sis, Sostrata, & istam, quam potes;
 Fac consolere. ego Mitionem, si apud forum est,
 Conveniam. atque, ut res gesta est, narrabo ordine.
 Si est, ut facturus officium fiet suum,
 Faciat: sin aliter de hac re ejus sententia est,
 Respondet mi, ut, quid agam, quamprimum sciam.

INTERPRETATIO.

Sostrata, fac ut bonum animum habeas, & istam filiam tuam Pamphilam fac consolatione recrees; ego Mitionem, si apud forum est, adibo, & eum certiores faciam, quemadmodum res acta sit, ut is officium suum faciat, si ita ejus fieri voluntas: sin aliter animo affectus est, sententiam suam mihi exerat, ut quid agere debeam, quamprimum constituam.



ACTUS QUARTI SCENA I.

CTESIPHO. SYRVS.

CT. **A**IN' patrem hinc abiisse rus? **SY.** jam dudum. **CT.** dic fo-
 des. **SY.** apud
 Villam est. nunc eum maxime operis aliquid facere credo.
CT. utinam quidem,
 Quod cum salute ejus fiat, ita se defatigarit velim;
 Ut triduo hoc perpetuo è lecto prorfus nequeat surgere.
SY. Ita fiat, & istoc si quid potis est rectius. **CT.** ita. nam hunc diem
 Misere nimis cupio, ut cœpi, perpetuum in lætitia degere:
 Et illud rus nulla alia causa tam male odi, nisi quia prope est.
 Quod si abesset longius,
 Prius nox oppressisset illic, quam huc reverti posset iterum.
10 Nunc, ubi me illic non videbit, jam huc recurrer, fat scio:
 Rogitabit me, ubi fuerim: quem ego hodie toto non vidi die.
 Quid dicam? **SY.** nihilne in mentem? **CT.** nunquam quidquam.
SY. tanto nequior.
 Cliens, amicus, hospes nemo est vobis? **CT.** sunt. quid po-
 stea?

INTERPRETATIO.

CT. **C**ERTONE dicis patrem meum Demeam ad villam hinc profectum esse? **SY.** Iampridem profectus est.
CT. Age, quaeso, dic mihi. **SY.** Apud villam est. Nunc eum maxime in colendo agro occupari puto. **CT.** Vinam sane in labore delassetur, (quod sine detrimento valetudinis ejus fiat,) ut tribus diebus, perpetuo somno in cubili detineatur, neque expegerit possit. **SY.** Ita fiat, atque etiam longiori tempore, si hoc tibi commodius est. **CT.** Ita nam hunc diem continuum in voluptate, & gaudio insumere vehementer desidero: & rus illud, non ob aliam causam mihi valde odiosum est, quam quod urbi propius est: quod si esset remotius, prius nox patrem in itinere invaderet, quam huc iterum remeare posset. Nunc ubi ille me in villâ non reperiet, jam properabit huc reverti, probed scio. Quæret à me ubi moratus fuerim, cum à me toto hoc die visus non fuerit. Quid excusationis afferam? **SY.** Nihilne in mentem tibi venit, quo te excuses? **CT.** Nihil quidquam. **SY.** Tanto peiori loco es. Clientem, amicum, hospitem neminem vos habetis? **CT.** Habemus quidem; sed quid hoc juvabit?

ANNOTATIONES.

ET istoc, si quid potis est rectius.] ut Virgilius ait;
 Olli dura quies oculos, & ferrens urget
 Somnus, in aternam claudatur lu-
 mina noctem.

- SY.* Hisce opera ut data sit. *CT.* quæ non data sit? non potest fieri. *SY.* potest.
- 15 *CT.* Interdium: sed si hinc pernocto, causæ quid dicam, Syre?
SY. Vah! quam vellem etiam noctuamicis operam mos esset dari.
Quin tu otiosus es: ego illius sensum pulcre calleo.
Cum fervit maxime, tam placidum quam ovem reddo. *CT.* quo modo?
SY. Laudarier te audit libenter. facio te apud illum Deum:
20 Virtutes narro. *CT.* meas? *SY.* tuas: homini illico lacrumæ cadunt,
Quasi puero, gaudio. hem tibi autem. *CT.* quidnam est? *SY.* lupus in fabula.
CT. Pater est. *SY.* ipse est? *CT.* Syre, quid agimus? *SY.* fuge modo intro. ego videro.
CT. Si quid rogabit, nusquam tu me? audistin? *SY.* potin' ut desinas?

INTERPRETATIO.

SY. Dices illis officium te præstitisse in eorum rebus. *CT.* Quod præstatum minime fuerit? Non potest fieri, ut id factum esse pater credat. *SY.* Potest fieri. *CT.* Potest quidem per diem: sed si hic totam noctem transigo, quid respondere poterò, Syre? *SY.* Vah! utinam etiam per noctem consuetudo esset officium amicis suis præstare. Age securis animo: ego ejus mentis conceptus calide scio. Cum vehementer ira exardet, tam mansuetum, quam ovem facio. *CT.* Quo pacto? *SY.* Te laudando: nam hoc illi valde placet: apud illum te ne Deum laudibus celebros: virtutes tuas prædico. *CT.* Measne? *SY.* Tuas: illi lacryma ex oculis fluunt pro gaudio, sicut puero. Hem tibi autem adest ille. *CT.* Quidnam est? *SY.* Lupus in fabula. *CT.* An pater est? *SY.* Ipse est. *CT.* Syre, quid mox nobis agendum? *SY.* Festina intro. ades ire: ego cogitabo quid facto opus sit. *CT.* Si quid à te quarat, nusquam tu me vidisse respondens: audivistine? *SY.* Potest sine loqui?

ANNOTATIONES.

21. *Lupus in fabula.*] Adagium, quo utimur, quoties supervenit ille, de quo loquimur, & nobis sua præsentia detrahit facultatem loquendi. Sic Plautus in *Sticho*, act. 4. scen. 1. *Atque eccum tibi lupum in sermone? Sermo pro familiari colloquio illic sumitur. Eadem est vis verbi fabula: Vnde fabulari, quod & elegans, & veteribus olim pervulgatum, hodie vix notum* in eo-significatu. Credebatur luporum visus esse noxius, vocemque homini, quem priores contemplerentur, adimere ad præsens, ut tradit Plinius lib. 8. cap. 22. Virgilius etiam id confirmat, ecloga 9.
Nunc oblita mihi tot carmina, vox quoque Mærin iam fugit ipsa: lupi Mærin videtur priores.



ACTUS IV. SCENA II.

DEMEA. CTESIPHO. SYRUS.

- DE.* **N**æ ego homo sum infelix! primum fratrem nusquam invenio gentium:
Præterea autem, dum illum quæro, à villa mercenarium Vidi: is filium negat esse ruri: nec quid agam, scio.
CT. Syre. *SY.* quid ais? *CT.* men' quærit? *SY.* verum. *CT.* perij. *SY.* quin tu animo bono es.
5 *DE.* Quid hoc, malum, infelicitatis? nequeo satis decernere:
Nisi me credo huic esse natum rei ferendis miseriis:
Primus sentio mala nostra: primus rescisco omnia:
Primus porro obnuntio. ægre solus, si quid sit, fero.
SY. Rideo hunc: primum ait se scire; is solus nescit omnia.
10 *DE.* Nunc redeo, si forte frater redierit, viso. *CT.* Syre, Obsecro, vide ne ille huc prorsus se irruat. *SY.* etiam taces?
Ego cavebo. *CT.* nunquam hercle hodie ego istuc committam tibi.
Nam me jam in cellam aliquam cum illa concludam. id tutissimum est.
SY. Age, tamen ego hunc amovebo. *DE.* sed eccum sceleratum Syrum.
15 *SY.* Non hercle hic quidem durare quisquam, si sic fit, potest.

INTERPRETATIO.

DE. **P**rofectò sum infortunatus: primum fratrem Mitionem nullo loco reperio: etiam dum illum quæro, mercenarium, qui mercede conductus in villa operatur, vidi: is Ctesiphonem rure abesse ait: nec quid agere debeam, novi. *CT.* Syre. *SY.* Quid dicis? *CT.* Mene petit? *SY.* Petit. *CT.* Perditus sum. *SY.* Age, fortis animo esto. *DE.* Quanam hæc est, ò rem malam! infelicitas? quum nihil certi constituere possim, nisi quod à natura comparatus sum ad tolerandum adversitates: primum infortunia, & damna nostra patior: primus omnium subitò certior fio: si quid adversi imminet, nuncio: solus dolorem, si quid contingit, sentio. *SY.* Hunc hominem ridiculo habeo: assermat se scire primum, cum solus omnia ignoret. Nunc revertor visurus si frater forte reversus fuerit. *CT.* Syre, cave, precor, ne pater huc rectà pronovus cum impetu se inferat. *SY.* Tacens, ego cavebo. *CT.* Per Herculem minime hodie hæc rem administrandam tibi mandabo: nam jam me in cella aliqua, cum illa puella conclusum occultabo: id tutissimum est. *SY.* Fac ut videretur, tamen hunc amoliar. *DE.* Sed ecce flagitiosum Syrum. *SY.* Per Herculem nullus quisquam hic permanere, si ita consuevit agi, diutius potest.

ANNOTATIONES.

5. *Quid hoc, malum, infelicitatis?*] Hic malum pro interjectione positum, ò malum.

- Scire equidem volo, quot mihi sint domini: quæ hæc est miseria?
D E. quid.
 Ille gannit? quid volt? quid ais bone vir? hem, est frater domi?
S Y. Quid, malum, bone vir, mihi narras? equidem perij, *D E.*
 quid tibi est?
S Y. Rogitas? Ctesipho me pugnis miserum, & istam psaltriam
 20 Usque occidit. *D E.* hem! quid narras? *S Y.* hem, vide ut dis-
 cidit labrum.
D E. Quamobrem? *S Y.* me impulsore hanc emptam esse ait.
D E. non tu eum rus hinc modo
 Produxeris ajebas? *S Y.* factum, verum post venit infaniens:
 Nil pepercit, non puduisse verberare hominem senem,
 Quem ego modo puerum tantillum in manibus gestavi meis:
 25 *D E.* Laudo Ctesipho: patriffas; abi, virum te judico.
S Y. Laudas? næ ille continebit posthac, si sapiet, manus.
D E. Fortiter. *S Y.* perquam, quia miseram mulierem & me ser-
 vulum,
 Qui referre non audebam, vicit: hui, perfortiter!
D E. Non potuit melius: idem quod ego sensit, te esse huic rei
 caput.
 30 Sed estne frater intus? *S Y.* non est. *D E.* ubi illum quæram, cogito.

INTERPRETATIO.

Certe volo certior fieri, quot domi-
 nos habeo, qua est hac infelicitas?
D E. Quid ille ganniens dicit? quid
 garrit? quid tibi est, bone vir?
 estne frater domi? *S Y.* Quid tu,
 pro malum! me appellas cum his ver-
 bis, Bone vir? Equidem occidi. *D E.*
 Quid quereris? *S Y.* Rogas quid que-
 rar? Ctesipho me pugnis miserum,
 & istam psaltriam usque contudit &
 pene conscidit. *D E.* Hem! quid ais?
S Y. Hem, aspice, ut dissidit mihi
 labrum. *D E.* Quæ de causa? *S Y.*
 Me suasore queritur hanc fratrem
 comparasse. *D E.* Nonne tu modo eum
 hinc ad villam comitatum deduxisse aie-
 bus? *S Y.* Ita est: at venit post furens:
 nullam rationem mei habuit: nonne eum
 pudere debuit, hominem senili atate con-
 festum ictibus diffregisse? quem ego modo
 puerulum in ulnis gerebam meis? *D E.*
 Laudo te, Ctesipho: similis es majorum:
 eia age, te in hac adolescentuli atate
 jam virum esse dico. *S Y.* Laudas? per
 Pollucem comprimet posthac, si quid
 mentis habeat, manuum impetum. *C T.*
 Maeste fortitudine, Ctesipho: strenue se-
 cisti. *S Y.* Valde vero strenue, qui in-
 firmam feminam, & miseratione di-
 gnam: & me timidum servum, qui
 contra repercutere verebar, verberibus
 contudit. *D E.* Non potuit ille melius
 facere. Id ipsum credit quod ego, te esse
 auctorem harum turbarum: sed est ne fra-
 ter intus in adibus? *S Y.* Non est. *D E.*
 Dubito quonam in loco eum inveniam.

ANNOTATIONES.

16. Quid ille gannit? Conqueritur gan-
 nitu. Gannire proprium est vulpium.

15. Patriffas.] Patris mores refert.

S Y. Scio

- S Y.* Scio ubi sit, verum hodie nunquam monstrabo. *D E.* hem,
 quid ais? *S Y.* ita.
D E. Diminuetur tibi quidem jam cerebrum. *S Y.* at nomen
 nescio
 Illius hominis, sed locum novi ubi sit. *D E.* dic ergo locum.
S Y. Nostin' porticum apud macellum hanc deorsum? *D E.* quid-
 ni noverim?
 35 *S Y.* Præterito hac recta platea fursum: ubi eò veneris,
 Clivos deorsum versus est, hac præcipitato: postea
 Est ad hanc manum sacellum: ibi angiportum propter est.
D E. Quonam? *S Y.* illic, ubi etiam caprificu' magna est, no-
 stin'? *D E.* novi. *S Y.* hac pergito.
D E. Id quidem angiportum non est pervium. *S Y.* verum hercle
 vah!
 40 Censen' hominem me esse? erravi, in porticum rursus redi.
 Sane hac multo propius ibis, & minor est erratio.
 Scisn' Cratini hujus ditis ædes? *D E.* scio. *S Y.* ubi eas præterieris,
 Ad sinistram hac recta platea: ubi ad Dianæ veneris,
 Ito ad dextram: prius, quam ad portam venias, apud ipsum lacum
 45 Est pistrilla, & exadvorsum est fabrica. ibi est. *D E.* quid ibi
 facit?

INTERPRETATIO.

S Y. Scio ubi eum invenias, sed nun-
 quam hodie tibi locum ostendam. *D E.*
 Quid ais? *S Y.* Ita, non ostendam.
D E. Conteretur certe tibi mox ca-
 put. *S Y.* Verum latet me nomen il-
 lius hominis, apud quem est, sed locus
 mihi notus est. *D E.* Indica ergo locum.
S Y. Novissime ubi sita est porticus ad
 macellum, ad inum vicum, deorsum?
D E. Novi. *S Y.* Procede hac parte,
 nã per plateam sursum ascendens: ubi
 eò perveneris, clivus est declinans ad
 inferiorem vici partem: per hunc des-
 cende subito: exinde structum est ad
 hanc manum sacellum; prope angiportum
 est. *D E.* In qua parte? *S Y.* Illic ubi
 ficus sylvestris procera est: novissime?
D E. Novi. *S Y.* Hac progredere. *D E.*
 Is quidem angiportus est impervius. *S Y.*
 Verum mehercule: vah! tanta est sto-
 liditas mea, ut vix me hominem esse
 dicas. Errore lapsus sum: in porticum
 iterum regredere. Sane hæc compendio-
 sior est via, & difficilius à viâ aberratur.
 Scisne ubi domus posita Cratini hujus lo-
 cupletis? *D E.* Scio. *S Y.* Vbi eam transieris,
 ad sinistram ito per rectam hanc plateam:
 quando ad Diana adem veneris, confer
 te ad dextram, priusquam ad portam urbis
 pervenias, apud ipsum lacum est pistrinum
 parvum, atque ex opposito fabri lignarij
 officina ibi est. *D E.* Quid ibi facit Mitio?

ANNOTATIONES.

43. Ad Diana veneris.] Sic absolute
 dicebant, non addito templum.

44. Apud ipsum lacum.] Lacus etiam
 sunt receptacula aquæ, ad aquandum,
 aut lavandum deductæ, quales multi
 Romæ fuerunt, ut Curtius insigni-
 aquæductu memorabilis, ut qui à qua-
 dragesimo milliari in urbem fuerit
 perductus, opere arcuato tantæ altitu-
 dinis, ut in omnes urbis montes facile
 distribueretur. Plinius lib. 36. cap. 15.

SY. Lectulos in sole ilignis pedibus faciundos dedit.

DE. Ubi potetis vos? bene sane. sed cesso ad eum pergere?

SY. I sane: ego te exercebo hodie, ut dignus es, silicernium.

Æschinus odiose cessat: prandium corrumpitur:

50 Ctesiphonem autem in amore est totus. ego jam prospiciam mihi:
Nam jam adibo, atque unumquodque, quod quidem erit bellissimum,

Carpam, & cyathos sorbillans paulatim hunc producam diem.

INTERPRETATIO.

SY. Lectulos discubitorios cum acernis fulcris, in quibus sub sole cœnetur, construendos locavit. DE. Ubi scilicet potationes celebretis: egregie certe; sed nimis moror, quominus ad eum iter peragam. SY. Perge quidem ego te tractabo, fatigabo hodie, ut meritus es capularis senex decerpite. Æschinus moleste tardat, prandium corrumpitur, Ctesiphonem autem amicæ operam omnem dat suam: tempus jam est, ut mihi consulam: nam jam aggrediar, & quidquid erit suavissimum decerpam, & cyathos sapius exhauriens sensim hunc traducam diem.

ANNOTATIONES.

48. Silicernium. Terentius vocat extremæ ætatis senem, à silicernio, quod est prandium funebre, quod conficiebatur circa silicem, id est sepulchrum mortui: sic capularis senex dicitur à Plauto, & capuli decus, morti contiguus, capulo mox efferendus. Capulus autem est feretrum; quod corpora capiat.

ACTUS IV. SCENA III.

MITIO. HEGIO.

MI. Ego in hac re nihil reperio, quam ob rem lauder tantopere, Hegio:

Meum officium facio: quod peccatum à nobis ortum est, corrigo.

Nisi si in illo me credidisti esse hominum numero, qui ita putant

Sibi fieri injuriam, ultro, si quam fecere ipsi, expostulant;

5 Et ultro accusant. id quia non est à me factum, agi gratias?

HE. Ah, minime: nunquam te aliter, atque es, in animum induxi meum.

INTERPRETATIO.

MI. Ego in hac re nihil meritum me video, cur tantis laudibus me prosequaris, Hegio: meo officio satisfacio: prævium factum à nobis emendo: nisi me his hominibus annumeres, qui ita æstimant se accepisse injuriam, si aliquam fecere ipsi: priores queruntur, & accusant, non expectatâ querelâ eorum, qui injuriâ affecti sunt, id quia similiter non feci, gratias laudans agis. HE. Abneuti quam: nunquam te alio ingenio, ac tu es, mihi finxit

Sed quæso, ut unâ mecum ad matrem virginis eas, Mitio,

Atque istæ eadem, quæ mihi dixi, tute dicas mulieri:

Suspicionem hanc propter fratrem ejus esse, & illam psaltriam.

10 MI. Si ita æquom censes, aut si ita opus est factum, eamus. HE. bene facis:

Nam & illi animum jam relevabis, quæ dolore, ac miseria

Tabescit; & tu officio fueris functus. sed si aliter putas,

Egomet narrabo quæ mihi dixi. MI. imo ego ibo. HE. bene facis:

Omnes, quibus res sunt minus secunda, magis sunt nescio quo modo

15 Suspiciosi: ad contumeliam omnia accipiunt magis:

Propter suam impotentiam se semper credunt negligi.

Quapropter te ipsum purgare ipsi coram, placabilius est.

MI. Et recte, & verum dicis. HE. sequere me ergo hac intro.

MI. maxime.

INTERPRETATIO.

sed vogo, ut mecum simul ad Sostratam, matrem virginis Pamphila venias, Mitio, atque ista eadem, quæ mihi retulisti, referas: suspicionem nempe hanc de Æschino, accidisse propter fratrem ejus Ctesiphonem, & hanc fiduciam, quam is amat. MI. Si ita iustum esse arbitraris, aut si ita fieri oportet, eamus. HE. Recte agis: nam animum recreabis illi, quæ tristitia, & sollicitudine consumitur, etiam tu officium feceris: sed si aliter tibi videatur faciendum, egomet illi eadem dicam, quæ mihi dixisti. MI. Imo, ego unâ tecum ad eam ibo. HE. Quod boni viri est, facis: omnes quibus res sunt tenues, & paupercula, ad suspensiones, nescio quomodo, sunt procliviores: omnia in contemptum sui fieri putant: propter suam infirmitatem semper se contemni credunt: quapropter si presens eam alloquendo, te excusaveris, magis idoneum id erit ad eam placandam. MI. Et rectum & verum est, quod suades. HE. Sequere me ergo hac via ad domum intro Sostrata. MI. Eamus.

ACTUS IV. SCENA IV.

ÆSCHINVS.

Disfrucior animi. hocine de improvviso mali mihi objicit tantum, ut neque quid de me faciam, neque quid agam, certum fiet?

Membra metu debilia sunt: animus timore obstupuit: pectore

INTERPRETATIO.

Vis distrahor atque animi angor: quid agam scire possim? omnes corporis mei tantum me infortunium me inopinato, partes timore languida & infirme facta invasi, ut neque quid me faciam, nec sunt: animus formidine attonitus est, &

- Consistere nihil consilij quicquam potest. Vah! quo modo
 5 Me ex hac turba expediam? tanta nunc suspicio de me incidit,
 Neque ea immerito. Softrata credit, mihi me emisse hanc psaltriam;
 Anus indicium id fecit mihi.
 Nam ut hinc forte ea ad obstetricem missa erat, ubi eam vidi, illico
 Accedo, rogito, Pamphila quid agat, jam partus adfiet,
 10 E òne obstetricem accersat. illa exclamat, abi, abi, jam, Æschine,
 Satis diu dedisti verba: sat adhuc tua nos frustrata est fides.
 Hem, quid istuc, obsecro, inquam est? valeas, habeas illam que
 placet.
 Senti illico id illas suspicari: sed me repressi tamen;
 Ne quid de fratre garrulæ illi dicerem, ac fieret palam.
 15 Nunc quid faciam? dicamne fratris esse hanc? quod minime est
 opus
 Usquam efferri. age, mitto: fieri potis est, uti ne qua exeat.
 Ipsum id metuo uti credat: tot concurrunt verisimilia,
 Egomet rapui, ipse egomet solvi argentum, ad me abducta est
 domum:
 Hæc adeo mea culpa fateor fieri. non me hanc rem patri, ut ut
 20 Erat gesta, indicasse: exorassẽm ut eam ducerem domum.
 Cessatum est usque adhuc: nunc porro, Æschine, expergiscere.
 Nunc hoc primum est; ad illas ibo, ut purgem me: accedam ad
 fores:
 Perij. horresco semper, ubi fores pultare hæcce occipio miser.

INTERPRETATIO.

torpet: nihil mens consilij capere potest. Vah! qua ratione ex tantis difficultatibus me explicabo? suspectus factus sum Softrata: illa credit me hanc fidicinam mea voluptatis causâ pro me comparasse: anus Canthara id mihi indicavit: nam cum forte ea ad obstetricem hinc ibat, ego eam subito adivi, quæro quid rerum agat Pamphila, an tempus pariendi instet, an eâ de causâ ad obstetricem deducendam festinet: ad hæc verba illa vociferatur, apage, apage, Æschine, satis diu nos verbis circumvenisti: satis promissis nobis spem falsam dedisti. Hem, quid istud rogo, inquam, est? quapropter hæc dicis, Canthara? Faceffe, fruere illa fidicinâ, quâ delectaris. Animadverti statim illas suspicari me hanc fidicinam amare: sed tamen me retinui, cohibui ne quid inconsideratè de fratre illi anni loquaci referrem, ac manifestâ res fieret. Nunc

quid deo facere? dicamne hanc psaltriam fratris amicam esse? quod nullo modo oportet palam fieri. Age, omittit illud: fieri enim potest ut hoc non divulgetur; vereor autem, ut credant hanc fidicinam me mihi non rapuisse; tunc conveniunt indicia, quibus id conjici potest; ego ipse rapui illam lenoni, ipsi egomet numeravi pretium pro eâ, inde illam raptam in ades adduxi. Fateor me in causâ & culpâ fuisse, cur in hanc suspicionem incidere; quia debui patri rem dixisse, uti gesta est; ab v impetrassẽm, ut eam pro uxore domum ducerem: segnis, & tardus fui hucusque; nunc vero, Æschine, à socordia te excita. Nunc hoc primum faciam, illas conveniam, ut eis omnem suspicionis causam adimam, & crimen à me removeam. Fores pulsabo. Interij miser, trepidus & frigore corpus rigescit semper, quoties hoc ostium pulsaturus sum.

- Heus, heus, Æschinus ego sum; aperite aliquis actutum ostium.
 25 Prodit nescio quis. concedam huc.

INTERPRETATIO.

Heus, heus, ego sum Æschinus. ocinus mihi fores resevate. Exit nescio quis; interea huc sededam.

ACTUS IV. SCENA V.

MITIO. ÆSCHINVS.

- MI. Ita uti dixi, Softrata,
 Facite: ego Æschinum conveniam; ut, quomodo acta hæc sunt, sciat.
 Sed quis ostium hoc pultavit? ÆS. pater hercle est: perij.
 MI. Æschine.
 ÆS. Quid huic hîc negoti est? MI. Tunc has pepulisti fores: tacet.
 5 Cur hunc aliquantisper non ludo? melius est:
 Quandoquidem hoc nunquam mihi ipse voluit credere.
 Nil mihi respondes? ÆS. non equidem istas, quod sciam.
 MI. Ita? nam mirabar quid hîc negoti esset tibi.
 Erubuit: salva res est. ÆS. dic fodes pater,
 30 Tibi vero quid istuc est rei? MI. nihil mihi quidem.
 Amicus quidam me à foro abduxit modò
 Huc advocatum sibi. ÆS. quid? MI. ego dicam tibi.
 Habitant hîc quædam mulieres pauperculæ.
 Opinor eas non nosse te, & certe scio:
 35 Neque enim diu huc commigrarunt. ÆS. quid tum postea?

INTERPRETATIO.

- MI. Softrata, ita ut vos monui, facite: ego Æschinum adibo, ut intelligam ab eo, quomodo hæc res acta sint; sed quis has fores pulsavit? ÆS. Per Herculem pater ipse est; occidi. MI. Æschine. ÆS. Quod negotium habet pater hîc? MI. Tunc hoc ostium pulsasti? silet. Quid me impedit nunc, quominus hunc per aliquod tempus ludibrio habeam? istud oportunitum est, & conveniens, quoniam hoc secretum nunquam fidei mea committere voluit. Nihil mihi interroganti respondes? ÆS. Non equidem istud ostium, quantum scio, pulsavi. MI. Non pulsasti? nam mirum quidem mihi videbatur, quid rei agendum hîc haberet. Pra pudore rubore suffusus est, res bene se habebit. ÆS. Dic, quæso pater, tute vero, quod negotium hîc gerendum habes? MI. Nullum quidem mei causa; sed quidam ex amicis modò me hîc à foro avocavit, ut ei adessẽm, & consilio meo auxiliarer. ÆS. Quapropter? MI. Ego dicam tibi; quædam femina inopes in istis adibus habitant, has puto tibi esse ignotas, & proculdubio ita est; neque enim multò antehac hîc advenerunt. ÆS. Quid tum postea?

- M I.* Virgo est cum matre. *Æ S.* perge. *M I.* hæc virgo orba est patre :
- Hic meus amicus illi genere est proximus :
- Huic leges cogunt nubere hanc. *Æ S.* perij. *M I.* quid est ?
- Æ S.* Nil, recte : perge. *M I.* is venit, ut secum avehat :
- 20 Nam habitat Mileri. *Æ S.* hem ! virginem ut secum avehat ?
- M I.* Sic est. *Æ S.* Miletum usque obsecro ? *M I.* ita. *Æ S.* animo male est.
- Quid ipsæ ? quid aiunt ? *M I.* quid illas censes ? nihil enim. Commenta mater est, esse ex alio viro
- Nescio quo puerum natum, neque eum nominat :
- 25 Priorem esse illum ; non oportere dari.
- Æ S.* Eho, nonne hæc iusta tibi videntur postea ?
- M I.* Non. *Æ S.* obsecro, non ? an illam hinc abducet, pater ?
- M I.* Quidni illam abducatur ? *Æ S.* factum à vobis duriter, Immisericorditerque, atque etiam, si est, pater,
- 30 Dicendum magis aperte, inliberaliter.
- M I.* Quam ob rem ? *Æ S.* rogas me ? quid illi tandem creditis. Fore animi misero, qui illi consuevit prius ?
- Qui infelix haud scio an illam misere nunc amat ?
- Cum hanc sibi videbit præsens præsentem eripi,
- 35 Abduci ab oculis ? facinus indignum, pater !

I N T E R P R E T A T I O.

M I. Puella ibi est cum matre. *Æ S.* esse præferendum huic Miletio, ut eam
Continua sermone, quæso, *M I.* Hac
puella patre vita functo privata est :
hic meus amicus est illi cognatione pro-
ximus : huic lex Solonis vult uxorem
esse, aut si ille eam non duxerit, dotem
ei orba dare. *Æ S.* Actum est de me.
M I. Quid tibi est ? *Æ S.* Nihil male
est : progredere. *M I.* Is vero hinc pro-
fectus est, ut eam hinc secum abdu-
cat ; nam habitat Miletio. *Æ S.* Hem !
virginem hanc ut abducatur ? *M I.* Sic
facturus est. *Æ S.* Itane quæso tam pro-
cul hinc, Miletum eam avehat ? *M I.*
Sic est. *Æ S.* Animo linguor præ dolo-
re. Quid illa mulieres animi habent,
quid dicunt ? *M I.* Quid illas putas di-
cere ? nihil. Mater hoc excogitavit, di-
cit filiam peperisse puerum ex alio nescio
quo homine, cuius nomen celat : illum

esse præferendum huic Miletio, ut eam
ducat uxorem. *Æ S.* Eho ! nonne hæc
aquitati consentanea esse arbitraris ?
M I. Minime. *Æ S.* Quamobrem, qua-
so ? illamne hinc avehat ? *M I.* Ita
est. Quid est causa cur non abducatur ?
Æ S. Dura mente, & misericordia ex-
parte egistis, tu pater, & Miletus ille
amicus cum his mulieribus, & ut in-
genue dicendum est, non ut viros libera-
les, & honestos decet. *M I.* Quid ita ?
Æ S. Quid ita rogas ? quomodo anima-
tum & affectum fore hunc misellum
conversatus est, tanquam uxore sua ?
qui infelix etiam forte nunc ejus amo-
re inflammatus est, quando intuebitur
hanc crudeliter præsentem sibi præsentem
auferrî, & abstrahi in conspectu suo ?
factum immite, & vituperandum, pater.

A N N O T A T I O N E S.

20. Mileri.] U rbs Carie, nunc dicta, Melaxo.

- M I.* Qua ratione istuc ? quis despondit ? quis dedit ?
- Cui, quando nupsit ? autor his rebus quis est ?
- Cur duxit alienam ? *Æ S.* an sedere oportuit
- Domi virginem tam grandem, dum cognatus hinc
- 40 Illinc veniret expectantem ? hæc, mi pater,
- Te dicere æquom fuit, & id defendere.
- M I.* Ridicule, advorsumne illum causam dicerem ?
- Cui veneram advocatus ? sed quid, Æschine,
- Nostra ? aut quid nobis cum illis ? abeamus. quid est ?
- 45 Quid lacrimas ? *Æ S.* pater, obsecro, ausculta. *M I.* Æschine,
- audivi omnia,
- Et scio : nam amo te : quo magis, quæ agi, curæ sunt mihi.
- Æ S.* Ita velim me promerentem ames, dum vivas, mi pater,
- Ut me hoc delictum admisisse in me id mihi vehementer dolet,
- Et me tui pudet. *M I.* credo hercle : nam ingenium novi tuum
- 50 Liberale : sed vereor ne indiligens nimium sis.
- In qua civitate tandem te arbitrare vivere ?
- Virginem vitiaisti, quam te jus non fuerat tangere.
- Jam id peccatum primum magnum, magnum, at humanum tamen :
- Fecere alij sæpe, item boni. at postquam evenit, cedo,
- 55 Nunquid circumspexisti ? aut nunquid tute prospexisti tibi.
- Quid fieret ? qua fieret ? si te ipsum mihi puduit dicere :
- Qua resciscerem ? hæc dum dubitas, menses abierunt decem.

I N T E R P R E T A T I O.

M I. Quæ de causâ hac ais ? an pater
illum uxorem promisit ? an in manu
tradidit ? quando nuptia facta sunt ?
cujusnam auctoritate celebrata ? cur
duxit uxorem ad alium pertinentem.
Æ S. An otiose desiderare domi virginem
nubilem oportuit sine conditione, & il-
lam expectare, quoad propinquus ille
eam uxorem peteret ? Hæc, mi pater, te
dicere iustum fuit, & in defensionem
virginis proferre. *M I.* Quam radculus
es ? an arbitraris me debuisse contra il-
lum verba facere, qui me sibi advoca-
tum adjunxerat ? Sed quid hæc nostra
interest, Æschine ? aut quid nobis cum
illis negotij ? abeamus hinc. Quidnam
est ? cur lacrymaris ? *Æ S.* Pater, oro
ut me audias. *M I.* Æschine, acce-
pi omnia quæ dicturus es, & probe
scio ; nam te amo, eoque majorem cu-
ram eorum quæ agis, gero. *Æ S.* Ita
velim hunc erga me amorem continues,
cum vitam agas, & eo me dignum præ-
stem, mi pater, ut me hanc culpam
commississe vehementer doleo, & tui gra-
tiâ pudore suffundor. *M I.* Facile id
credo ; nam quam proba sis indolis, &
ingenua scio, sed mutuo ne in rebus tuis
negligentior sis atque incautior. In qua-
nam civitate demum opinaris te agere ?
nonne Athenis vivis, ubi leges vigent ?
Virgini vitium obtulisti, quam ne qui-
dem attingere tibi licitum fuit. Iam
crimen istud primum grave est : grave
certe : at in hominem potest cadere :
admiserit illud quoque sapissime viri alij,
etiam probi : at postquam id fecisti, dic
quæso, quodnam remedium circumspi-
ciendo, huic facto attulisti ? Nunquid
tu ipse providisti rebus tuis ? quid fa-
ciendum foret ? & quò modo fieret ?
Aut si pudore impeditus fuisti quomi-
nis id mihi tute ipse declarares, an fe-
cisti ut per alios id inaudirem ? dum
dubius animi, quid agere debue-
ris ; hæres ; menses elapsi sunt decem.

Prodidiſti te , & illam miſeram , & gnatum ; quod quidem in te fuit.

Quid ? credebas dormienti hæc tibi confeſturos Deos ?

60 Et ſine tua opera illam in cubiculum iri deductum domum ?

Nolim cæterarum rerum te ſocordem eodem modo.

Bono animo es , duces uxorem hanc. *Æ S.* hem ! *M I.* bono animo es , inquam. *Æ S.* pater ,

Obſecro , num ludis tu nunc me ? *M I.* ego te ? quamobrem ? *Æ S.* neſcio :

Niſi , quia tam miſere hoc eſſe cupio verum , eò vereor magis.

65 *M I.* Abi domum , ac Deos comprecare , ut uxorem accerſas : abi.

Æ S. Quid ? jamne uxorem ? *M I.* jam. *Æ S.* jam ? *M I.* jam quantum poteſt. *Æ S.* Di me , pater ,

Omnes oderint , ni magi te , quam oculos nunc amo meos.

M I. Quid ? quam illam ? *Æ S.* æque. *M I.* perbenigne. *Æ S.* quid ? ille ubi eſt Mileſius ?

M I. Abiit , periit , navem aſcendit. ſed cur ceſſas ? *Æ S.* abi , pater :

70 Tu potius Deos comprecare : nam tibi eos , certe ſcio ,

Quo vir melior multo es quam ego ſum , obtemperaturos magis.

M I. Ego eo intro , ut , quæ opu' ſunt , parentur. fac tu , ut dixi , ſi ſapis.

Æ S. Quid hoc negoti ? hoc eſt patrem eſſe , aut hoc eſt filium eſſe ?

Si frater aut ſodalis eſſet , qui magi morem gereret ?

INTERPRETATIO.

Objeciſti illam tuam amicam , & infantem ex ea ſuſceptum , teque ipſum magnis periculis & miſeriis , quantum in te poſitum fuit. Quid tibi perſuadebas eventurum ita ceſſando ? tibi deſtinenti , & ſterenti ? res tuas Deos peracturos ? & amica , te otioſo , & nullo modo allaborante , deductionem ad ades tuas factam iri ? Ægre tulerim ſi in cæteris tuis rebus ita negligens fueris : Sed hilari eſto animo , illam in uxorem accipies. *Æ S.* Hem ! *M I.* Latius eſto , inquam. *Æ S.* Pater , dic mihi quaſo ? an non me ludificaris ? *M I.* Ego te ludificer ? quamobrem ? *Æ S.* Neſcio , niſi quia tantopere hoc ita eſſe cupio , eò vehementius metuo ut ſuccedat. *M I.* Ad ades noſtras proficiſcere , ac Deos precibus exora , ut poſtea uxorem accerſendam cures : proficiſcere. *Æ S.* Quid , tam cito uxorem ? jamne ? *M I.* Iam.

Æ S. Iam ? *M I.* Quantum cito fieri poteſt. *Æ S.* Ita velim , pater , ut Di omnes odio me habeant , niſi te plus oculis meis amo. *M I.* Quid , plus illa Pamphila ? *Æ S.* Tantum , quantum illam. *M I.* Abunde eſt , & plusquam mihi ſatis eſt. *Æ S.* Sed ubinam eſt homo ille Mileſius ? *M I.* Diſceſſit , naufragio periit , poſtquam mari ſe dedit : ſed cur tandiu moraris ? *Æ S.* Abi , pater : te potius Deos precari convenit : nam certus ſum , quod multo magis probus & pius in eos es , quam ego ſum , illos potius te exaudituros. *M I.* Ego intro domum eo , ut curem omnia paranda , quibus nunc uſus eſt : tu ea , que te monui exequere , ſi ſapiens es. *Æ S.* Quanam hæc res eſt ? hocne eſt patris officium facere ? aut hocne eſt filium ſe præſtare ? Si frater , aut ſodalis meus eſſet , quò pacto magis obſecundaret voluntati mea ?

75. Hic

75 Hic non amandus ? hiccine non geſtandus in ſinu eſt ? hem ! Itaque adeo magnum mi iniecit ſua commoditate curam , Ne forte imprudens faciam , quod nolit. ſciens cavebo. Sed ceſſo ire intro , ne mora meis nuptis egomet ſum.

INTERPRETATIO.

Nonne tam bonus pater ſingulari amore proſequendus eſt ? hiccine an non in oculis gerendus eſt ? hem ! itaque , cum ſe mihi tam benigne accomodat , in magnum me coniecit curam , ut caveam ne quidquam faciam inconfiderate quod illi diſpliceat ; nam ſciens , & prudens ne id faciam , diligenter curabo. Sed differo domum introire , mihi videndum eſt ne ipſemet nuptias meas retardem.

ACTUS IV. SCENA VI.

DE MEA.

Defeffus ſum ambulando. ut , Syre , te cum tua Monſtratione magnus perdat Jupiter. Perreptavi uſque omne oppidum , ad portam , ad lacum ; Quò non ? neque fabrica ulla erat , neque fratrem homo ; Vidiffe ſe ajebat quiſquam. nunc vero domi Certum obſidere eſt , uſque donec redierit.

INTERPRETATIO.

Utro citroque commeando totus deſatigatus ſum. Diſ te , Syre , male perdat , qui tam male iter mihi monſtrati. Totam urbem moleſte circumivi ad ſinem uſque ; ad portam , ad lacum , & quò non perveni : neque illic ulla fabri taberna : neque fratrem Mitionem ullus hominum ſe vidiffe dicebat : nunc vero conſtitui domi aſſiduè permanere , donec reverſus fuerit.

ACTUS IV. SCENA VII.

MITIO. DE MEA.

M I. Bo , illis dicam nullam eſſe in nobis moram. **I**D E. Sed eccum ipſum : te jam dudum quaero , Mitio. *M I.* Quidnam ? *D E.* fero alia flagitia ad te ingentia

INTERPRETATIO.

M I. Bo. & Soſtrata filiaque ejus Pamphila nunciabo nos in mora non eſſe nuptijs celebrandis. *D E.* Sed ecce ipſum fratrem. Te jam pridem perquiro ; Mitio. *M E.* Quidnam aſſers novi ? *D E.* Fero alia flagitioſa facinora ad te

K K

- Boni illius adolescentis. *MI.* ecce autem. *DE.* nova,
 15 Capitalia. *MI.* ohe, jam. *DE.* ah, nescis qui vir fiet. *MI.* scio,
DE. O stulte, tu de psaltria me somnias
 Agere: hoc peccatum in virginem est civem. *MI.* scio.
DE. Ohe, scis, & patere? *MI.* quidni patiar? *DE.* dic mihi,
 Non clamas? non infans? *MI.* non, malum quidem.
 20 *DE.* Puer natus est. *MI.* Dij bene vortant, *DE.* virgo nihil
 habet.
MI. Audivi, *DE.* & ducenda indotata est? *MI.* scilicet.
DE. Quid nunc futurum est? *MI.* id enim, quod res ipsa fert;
 Illinc huc transferetur virgo. *DE.* ô Jupiter!
 Istocchine pacto oportet? *MI.* quid faciam amplius?
 25 *DE.* Quid facias? si non ipsa re tibi istuc dolet,
 Simulare certe est hominis. *MI.* quin jam virginem
 Despondi: res composita est: fiunt nuptiæ:
 Dempfi metum omnem. hæc magis sunt hominis. *DE.* ca-
 terum
 Placet tibi factum, Mitio? *MI.* non, si queam
 30 Mutare: nunc cum non queo, æquo animo fero.
Ita vita est hominum, quasi, cum ludas tesseri;
Si illud, quod maxime opus est jactu, non cadit,
Illud, quod cecidit forte, id arte ut corrigas.
DE. Corrector! nempe tua arte viginti minæ

INTERPRETATIO.

boni illius adolescentis. *MI.* Ecce autem
 ea, quæ solet, objicit. *DE.* Recentia,
 capitis pœna digna. *ME.* Ohe, jam sa-
 ris est. *DE.* Ignoras qualis vir sit.
MI. Probe scio qua fecit. *DE.* Ah
 inepte: tu tibi persuades falsò, me de
 fidicina renunciare? hoc recens flagitium
 factum est in virginem civem Atticam.
MI. Sat scio. *DE.* Eho, scis, & ta-
 men id permittis fieri? *MI.* Quam-
 obrem non permittam? *DE.* Dic mihi,
 quare non clamitas, increpas, tan-
 quam ad insaniam redactus? *MI.* Non:
 malum quidem, si fieri posset, aliter
 esse. *DE.* Ex illa virgine genuit filium.
MI. Dij bene, feliciterque id succedere
 velint. *DE.* Virgo illa nullam omni-
 nò rem possidet. *MI.* Rescivi. *DE.*
 Et illam uxorem accipiet sine ulla do-
 te? *MI.* Nimirum talem ducet. *DE.*
 Quid nunc inde eveniturum est? *ME.*
 Id scilicet, quod res ipsa, ut est, sua-

det; virgo ex adibus matris ad nostras
 huc deducetur. *DE.* O Jupiter! scicne
 agendum est? *MI.* Quid me vis am-
 plius agere? *DE.* Quid agas? si verè
 de his rebus non doles, certe, si homo
 ratione aliqua es praditus, dolere te si-
 mulcs. *MI.* Quin imò virgo jam des-
 ponsa est Æschino, res transacta est, &
 omnis contentio placata, pacta sunt nu-
 ptia, omnem timoris causam ademi ma-
 tri & virgini. Hæc magis sunt hominis
 ratione praditi, quàm ea qua suades.
DE. Attamen, placet tibi factum istud
 Æschini? *MI.* Minime, si infectum red-
 dere possim: nunc cum non possim, id
 patienter tolero. Vita hominum non al-
 similis est ludo tesserarum; si quod o-
 ptas, jactu non ceciderit feliciter, opus
 est, ut quod infans, & aversa for-
 tunâ cecidit, illud arte & industria cor-
 rigas. *DE.* Egregium scilicet correctorem!
 tua arte effectum est, ut viginti minæ

- 25 Pro psaltria periere: quæ, quantum potest,
 Aliquò abjicienda est; si non pretio, gratis.
MI. Neque est, neque illam sane studeo vendere.
DE. Quid igitur facies? *MI.* domi erit. *DE.* pro Divum fidem!
 Meretrix, & materfamilias una in domo?
 30 *MI.* Cur non? *DE.* sanumne te credis esse? *MI.* equidem
 arbitror.
DE. Ita me Dij ament, ut video ego tuam ineptiam:
 Facturum credo, ut habeas quicum cantites.
MI. Cur non? *DE.* & nova nupta eadem hæc discet? *MI.* sci-
 licet.
DE. Tu inter eas restim ductans saltabis. *MI.* probe.
DE. probe?
 35 *MI.* Et tu nobiscum unâ, si opus sit. *DE.* hei mihi!
 Non te hæc pudent? *MI.* jam vero omitte, Demea,
 Tuam istanc iracundiam; atque ita, uti decet,
 Hilarum ac lubentem fac te gnati in nuptiis.
 Ego hos conveniam, post huc redeo. *DE.* ô Jupiter!
 40 Hancine vitam? hoscine mores? hanc dementiam?
 Uxor sine dote veniet: intus psaltria est:
 Domus sumptuosa: adolescens luxu perditus:

INTERPRETATIO.

pro fidicina absumpta, & perdita sint: que fidicina abigenda hinc est, aut pre-
 tio vendita, aut gratis data. *MI.* Ne-
 que est nobis emptor, neque vendere libet.
DE. Quid ea igitur facies? *MI.* Do-
 mi sedebit. *DE.* Proh Deorum fidem!
 meretrixne, & materfamilias unâ in
 adibus tuis morabuntur, atque habita-
 bunt! *MI.* Quidni? *DE.* Num sana
 mentis es? *MI.* Profecto me talem esse
 censo. *DE.* Ita mihi Dij sint propitij,
 ut jam tuam amentiam perspectam ha-
 beo; te quippe conaturum credo, ut ha-
 beas psaltriam cum quâ vocem cantan-
 do exerceas. *MI.* Cur non? *DE.* Et
 nova etiam nupta eadem cantica doce-
 bitur? *MI.* Scilicet ita fiet. *DE.* Tu
 vero inter eas funem duces, & chori
 præfultor eris, & princeps. *MI.* Egregie.
DE. Egregie? *MI.* Etiam tu nobis-
 cum unâ saltabis, si te usus fuerit.
DE. Hei mihi! non te horum pudet?
MI. Nunc vero istam tuam iracun-
 diam abjice, atque ita ut convenit, hi-
 laritati, & lubentia indulge in tui
 filij nuptijs. Ego hos adibo, postea huc
 revertor. *DE.* O Jupiter! hanc me vi-
 tam ducere oportet? hoscine esse mores? hanc
 insaniam? uxor indotata domum de-
 ducetur; meretrix fidicina adibus ex-
 cepta est; domus sumptibus distruit;
 adolescens libidine & luxu fervens;

ANNOTATIONES.

34. Restim ductans.] Lusus est na-
 tus, ut refert Donatus, ab eo fune,
 quo equus ligneus Græcorum in
 Troiam introductus est. In hoc ludo
 manibus funem tenentibus saltare so-
 lent. Choreæ Princeps & præfultor
 funem ducit, quem alij, eodem fune
 apprehenso, præcuntem sequuntur.

Senex delirans: ipsa, si cupiat, Salus
Servare prorsus hanc familiam non potest.

INTERPRETATIO.

senex mentis inops & insanus: adeo ut habeat, quantumvis conetur, hanc fam-
ipsum Salutis. numen potestatem non miliam servandi.

ANNOTATIONES.

43. Ipsa si cupiat Salus.] Colebatur Samnitico vota fuit, & ab eodem Di.
Salus Romæ pro Dea; cujus ædes à ctatore dedicata.
Caio Julio Bubulco Consule in bello

ACTUS QUINTI SCENA I.

SYRVS, DEMEA.

SY. **A**DEPOL, Syrisce, te curasti molliter,
Lauteque munus administrasti tuum.
Abi: sed postquam intus sum omnium rerum satur;
Prodeambulare huc libitum est. DE. illud sis vide
5 Exemplum disciplinæ. SY. ecce autem hic adest
Senex noster. quid sit? quid tu es tristicus? DE. oh scelus!
SY. Ohe, jam tu verba fundis hic sapientia?
DE. Tun? si meus esses. SY. dis quidem esses, Demea,
Ac tuam rem constabiliffes. DE. exemplum omnibus
10 Curarem ut esses. SY. quamobrem? quid feci? DE. rogas?
In ipsa turba, atque in peccato maximo,

INTERPRETATIO.

SY. **P**ER adem Pollucis, Syrisce, Ok! scelerate. SY. Ohe! jam tu in-
corpus delicate fovisti, & ma-
gnifice officio tuo functus es. Iam abi: cipis diffuere verbis sapientibus. DE.
sed postquam in adibus lautitijs omni- Tune hac facias? si meus esses. SY.
bus atque epulis ad satietatem me im- Dives esses re tua familiari bene
plevi hanc prodire, & exspatiari vi- administratâ & constitutâ, Demea
sum est. DE. Videtis specimen illud DE. Efficerem ut exempli loco omnibus
egregium disciplina. SY. Ecce au- esses propositus. SY. Quâ de causa?
tem conspicio senem. Quid rei agitur? quid fecisti, quavis?
Quid mæstus es, & iratio similis? DE. in ipsa rerum perturbatione, atque
in gravissimo crimine, recenti adhuc,

ANNOTATIONES.

1. Syrisce.] Syrus Syrisicum se vo- diendi causâ. Syriscus est vas vimin-
scar, diminutiva formâ, blan- neum ad reponendas ficus,

Quod vix sedatum fatis est, potasti, scelus,
Quasi re bene gesta. SY. sane nollem huc exitum.

INTERPRETATIO.

vixque sopito, potationibus te totum de- tata. SY. Certe nollem huc ex adibus
disti, quasi triumphans victoriâ reper- prodisse.

ANNOTATIONES.

17. Quasi re bene gesta.] Rem gerere Rem gerere, & captos ostendere civibus
proprie dicebant, cum victis hostibus, hostes.
insignem aliquam victoriam retule- Attingit solium Iovis, & cœlestia tentat.
ant, Horatius; Principibus placuisse viris non ultima
laus est.

ACTUS V. SCENA II.

DROMO. SYRVS, DEMEA.

DR. **H**EUS, Syre; rogat te Ctesiphon ut redeas. SY. abi.
DE. Quid Ctesiphonem hic narrat? SY. nihil. DE. eho,
carnufex
Est Ctesiphon intus? SY. non est. DE. cur hic nominat?
SY. Est alius quidam parasitaster parvulus,
5 Nostin? DE. jam scibo. SY. quid agis? quò abis? DE. mitte me.
SY. Noli, inquam. DE. non manum abstines, mastigia?
An tibi jam mavis cerebrum dispergam hic? SY. abit.
Adepol commissatoreim haud sane commodum,
Præferim Ctesiphoni. quid ego nunc agam?
10 Nisi, dum hæ filescunt turbæ, interea in angulum
Aliquò abeam, atque edormiscam hoc villi. sic agam.

INTERPRETATIO.

DR. **H**Eu, Syre; rogat te Ctesiphon ut DE. Non manum à me tollis, & desinis
ad se redeas. DE. Quid de Cte- me tenere, verbero? An vis jam tibi ca-
siphone hic loquitur? SY. Nihil. DE. put disrupti, & cerebro viam spargi?
eho! carnifex, an Ctesiphon hic intus est? SY. En discessit. Conviva certe hic erit
SY. Non est. DE. Cur hic igitur illum parum jucundus, præcipue Ctesiphoni.
nominat? SY. Alium vocat ejusdem no- Quid ego nunc agam? nisi dum hæ tur-
minis parasitum parvulum: nonne tibi bæ sedate fuerint, interea in angulum
notus est? DE. Mox discam quis sit. aliquem me abdam & per somnum hos
SY. Quid agis, Demea? quò abis? villi, quod caput tentat, decoquam.
DE. Ne me detine, SY. Ne abeam, dico.

ANNOTATIONES.

11. Hoc villi.] Ut Syrus se Syrisicum, ita vinum villum, appellat, *ἄνο οὐστὴκος*.
Κκ ij

ACTUS V. SCENA III.

MITIO. D E M E A.

- MI.** Parata à nobis sunt, ut dixi, Sostrata,
Ubi vis. quisnam à me pepulit tam graviter fores?
DE. Hei mihi, quid faciam? quid agam? quid clamem? aut
querar?
O cœlum! ô terra! ô maria Neptuni! **MI.** hem tibi,
5 Rescivit omnem rem: id nunc clamat. ilicet
Paratæ lites: succurrendum est. **DE.** eccum adest
Communis corruptela nostram liberam.
MI. Tandem reprime iracundiam, atque ad te redi.
DE. Repressi, redij, mitto maledicta omnia:
10 Rem ipsam putemus. dictum hoc inter nos fuit,
Ex te adeo est ortum, ne tu curares meum,
Neve ego tuum: responde. **MI.** factum est: non nego.
DE. Cur nunc apud te potat? cur recipis meum?
Cur emis amicam, Mitio? nam qui minus
15 Mihi idem jus æquom est esse, quod mecum est tibi?
Quando ego tuum non curo, ne cura meum.
MI. Non æquom dicis, non: nam vetus verbum hoc quidem est;
Communia esse amicorum inter se omnia.
DE. Facetè. nunc demum istæc nata oratio est.
20 **MI.** Ausculta paucis, nisi molestum est, Demea.

INTERPRETATIO.

MI. Parata à nobis sunt omnia, inter nos convenit, & tute hoc dista-
Sostrata, ubi vis, nuptia sent. visti, ne tu mei filij curam susciperes,
Sed quisnam è domo mea exiens, tam neque ego tui: nonne hoc verum est,
impetuose fores impulit? **DE.** Hei mi- quod dico? **MI.** Non disteor, sic est,
hi! quid faciam? quid agam? quid ex- ut ais. **DE.** Cur nunc filius meus Cte-
clamem, aut quos quæstus effundam? siphon apud te potationibus indulget? cur
ô cœlum! ô terra! ô maria Neptuni! in adibus tuis id ei permittis? cur ei
MI. Me miserum! Demea audiuit om- tua pecunia amicam comparas, Mitio?
nia de amore Ctesiphonis. Hoc scilicet est nonne æquom est, ut idem jus me-
causa tot vociferationum: jurgia con- cum observes atque ego tecum: quando
tra me excogitata sunt: sed tamen au- igitur tuus filius mihi cura non est, ne
xiliandum est Ctesiphoni. **DE.** Ecce, meus sit tibi cura. **MI.** Minime justum
adest corruptor liberorum nostrorum. **MI.** est, quod ais: nam vetus adagium ad-
Tandem cohibe iracundiam tuam impetum, versatur: communia esse amicorum in-
quique à sana mente excurristi, tan- ter se omnia. **DE.** Festivè quidem id
dem ad eam redi. **DE.** Cohibui, redij, dictum est. Sed cur nunc tandem hoc ada-
prætermitto convicia omnia; rem ipsam- gium usurpas? **MI.** Frater, rogo ut hæc
& causam litis veram consideremus: pauca audiam, si non tibi incommodum est.

- Principio, si id te mordet, sumptum filij
Quem faciunt, quæso facito hæc tecum cogites:
Tu illos duos olim pro re tolerabas tua,
Quod satis putabas tua bona ambobus fore,
25 Et me tum uxorem credidisti scilicet
Ducturum: eandem illam rationem antiquam obtine:
Conserva, quære, parce: fac quamplurimum
illis relinquant. gloriam tu istam obtine:
Mea, quæ præter spem evenere, utantur sine.
30 De summa nihil decedet: quod hinc accesserit,
Id de lucro putato esse: omnia si hæc voles
In animo vere cogitare, Demea,
Et mihi, & tibi, & illis dempseris molestiam.
DE. Mitto rem: consuetudinem ipsorum. **MI.** mane:
35 Scio: istuc ibam. multa in homine, Demea,
Signa insunt, ex quibus conjectura facile fit,
Duo cum idem faciunt, sæpe ut possis dicere,
Hoc licet impune facere huic, illi non licet:
Non quod dissimilis res sit, sed quod qui facit:

INTERPRETATIO.

primum si id te pungit & dolore affi- creverit, id omne tanquam inopinatum
cit, quod sumptus filij tui faciunt: lucrum te invenisse existima. Hæc sè
fac ut hæc animo reputes; tu quon- lubet serio ad animum revocare, De-
dam illos educabas, prout facultates tua mea, & te, & me, & illos ingenibus
ferebant, cum credebas rem tuam animi molestijs, & aegritudinibus libe-
familiarem satis amplam fore eis am- rabis. **DE.** Mitte sermonem de otibus,
bobus, neque etiam uxorem ac- & divitijs: de prava vita eorum ratio-
cepturum. Eandem rationem putare ne dicamus. **MI.** Expecta, prævidi quod
perge, eadem antiqua ratio tibi con- dicturus eras; ad istud respondere pa-
stit; Rem familiarem attente serva, rabam. Certum est, Demea, multa in
ange, parce ea utere: stude ut eis hominibus indicia inesse, ex quibus con-
quam ingentes poteris divitias relin- jicere possumus, cum duo eandem rem
quas; gloriam tu istam propriam faciunt, uni nocituram eam esse, non
posside; sed bonis meis, qua contra alteri; adeo ut quis dicere possit, huic
quam sperabas tibi & ipsis obvenere, licet sine periculo damni id agere: illi
permittit ut utantur illi & fruantur. De rationibus rei tuæ nihil de- non licet. Non quod res ipsa sit quando-
trahatur. Quod de meis bonis tibi ac- ciunt, dissimiliter affecti sunt natura:

ANNOTATIONES.

35. Multa in homine, Demea, signa in- cere videntur, dicat tamen peritus re-
sunt.] Hujus loci obscuri sententia est: rum æstimator, hoc licet facere huic,
homini intelligenti facile est, de vita, & qui scilicet liberali ingenio præditus
moribus hominum adolescentium, æsti- est, nec facile corrumpi potest; illi non
mare animum, & ingenium ipsorum; licet, nimirum qui per naturam impro-
adeo etiam, ut cum rem eandem fa- bitatem indulgentia abutitur.

- 40 Quæ ego esse in illis video : ut confidam fore ita
Ut volumus. video sapere , intelligere , in loco
Vereri , inter se amare. scire est liberum
Ingenium , atque animum : quovis illos tu die
Reducas. at enim metuas , ne ab re sint tamen
- 45 Omissiores paulo. ô noster Demea ,
Ad omnia alia ætate sapimus rectius :
*Solum unum hoc vitium adfert senectus hominibus ,
Attentiores sumus ad rem omnes , quam sat est.*
Quod illos sat ætas acuet. *D E.* ne nimium modo ;
- 50 Bonæ tuæ istæ nos rationes , Mitio.
Et tuus iste animus æquus subvortat. *M I.* tace ,
Non fiet. mitte jam istæc : da te hodie mihi :
Expurge frontem. *D E.* scilicet , ita tempus fert ;
Faciendum est : cæterum rus cras cum filio
- 55 Cum primo lucu ibo hinc. *M I.* imo de nocte cenfeo :
Hodie modo hilarum te face. *D E.* & istam psaltriam.
Unâ illuc mecum hinc abstraham. *M I.* pugnaveris.
Eo pacto prorsus illi alligaris filium.
Modo facito ut illam serves. *D E.* ego istuc videro : atque
- 60 Illi favillæ plena , fumi , ac pollinis
Coquendo sit faxo , & molendo : præter hæc ,
Meridie ipso , faciam , ut stipulam colligat.

I N T E R P R E T A T I O .

atque hæc signa qua dico , illis insita esse
video ; adeo ut certam spem habeam
eos tales fore , quales optamus esse. Per-
spicio eos sapientes & prudentes esse ,
verecundos , & modestos esse loco , &
tempore , amore mutuo conjunctissimos :
unde facile intelligere licet liberale illis
esse ingenium , & nobilem animum :
quamobrem , quandocumque libuerit , eos
in rectam vitam reducere poteris. Ve-
rum metuis fortasse ne rei familiari au-
genda minus studeant ; ô noster Demea ,
ad omnia alia , ætate peritiores sumus ;
verum senectus hoc vitium inducit in ho-
mines ; plus multo quam satis est de
divitijs accumulandis laboramus ; ad
quod illos hæc ætas senilis furis instiga-
bit. *D E.* Cavendum est ne speciosa ista
duæ rationes , & tuus iste mitis & fa-
ciliis animus nos perdant & filios no-
stros. *M I.* Ne metue , hoc non adve-
niet , omittite ista verba mali ominis. per-
mitte ut sis hodie in mea potestate : ex-
plica frontem. *D E.* Nimirum tempus id
requirit , faciendum est , quod vis : ve-
rum cum primum dies lucebit , cras
hinc discedam. *M I.* Imo de nocte quo-
que , si libet , dummodò hunc diem hila-
riter transigas. *D E.* Et istam quoque
scâcinam mecum hinc abducam. *M I.*
Præclaram rem feceris ; ita illic filium
addixeris atque affixeris : sed vide ut
illam studiosè conserves. *D E.* Dabo ope-
ram ut istud fiat. Efficiam ut illic , in
villa , favillis , fumo , ac pulvere farina
sebrilissimo impleatur coquendo , ac mo-
lendo : præterea ardenti meridiei hora ipsa
eam mittam in agrum , ut stipulas colligat

A N N O T A T I O N E S .

40. Quæ ego in illis esse video.] Ordo , &
sententia hic est ; multa in homine signa
sunt , ex quibus conjectura facile fit ;
quæ ego in illis esse video , ut confidam
fore ita , ut volumus.

Tana

- Tam excoctam reddam atque atram , quàm carbo est. *M I.* placet.
Nunc mihi videre sapere ; atque equidem filium ,
Tum etiam si nolit , cogas , cum illa unâ cubet.
- 65 *D E.* Derides : fortunatus , qui isto animo fies.
Ego sentio. *M I.* ah , pergisne ? *D E.* jam desino.
M I. I ergo intro , & cui rei opus est , ei hilarem hunc su-
mamus diem.

I N T E R P R E T A T I O .

tam tostam eam reddam , & nigram
quàm carbo est. *M I.* Id mihi jucun-
dum est. Nunc te judico esse sapientem.
Et profecto tuum etiam filium adigas et-
si invitum ut concumbat eum ea. *D E.*
Hæc dicens me deludis : felix , qui ita
nunc animo latus es , & miseriarum
sensum abjecisti. Ego vero miserias sen-
tio. *M I.* Ah ! perseverasne in tristi-
tia ? *D E.* Iam , jam tristitiam mitto.
M I. Igitur ingredi domum , & nu-
ptijs faciendis letum hunc insumamus
diem.

A C T U S V. S C E N A I V.

D E M E A .

- Nuquam ita quisquam bene subducta ratione ad vitam fuit ;
Quin res , atas , usus , semper aliquid apporet novi ,
Aliquid moneat : ut illa , quæ te scire credas , nescias ;
Et , quæ tibi putaris prima , in experiundo ut repudias .
- 5 Quod mihi evenit nunc , nam ego vitam duram , quam vixi us-
que adhuc ,
Prope jam decurso spatio mitto ; id quamobrem ? re ipsa repperi ,
Facilitate nihil esse homini melius , neque clementia. id
Esse verum , ex me , atque ex fratre cuivis facile est noscere.
Vitam ille suam semper egit in otio , in convivijs :
10 Clemens , placidus , nulli lædere os , arridere omnibus :

I N T E R P R E T A T I O .

Nuquam unquam sic vita rationem
recte computavit , quin rerum oc-
cassiones , atatis dies , experientia ei ali-
quid novi afferat , & aliquid doceat ;
adeo ut intelligat se nescivisse ante ,
quæ se melius scire crediderat ; & quin
ea quæ potiora sibi esse aestimaverat , &
aliæ eligenda , inter utendum rejici-
at ; quod mihi nunc accidit ; nam ego
vitam austeram , quam ad hunc diem
usque duxi , pene jam confecto vita cur-
su , nunc relinquere constitui. Si quis
me roget , unde ista mutatio nasci-
tur tam subita ? inde est , quod ni-
hil novi melius esse homini , quàm le-
nitatem & benignitatem. Id esse verum
facile quilibet comperiet ; qui insti-
tuta diversa vita mea , & vita fra-
tris considerabit. Is semper vitam tra-
duxit in otio , & convivijs , mitis ,
sedatus , nulli præseni adversus , om-
nibus placens , & jucundum se præbens.

L I

Sibi vixit : sibi sumptum fecit. omnes benedicunt , amant.
 Ego ille agrestis , sævus , tristis , parcus , truculentus , tenax ,
 Duxi uxorem ; quam ibi miseriam vidi ! nati filij ,
 Alia cura : porro autem , illis dum studeo ut quamplurimum
 15 Facerem , contrivi in quærendo vitam , atque ætatem meam :
 Nunc exacta ætate hoc fructi pro labore ab iis fero :
 Odium. ille alter sine labore patria potitur commoda :
 Illum amant , me fugitant : illi credunt consilia omnia :
 Illum diligunt : apud illum sunt ambo. ego desertu' sum.
 20 Illum , ut vivat , optant ; meam autem mortem expectant scilicet.
 Ita eos meo labore educatos maxumo , hic fecit suos
 Paulo sumptu. miseriam omnem ego capio , hic potitur gaudia.
 Age , age , jam experiamur porro contra , & quid ego possiem
 Blande dicere , aut benigne facere , quando huc provocat.
 25 Ego quoque à meis me amari & magnipendi postulo.
 Si id fit dando atque obsequendo , non posterioreis feram.
 Deerit : id mea minime refert , qui sum natu maxumus.

INTERPRETATIO.

sibi commodus vixit , & suis delectatio-
 nibus inserviens impensis pecuniarum
 non pepercit. Omnes ei bene precantur ,
 atque eum diligunt. Ego vero ille rusti-
 cus , crudelis , tetricus , ad rem atten-
 tior , atrox , avarus , uxorem etiam
 duxi , qua non inde miseria sequuta
 sunt ? Liberos ex ea suscepi , hac est ma-
 teria alia sollicitudinum animi. Dum
 autem illis laboro ingenti studio divitias
 parando , misere vitam atque ætatem
 consumpsi quarens opes augere. Nunc
 finita ætate , hunc fructum ab ijs re-
 fero , nempe odium : frater vero Mitio
 sine ullo labore , omnibus potitur com-
 modis , qua patres ex liberis percipere
 possunt. Illum amore prosequuntur : me
 averfantur. Illi omnia sua secreta com-
 mittunt , illum solum charum habent ,

domi cum eo degunt ambo : ego vero se-
 lus vivo derelictus. Illi longam vitam
 exoptant , mihi mortem cito advenire
 cupiunt : ita postquam eos magno labore
 alui , & educavi ; hic eos sibi proprios
 fecit facili negotio. Omne incommodum
 patior : hic omne gaudium percipit : et
 age , tentemus verò nos vicissim , an
 non etiam possimus blandis verbis , &
 comitare alios nobis conciliare , aut be-
 nignis factis , & liberalitate. Ego quo-
 que velim amorem meorum atque ca-
 ritatem posse adipisci. Si id compara-
 tur largiendo , atque alijs commutando ,
 non in postremis ero , qui istud conse-
 quantur. Deficiet res familiaris : id mea
 minime interest , qui ætate provecitior
 sum.

ANNOTATIONES.

16, *Fructi.*] Antiquum : olim quippe in secunda declinatione usurpabatur.



ACTUS V. SCENA V.

SYRVS. DEMEA.

SY. **H**Eus , Demea , rogat frater , ne abeas longius.
 DE. Quis homo ? ô Syre noster , salve : quid fit ? quid
 agitur ?
 SY. Recte. DE. optume est. jam nunc hæc tria primum ad-
 didi
 Præter naturam , ô noster ? quid fit ? quid agitur ?
 5 Servom haud inliberalem præbes te , & tibi
 Lubens bene faxim. SY. gratiam habeo. DE. atqui , Syre ,
 Hoc verum est , & ipsa re experiere propediem.

INTERPRETATIO.

SY. **H**Eus , Demea , frater preca-
 tur ne abscedas longius. DE. *seruum liberalem te præstas , & tibi li-
 berum me appellat ? ô noster Syre , salve. bene-
 ter commodabo. SY. Gratiam habeo.
 DE. Optime est. Hæc jam tria verba
 præter ingenium sermoni adjunxi nimi-*
 rum ; ô noster , quid fit , quid agitur ?
 DE. Enimvero , Syre , ingenue & vere
 loquor , & re ipsa id cognosces brevi.

ANNOTATIONES.

3, *Iam nunc hæc tria.*] Hæc submissè.

ACTUS V. SCENA VI.

GETA. DEMEA.

GE. **H**Era , ego huc ad hos proviso , quam mox virginem
 Accersant. sed eccum Demeam. salvos fies.
 HE. Oh , qui vocare ? GE. Geta. DE. Geta , hominem ma-
 xumi
 Pretij esse te hodie judicavi animo meo :
 5 Nam is mihi est profecto servus spectatus satis ,

INTERPRETATIO.

GE. **H**Era *Sofrata* , conve-
 niam Mitionem atque Æs-
 chinum , ut sciam quando virginem
 Pamphilam adduci velint. Sed ecce
 Demeam. Salvus sis. DE. Quod
 nomen tibi est ? GE. Geta. MI.
 Geta , hodie te hominem pluri-
 mi faciendum apud me decrevi.
 Nam is certe mihi servus experta
 & comprobata satis fidei videtur ,
 Ll ij

Cui dominus curæ est, ita uti tibi sensu, Geta:
 Et tibi ob eam rem, si quid usus venerit,
 Lubens bene faxim. meditor esse affabilis,
 Et bene procedit. *GE.* bonus es, cum hæc existumas.
 10 *DE.* Paulatim plebem primulum facio meam.

INTERPRETATIO.

qui domini curam ita gerit, ut te gerere comperi; ideoque, si occasio se derit, libenti animo te iuvabo. studeo in sermone, & verbis jucundum, & comem me præbere, nec illud male mihi cedit. *GE.* Benignus es, qui ista mei causâ cogites. *DE.* Primum incipio amorem infirmorum mihi conciliare, sensum progrediendo.

ANNOTATIONES.

3. Meditor esse affabilis.] Hæc quoque submissè.

ACTUS V. SCENA VII.

ÆSCHINVS. DEMEA. SYRVS. GETA.

ÆS. **O**ccidunt me equidem, dum nimi' sanctas nuptias student facere, in apparando consumunt diem.
DE. Quid agitur, Æschine? ÆS. hem, pater mi, tu hîc eras?
DE. Tuus hercule vero & animo, & natura pater,
 5 Qui te plus quam oculos hofce. sed cur non domum uxorem accerfis? ÆS. cupio: verum hoc mihi moræ est; Tibicina, & Hymenæum qui cantent. *DE.* eho, Vin' tu huic seni auscultare? ÆS. quid? *DE.* missa hæc face. Hymenæum, turbas, lampadas, tibicinas?

INTERPRETATIO.

ÆS. **E**necant me certe radio, dum nimis solennes, & religiosas curant nuptias facere. In apparatu ceremoniarum totum transigunt diem. *DE.* Quid sit, Æschine? ÆS. Ehem, pater mi, tunc hîc eras? Tuus mehercule pater sum non minus animo, quam naturâ, qui tu plus oculis hisce amo. Verum cur non uxorem domum deducendam curas? ÆS. Cupio, sed expecto tibicinam, qui que hymenæum cantent. *DE.* Visne mihi credere? ÆS. Quid? *DE.* Insuper hæc habe, negligige hymenæum, turbam qua deducat, sponsam, faces nuptiales, tibicinam.

ANNOTATIONES.

Hymenæum, turbas, lampadas.] Hymen & Hymenæus Veneris, & Bacchi filius, nuptiarum Præses, ideo apud Græcos invocabatur, ut apud Romanos Thalassio. Lampadas.] Faces quinque à pueris patrimis & matrimis, (id est, qui patrem & matrem viventem habebant) ferebantur in ducenda sponfa in domum mariti; & tibicinâ quoque canebat.


10 Atque hanc in horto maceriam jube dirui
 Quantum potest, hac transfer, unam fac domum:
 Transduce & matrem & familiam omnem ad nos. ÆS. placet,
 Pater lepidissime. *DE.* euge, jam lepidus vocor.
 Fratri ædes fient perviæ: turbam domum
 15 Adducet, sumptum admittet: multa: quid mea?
 Ego lepidus in eo gratiam. jube nunc jam
 Dinumeret illi Babylo viginti mina.
 Syre, cessas ire, ac facere? *SY.* quid ergo? *DE.* dirue:
 Tu, illas, abi, & traduce. *GE.* Dij tibi, Demea,
 20 Bene faxint, cum te video nostræ familiæ
 Tam ex animo factum velle. *DE.* dignos arbitror.
 Tu quid ais? ÆS. sic opinor. *DE.* multo rectiu' est,
 Quam illam puerperam nunc duci huc per viam
 Egrotam. ÆS. nihil enim vidi melius, mi pater.
 25 *DE.* Sic soleo; sed eccum Mitio egreditur foras.

INTERPRETATIO.

atque hanc in horto maceriam jube quam celerrimè everri, atque per illam fac traducatur tua uxor: ex ejus domo, & nostrâ fiat una domus: transfer etiam ejus matrem cum familiâ in ædes nostras. ÆS. Gratum est, pater lepidissime. *DE.* Euge, jam lepidus dicor. Fratri ædes omnibus patebunt, cæterum nuptialem domum introducet, sumptus multos faciet, multaque alia sustinabit: quid mea porro interest? si quidem ego, quem lepidum vocant, eorum amorem demereor. Iube, Æschine, Babylo illi numeret viginti mi- nas pro pretio psaltria. Syre, cur tardas ire ac facere qua dixi? *SY.* Quid ergo? *DE.* Dirue maceriam in horto: post abi & traduce per illam Sofstraiam, & Pamphilam. *GE.* Dij res tuas prosperent, Demea, quem ex animo sic cupere nostræ familia video. *DE.* Dignos his officijs vos censo. Tu quid ais, fili? ÆS. Sic existimo. *DE.* Multo commodius est, quam Pamphilam à partu recentem nunc traduci per viam, egrotam, morbo languentem. ÆS. Nihil rectius fieri posse puto, mi pater. *DE.* Sic mea consuetudo est. Sed ecce Mitio procedit ex adibus.

ANNOTATIONES.

17. Dinumeret illi Babylo.] Argentarius fuit. Erant argentarii, trapezitæ, seu mensarij apud quos pecuniæ fœnoni collocabantur, & à quibus etiam fumebantur. Horum erat officium publicum, & tabernas in foro positas illi habebant.



ACTUS V. SCENA VIII.

MITIO. DEMEA. ÆSCHINVS.

- M I.** J ubet frater? ubi is est? tun' jubes hoc, Demea?
D E. Ego vero jubeo, & hac re, & aliis omnibus
 Quam maxime unam facere nos hanc familiam;
 Colere, adjuvare, adjungere. **Æ S.** ita quæso, pater.
M I. Haud aliter censeo. **D E.** imo hercle ita nobis decet.
 Primum hujus uxoris est mater. **M I.** quid postea?
D E. Proba & modesta. **M I.** ita ajunt. **D E.** natu grandior.
M I. Scio. **D E.** parere jam diu hæc per annos non potest:
 Nec, qui eam respiciat, quisquam est: sola est. **M I.** quam hęc
 rem agit?
D E. Hanc te æquom est ducere, & te operam, ut fiat. dare.
M I. Me ducere autem? **D E.** te. **M I.** me? **D E.** te inquam.
M I. ineptis. **D E.** si tu sis homo,
 Hęc faciat. **Æ S.** mi pater. **M I.** quid? tu autem huic, asine,
 auscultas? **D E.** nihil agis.
 Fieri aliter non potest. **M I.** deliras. **Æ S.** sine te exorem, mi
 pater.
M I. Infans? aufer. **D E.** age, da veniam filio. **M I.** sati' sa-
 nus es?
Ego novus maritus anno demum quinto & sexagesimo
 Fiam, atque anum decrepitam ducam? idne estis autores mihi?

INTERPRETATIO.

M I. J ubetne frater dirui hanc mace-
 riam? ubi is est? an jubes hoc,
 Demea. **D E.** Ego vero jubeo non modò
 in hac re, sed & in alijs omnibus his
 gratificari quammaximè, nos hanc fa-
 miliam cum nostra unam facere, colere,
 adjuvare, adjungere. **Æ S.** Ita rogo,
 pater. **M I.** Sic opinor esse faciendum.
D E. Quin potius aliter facere nos dede-
 ceret. Primum Sostrata est mater Pam-
 phila, uxoris Æschini. **M I.** Quid inde?
D E. Proba est, & modesta. **M I.** Sic
 omnes dicunt. **D E.** Ætate provecta ad-
 modum. **M I.** Novi. **D E.** Iam dudum
 per atatem parere non potest: nec quem-
 quam habet, qui eam cura habeat, &
 juvet. sola est, deserta ab omnibus. **M I.**

Quid rei hęc meditatur? **D E.** Hanc te
 convenit uxorem ducere, & tui officij est,
 Æschine, studere omni industria ut id
 fiat. **M I.** Me ducere uxorem? **D E.** Te,
M I. Me? **D E.** Te, inquam, te, **M I.**
 Despicias. **D E.** Si vir es, Æschine, id ti
 persuadeas facere. **Æ S.** Mi pater, **M I.**
 Itane, asine, huic morem geris? **D E.** Frustra
 id recusat, Mitio, id te necesse est facere.
M I. Mente captus es. **Æ S.** Permitte ut
 id à te impetrem, mi pater. **M I.** Insanus
 es animo: aufer te. **D E.** Eia, hoc age,
 exaudi preces filij tui. **M I.** Satis me-
 nis compos es? **D E.** Egone novus maritus fiam,
 annos demum quinque, & sexaginta
 natus, & vetulam extrema atatu in
 uxorem accipiam? idne mihi suadetis?

- Æ S.** Fac. promisi ego illis. **M I.** promisti autem? de te largi-
 tor, puer.
D E. Age, quid, si quid te majus oret? **M I.** quasi hoc non sit
 maxumum.
D E. Da veniam. **Æ S.** ne gravere. **D E.** fac, promitte. **M I.** non
 omittis?
Æ S. Non, nisi te exorem. **M I.** vis hæc quidem est. **D E.** age,
 age, prolixè, Mitio.
M I. Etsi hoc pravom, ineptum, absurdum, atque alienum à
 vita mea
 Videtur; si vos tantopere istuc voltis, fiat. **Æ S.** bene facis:
 Merito te amo. **D E.** verum quid? quid ego dicam? hoc confit
 quod volo.
 Quid nunc quod restat? Hegio cognatus his est proximus,
Æ S. Affinis nobis, pauper: bene nos aliquid facere illi decet.
M I. Quid facere? **D E.** agelli est hic sub urbe paulum, quod
 locitas foras:
 Huic demus, qui fruatur. **M I.** paulum id autem? **D E.** si mul-
 tum fiet,
 Faciendum est: pro patre huic est, bonus est, noster est, recte datur.
 Postremo non meum illud verbum, facio, quod tu, Mitio,
Æ S. Bene & sapienter dixi dudum: vitium commune omnium est,
 Quod nimium ad rem in senecta attenti sumus. hanc maculam
 nos decet
 Effigere. dictum est vere, & re ipsa fieri oportet, Mitio.

INTERPRETATIO.

Æ S. Sic facias rogo; nam id illis pollicitus
 sum. **D E.** Pollicitus es? de te promitte, o
 puer, non de alijs. **D E.** Quid igitur face-
 res, si quid majoris momenti, à te postu-
 laret. **M I.** Quasi istud non sit maximi
 momenti. **D E.** Concede illi, quod pe-
 tit. **Æ S.** Præbe mihi te facilem. **D E.**
 Age, promitte illi. **M I.** Non desinis
 me obtundere, & verbis enecare? **Æ S.**
 Minime, nisi id mihi concesseris. **M I.**
 Vis hac quidem est. **D E.** Age benigne,
 & large nobiscum, Mitio. **M I.** Quam-
 vis hoc mihi perversum, stultum, rudi-
 culum, & abhorrens à vita mea in-
 stituto videtur; attamen si vos tam eni-
 xe id vultis, fiat, concedo. **Æ S.** Hoc
 omnium optime se habet. Ex animo te
 amo, tantum ob meritum in me tuum.
D E. Verum quid ego amplius dicam?
 perficitur sanè id quod cupio. Quid

adhuc superest? Hegio Sostratam & Pam-
 philam cognatione proxime attingit,
 nunc affinitate nobis junctus est, in ege-
 state & inopia positus; nos benigne ad-
 esse ei, & aliquantum sublevare ejus
 paupertatem convenit. **M I.** Quid illi
 benefacere oportet? **D E.** Habes paululum
 agelli suburbani, quod nescio cui alieno
 locas: huic demus fruendum. **M I.** Pau-
 lulumne agelli id vocas? **D E.** Etsi ma-
 jusculum sit, tamen tradi debet. Pam-
 phila patris loco est, vir honestus & pro-
 bus, amicus noster, dignus est cui detur.
 Postremo non ego sum auctor præclaræ istius
 sententia, quam pridem rectè, sapienter
 que pridem pronunciasti; vitium com-
 mune omnium est, quod ad rem in sene-
 ctute attentiores sumus: hanc culpam
 evitare nos oportet: hoc vere prolatus
 est, & re ipsa hoc nobis præstandum est.

MI. Quid istuc? dabitur quandoquidem hic volt. *ÆS.* mi pater!
DE. Nunc tu mihi germanus es pariter corpore & animo. *MI.*
 gaudeo.
 35 *DE.* Suo sibi gladio hunc jugulo.

INTERPRETATIO.

MI. Quid hoc est? dabitur, quando De-
 mea sic poscit. *ÆS.* O mi pater! *DE.* *Suis*
 Nunc mihi germanus es pariter corpore,
 & animo. *MI.* Id gaudeo. *DE.* *Suis*
 proprijs telis hunc confodio.

ANNOTATIONES.

35. *Suo sibi gladio.*] Id est suo proprio
 gladio. Sic Plautus in Prologo capti-
 vorum; quo pacto serviat suo sibi patri.
 Iterum; *Inscientes sua sibi fallacia*, &
 rursus; *Ita nunc ignorans suo sibi ser-
 vit patri.*

ACTUS V. SCENA IX.

SYRVS. DEMEA. MITIO. ÆSCHINVS.

SY. Factum est, quod iusti, Demea.
DE. Frugi homo es. ego ædepol hodie mea quidem sententia
 Judico, Syrum fieri æquom liberum. *MI.* istunc liberum?
 Quodnam ob factum? *DE.* multa. *SY.* ô noster Demea, ædepol
 vir bonu' es:
 5 Ego istos vobis usque à pueris curavi ambos sedulo:
 Docui, monui, bene præcepi semper quæ potui omnia.
DE. Res apparet, & quidem porro, obsonare, cum fide
 Scortum adducere, apparare de die convivium.

INTERPRETATIO.

SY. *F*eci quod imperavisti mihi, De-
 mea. Maceria diruta est. *DE.*
 Bona frugis homo es: ego per adem Pol-
 lucis sentio, atque arbitror Syrum liber-
 tate donari debere. *MI.* Istum libertate
 donari? quamnam ob causam? *DE.* Ob
 multas. *SY.* O noster Demea, ædepol
 vir probus es. Ego vobis istos filios inde
 usque à teneris annis ambos educavi
 diligenter, docui, monitis, & præ-
 ceptis, omnibus, quantum potui, in-
 struxi. *DE.* Res manifesta est, ni-
 mirum quidem tibi cura fuit cibos &
 obsonia lauta, & delicata emere, & con-
 dire: meretricem ad illos fideliter deduce-
 re, convivium de medio die apparare,

ANNOTATIONES.

3. *Apparare de die convivium.*] De
 die epulari, aut potare semper
 apud antiquos Græcos, & Romanos da-
 tum vitio fuit, ut intemperantiæ & lu-
 xus argumentum; ita Curtius Alexan-
 drum Macedonem notat, quod de die
 convivia iniret; & Livius Pœnos, quod
 de die epularentur. Et ab Hippocratis
 usque temporibus rarus olim fuit pran-
 diorum usus.

Non

Non mediocris hominis hæc sunt officia. *SY.* ô lepidum caput!
 10 *DE.* Postremo hodie in psaltria ista emenda huic adjutor fuit,
 Hic curavit: prodesse æquom est: alij meliores erunt:
 Denique hic volt fieri. *MI.* vin' tu hoc fieri? *ÆS.* cupio. *MI.* si
 quidem
 Tu vis, Syre, eho, accede huc ad me, liber esto. *SY.* bene facis:
 Omnibu' gratiam habeo, & seorsum tibi præterea, Demea.
 15 *DE.* Gaudeo. *ÆS.* & ego. *SY.* credo: utinam hoc perpetuum
 fiat gaudium, ut
 Phrygiam uxorem meam unà mecum videam liberam. *DE.* optu-
 mam
 Mulierem quidem. *SY.* & quidem nepoti tuo, hujus filio,
 Hodie primam mammam dedit hæc. *DE.* hercle verò seridò,
 Si quidem primam dedit, haud dubium quin emitti æquom fiet.
 20 *MI.* Ob eam rem? *DE.* ob eam: postremo à me argentum,
 quanti est, sumito.
SY. Dij tibi, Demea, omnes semper omnia optata adferant.
MI. Syre, processisti hodie pulcre. *DE.* siquidem porro, Mitio,
 Tu tuum officium facies, atque huic aliquid paulum præ manu
 Dederis, unde utatur. reddet tibi cito. *MI.* istoc vilius.
 25 *ÆS.* Frugi homo est. *SY.* reddam hercle. da modo. *ÆS.* age pater
MI. post consulam.
DE. Faciet. *SY.* ô vir optime! *ÆS.* ô pater mi festivissime!
MI. Quid istuc? quæ res tam repente mores mutavit tuos?

INTERPRETATIO.

Non cujusvis hominis, aut vilis servi
 hæc sunt opera. *SY.* O festivum virum,
 atque urbanum! *DE.* Denique Æschinum
 in emenda hac fidicina adjuvit, atque
 horiatus est, huic benefacere justum est:
 alij servi ab hoc exemplo probiores fient.
 Denique Æschinus cupit hoc fieri. *MI.*
 Æschine, visne tu hoc fieri? *ÆS.* Cu-
 pio. *MI.* Siquidem tu consentis, eho,
 Syre, accede propius ad me: Libere esto.
SY. Bene facis, ut bonum herum de-
 cet. Omnibus gratiam habeo: ac præ-
 terea singularem tibi, Demea. *DE.* Id
 gaudeo. *ÆS.* Et ego. *SY.* Credo, quæ
 est vestra benignitas. Utinam istud gau-
 dium Dij perpetuent absque ulla agri-
 tudine, ut possim videre Phrygiam meam
 uxorem simul mecum liberam. *DE.* Opti-
 mam certe feminam. *SY.* Et quidem
 tuo nepoti, Æschini filio, scilicet hodie
 primam mammam admovit, & lac præ-
 buit. *DE.* Per Herculem, verumne &
 seridò id ais? Siquidem primum nepotu-
 lum nostrum lactavit, certum est illam
 esse manumittendam, uti æquom est.
MI. Ob eam rem solum? *DE.* Ob
 eam. Denique argentum pro ejus pre-
 tio, quanti estimaveris eam, à me
 accipito. *SY.* Dij tibi omnes, Demea,
 omnia, quæ optas, concedant. *MI.* Sy-
 re, præclare hodie proficisti. *DE.* Sic
 est, Mitio, dummodo officium tuum,
 beralis heri facies, & ut horum libe-
 ralem d. cet aliquam pecuniolam ei præ-
 beas utendam: brevi eam tibi repen-
 det. *MI.* Isto flocco vilis erit quod
 reddet. *ÆS.* Probus homo est, & qui
 promissa servat. *SY.* Reddam per Her-
 culem, da modo mutuo. *MI.* Post delibe-
 rabo. *DE.* Syre, ne dubita, Mitio fa-
 ciet quod petis. *SY.* O vir optime, De-
 mea! *ÆS.* O mi pater lepidissime!
MI. Quid istud est? undenam hæc
 tam subita morum tuorum immutatio
 M m

- Quod prolubium? quæ istæc subita est largitas? DE. dicam tibi,
 Ut id ostenderem, quod te isti facilem & festivum putent,
 30 Id non fieri ex vera vita, neque adeo ex æquo & bono,
 Sed ex assentando, indulgendo, & largiundo, Mitio.
 Nunc adeo si ob eam rem vobis mea vita invisa est, Æschine,
 Quia non iusta prorsus omnia omnino obsequor,
 Missa facio, effundite, emite, facite quod vobis lubet.
 35 Sed si id vultis potius, quæ vos propter adolescentiam
 Minu' videtis, magis impense cupitis, consulitis parum,
 Hæc reprehendere, & corrigere me, obsecundare in loco:
 Ecce me, qui id faciam vobis. ÆS. tibi pater, permittimus;
 Plus scis, quid factu opus est. sed de fratre quid fiet? DE. sino;
 40 Habeat; finem in istac faciat. ÆS. istuc recte. Ω. plaudite.

INTERPRETATIO.

unde tibi tam promptus animus ad largiendum? quæ ista tam profusa in largiendo voluntas? DE. Dicam tibi. Hoc feci, ut manifestum facerem quod isti filij nostri te clementem, & mitem aestimant, id non effici ex vera, & laudabili facilitate natura tua? imo, nec etiam ex vera aequitate; sed ex eo, quod eis nimis subblandiris, indulges, & large sumptus præbes, Mitio: si igitur, Æschine, ratio vita mea vobis invisa & molesta est, quia in omnibus, sive ea iusta sint, vel iniusta, vobis non obsecundo, pro derelictis omnia habeo, & vestro arbitratu vivere sino: absomite, emite, facite, ut vobis videatur: sed si id potius vultis, ut

qua per adolescentiam minus vobis intelligere licet, & per inconsiderantiam quidem magis enixe affectatis, minus vero perpenditis, ea incusem, & emendem, utque etiam obtemperem pro temporis occasione vestris voluntatibus: ecce me reperiistis, qui id vobis præstem. ÆS. Pater mi, tua potestati nos committimus; tu scis melius quid nobis factu opus sit; sed de fratre Cresphone quid fiet? DE. Permitto ut ista potiatu fiduciam, eâ sit contentus, & in ea voluptates & libidinem suam consumat, nec posthac aliam amet. ÆS. Recte judicasti. & constituisti. Ω. Plaudite.

ANNOTATIONES.

28. Quod prolubium.] Turnebus legit proluvium, quod per translationem dicitur profusio & prodigalitas, cum quis more aquæ opes profundit. Virgilius 3. Æneidos de Harpyis. ——— Fœdissima ventris Proluvies. ——— id est sordis effusio, sive alui immunditia.



P.

TERENTIIJ

CARTHAGINENSIS AFRI

PHORMIO.

ACTA LUDIS ROMANIS. L. POSTHUMIO ALBINO, L. CORNELIO MERULA, ÆDILIBUS CURULIENS. EGERUNT L. AMBIVIVS TURPIO, L. ATILIVS PRÆNESTINVS. MODOS FECIT FLACCVS CLAVDII. TIBIIS IMPARIBVS. TOTA GRÆCA APOLLODORU. EPIDICAZOMENOS. FACTA QUARTO, CN. FANNIO STRABONE M. VALERIO MESSALA COSS. ANNO AB VRBE CONDITA DXXIII. ANTE CHRISTVM NATVM CLIX.

ANNOTATIONES IN EPIGRAPHEN.

PHORMIO.] Hæc Comœdia vocatur Phormio à Phormione Parasito, qui primas in eâ partes tenet.
 Acta ludis Romanis.] Ludi Romani sub Regibus instituti sunt, magnique appellati, autore Ascenio Pediano in Actionem i. in Verrem, quod magnis impensis (ut erant tempora) dati sunt: tunc enim primùm ludis impensa sunt, ducenta millia nummum (hæc summa valet quindicies millia Francarum librarum) ingentes pecunie tunc temporis. Cicero actione 2. in Verrem ait; sibi designato Ædili

ludos antiquissimos esse faciendos, qui primi Romani appellati sunt, Jovi, Junoni, & Minervæ. Diversi sunt hi ludi à Megalesijs, qui Cybele magnæ matri Deorum dicati fuerunt. Porro quidam hic legendum censent, Ludis Megalensibus.
 Egerunt L. Ambivivus.] Hi erant magistri Histronum.
 Tibijs imparibus.] Unâ scilicet dextrâ; alterâ sinistrâ: quæ tibix impares vocata fuerunt Phrygiæ, quibus tunc canebatur, cum gravitas jocos misceretur.



PHORMIONIS PERSONÆ.

PHORMIO parasitus. A φορμῖος, quod est, corbis, storea, textum quid ex sparto, & junco, aut nexus vitilium. Vitile est omnium, ut flecti possit.
 DEMIPHO, senex, quasi Δημοφῶς, id est populi claritas.
 CHREMES, senex. A χρέμης, quod est enixè expuere.
 ANTIPHO, adolescens. ἄντι πρὸς ἀππαίνομαι. contra appareo.
 PHÆDRIA, adolescens. A φαίδρης, hilaris.
 GETA, servus. Gentile nomen à Getis.
 DAVUS, Gentile nomen servi.
 DORIO, leno, à Doribus. Gentile nomen.
 SOPHRONA, nutrix. A σῶφρων, casta, proba.
 NAUSISTRATA, matrona, magnificentum nomen à copijs navalibus, quarum gloriâ aliquando Atheniensis populus floruit.
 CRATINUS, advocatus. A κράτος, robur.
 HEGIO, advocatus. Ab ἡγεῖσθαι, quod est ducere.
 CRITO advocatus. A κριτής, iudex.
 DORCIUM, ancilla. A δορκός, Dama.
 PHANIUM. A φαίνομαι, appareo.

ARGUMENTVM.

CHREMES Atheniensis cum uxorem duxisset divitem Nausistratam, ex qua susceperat filium Phædriam, in Lemno pauperculæ cujusdam mulieris amore correptus eam quoque ducit uxorem, & ex eâ suscipit filiam Phanium; quæ cum jam esset quindecim annorum, Chremes convenit cum fratre suo Demiphone, ut ejus filio Antiphoni nuberet. Postea Demipho in Ciliciam proficiscitur; Chremes in Lemnum, ut Athenas Phanium cum matre adduceret. Sed hæc jam conscensa navi cum filia, & ipsius nutrice eò venerat, frustra quæsito Chremete sub nomine Stilphonis; (sic enim Chremes Lemni se vocari jusserat, ne rumor alterius sui conjugij emanaret) Non ita multo post mater Phaniæ ex animi ægritudine moritur, Antipho autem cum forte Phanium aspexisset funus matris cum nutrice procurantem, subito ejus amore exarsit, eamque arte, & consilio astuto Phormionis Parasiti uxorem ducit. Confectis nuptijs, redeunt senes turbati admodum uterque, quarentesque omni ratione has dirimere nuptias. Accidit eodem tempore, ut Phædria citharistriam amaret, ac pro eâ redimendâ triginta minas lenoni illius domino promitteret: ad hanc pecuniam conficiendam Geta servus senes convenit, hisque nunciat, Phormionem, si sibi dotis nomine triginta minæ darentur, se paratum esse Phanium, quam Antipho duxerat, uxorem accipere: Demipho ut

filium suum à Phanio disjungeret, hanc pecuniam numerat Phormioni, is eam Phædriæ dat, Phædria lenoni. His gestis, Chremes agnoscit filiam suam Phanium, conjunctam esse cum fratris sui filio; quare mutato consilio, triginta minas à Phormione per rixam conatur exigere; sed proditur per eundem uxori suæ Nausistratæ: nec antè veniam libidinis suæ obtinet à matrefamiliâs, quàm & triginta minarum, & amoris Citharistriæ veniam dedisset filio.


C.

SULPITII APOLLINARIS
PERIOCHA.

Chremetis frater aberat peregre Demipho,
 Relicto Athenis Antiphone filio.
 Chremes clam habebat Lemni uxorem & filiam,
 Athenis aliam conjugem, & amantem unice
 Gnatum fidicinam. mater è Lemno advenit
 Athenas: moritur. virgo sola (aberat Chremes)
 Funus procurat. ibi eam visam Antipho.
 Cum amaret, operâ parasiti uxorem accipit.
 Pater & Chremes reversi fremere: dein minas
 Triginta dant parasito, ut illam conjugem
 Haberet ipse: argento hoc emitur fidicina.
 Uxorem retinet Antipho à patruo agnitam.

INTERPRETATIO.

Aberat Demipho, frater Chremeti, profectus in Ciliciam, cui filius erat Athenis Antipho. Chremes secretò duxerat Lemni alteram uxorem, ex qua susceperat filiam nomine Phanium, cum prius Athenis uxorem duxisset Nausistratam, haberetque ex eâ filium Phædriam, Citharistria cujusdam amore avidentem. Mater Phaniæ, secunda uxor Chremetis, è Lemno Athenas transmigravit; ibique non ita multo post vitâ decessit. Virgo sola cum nutrice funus apparat, absente Chremete. Ibi cum Antipho eam aspexisset, statim ejus amore captus est, & astuto Phormionis Parasiti consilio usus eam uxorem duxit. Antiphonis pater Demipho, & Chremes reversi, questus edere cœperunt; deinde triginta minas dant Parasito, ut Phanium uxorem acciperet disjunctam ab Antiphone. Hac pecunia redimitur fidicina Phædria. Antipho remanet in conjugio cum Phanio, qua à Patruo Demiphone agnoscitur.



PROLOGUS.

Postquam poëta vetus poëtam non potest
Retrahere à studio, & transdere hominem in otium;
Maledictis deterrere, ne scribat, parat:
Qui ita dicitur, quas antehac fecit fabulas,
5 Tenui esse oratione, & scriptura levi,
Quia nusquam insanum scripsit adolescentulum:
Cervam videre fugere, & sectari canes,
Et eam plorare, orare ut subveniat sibi.
Quod si intelligeret, olim cum stetit nova,
10 Actoris opera magis steterisse, quam sua:
Minu' multo audacter, quam lædit, læderet;
Et magi' placerent, quas fecisset fabulas.
Nunc si quis est, qui hoc dicat, aut sic cogitet,
Vetu' si poëta non laceffisset prior,
15 Nullum invenire prologum potuisset novus,
Quem diceret, nisi haberet, cui malediceret:
Is sibi responsum hoc habeat; in medio omnibus

INTERPRETATIO.

Postquam Lucius Lavinius senex
poëta Poëtam nostrum Terentium
non valet abjungere à studio Poëticas Co-
mica, & transducere illum in ociosam
cessationem, conviciis eum terrefacere
aggreditur, ut eum avertat à scriben-
dis Comædiis, inanibus verbis in vul-
gus jactans quas antehac Terentius fe-
cit Comædia infimo sermone scriptas esse,
& dicendi genere nimis humili: quia
nusquam induxit, & exhibuit adolescen-
tulum, qui insanians visus sibi fuerit,
videre cervam fugientem, & canes
ipsam prosequentes, eamque illa chryma-
ri, precari ipsum, ut sibi succurrat. Quod
si animadverteret suam Comædiam cum
nova esset, non fuisse explosam, magis
propter Actorum, quam propter suam
ipsius industriam, minus multo confiden-
ter alios offenderet, quam nunc offen-
dit. & magis probarentur Comædia,
quas scripsisset. Nunc si quis est, qui
hoc dicat, aut censeat; si vetus Poëta
prior novum minime provocasset; no-
vum nullam materiam scribendo Prologo
repperisset, ac nisi adversarium haberet,
quem conviciis insectaretur: ille hoc res-
ponsum referat, communem omnibus

ANNOTATIONES.

5. Tenui esse oratione.] Imperitiæ ac-
culat Terentius Lavinium, cum sim-
plex sermo & purus, stylusque humilis
conveniat comædiæ.
8. Et eam plorare.] Lacrymæ hominis
sunt propriæ; tamen ex quadam simi-
litudine tribuuntur Crocodilo, &
Cervo.
9. Olim cum stetit nova.] Sic Horatius
in Epistola ad Augustum:
Gestit enim nummum in loculos dimit-
tere, post hoc
Securus cadat, an recto stet fabula talo,
Stare igitur Comædia dicitur, quæ ad
finem ulque placet populo, nec ejici-
tur, & exploditur.

Palmam esse positam, qui artem tractant musicam.
Ille ad famem hunc ab studio studuit reicere:
20 Hic respondere voluit, non laceffere.
Benedictis si certasset, audisset bene:
Quod ab illo allatum est, sibi id esse rellatum putet.
De illo jam finem faciam dicundi mihi,
Peccandi cum ipse de se finem non facit.
25 Nunc quid velim, animum attendite. apporto novam
Epidicazomenon quam vocant comædiam
Græci, Latini Phormionem nominant;
Quia primas parteis qui ager, is erit Phormio
Parasitus, per quem res geretur maxime.
30 Voluntas vestra si ad poëtam accesserit,
Date operam, adeste æquo animo per silentium:
Ne simili utamur fortuna, atque usi sumus,
Cum per tumultum noster grex motus loco est:
Quem actoris virtus nobis restituit locum,
35 Bonitasque vestra adjutans, atque æquanimitas.

INTERPRETATIO.

palmam, propositam esse ijs, qui Poë-
tiam proficiunt. Ille Lavinius Teren-
tium ab artis sua exercitio abstrahere in-
genti studio curavit, ut eum ad extre-
mam inopiam, & famem adigeret. Hic
Terentius satis habuit, si illi responde-
ret, non eum aggredere. Si ille hu-
manis verbis certasset, cum honore fuis-
set appellatus. Nunc quod attulit, sibi
rellatum esse agere ne ferat. Iam de illo
queri desinat; licet, quantum ad ip-
sum pertinet, maledicere non desistat.
Nunc qua habeo vobis dicenda, ani-
madvertite; novam Comædiam vobis
exhibeo, nominatam à Græcis Epidica-
zomenon; à Latinis Phormionem. Quo-
niam primas partes erunt Phormionis Pa-
rasiti; cujus opera præcipue res agetur.
Si studio & benevolentia vestra Poëtam
prosequemini, date recitationi fabula
operam, cum silentio aequi & faventes
audite; ne similis fors mala nobis con-
tingat, qualis contigit prius cum per tur-
bas & rixas cæcus noster Histriorum
loco deturbatus est, quem Actorum vir-
tus constans & perseverantia nobis red-
didit, vestraque humanitas, æquitasque
animi, subsidio qua nobis fuit.

ANNOTATIONES.

18. Artem tractant musicam.] Id est
Poëticam, quia hæc ars propter metri-
cam rationem musicæ affinis est: vel
potius quod Musæ Poëtica præfint.
26. Epidicazomenon.] Hic ἐπιδικάζο-
νος est Antipho, quicum in iudicio
contendit Phormio, ut Phanium ei ad-
dicatur uxor.
33. Cum per tumultum.] Id est propter
rixas populi de sedibus in spectaculis
contendere soliti.
34. Quem actoris virtus.] Nimirum,
qui exclusus toties à tumultuante po-
pulo animum non abjecerit; sed perse-
veraverit agere & recitare.



ACTUS PRIMI SCENA I.

DAVVS.

AMicus summus meus, & popularis Geta,
 Heri ad me venit: erat ei de ratiuncula
 Jam pridem apud me reliquum pauxillulum
 Nummorum: id ut conficerem: confeci: affero.
 5 Nam herilem filium ejus duxisse audio
 Uxorem: ei credo munus hoc conraditur.
*Quam inique comparatum est, y qui minus habent,
 Ut semper aliquid addant divitioribus.*
 Quod ille unciatim vix de demenso suo,
 10 Suum defrudans genium, comparat miser;
 Id illa universum abripit, haud existumans
 Quanto labore partum: porro autem Geta
 Ferietur alio munere, ubi hera pepererit.
 Porro alio autem, ubi erit puero natalis dies,
 15 Ubi initiabunt; omne hoc mater auferet:
 Puer causa erit mittendi, sed videon' Getam?

INTERPRETATIO.

AMicus mihi intimus, & ex eadem natura necessaria alimenta detrahendo, vix seposuit, id illa nova nupta universum interceptum, parvi pendens quantum arumnis sit acquisitum; deinde vero aliud vulnus Geta pecunia accipiet, cum aliud munus hera comparandum erit, ubi illa enixa partum fuerit; insuper aliud, ubi puero natalis per singulos annos reverteretur, ubi eum ablatum erit, & initium facient cibo, & potu eum alendi. Omnia haec munera mater lucrabitur, infans causa erit cur mittantur haec dona ad matrem.

ANNOTATIONES.

3. *Am pridem apud me reliquum.*] Aliquod residuum pecuniae ei debeo.
 9. *Vix de demenso suo.*] Demensum erat mensura frumenti, quam servis admetiebantur domini ad totius mensis victum.
 13. *Ferietur alio munere.*] Velut malo, ac damno macerabitur, aliud damnum accipiet.
 14. *Natalis dies.*] Munera amici solebant mittere ad eum, cujus erat natalis dies qui uxorem ducebat, cui etiam erant nati liberi.

ACTUS

ACTUS I. SCENA II.

GETA. DAVVS.

GE. Siquis me quaeret rufus. **DA.** praesto est, desine. **GE.** oh!
 At ego obviam conabar tibi, Dave. **DA.** accipe, hem:
 Lectum est, conveniet numerus, quantum debui.
GE. Amo te, & non neglexisse, habeo gratiam.
DA. Praesertim ut nunc sunt mores; adeo res redit:
 Si quis quid reddit, magna habenda est gratia.
 Sed quid tu es tristis? **GE.** egone? nescis quo in metu, &
 Quanto in periculo sim. **DA.** quid istuc est? **GE.** scies,
 Modò ut tacere possis. **DA.** abi sis, insciens:
 10 Cujus tu fidem in pecunia perspexeris,
 Verere ei verba credere? ubi quid mihi lucri est
 Te fallere? **GE.** ergo ausculta. **DA.** hanc operam tibi dico.
GE. Senis nostri, Dave, fratrem majorem Chremem
 Nostin'? **DA.** quidni? **GE.** quid? ejus gnatum Phaedriam?
 15 **DA.** Tanquam te. **GE.** evenit, senibus ambobus simul,
 Iter illi in Lemnum ut esset, nostro in Ciliciam,
 Ad hospitem antiquum: is senem per epistolas
 Pellexit, modò non monteis auri pollicens.

INTERPRETATIO.

GE. Si quis homo rufo capillo huc me quaesitum veniat. **DA.** Ecce eum de quo loqueris. **GE.** Oh! At ego jam paratus eram tibi obviam ire, Dave. **DA.** Accipe pecuniam, quam tibi debito, hem: exquisiti & probati sunt nummi: summa paris numeri invenitur ei, quam reliquam adhuc debui. **GE.** Pergratum mihi facis, & laudo quod in reddendo cessator non fueris. **DA.** Praecipue si morum perveritas nunc spectatur; nam eo devenimus, ut si quis creditum solvit, ei gratia loco acceptum ferendum sit: sed quid est quod tristis videris? **GE.** Egone? ignoras in quo timore, & discrimine versor. **Nof-** ces, dummodo id celare valeas. **DA.** Age, imperite: dubitasne ei verba credere, cujus fidem in credenda ei pecunia probaveris? Quin etiam hac in re qua utilitas te fallendo mihi obveniret? **GE.** Ergo attende audi. **DA.** Hoc officium tibi prestabo. **GE.** Notusne est tibi frater Chremetis senis nostri Demipho? **DA.** Cur non? **GE.** Filiusque ejus Phaedria? **DA.** Aequae ac tute notus es mihi. **GE.** Forte illis ambobus eodem tempore causa fuit itineris faciendi: illi Chremeti in Lemnum: nostro Demiphoni in Ciliciam, ad quendam hospitem antiquum, qui eum invitaverat, prope aureos montes promittens.

ANNOTATIONES.

16. *In Lemnum.*] Lemnos insula est maris Aegaei, Vulcano sacra, & Lemnia terra nobilis, Hodie *Stalimene* vocatur. *In Ciliciam.*] Cilicia Asiae minoris regio, hodie vocatur *Turcomania*, *Caramania*, cui ab ortu jungitur. In ea urbs Tarsus, Divi Pauli natalibus clara,

N n

- D A.* Cui tanta erat res, & supererat? *G E.* desinas:
 20 Sic est ingenium. *D A.* oh! regem me esse oportuit.
G E. Abeuntes ambo hic tum senes me filii
 Relinquunt quasi magistrum. *D A.* ô Geta! provinciam
 Cepisti duram. *G E.* mihi usus venit, hoc scio.
 Memini relinqui me Deo irato meo.
 25 Cœpi advorsari primò: quid verbis opus est?
 Seni fidelis dum sum, scapulas perdidit.
D A. Venere in mentem istæc mihi: namque incitiam est
 Advorsum stimulum calces. *G E.* cœpi his omnia
 Facere, obsequi quæ vellent. *D A.* scisti uti foro.
 30 *G E.* Noster mali nil quidquam primo. hic Phædrîa
 Continuo quandam nactus est puellulam
 Citharistriam: hanc amare cœpit perditæ.
 Ea serviebat lenoni impurissimo:
 Neque, quod daretur quidquam, id curarant patres.
 35 Restabat aliud nihil, nisi oculos pascere,
 Sectari, in ludum ducere, & reducere:
 Nos otiosi operam dabamus Phædrîæ.
 In quo hæc discebat ludo, ex adverso ei loco
 Tonstrina erat quædam: hic solebamus fere
 40 Plerumque eam opperiri, dum inde iret domum.
 Interea dum sedemus illic, intervenit
 Adolescens quidam lacrumans: nos mirarier:
 Rogamus, quid sit: nunquam æque, inquit, ac modò

I N T E R P R E T A T I O.

D A. Eine cui tanta divitia abundabant, & superabundabant? *G E.* Tace: sic homo à natura factus est. *D E.* Oh! male factum: quàm Regem me esse decuit! *G E.* Hic tum senes proficiscentes me filijs suis rectorem, & magistrum præfecerunt. *D A.* O Geta, officium grave gerendum suscepisti. *G E.* Hoc ita mihi evenisse expertus sum: & à Genio irato me derelictum fuisse in memoriâ habeo. Cœpi horum voluntati primò obfistere: quid plura dicam? dum seni nostro Demiphoni fidelem me præsto, scapulas cadendas lorarijs relinquo. *D A.* Hæc animo facile occurrerunt: nam quæ stoliditas est adversus stimulum calces jactare? *G E.* Cœpi omnia facere eorum arbitrio, morem quem vellent gerere. *D A.* Scisti tempori inseruisse. *G E.*

Noster Ctesipho ab initio nihil nisi rectè agebat: hic Phædrîa illicò quandam puellam fidicinam nactus est: hanc præter modum amore prosequi cœpit. Ea sub potestate erat turpissimi lenonis; neque patres adolescentum providerant ut sumptus his ministrarentur. Nihil aliud Ctesiphoni supererat, quam visu puella oculos suos oblectare, semper eam sequi, in scholam ducere, & domum inde reducere. Nos per otium Phædrîa obsequebamur. E regione loci in quo discebat puella, sita erat officina tonsoris; hic solebamus eam expectare quousque inde rediret domum. Interea dum illic otiosi moramur, repente supervenit adolescens quidam flens. Nos mirari, querimus qua causa ei fletus esset. Nunquam ait, mihi ita perspectum fuit, ac modò,

- Paupertas mihi onus visum est & miserum, & grave.*
 45 Modò quandam vidi virginem hic vicinæ
 Miseram, suam matrem lamentari mortuam:
 Ea sita erat ex advorsum: neque illi benevolens,
 Neque notus, neque cognatus, extra unam aniculam:
 Quisquam aderat, qui adjutaret funus. miseritum est.
 50 Virgo ipsa facie egregia; quid verbis opus est?
 Commorat omnes nos: ibi continuo Antipho,
 Voltisne eamus visere? alius, cenleo;
 Eamus: duc nos fodas: imus, venimus,
 Videmus. virgo pulchra: & quo magis diceret,
 55 Nihil aderat adjumenti ad pulchritudinem.
 Capillus passus, nudus pes, ipsa horrida:
 Lacrumæ, vestitus turpis: ut, ni vis boni
 In ipsa ineffet forma, hæc formam extinguerent.
 Ille, qui illam amabat fidicinam, tantummodo,
 60 Satis scita, inquit: noster vero. *D A.* jam scio:
 Amare cœpit. *G E.* scin' quam? quò evadat, vide:
 Postridie ad anum rectà pergit: obsecrat,
 Ut sibi ejus faciat copiam. illa enim se negat:
 Neque eum æquom ait facere. illam civem esse Atticam;
 65 Bonam, bonis prognatam: si uxorem velit,
 Lege id licere facere: sin aliter, negat.
 Noster, quid ageret, nescire: & illam ducere
 Cupiebat, & metuebat absentem patrem.

I N T E R P R E T A T I O.

quàm arumnosum & molestum esset ponere paupertas. Modò quandam vidi infelicem puellam prope in hac vicinia, desentem matrem suam vita functam. Ea posita erat contra mortuam, neque quisquam amicus, neque vicinus, neque propinquus eam adjuvabat in curando funere, præter unam vetulam. Misereri subijt. Virgo ipsa formâ erat eximâ. Quid plura dicam? omnium animi commoti sunt hoc spectaculo: tunc hæc Antipho; libetne vobis, inquit, ut hanc virginem invisamus? alius quidam inquit, ita mihi videtur: eamus, dux esto nobis, amabo. Imus, adivimus, spectavimus ipsam. Puella erat formosa, & quò magis crederes, nihil ei additum erat, quò formam insigniorem redderet. Crines negligenter & remere dispersi. Pedes calcamentis nudati. ipsa inculta, flens, vestis fœda & deformis. Aded ut nisi pulchritudo ejus excellens esset, hæc pulchritudinem in eâ deleverit. Phædrîa qui captus erat amore illius citharistria, solummodo dixit, non quidem invenusta, & inconcinna est. Noster vero Antipho. *D A.* Intellego: continuo ejus amore exarsit. *G E.* Scisne quantum? quousque cupiditas ejus pervenit, inspice. Ipsa die postridianâ vetulam virginis nutricem convenit, orat ut ejus potiunda facultatem daret. Illa recusat hoc facere, eumque inique agere ait qui hoc petat, illam esse civem Atticam, honestam, honestis parentibus genitam: si uxorem eam velit ducere, legitime ut ei permitti facere: sin minus, illa recusat ei obsequi. Noster Antipho quid sibi faciendum esset nesciebat. Cupide volebat eam in uxorem accipere, sed patris metu tenebatur absentis

- D A.* Non, si rediisset, ei pater veniam daret?
 70 *G E.* Ille indotatam virginem atque ignobilem
 Daret illi? nunquam faceret. *D A.* quid sit denique?
G E. Quid fiat? est parasitus quidam Phormio,
 Homo confidens: qui, illum *Dij* omnes perduint!
D A. Quid is fecit? *G E.* hoc consilium, quod dicam, dedit;
 75 Lex est, ut orbæ, qui sint genere proximi,
 Iis nubant: & illos ducere eadem hæc lex jubet.
 Ego te cognatum dicam, & tibi scribam dicam:
 Paternum amicum me assimulabo virginis:
 Ad iudices veniemus, qui fuerit pater,
 80 Quæ mater, quæ cognata tibi sit, omnia hæc
 Constringam: quod erit mihi bonum atque commodum,
 Cum tu horum nihil refelles, vincam scilicet.
 Pater aderit, mihi paratæ lites: quid mea?
 Illa quidem nostra erit. *D A.* jocularum audaciam.
 85 *G E.* Persuasum est homini: factum est: ventum est: vincimur:
 Duxit. *D A.* quid narras? *G E.* hoc, quod audis. *D A.* ô Geta!
 Quid te futurum est? *G E.* nescio hercle, unum hoc scio:
 Quod fors fecerit, feremus æquo animo. *D A.* places:
 Hem, istuc viri est officium. *G E.* in me omnis spes mihi est,
 90 *D A.* Laudo. *G E.* ad precatorem adeam credo, qui mihi
 Sic oret: nunc amitte quæso hunc: cæterum
 Posthac si quidquam, nihil precor: tantummodo

I N T E R P R E T A T I O.

D A. An non pater reversus ei parceret hanc culpam? *G E.* Quid? illene pater puellam dotis expertem, & obscuris natalibus pateretur eum ducere? Nunquam ille hoc faceret. *G E.* Quid tandem factum est? *D A.* Quid factum fuerit, quæris? est Parasitus quidam, nomine Phormio, homo audax & temerarius, qui (*Dij* illum occidant) hoc consilium, quod exponam dedit: nimirum lege cautum est Athenis, ut virgines parentibus orbata nubant proximis agnatis, atque illi eas uxores ducant; ego te virgini proximum esse asseverabo, & in jus vocabo, patris me amicum esse fingens; nos iudicio sistemus, qui fuerit illius pater, qua mater, quo modo ei cognatione iunctus sis recitabo: omnia hæc excogitabo in meum commodum adeo: ut te nihil horum refutante, iudicio vincam scilicet. Deinceps pater tuus ex itinere revertetur, mihi ites intendet; sed quid mea interest? illa virgo nostra manebit.

D A. Confidentiam risu dignam! *G E.* Antipho hoc consilium probavit, exequutus est, ad iudices venimus, causa cecidimus: ille hanc in uxorem accepit.

D A. Quæ mihi commemoras? *G E.* Hæc, qua auribus tuis percipis. *D A.* O mi Geta! quid te fiet? *G E.* Nescio per Herculem quis me casus manet; sed unum hoc probe scio, quod fortuna offeret, accipiemus æquo & patiente animo. *D A.* Gratium mihi est, hem, fortis hoc viri est officium facere. *G E.* Spes mihi in nullo alio, quam in me ipso sita est. *D A.* Laudo animum. *G E.* Ad deprecatorem perfugiam scilicet, qui pro me talibus verbis herum propitium mihi faciat: dimitte, rogo, hunc impunem nunc: si vero posthac quicquam deliquerit, nihil deprecor; modo id denique

- Non addat, ubi ego hinc abiero, vel occidito.
D A. Quid pædagogus ille, qui citharistram?
 95 Quid rei gerit? *G E.* sic, tenuiter. *D A.* non multum habet
 Quod det fortasse. *G E.* imo nihil, nisi spem meram.
D A. Pater ejus rediit, an non? *G E.* nondum. *D A.* quid? senem
 Quoad expectatis vestrum? *G E.* non certum scio:
 Sed epistolam ab eo allatam esse audivi modo, &
 100 Ad portitores esse delatam: hanc petam.
D A. Nunquid, Geta, aliud me vis? *G E.* ut bene sit tibi,
 Puer, heus, nemon' huc prodit: cape, da hoc Dorcio.

I N T E R P R E T A T I O.

G E. Incertus sum de hujus reditu; sed modo accepi ab eo allatam esse epistolam, & inde latam fuisse ad publicanos qui vesticigalia in portu exigant. Hanc petiturum eo. *D A.* Nunquid in alia re tibi opus est mea opera? *G E.* Ut bene sit tibi precor. Heus, puer: nemone huc domo procedit? cape hoc argentum, & trade Dorcio.

A C T U S I. S C E N A I I I.

A N T I P H O. P H A E D R I A.

- A N.* **A** Deon' rem rediisse, ut, qui mihi consultum esse optume velit,
 Phædria, patrem ut extimescam, ubi in mentem ejus adventi venit?
 Quod ni fuisset incogitans, ita eum expectarem, ut par fuit.
P H. Quid istuc est? *A N.* rogitas? qui tam audacis facinoris mihi conscius
 5 Sis? quod utinam ne Phormioni id suadere in mentem incidisset,
 Neve me cupidum eo impulisset, quod mihi principium est mali.

I N T E R P R E T A T I O.

A N. **E** One miseria deveni, ut vehementer formidem patrem, qui omnia bona mihi cupit, ubi de ejus adventu cogito! Quod nisi fuisset imprudens, & inconsiderans, ita eum cupidè expectarem, ut æquum & conveniens fuit.

P H. Quid istud est? *A N.* Quarisma? qui scis ipse una mecum temerarium facinus quod admisit, quod utinam Phormio mihi suadere nunquam cogitasset. Non meam cupiditatem ad has nuptias incitavisset, qua res mihi caput & fons infelicitatis est.

Non potitus essem. fuisset tum mihi illos ægre aliquot dies :
At non quotidiana cura hæc angeret animum. *P. H.* audio.
A. N. Dum expecto , quàm mox veniat , qui adimat hanc mihi
consuetudinem.

10 *P. H.* Aliis , quia desit quod amant , ægre est : tibi , quia super-
est , dolet.

Amore abundas , *Antipho.*

Nam tua quidem hercle certe vita hæc expetenda , optandaque est.
Ita me *Dij* bene ament ; ut mihi liceat tam diu , quàm amo , frui,
Jam depacisci mortem cupio. tu conjicito cætera ,

15 Quid ego ex hac inopia nunc capiam , & quid tu ex istac copia :
Ut ne addam , quod sine sumptu , ingenuam , liberalem nactus es :
Quod habes , ita ut voluisti , uxorem , sine mala fama ; palam
Beatus , nî unum desit , animus qui modestè istac ferat.

Quod si tibi res sit cum eo lenone , quocum mihi est , tum sentias ;

20 Ita plerique ingenio sumus omnes : nostri nosmet pœnitent.

A. N. At tu mihi contra nunc videre fortunatus , Phædria ,
Cui de integro est potestas etiam consulendi , quid velis ,
Retinere , amare , amittere : ego in eum incidi infelix locum ,
Ut neque mihi ejus sit amittendi , nec retinendi copia.

25 Sed hoc quid est ? videon' ego advenire huc currentem Getam ?
Is ipse est. hei , timeo miser , quam nunc mihi hic rem nuntiet.

INTERPRETATIO.

*Amata virginis compos factus non fuissem : ægre & impatienter ea me privari illos aliquot dies tulissim : esto : ut solita hæc sollicitudo animum non premeret. P. H. Audio. A. N. Dum anxius metuo, ne quàm cito quis irruat , qui me abstrahat ab hujus virginis possessione. P. H. Alij tristantur , quia id quod amant , eos desicit : tu vero , eo quod superat , doles. Amoris felicitate affluis , Antipho. Nam per Herculem tua vita conditio procul dubio desideranda est. Ita mihi *Dij* sint propitij , ut mihi tamdiu ejus quod amo , copia fiat , quandiu fit tibi , morte paratus sum pacisci. Cætera conjice , scilicet , quid ego molestia capiam ex amoris inopia , cum tu jucunde amica fruaris : ut ne his adjungam , quod sine ulla pecuniarum impensis ingenuam & liberalem virginem fortitus*

es : quod possides uxorem qualem optavisti , integra existimationis : denique beatum te pradico , si unum hoc adsit animus , qui hæc moderate capiat. Quod si cum lenone avarissimo rem transigendam habeas , ut ego , tum tu reverte beatum esse intelligas. Ita plerique omnes à natura facti sumus , nostra fere contemnimus. A. N. At te contra felix esse duco , Phædria , cui adhuc integris rebus licet considerare , & deliberare quid eligas , tibi asserves , diligas , relinquas : ego in eum statum conjectus sum , ut neque mihi potestas sit relinquenda nec retinenda virginis , quam possideo. Sed quid hoc est ? num conspicio Getam currentem huc proferare ? is ipse est. Ma miserum ! metuo ne mihi nunc tristem nuntium afferat.

18

ACTUS I. SCENA IV.

GETA. ANTIPHO. PHÆDRIA.

G. E. Nullus es Geta , nisi jam aliquod tibi consilium celere repereris :

Ita subito nunc imparatum tanta te impendent mala :

Quæ neque uti devitem scio , neque quo modo me inde extraham :
Nam non potest celari nostra diutius jam audacia :

Quæ si non astu providentur , me aut herum pessum dabunt.

A. N. Quidnam ille commotus venit ? *G. E.* tum , temporis punctum mihi

Ad hanc rem est : herus adest. *A. N.* quid istuc est mali ?

G. E. Quod cum audierit , quod ejus remedium inveniam iracundiæ :
Loquarne ? incendam . taceam ? instigem , purgem me ? laterem lavem.

10 Eheu me miserum ! tum mihi paveo , tum Antipho me excruciat animi :

Ejus me miseret : ei nunc timeo : is nunc me retinet . nam absque eo
Esset , recte ego mihi vidissem , & senis essem ultus iracundiam :

Aliquid convassarem , atque hinc me conjicerem protinus in pedes.

A. N. Quam hic fugam aut furtum parat ?

15 *G. E.* Sed ubi Antiphonem reperiam ? aut quâ quærere insistam viâ ?

P. H. Te nominat. *A. N.* nescio quod magnum hoc nuntio expecto malum.

INTERPRETATIO.

G. E. Peristi , Geta , nisi subitum aliquod consilium inveneris : ita nunc tibi non providenti , nec expectanti tanta instant pericula qua quæ ratione declinem ignoro , neque quomodo inde me expediam ; neque enim diutius nostra temeritas jam potest occultari : qua si non astute caveamur , me aut herum opprimet. *A. N.* Quidnam est quod tam perturbatus currit ? *G. E.* Tum , solum mihi momentum temporis restat ad deliberandum de hac re. Ecce herum. *A. N.* Quodnam hoc malum est ? *G. E.* Quam rem cum resciverit , filium Antiphonem duxisse uxorem , quodnam remedium sedanda ejus iracundia reperiam ? alloquarne eum ? inflammabo :

*fileam ? stimulem : excusem ? operam perdam , & verba. Eheu me miserum ! praterquamquod mihi metuo , tum etiam angor sollicitudine propter Antiphonem : ejus misereor : pro eo metuo : is me remoratur , & retardat : nam nisi res ad eum pertineret , mihi utiliter consuluissem , & de senis iracundia ultionem sumpsissem , aliquid clam subripuissem , & cum sarcinulis collegissem , atque hinc confestim fugam arripuissem. *A. N.* Quam hic fugam , aut furtum meditatur ? *G. E.* Sed ubi Antiphonem inveniam ? aut quam viam ad eum quarendum inibo ? *P. H.* Te nominat. *A. N.* Nescio quod magnum ex hoc nuntio mihi imminet malum.*

P H. Ah, sanus ne es?

G E. Domum ire pergam? ibi plurimum est. *P H.* revocemus hominem. *A N.* Ita illicò. *G E.* hem!

Satis pro imperio, quisquis es. *A N.* Geta. *G E.* ipse est, quem volui obviam.

20 *A N.* Cedo, quid portas, obsecro? atque id, si potes, verbo expedi.

G E. Faciam. *A N.* eloquere. *G E.* modò apud portum. *A N.* meumne? *G E.* intellexi. *A N.* occidi. *P H.* hem!

A N. Quid agam? *P H.* quid ais? *G E.* hujus patrem vidisse me, patrum tuum.

A N. Nam quod ego huic nunc subito exitio remedium inveniam miser?

Quòd si eo meae fortunae redeunt, Phanium, abs te ut distrahar,

25 *N*ulla est mihi vita expetenda. *G E.* ergo istaec cum ita sint, Antipho,

Tanto magis te advigilare æquom est. *Fortes fortuna adjuvat.*

A N. Non sum apud me. *G E.* atqui opus est nunc, cum maxime, ut sis, Antipho:

Nam si senserit te timidum pater esse, arbitrabitur

Commeruisse culpam. *P H.* hoc verum est. *A N.* non possum immutarier.

20 *G E.* Quid si aliquid gravius tibi nunc facientem foret?

A N. Cum hoc non possum, illud minù possem. *G E.* hoc nihil est, Phædria: ilicet:

Quid conterimus operam frustra, quin abeo? *P H.* & quidem ego.

A N. obsecro:

INTERPRETATIO.

P H. Sanusne es animo? *G E.* Ad ades nostras ire pergam: ibi morari solet. *P H.* Revocemus eum. *A N.* Hic siste gradum. *G E.* Satis imperiose loqueris, quisquis es. *A N.* Geta. *G E.* Ipse, quem quarebam occurrit. *A N.* Dicito, quid affers, quaso? atque si potes, uno id verbo expone. *G E.* Faciam. *A N.* Enarra. *G E.* Modò apud portum. *A N.* Meumne patrem vidisti? *G E.* Intellexisti recte. *A N.* Interij. *G E.* Hem! *A N.* Quid faciam? *P H.* Quid dicis. *Geta?* *G E.* Hujus patrem, tuum parvum Demiphonem conspexisse apud portum. *A N.* Nam quam med. tam huic inopinata perniciæ nauicgar infelix ego? Quod si eo miseriarum meae fortuna rediguntur, Phanium, abs te, ut avellar, vitam amplius ducendam esse non

puto. *G E.* Ergo ista cum ita contigerint, tanto magis adlaborare, te decet. Fortibus fortuna auxiliatur. *A N.* Non sum apud me. *G E.* Atqui oportet nunc praecepue, ut apud te sis, Antipho: nam si pater tuus te metuentem animadverteret, opinabitur te facinus & delictum commisisse. *P H.* Hoc verum est. *A N.* Nequeo naturam transmutare. *G E.* Quid faceres si major alia calamitas tibi incideret, & patiendâ foret? *A N.* Cum hoc non possum facere, aliud quid difficilens multò minus facere possum. *G E.* Hic Antipho, ô Phædria, pusilli est animi, & ad omnia inutilis: exemplo discedamus: quid hic frustra operam consumimus? ego verò discedo. *P H.* Et ego quoque. *A N.* Manete.

Quid

Quid si affimulo? satin' est? *G E.* garris. *A N.* voltum contem-
plamini, hem,

Satin' sic est? *G E.* non. *A N.* quid si sic? *G E.* propemodum. *A N.* quid si sic? *G E.* sat est.

25 Hem istuc serva, & verbum verbo, par pari ut respondeas, Ne suis te iratus savidictis protelet. *A N.* scio.

G E. Ut coactum te esse invitum, lege, judicio: tenes?

Sed quis hic est senex, quem video in ultima platea? *A N.* ipse est. Non possum adesse. *G E.* ah, quid agis? quò abis, Antipho? mane,

30 Mane, inquam. *A N.* egomet me novi, & peccatum meum: Vobis commendo Phanium, & vitam meam.

P H. Geta, quid nunc fiet? *G E.* tu jam lites audies:

Ego plectar pendens, nisi quid me fefellerit.

Sed quod modò hic nos Antiphonem monuimus,

35 Id nosmet ipsos facere oportet, Phædria.

P H. Aufer mihi, oportet: quin tu, quid faciam, impera.

G E. Meministin' olim ut fuerit vestra oratio

In re incipienda ad defendendam noxiam?

Justam illam causam, facilem, vincibilem, optumam.

40 *P H.* Memini. *G E.* hem, nunc ipsa ea est opus, aut, si quid potest, Meliore, & callidior. *P H.* fiet sedulo.

G E. Nunc prior adito tu: ego in infidiis hic ero

Succenturiatus, si quid deficies. *P H.* age.

INTERPRETATIO.

vos oro. *An sic apte simulo me confidentem esse?* *G E.* Nugaris. *A N.* Spectate faciem meam. Hem, satine sic est? *G E.* Minime. *A N.* Quid si sic me gero? *G E.* Prope recte. *A N.* Quid si sic? *G E.* Satis nunc est. Hunc gestum observa, & vehementiam patris in sermone, pari vehementiam imitare, & similia verba similibus subijce, ne te ira incitatus atrocibus & asperis suis dictis perturbet. *A N.* Intelli. *G E.* Responde te vi compulsam à lege, iudicibus, & prater voluntatem uxorem duxisse. *An intelligis?* Verum, quis hic senex est, quem conspicio in extrema platea parte? *A N.* Pater ipse est, non possum hic praesens manere. *G E.* Ah! quid agis? quò abis, Antipho? mane, mane, inquam. *A N.* Egomet me novi, & culpam meam; qua duo me timidum faciunt. Vobis commendo Phanium, & vitam meam. *P H.* Geta, quid

nunc nobis fiet? *G E.* Tu jam verbis acerbis oburgaberis, ego pendens virgis verberabor, nisi me valde fallit opinio: sed qua modo hic nos Antiphoni praecepimus, ea nosmetipsos exequi oportet. *P H.* Mitte hoc verbum, oportet; potius mone quod mihi faciendum esse censes: nam sponte & libenter ea faciam. *G E.* An tenes memoria sermonem quem olim habuistis, cum hanc rem aggressi sumus? nempe defensionem illam, quam invenimus ad culpam excusandam, esse facilem, justam, advincendum idoneam, & speciosam. *P H.* Memoria teneo. *G E.* Hem, nunc ea utendum nobis est, aut si fieri potest alia solertiore, & astutiore. *P H.* Diligenter id studendum. *G E.* Nunc tu prior patrum Demiphonem aggredere, ego in infidiis hic subsidebo suppetias laturus, si viri deficient. *P H.* Eia, age.

ANNOTATIONES.

23. Quid si affimulo? Hic Antipho actione conatur simulare se non esse timidum, sed praesenti animo.

ACTUS I. SCENA V.

DEMIPHO. GETA. PHÆDRIA.

- DE. **I** Tane tandem uxorem duxit Antipho injussu meo?
Nec meum imperium, ac, mitto imperium, non simultatem
meam
Revereri saltem? non pudere? facinus audax! Geta
Monitor! GE. vix tandem. DE. quid mihi dicent? aut quam cau-
sam reperient?
5 Demiror. GE. atqui repperi jam. aliud cura. DE. an hoc dicent
mihi?
Invitus fecit: lex coëgit? audio, fateor. GE. placet.
DE. Verum scientem, tacitum causam tradere adversariis,
Etiamne id facere lex coëgit? PH. illud durum. GE. ego expe-
diam: sine.
DE. Incertum est, quid agam, quia præter spem, atque incre-
dibile hoc mihi obtigit.
10 Ita sum irritatus, animum ut nequeam ad cogitandum instituire.
Quamobrem omnes, cum secunda res sunt maxime, tum maxime
Meditari secum oportet, quo pacto adversam arumnam ferant.
Pericla, damna, exilia peregre rediens semper cogitet,
Aut filii peccatum, aut uxoris mortem, aut morbum filiae:
15 Communia esse hæc, fieri posse: ut ne quid animo sit novum:
Quidquid præter spem eveniat, omne id deputare esse in lucro.

INTERPRETATIO.

DE. **I** Tane Antipho tandem nuptias
contraxit, me non jubente? nec
potestatem patriam, sed tacito hanc po-
testatem, nec saltem indignationem meam
subire dubitavit? pudore non affici?
Geta inceptum, & factum temerarium?
Geta præceptor, & auctor? GE. Pene
mei oblitus est, sed tandem meminit.
Quid mihi dicent? aut quam excusatio-
nem prætexere poterunt, si se purgare
conati fuerint? dubito valde, quid
acturi sint. GE. Atqui jam inveni: ne-
sis de his sollicitus. DE. Anne hoc mihi
responsuri sunt: non ultra, sed nolens
feci, lex ad id me adigit? intelligo, &
assentior. GE. Gratum est mihi, quod
dicis. DE. Verum volentem, nec con-
tradicientem, causa victoriam concedere
adversariis; idne quoque lex facere coë-
git? PH. Illud difficile, & molestum.

GE. Ego explicabo, & planum reddam,
quiesce. DE. Dubium est mihi, quid
facere debeam: quia contra expecta-
tionem, & opinionem meam hoc mihi
accidit. Ira ira turbatus sum, ut ne-
queam mentem ad deliberandum appel-
lere: quapropter cum prospera fortu-
na nobiscum versatur maxime, tum
maxime unumquemque nostrum con-
siderare oportet, quomodo adversaria-
tos, & miseras ingruentes toleret.
Cum ex peregrinatione redit, pericu-
la, damna, exilia semper in mente ha-
beat, aut filii facinus aliquod indi-
gnum, aut uxoris mortuam esse, aut
filiam in morbum invidiosam: hæc com-
munia esse omnibus, posse accidere; ut
na quid horum tamquam novum, ac in-
solitum enim occupet: quidquid præter
expectationem eveniet, id apponat lucro.

- GE. O Phædria, incredibile est, quanto herum ante eo sapientia.
Meditata mihi sunt omnia mea incommoda: herus si redierit,
Molendum usque in pistrino: vapulandum: habendæ compedes:
20 Opus ruri faciendum: horum nil quidquam accidet animo no-
vom.
Quidquid præter spem eveniet, omne id deputabo esse in lucro.
Sed quid hominem cessas adire, & blandè in principio alloqui?
DE. Mei fratris video filium ire mihi obviam.
PH. Mi patruæ, salve. DE. salve: sed ubi est Antipho?
25 PH. Salvom advenire. DE. credo: hoc responde mihi.
PH. Valet: hic est. sed fatin' omnia ex sententia?
DE. Vellem quidem. PH. quid istuc? DE. rogitas, Phædria?
Bonas me absente hîc confecistis nuptias.
PH. Eho, an id succenses nunc illi? GE. artificem probum!
30 DE. Egone illi non succensem? ipsum gestio
Dari mi in conspectum. nunc sua culpa ut sciat
Lenem patrem illum factum me esse acerrimum.
PH. Atqui nil fecit, patruæ, quod succenses.
DE. Ecce autem similia omnia: omnes congruunt:
35 Unum cognoris, omnes noris. PH. haud ita est.
DE. Hic in noxa est, ille ad defendendam causam adest.
Cum ille est, hic præsto est: tradunt operas mutuas.
GE. Probe eorum facta imprudens depinxit senex.
DE. Nam ni hæc ita essent, cum illo haud stares Phædria.

INTERPRETATIO.

GE. O Phædria, credi non potest,
quanto herum antecedo prudentia: om-
nia mea mala animo prævisa sunt,
cum herus reversus domum fuerit, ver-
sanda assidue mola in pistrino, virga
aut fustes ad vapulandum subeundi,
compedibus crura constringenda, ruri
operi enixe incumbendum. Nihil quid-
quam horum animo improvisum contin-
get mihi: quidquid præter expectationem
eveniet, id apponat lucro. Verum,
Phædria, quid cunctaris ad Demipho-
nem accedere, & blandis verbis in pri-
mo congressu eum compellare. DE. Vi-
deo Phædriam fratris mei Chremetis fi-
lium mihi occurrentem. PH. Mi pa-
træ, salve. DE. Salvus sis, Phædria:
sed ubi est Antipho? PH. Salvum te
advenire gaudeo. DE. Credo: hoc res-
ponde mihi quod quæro. PH. Bene va-
let: hic est. Sed satisne omnia, ut vis,

ibi evenerunt? DE. Vellem certe. PH.
Quid mali contigit? DE. Quærisne,
Phædria? egregias verò hîc nuptias ce-
lebravistis. PH. Eho, an ea de causa
nunc iratus es illi? GE. O solertem ar-
tificem! DE. Egone illi non sim iratus?
ipsum vehementer cupio sisti coram me,
ut cognoscat me ipsi ex illo antea cle-
mente & mihi patre, mutatum esse nunc
suo merito in asperum. PH. Verum-
tamen nihil fecit, quod ad iram te pro-
vocare debeat. DE. Ecce quam simi-
les omnes unanimiter consentiunt: si
unum cognoveris, omnes noveris.
PH. Non ita res se habet. DE. Hic
noxius est, ille ad defendendam noxam
paratus adest: operas invicem sibi com-
modatò dant. GE. Expresse horum fa-
cta insciens descripsit senex. DE. Nam
si hæc non ita se haberent, non sta-
res à partibus Antiphonis, Phædria.

- 40 *PH.* Si est, patruē, culpam ut Antipho in se admiserit,
Ex qua re minus rei foret aut famæ temperans,
Non causam dico, quin, quod meritus sit, ferat:
Sed si quis forte malitia fretus sua,
Insidias nostræ fecit adolescentiæ,
45 Ac vicit; nostran' culpa ea est, an iudicium,
Qui sæpe propter invidiam adimunt diviti,
Aut propter misericordiam addunt pauperi?
GE. Ni nossem causam, crederem vera hunc loqui.
DE. An quisquam iudex est, qui possit noscere
50 Tua iusta, ubi tute verbum non respondeas,
Ita ut ille fecit? *PH.* functus adolescentuli est
Officium liberalis. postquam ad iudices
Ventum est, non potuit cogitata proloqui:
Ita eum tum timidum ibi obstupescit pudor.
60 *GE.* Laudo hunc: sed cesso adire quamprimum senem?
Here, salve; salvom te advenisse gaudeo. *DE.* oh!
Bone custos, salve; columen verò familiæ,
Cui commendavi filium hinc abiens meum.
GE. Jamdudum te omnes nos accusare audio,
65 Immeritò, & me omnium horum immeritissimo.
Nam quid me in hac re facere voluisti tibi?
Seruum hominem causam orare leges non sinunt:
Neque testimonij dictio est. *DE.* mitto omnia, addo
Istuc: imprudens timuit adolescens, sino:

I N T E R P R E T A T I O.

PH. Si verum est, patruē, Antipho-
nem in se peccasse, ex quo rei familia-
ri damnum aut fama nominis detri-
mentum attulerit; non deprecor, quin
pœnam qua dignus sit ferat. Sed si
forte aliquis calumniator versutiâ &
fraude innexus suâ, insidiatus est atati
infrma nostra adolescentia, & secun-
dum se iudicium obtinuit, utrum cul-
pa nobis tribuenda est, an iudicibus,
qui sæpe odio & invidia impulsî, jus
suum detrahunt locupleti, aut miseri-
cordia moti plus æquo attribuunt inopi?
GE. Nisi statum causæ scirem, vera
esse qua narravit mihi persuaderet.
DE. Quotusquisque iudex est qui
sæpe jus tuum possit, ubi tu ipse ne uno
quidem verbo te defendas, ita ut An-
tipho fecit? *PH.* Officium adolescentis in-
geui fecit. Postquam in iudicio stetit,

qua præmeditatus fuerat ad defenso-
nem, recitare non potuit: ita eum tum
meticulosum verecundia sensu & motu
privavit. *GE.* Laude dignus orator est
Phædria, sed nimis tardo quampri-
mum senem Demiphonem salutare. Here
salvus sis: incolumem te ad nos rediisse
lato. *DE.* Ho! egregie custos, & re-
ctor adolescentum: familia vero susten-
taculum, cujus fidei proficiens commen-
davi filium meum. *GE.* Iamdiu ac-
cusationes tuas in nos omnes audio in-
justas in immeritos, atque in me ma-
xime omnium immeritissimo: nam
quid me in hac causa prestare voluisti
tibi? seruo homini causas agere leges
non permittunt, neque testimonium per-
hibere. *DE.* Prætereo cetera; insuper
imprudens ætatis in sermone hæsit ti-
mens adolescentulus Antipho: esto,

- 70 Tu servus. verum si cognata est maxime,
Non fuit necesse habere; sed, id quod lex jubet,
Dotem daretis; quæreret alium virum.
Qua ratione inopem potius ducebat domum?
GE. Non ratio, verum argentum deerat. *DE.* sumeret
75 Alicunde. *GE.* alicunde? nihil est dicto facilius.
DE. Postremo, si nullo alio pacto, fœnore.
GE. Hui! dixti pulcre, si quidem quisquam crederet
Te vivo. *DE.* non sic futurum est, non potest.
Egone illam cum illo ut patiar nuptam unum diem?
80 Nil suave meritum est. hominem commonstrarier
Mihî istum volo, aut, ubi habitet, demonstrarier.
GE. Nempe Phormionem? *DE.* istum patronum mulieris.
GE. Jam faxo hîc aderit. *DE.* Antipho ubi nunc est? *PH.* foris.
DE. Abi, Phædria, eum require, atque adduce huc. *PH.* eo
85 Recta via quidem illuc. *GE.* nempe ad Pamphilam. *DE.* at ego
Deos penateis hinc salutatum domum
Divortor: inde ibo ad forum, atque aliquot mihi
Amicos advocabo, ad hanc rem qui adsient,
Ut ne imparatus sim, si adveniat Phormio.

I N T E R P R E T A T I O.

tu servus testis produci in iudicium non
potuisti: verum si proxima est cognata,
non tamen necesse fuit eam in uxorem
accipere: sed id quod lege constitutum est,
poteratis dotem ei dare, ut sibi alium
virum adungeret. Propter quam ratio-
nem potius egenam omnium rerum du-
cebat domum? *GE.* Non ratio deficie-
bat, sed argentum. *DE.* Poterat ab
aliquo mutuo sumere. *GE.* Ab aliquo?
nihil est dicto facilius. *DE.* Tandem,
si nullo alio modo sumi potuit, saltem
sub fœnore acciperet. *GE.* Hui! scire
locutus es, si quidem ullus, te vivo, fi-
lio pecuniam mutuam dare vellet. *DE.*
Non, non sic res se habebit: istud esse
non potest. Egone illam cum illo unum
diem nuptam manere sinam? nulla mer-

ces adeo suavis mihi esse potest ut id pa-
tiar: hominem presentem istum volo mi-
hi ostendi, quicum nobis res est, aut
indicari ejus domum. *GE.* Nempe Phor-
mionem? *DE.* Istum patronum mulie-
ris. *GE.* Iam illum accersam. *DE.* Vbi
nunc est Antipho? *PH.* Foris. *DE.*
Abi, Phædria, eum quare, atque huc
adduce. *PH.* Equidem illuc rectâ pro-
fiscor. *GE.* Nempe ad Pamphilam.
DE. At ego de via domum divertam, ut
Deos penates ob faustum reditum salu-
tem: inde ad forum me conferam, at-
que aliquot amicos, advocatos mihi ad-
jungam, qui mihi prestò sint in hac
causâ, ne imparatus sim ad disputan-
dum, si Phormio adveniat.



ACTUS SECUNDI SCENA I.

PHORMIO. GETA.

PH. Tane patris ais conspectum veritum hinc abjisse? GE. admodum.

PH. Phanium relictam solam? GE. sic. PH. & iratum senem? GE. Oppidò. PH. ad te summa solum, Phormio, rerum redit: Tute hoc intristi, tibi omne est exedendum: accingere.

GE. Obsecro te. PH. si rogabit. GE. in te spes est. PH. eccere, Quid si reddet? GE. tu impulisti. PH. sic opinor. GE. subveni. PH. Cedo senem: jam instructa sunt mihi in corde consilia omnia. GE. Quid ages? PH. quid vis? nisi uti maneat Phanium, atque ex crimine hoc

Antiphonem eripiam, atque in me omnem iram derivem senis:

GE. O vir fortis, atque amicus! verum hoc sæpe, Phormio, Vereor, ne istac fortitudo in nervum erumpat denique. PH. ah, Non ita est; factum est periculum: jam pedum visa est via. Quot me censes homines jam deverbasse usque ad necem

INTERPRETATIO.

PH. Verumne est quod ais, Antiphonem præ metu non ausum venire in conspectum patris hinc evasisse? GE. Verum est. PH. Phanium desertam solam remansisse? GE. Sic est. PH. Et Demiphonem ira commotum? GE. Admodum. PH. Ad te unum, Phormio, tota hæc res spectat: tute hanc intritam apparasti; tibi ergo ea merito jam comedenda est. GE. Oro te, Phormio, hanc rem expedi. PH. Si quaeret, unde Phanium sit cognata Antiphoni? GE. Omnis rei gerenda spes in te sita est. PH. Ecce responsum paratum habeo. Quid si se dicat redditurum puellam? GE. Tu nos ad has nuptias impulisti. PH. Sic arbitror persuadendum seni, ut cognatam esse credat. GE. Subsidium afferas. PH. Siste modo senem ad disceptandum jam præcepti animo, & commentus sum omnia argumenta. GE. Quid efficias? PH. Quid vis efficiam, nisi ut Phanium maneat cum Antiphone, nec expellatur; ut Antiphonem culpâ absolvam, atque in me omnem iram senis conferam. GE. O Phormio; quam vir fortis, atque amicus es! verum sæpe metu ne tanta audacia nobis exitium afferat, ita ut in vincula conjiciamur. PH. Ah, non fiet. Experimentum jam feci, vestigia quibus insistam nota sunt. Quot jam me putas homines cecidisse usque ad mortem,

ANNOTATIONES.

4. Tute hoc intristi.] Proverbium est aptum Phormioni Parasito. Intrita Donato est moretum, genus libi ex farina, lacte, vino, caseo, atque herbis confectum, ab interendo, quod hæc in mortario terantur. Dicitur proverbialiter, hoc sensu: per te hoc factum est; quidquid ergo hinc evenit, in te redundabit.

Hospites? tum cives? quo magis novi, tanto sapius.

15 Cedo dum, en unquam injuriarum audisti mi scriptam dicam?

GE. Qui istuc? PH. quia non rete accipitri tenditur, neque milvio,

Qui male faciunt nobis: illis qui nil faciunt tenditur:

Quia enim in illis fructus est; in illis opera luditur.

Aliis aliunde est periculum; unde aliquid abradi potest:

20 Mihi sciunt nihil esse. dices, ducent damnatum domum.

Alere nolunt hominem edacem: & sapiunt, mea quidem sententia,

Pro maleficio si beneficium summum nolunt reddere.

GE. Non pote sati pro merito ab illo tibi referri gratia.

PH. Imo enim nemo sati pro merito gratiam Regi refert.

25 Tene asymbolum venire, unctum atque lautum à balneis,

Otiosum ab animo; cum ille & cura, & sumptis absumatur,

Dum tibi sit, quod placeat, ille ringitur, tu rideas;

Prior bibas, prior decumbas: cœna dubia apponitur?

GE. Quid istuc verbi est? PH. ubi tu dubites, quid sumas potissimum.

30 Hæc, quum rationem ineas quam sint suavia, & quam cara sint;

INTERPRETATIO.

hospites, cives? quò magis experiemur eductus sum, ed' sapius id feci. Dic mihi, quæso, an unquam audivisti injuriarum nomine me in jus vocatum esse? GE. Quamobrem? PH. Quia reus non tenduntur accipitri & milvio, qui nobis nocere solent: tenduntur vero illis avibus qua nobis non nocent. Illa si capiuntur, in cibum prosunt: in illis nulla posita est utilitas. Sic aliud alijs: à quibus aliquid extorqueri potest, insit periculum: ab mihi sciunt nihil esse rei propter quam insidientur. Atenim dices mihi, damnatum te, & additum sibi à iudicibus in domum suam trahent, ut ipsis in vinculis servias: at sciunt me edacem, idcirco alere nolunt, ut jubentur lege: & quidem sapienter faciunt, ut mihi videtur, si benefacere mihi nolunt, qui ipsis malefeci. GE. Antipho nulla ex parte referendo gratiam, tuis in eum meritis satisfacere potest. PH. Contra ego sentio; nemo Regis beneficia ullis officijs paribus equare valet. Quid comoditas & gratius esse potest, quam sine sumptu, sine symbolo ad cœnam venire; nihil solvere, unguentis odoratis delibutum, atque è balneis lotum, & nitidum, animo & curis libero, atque libarum; cum ille sollicitudine, impensis pecuniarum consumitur, dum tibi apparat deliciofa & jucunda; ille tacitus stomachatur, ut tu delicias, prior bibas, prior mensa accumbas: cœna dubia apponitur. GE. Quale istud verbum est? PH. Quæ tot varijs epulis instructa est, ut incertum tibi sit quas eligas maxime. Hæc cum serio tecum reputes.

ANNOTATIONES.

24. Gratiam Regi refert.] Regem suum Parasiti appellabant eum, à quoalebantur.

Ea qui præbet, non tu hunchabeas plane præsentem Deum?
GE. Senex adest, vide quid agas. prima coitio est accerrima:
 Si eam sustinueris, post illa jam, ut lubet, ludas licet.

INTERPRETATIO.

non tunc arbitreris omnino Deum faventem & propitium, qui hac tribuit?
GE. Ecce tibi senex, vide quid acturus sis. Primus conflictus est vehemens valde: si hunc patiaris, post illa, reliquum, ludicra tantum erit exercitio.

ANNOTATIONES.

31. *Præsentem Deum.*] Quia Deus omnium bonorum auctor est. Præfens est propitius, favens, beneficus, quia qui præfens est cum invocatur nobis citius auxiliatur quam qui absens est. Virgilius Ecloga 1.
Quid facerem? neque servitio exire licebat.
Nec tam præsentem alibi cognoscere divos.
 32. *Prima coitio est accerrima.*] Translatio est à prælio. Nam & congregari & coire dicuntur. Prima coitio, le premier choc: cum prælium committitur.

ACTUS II. SCENA II.

DEMIPHO. GETA. PHORMIO.

DE. EN unquam cuiquam contumeliosus
 Audistis factam injuriam, quam hæc est mihi?
 Adeste quæso. *GE.* iratus est. *PH.* quin tu hoc age, st.
 Jam ego hunc agitabo. prò Deum immortalium!
 5 *Negat Phanium esse hanc sibi cognatam Demipho?*
 Hanc Demipho negat esse cognatam? *GE.* negat.
DE. Ipsum esse opinor, de quo agebam. sequimini.
PH. Neque ejus patrem se scire qui fuerit? *GE.* negat.
PH. Nec Stilphonem ipsum scire qui fuerit? *GE.* negat.
 10 *PH.* Quia egens relicta est misera, ignorantur parens,
 Negligitur ipsa; vide avaritia quid facit.

INTERPRETATIO.

DE. EN unquam vidistis ullum hominem, majori injuria affectum fuisse, quam ego nunc sum? juvenate quæso. *GE.* Ira impulsus est. *PH.* Quin taces, st. Jam ego hunc accerrime commovebo. Proh Deum immortalium fidem! negat Phanium esse hanc sibi cognatam Demipho? hanc Demipho negat esse cognatam? *GE.* Negat: seque nescire ait qui fuerit ejus pater. *GE.* Negat se scire? *DE.* Hunc hominem esse arbitror, de quo sermo mihi erat: sequimini. *PH.* Negat quod se Stilphonem ipsum cognovisse? *GE.* Negat. *PH.* Quia virgo misera, inopem relicta est, pater ejus ignorari fingitur, contemnitur ipsa: vide quid non cogit homines avaritia facere. *GE.* Si

GE. Si herum insimulabis avaritiæ, male audies.
DE. O audaciam! etiamne ultro accusatum advenit?
PH. Nam jam adolescenti nihil est quod succenseam,
 15 Si illum minus norat. quippe homo jam grandior,
 Pauper, cui opera vita erat, ruri fere
 Se continebat: ibi agrum de nostro patre
 Colendum habebat. sæpe interea mihi senex
 Narrabat, se hunc negligere cognatum suum.
 20 At quem virum? quem ego viderim in vita optimum.
GE. Videas te, atque illum, ut narras. *PH.* abi in malam crucem:
 Nam ni ita eum existumasset, nunquam tam graveis
 Ob hanc inimicitias caperem in vestram familiam,
 Quam is aspernatur nunc tam illiberaliter.
 25 *GE.* Pergin' hero absenti male loqui, impurissime?
PH. Dignum autem hoc ille est. *GE.* ain' tandem, carcer?
DE. Geta.
GE. Bonorum extortor, legum contortor. *DE.* Geta.
PH. Responde. *GE.* quis homo est? ehem. *DE.* tace. *GE.* absenti tibi
 Te indignas, seque dignas contumelias
 30 Nunquam cessavit dicere hodie. *DE.* ohe, desine.
 Adolescens, primum abs te hoc bona venia peto,
 Si tibi placere potis est, mihi ut respondeas:
 Quem amicum tuum ais fuisse istum? explana mihi,

INTERPRETATIO.

GE. Si herum falsò inculpabis avaritiæ, calumniator, & falsiloquus astimaberis. *DE.* O confidentiam ingentem! etiam consilio me accusaturus huc venit? *PH.* Nam jam nullam causam habeo cur irascar adolescenti Antiphoni, si Stilphonem Phaniæ patrem parum cognoverit, quoniam jam ille ætate grandior erat, quam ut Antiphoni sat notus esse posset; pauper, qui labore rustico, atque opera victum quærebat, ruri pene semper habitabat, ibi agrum à nostro patre conductum arabat: sæpe interea mihi senex ille referebat, hunc Demiphonem cognatum suum ipsum despiciere ac spernere: at quem virum! omnium quos viderim, vita, & moribus optimum. *GE.* Hæc quæ de te & illo narras, tibi fiat cura; quid ad nos? *PH.* Abi in malam crucem: nam nisi talem eum sensissem esse, nunquam tam molestas inimicitias contra familiam vestram, quam is Demipho nunc tam vili facit, suscepissem. *GE.* Perseverasne hero Demiphoni absenti male dicere, selestissime? *PH.* His maledictis ille dignus est. *GE.* Aisne illum his dignum esse maledictis, o homo, carcere perpetuo dignissime? bonorum raptor, legum perturbator, & corruptor. *DE.* Geta. *PH.* Responde. *GE.* Qui me vocat? ehem. *DE.* Sile. *GE.* Hic homo non desivit hodie absenti tibi convitia te indigna, ipso vero nebulone digna contumeliose facere. *DE.* Ohe, jam satis est, loqui desine. Geta. Adolescens, primum hoc abs te, pace tua postulo, si tibi gratum esse potest, mihi ut respondeas: in dica mihi, quis fuit homo ille, quem ais amicum tibi fuisse: manifesta hoc mihi.

- Et qui cognatum me sibi esse diceret ?
 35 *P. H.* Proinde expiscare , quasi non nosses. *D. E.* nosses ? *P. H.* ita ,
D. E. Ego me nego : tu , qui ais , redige ad memoriam.
P. H. Eho ! tu sobrinum tuum non noras ? *D. E.* enecas :
 Dic nomen. *P. H.* nomen ? maxume. *D. E.* quid nunc taces ?
P. H. Perij hercle , nomen perdidit. *D. E.* hem , quid ais ? *P. H.* Geta ,
 40 Si meministi id quod olim dictum est , subjice. hem ,
 Non dico : quasi non noris , tentatum advenis.
D. E. Egon' autem tento ? *G. E.* Stilpho. *P. H.* atque adeo , quid
 mea ?
 Stilpho est. *D. E.* quem dixi ? *P. H.* Stilphonem , inquam , noveras ?
D. E. Neque ego illum noram , neque mihi cognatus fuit
 45 Quisquam isto nomine. *P. H.* itane ? non te horum pudet ?
 At si talentum rem reliquisset decem ,
D. E. Dij tibi male faciant. *P. H.* primus esses memoriter
 Progeniem vestram usque ab avo atque atavo proferens.
D. E. Ita ut dicis. ego tum si advenissem , qui mihi
 50 Cognata ea esset , dicerem ; itidem tu face.
 Cedo , qui est cognata ? *G. E.* heus noster , rectè : heus tu cave ,
P. H. Dilucide expedi vi , quibus me oportuit
 Judicibus. tum , id si falsum fuerat , filius
 Cur non refellit ? *D. E.* filium narras mihi ?

I N T E R P R E T A T I O .

Et qui me sibi cognatione junctum esse diceret. *P. H.* Perinde percontaris de cognato illo tuo , quasi eum non novisses. *D. E.* Ego novissem ? *P. H.* Etiam *D. E.* Ego me nego illum cognovisse : tu qui dicis. Et asseris , in memoriam revoca. *P. H.* Eho , sobrinum tuum non cognoscebas ? *D. E.* Quam gravis et molestus es ! dic nomen. *P. H.* Nomen ? ita. *D. E.* Quid nunc taces ? *P. H.* Occidi : nomen excidit è memoria. *D. E.* Hem ! quid dicis ? *P. H.* Geta , si nomen quod modo referebam memoriâ tenes , suggere. Hem ! non dicam nomen quod quaris. Huc venisti me circumventum , simulans te ignorare. *D. E.* Egone autem te circumvenio ? *G. E.* Stilpho nomen est , quod queritur. *P. H.* At quid mea interest ? *D. E.* Stilpho est. *D. E.* Quomodo dixisti ? *P. H.* Stilpho , inquam , nonne eum cognoscebas ? *D. E.* Neque mihi notus erat , neque ullus fuit ex meis cognatis nominatus. *P. H.* Itane ? non te hac negare pudet ? at si moriens reliquisset bona , decem talentis aestimata ? *D. E.* Dij te perdant. *P. H.* Primus omnium memoriter omne genus vestrum , omnem familiam vestram , usque ab avo , atque atavo recitares. *D. E.* Verum dicis. Ego tum si venissem , quomodo mihi cognatione junctâ esset puella illa exponerem ; tu nunc similiter facito ; dic quo gradu sit cognata. *G. E.* Euge , here no-ster , rectè dixisti. Heus tu cave tibi. *Phormio.* *P. H.* Clare explicavi iudicibus , qui de hac causa cognoscebant : tum si falsa dixi , cur filius tuus non refutavit ? *D. E.* Filium meum commemoras

A N N O T A T I O N E S .

37. Sobrinum tuum.] Sobrini sunt consobrinorum filij , les fils des cousins.

- 55 Cujus de stultitia dici , ut dignum est , non potest.
P. H. At tu , qui sapiens es , magistratus adi ,
 Judicium de eadem causa iterum ut reddant tibi :
 Quandoquidem solus regnas , & soli licet
 Hic de eadem causa bis iudicium adipiscier.
 60 *D. E.* Etsi facta mihi injuria est , veruntamen
 Potius quam lites secter , aut quam te audiam ,
 Itidem ut cognata si sit , id quod lex jubet
 Dotem dare , abduce hanc , minas quinque accipe.
P. H. Ha , ha , hæ , homo suavis ! *D. E.* quid est ? num iniquom
 postulo ?
 65 Anne hoc quidem ego adipiscar , quod jus publicum est ?
P. H. Itane tandem , quæso ? ubi abusu' sis ,
 Mercedem dare lex jubet ei , atque amittere ; an ,
 Ut ne quid turpe civis in se admitteret
 Propter egestatem , proxumo iussa est dari ,
 70 Ut cum uno ætatem degeret ? quod tu vetas.
D. E. Ita , proxumo quidem : at nos unde ? aut quam ob rem ?
P. H. ohe ,
 Actum , ajunt , ne agas. *D. E.* non agam ? imò haud desinam ,
 Donec perfecero hoc. *P. H.* ineptis. *D. E.* sine modò.
P. H. Postremo tecum nihil rei nobis , Demipho , est :
 75 Tuus est damnatus gnatus , non tu. nam tua

I N T E R P R E T A T I O .

qui stultior est , quàm dici possit. *P. H.* At tu , qui tibi plus alijs sapere videris , magistratus conveni , ut iterum de eadem causa agas , quandoquidem hic Athenis regnum solus vis possidere . Et soli concessum est , lite semel terminatâ , bis iure experiri. *D. E.* Quamvis ab ini-qua iudicium sententiâ injuriam acciperim , tamen potius quam litibus vacem , aut tecum contendam , cum lege constitutum sit cognata orba proximo ut nubat , vel si ille noluerit eam ducere uxorem , dotem prebeat , hanc abduce , & quinque minas accipe. *P. H.* Ha , ha , hæ , homo jucundus es , & festivus. *D. E.* Quid tibi est ? anne hoc quidem obtinebo , ut iure , quod publicum est , mihi uti liceat ? *P. H.* Quid ? cedo , lexne im- perat , ubi virginem ingenuam violaveris , & cum ea consuetudinem habueris quasi cum meretrice , ei pecuniam pro merito quaestu dare , atque eam sic dimittere ? an non potius jubet , proximo eam in uxorem dari , ut ne civis Atrica probrum aliquod in se committeret inopiâ coacta , utque cum unico viro vitam transigeret ? quod tu prohibes. *D. E.* Ita lex jubet quidem , eam proximo dari in uxorem : at nos unde proximo ei sumus , aut qua ratione ? *P. H.* Ohè , ne quod semel actum est , ut vulgo dici solet , iterum agas. *D. E.* Non agam ? imò , non desistam , donec felicem finem huic rei imposuero. *P. H.* Deliras. *D. E.* Sine modò me facere. *P. H.* Postremo nihil rei nobis est tecum. Demipho : tuus filius , non tu. condemnatus est : nam

A N N O T A T I O N E S .

58. Solus regnas.] Id est , regnare vis , stare iudicium sententiis recusas.

- Præterierat jam ad ducendum ætas. *DE.* omnia hæc
illum putato, quæ ego nunc dico, dicere:
Aut quidem cum uxore hac ipsum prohibebo domo.
GE. Iratus est. *PH.* tute idem melius feceris.
- 80 *DE.* Itane es paratus facere me adversum omnia,
Infelix? *PH.* metuit nos, tametsi sedulo
Diffimulat. *GE.* bene habent tibi principia. *PH.* quin quod est
Ferendum fers? tuis dignum factis feceris,
Ut amici inter nos simus. *DE.* egon' tuam expetam
- 85 Amicitiam; aut te visum, aut auditum velim?
PH. Si concordabis cum illa, habebis quæ tuam
Senectutem oblectet: respice ætatem tuam.
DE. Te oblectet: tibi habe. *PH.* minue vero iram. *DE.* hoc age:
Satis jam verborum est, nisi tu properas mulierem
- 90 Abducere, ego illam ejiciam: dixi, Phormio,
PH. Si tu illam attigeris, secus quam dignum est liberam,
Dicam impingam tibi grandem: dixi, Demipho.
Si quid opus fuerit, heus, domo me. *GE.* intelligo.

INTERPRETATIO.

senior jam eras, quam ut uxorem duceres. *DE.* Omnia hæc quæ dico, puta tibi ab Antiphone filio dici, aut si dissentiet, hæc quidem cum uxore ipsum adibus meis submovebo. *GE.* Ira commotus hæc dicit. *PH.* Tu ipse meliora facies quam qua minaris. *DE.* Itane ex industria te comparasti, ut mihi molestias omnes exhiberes, improbe? *PH.* Hic Demipho timet nos, licet aliud præ se ferat. *GE.* Hæc initia feliciter succedunt tibi. *PH.* Quin potius istud æquo animo feras, quod necessarium tibi ferendum est: sic rem prudentia tua dignam feceris, ut ab hac lite amici discedamus.

DE. Egone tuam amicitiam affectem, aut te aspicere, aut audire digner? *PH.* Si cum ea concorditer agas, multa delectamenta senili tuæ ætati afferet. Considera, quæso, annos tuos. *DE.* Te ipsam potius delectet: tibi eam posside. *PH.* Moderare, quæso, iracundiam. *DE.* Tandem nihil opus est pluribus verbis. Nisi illic hanc Phanium abducas, ego illam expellam: dixi, Phormio. *PH.* Si tu illam aliter, quam ingenuam, & civem attigeris tantummodo, actionem contra te gravem intendam: dixi, Demipho. Si quod opus me habueris, domo me continebo. *GE.* Intelligo.

ANNOTATIONES.

81. Metuit nos.] Tacite hæc Phormio Getæ dicit.
90. Dixi.] Hoc verbo utebantur perorata causa: sed hic minantis est; hanc comminationem, & ferocitatem, Demiphonis, imitatus est eodem verbo Phormio.



ACTUS II. SCENA III.

DEMIPHO. GETA. HEGIO. CRATINVS.]

CRITO.

- DE.* QUanta me cura & sollicitudine afficit
Gnatus, qui me & se hisce impedivit nuptiis!
Neque mi in conspectum prodit; ut saltem sciam
Quid de hac re dicat, quidve sit sententiæ.
9 Abi tu, vise, redieritne jam, an nondum, domum.
GE. Eo. *DE.* videtis quo in loco res hæc fiet.
Quid ago? dic, Hegio. *HE.* ego? Cratinum censeo,
Si tibi videtur. *DE.* dic, Cratine. *CRA.* mene vis?
DE. Te. *CRA.* ego, quæ in rem tuam sint, ea velim facias, mihi
- 10 Sic hoc videtur: quod te absente hic filius
Egit, restitui in integrum æquom est, & bonum:
Et id impetrabis. dixi. *DE.* dic nunc, Hegio.
HE. Ego sedulo hunc dixisse credo. verum ita est;
Quot homines, tot sententiæ: suus cuique mos:
15 Mihi non videtur, quod sit factum legibus,
Rescindi posse: & turpe inceptum est. *DE.* dic, Crito.

INTERPRETATIO.

DE. QUanta me inquietudine animi, & anxietate filius meus me agitat, qui me & se his implicuit nuptiis, neque in conspectum meum venit, ut saltem ab eo discam, quid de hac re dicat, quidve sentiat. Abi tu, Geta: vise redieritne, an nondum domum. *GE.* Eo visum. *DE.* Videtis, in quo statu hæc res sita sit. Quid mihi agendum est? Hegio, quid censes? *HE.* Ego censeo Cratinum prius sententiam dicere debere, si tibi videtur. *DE.* Dic, Cratine. *CRA.* Mene vis loqui? *DE.* Te volo, *CRA.* Ego qua tuis rationibus conducant, ea cupio, ut agas. Sic ego censeo, ea qua absentia tua tempore, filius tuus fecit, in integrum restitui posse & debere, & id à magistratu obtinebis. Dixi. *DE.* Dic nunc, Hegio. *HE.* Ego Cratinum ex animi sententia dixisse puto: verum ita est, quod vulgò aiunt, quot homines, tot sententiæ. Sua cuique opinio singularis est. Ego non opinor quæ legibus decreta sunt, tolli posse, nec honestum esse id tentare. *DE.* Dic, Crito.

ANNOTATIONES.

11. Restitui in integrum.] Prætor hominibus lapsis, vel circumscriptis subveniebat; si quis metu, vel fraude sine ætate, sive absentia, in captio-
- nem, & damnum incideret: nam quæ facta erant, rescindebantur. Restituere in integrum, Gallice relever.

CRI. Ego amplius deliberandum censeo.

Res magna est. *HE.* nunquid nos vis? *DE.* fecistis probe?

Incertior sum multo, quam dudum. *GE.* negant

20 Rediisse. *DE.* frater est expectandus mihi: is

Quod mihi dederit de hac re consilium, id sequar.

Percontatum ibo ad portum, quoad se recipiat.

GE. At ego Antiphonem quæram, ut, quæ acta hîc sint, sciat.

Sed eccum ipsum video in tempore huc se recipere?

INTERPRETATIO.

CRI. Mihi videtur de ea re diutius consultandum esse. Res magna est. Numquid est aliud, quod nos velis, priusquam abimus? *DE.* Fecistis probe officium: multo magis in incerto sum positus, quam paulo ante fui. *GE.* Domestici negant Antiphonem rediisse. *DE.*

Fratrem Chremetem operiri me oportet quod mihi consilium ab eo dabitur, id sequar. Perquisitum eo apud portum, quo tempore rediturus sit. *GE.* At ego Antiphonem investigabo, ut qua acta sunt à me audiat. Sed ecce, eum ipsum vi-
deo opportune hîc se conferre.

ANNOTATIONES.

17. *Amplius deliberandum censeo.* Ampliare, est protrahere, differre, hæc vox etiam ad judicia pertinebat: ut cum reus ampliari dicitur, quod tum fiebat, cum causa iudicibus non satis erat probata: nam apud Romanos si causa obscurior esset, amplius pronunciabatur à iudicibus, qui duabus his literis N. L. (id est Non liquet) significabant sibi non liquere, quid sta-

tuendum esset, causamque denuò esse dicendam. Ad ampliationem hæc verba textus alludunt.

18. *Nunquid nos vis?* Abiturientium est formula quasi dicat, Numquid aliud est, quod nos velis, priusquam abimus?

20. *Quoad se recipiat.* Id est, quando rediturus sit. Sic supra: finem quo ad expectatis vestrum?

ACTUS TERTII SCENAE I.

ANTIPHO. GETA.

AN. **E**Nimverò, Antipho, multis modis cum istoc animo vituperandus es.

Itane te hinc abiisse, & vitam turandam dedisse aliis tuam?

Alios tuam rem credidisti, quam tete, animadversuros magis?

Nam, utur erant alia, illi certe consuleres, quæ nunc tibi domi est,

INTERPRETATIO.

AN. **C**erte Antipho multis rationibus cum isto animo timido culpandus es. Itane hinc discessisti, & salutem tuam alijs defendendam tradidisti? alio-

ne tuam rem de qua nunc agitur, putavisti melius perspecturos? nam cetera quæliacumque essent, Phanio, ei que nunc intrus est adibus, prospicere sane debuisti;

Ne quid propter tuam fidem decepta pateretur mali:
Cujus nunc miseræ spes opesque sunt in te uno omnes sitæ.

GE. Equidem, here, nos jamdudum hîc te absentem incusamus, qui abieris.

AN. Te ipsum quærebam. *GE.* sed ea causa nihilo magis defecimus.

AN. Loquere, obsecro, quonam in loco sunt res & fortunæ meæ?

10 Nunquid patri subolet? *GE.* Nil etiam. *AN.* ecquid spei porro est? *GE.* nescio. *AN.* ah.

GE. Nisi Phædria haud cessavit pro te eniti. *AN.* nihil fecit novi.

GE. Tum Phormio itidem in hac re, ut in alijs, strenuum hominem præbuit.

AN. Quid is fecit? *GE.* confutavit verbis admodum iratum senem.

AN. Heu Phormio. *GE.* ego, quod potui porro. *AN.* mi Geta, omnes vos amo.

GE. Sic sese habent principia, ut dico. adhuc tranquilla res est: Mansurusque patruum pater est, dum huc adveniat. *AN.* quid eum? *GE.* ajebat,

De ejus consilio velle sese facere, quod ad rem attinet.

AN. Quantus metus est mihi, venire huc salvom nunc patruum, Geta.

INTERPRETATIO.

ne quid, idèò quod fidei tua se credidit, mali acciperet, cujus nunc infelicis bona spesque à te uno pendent. *GE.* Profecto, here, nos jam pridem te, quod hinc aberas vituperavimus. *AN.* te ipsum quærebam. *GE.* Sed propter absentiam tuam nihilo magis animum remisimus. *AN.* Dic mihi, quaeso, in quem locum devenerunt res, & sortes meæ? Nunquid pater suspicatur me coluisse cum Phormione, & ex compacto ei cessisse victoriam causa? *GE.* Nihil etiam. *AN.* Ecquid spei ulterius est? *GE.* Nescio: nisi quod Phædria non desit enixe res tuas curare. *AN.* Nihil fecit, nisi quod solet. *GE.* Tum etiam Phormio pariter in hac re ad nuptias

pertinente, fortem virum, & diligentem, ut in alijs rebus, se gessit. *AN.* Quid is fecit? *GE.* Convicit verbis Demiphonem tuum patrem vehementer iratum impulsit. *AN.* Euge, Phormio, perge facere ut cœpisti. *GE.* Ego porro autem, feci quod potui. *AN.* Mi Geta, omnes vos amo de tot officijs. Hoc modo principium res successit: res adhuc integra est, & tuta. Pater expectaturus est patruum, dum huc veniat. *AN.* Quare pater Chremetem patruum expectaturus est? *GE.* Quia, ut aiebat, vult se gerere in re ad matrimonium pertinente, prout ille suadebit. *AN.* Quantopere metua reditum patruum, ne salvus ad suos redeat?

ANNOTATIONES.

1. *Nisi Phædria.* Linacex Græcismum esse ait, nisi pro sed.

Nam, ut audio, per unam ejus aut vivam, aut moriar sententiam!
20 *GE.* Phædria tibi adest. *AN.* ubinam? *GE.* eccum ab sua palaestra exit foras.

INTERPRETATIO.

nam ex ejus sententia, ut audio, mihi te accedit, AN. Ubinam est? GE. Eccum mors aut vita veniet, GE. Phædria ad eum, à sua Palaestra prodit.

ANNOTATIONES.

20. *Eccum à sua palaestra.* Quod athleta in Palaestra, quæ est locus ubi Phædria in domo amicæ assidue ver-luctatores nudi, & oleo quondam per-
setur, quemadmodum pugil, aut fusi luctabantur.

ACTUS III. SCENA II.

PHÆDRIA. DORIO. ANTIPHO. GETA.

PH. Dorio, audi obsecro. *DO.* non audio. *PH.* parumper!
DO. quin omitte me.

PH. Audi quod dicam. *DO.* at enim tædet jam audire eadem millies.

PH. At nunc dicam, quod lubenter audias. *DO.* loquere, audio.

PH. Nequeo te exorare, ut maneat triduum hoc? quo nunc abis?

5 *DO.* Mirabar, si tu mihi quidquam afferres novi.

AN. Hei, metuo lenonem, ne quid suo suat capiti. *GE.* idem ego metuo.

PH. Non mihi credis? *DO.* hariolare. *PH.* sin fidem do.
DO. fabulæ.

PH. Fœneratum istuc beneficium tibi pulcre dices. *DO.* logi.

PH. Crede mihi, gaudebis factò: verum hercle hoc est. *DO.* somnia.

INTERPRETATIO.

PH. Dorio, audi, obtestor te. *DO.* Non audio. *PH.* Audi paulisper. *DO.* Quin, sine me ire. *PH.* Audi quod dicam. *DO.* At piget me eadem millies repetita audire. *PH.* At nunc dicam, quod tibi audienti jucundum sit. *DO.* Loquere, audio. *PH.* An non possum precibus à te impetrare, ut expectes hos tres dies? *DE.* Mirum erat, si tu mihi quidquam novi sermonis proponeres. *AN.* Hei, ve-
ror ne leno aliquid mali in caput suum arcessat. GE. Idem ego timeo. PH. Dorio, an non mihi fidem habes? DE. Recte conjectus me scilicet tibi eadem centies promittenti nequicquam credere. PH. Sin fidem obligo? DO. Mendacia. PH. Duplo fœnore compensatum istud tibi beneficium tute scieberis. DE. Mera verba sine re. PH. Crede mihi, lataberis te fecisse: per herculem, verum tibi dico. DE. Inania & falsa.

10. *PH.*

10 *PH.* Experire, non est longum. *DO.* cantilenam eandem canis.

PH. Tu mihi cognatus, tu parens, tu amicus. *DO.* garri modo.

PH. Adeon' ingenio esse te duro atque inexorabili,

Ut neque misericordia, neque precibus molliri queas?!

DO. Adeon' te esse incogitantem atque impudentem, Phædria,

15 Ut phaleratis dictis ducas me, & meam ductes gratiis?

AN. Miseritum est. *PH.* hei veris vincor. *GE.* quam similis uterque est sui!

PH. Neque, alia Antipho cum occupatus esset sollicitudine,

Tum esse hoc mihi objectum malum? *AN.* ah, quid istuc autem est, Phædria?

PH. O fortunatissime Antipho. *AN.* egone? *PH.* cui quod amas, domi est;

20 Nec cum hujus modi unquam usu venit ut conflictares malo.

AN. Mihin' domi'st: immo id quod ajunt, auribus teneo lupum:

Nam neque quo amittam, à me invenio, neque uti retineam, scio.

DO. Ipsum istuc mihi in hoc est. *AN.* eja, ne parum leno fies.

Nam quid hic confecit? *PH.* Hiccine? quod homo inhumanissimus,

25 Pamphilam meam vendidit. *GE.* quid? vendidit? *AN.* ain' vendidit?

PH. Vendidit. *DO.* quam indignum facinus, ancillam ære emptam suo.

PH. Nequeo exorare, ut me maneat, & illo cum ut mutet fidem,

INTERPRETATIO.

PH. Fac experimentum: id brevis est temporis, DO. Idem semper mihi repetis. PH. Tu mihi cognatus, tu pater, tu amicus. DO. Perge inepta garriendo nos enecare. AN. Adeone tu ingenio aspero, & implacabili sis, ut neque misericordia, neque precibus leniri, & flecti possis? DO. Adeone, Phædria sis inconsideratus, & inverecundus, ut ornatis & comptis verbis me decipere, & virginem, qua mea est, mihi capere gratis coneris. AN. Phædria miseret me. PH. Hei, vera sunt, qua dicunt, & his cedere cogor. GE. Quam uterque, Phædria, & Dorio, sunt similes sui! nam ut ille amator perditus est, ita hic avarus sordidus! PH. Atque illud quoque mihi gravissimum est, hoc malum mihi tum potissimum advenisse, cum Antipho, non dissimili cura, & molestia premeretur. At quid istud autem est,

Phædria? PH. O fortunatissime Antipho! AN. Egone? PH. Qui amicam duxisti, & uxorem domi possides; nec opus unquam fuit cum hujusmodi malo pugnare. AN. Mihi domi amicam possideo? quin imo, quod vulgò dicitur; auribus teneo lupum: nam neque quomodo eam à me dimittam reperio, neque ut mihi servare possim scio. DO. Similis res mihi contigit cum Phædria. AN. Cave ne parum te lenonem prestes. Quod vero negotium hic Dorio perfecit? PH. Hiccine quid gesserit, quaris? quod homo crudelissimus possit facere: amicam meam Pamphilam vendidit. GE. Quid? vendidit? AN. Itane? vendidit? PH. Vendidit. DO. Quam istud grande scelus est scilicet, Dorionem vendidisse servam quam pecunia sua acquisierit? PH. Non possum ab eo impetrare, ut hos tres dies, expectet me, & fidem

Q9

Triduum hoc, dum id, quod est promissum ab amicis, argentum aufero.

Si non tum dedero, unam præterea horam ne oppertus fies.

30 *DO.* Obtundis. *AN.* haud longum est quod orat, Dorio: exoret, sine:

Idem hic tibi, quod bene promeritus fueris, conduplicaverit.

DO. Verba istæc sunt. *AN.* Pamphilamne hac urbe privari sines?

Tum tu præterea horunc' amorem distrahi poterin' pati?

DO. Neque ego, neque tu. *GE.* *Dij tibi omnes id, quod es dignus, dunt.*

35 *DO.* Ego te complureis advorsum ingenium meum menses tuli Pollicitantem, & nil ferentem, flentem: nunc contra omnia hæc Repperi qui det, neque lacrumet. da locum melioribus.

AN. Certe hercle, ego fatis si commemini, tibi quidem est olim dies,

Quam ad dares huic, præstituta. *PH.* factum. *DO.* num ego istuc nego?

40 *AN.* Jamne ea præterit? *DO.* non, verum ei hæc antecessit, *AN.* non pudet

Vanitatis? *DO.* minime, dum ob rem. *GE.* sterquilinum, *PH.* Dorio,

Itane tandem facere oportet? *DO.* Sic sum: si placeo, utere.

INTERPRETATIO.

fallat discedens à venditione, dum pecunia mihi ab amicis numeretur. Si tum non dedero ne unum quidem horam spatium opperiatur præterea. *DO.* Dicendo toties eadem cerebrum excutit mihi. *AN.* Modicum tempus postulat, exaudiet eum. Dorio. Ipse hujus gratia te duplo remunerabit. *DO.* Hæc inania sunt promissa. *AN.* Num Pamphilam hac urbe exportari tam dure consentes? tum quoque horum amorem mutuum divelli pati poteris? *DO.* Neque ego, neque tu patiemur. *GE.* *Dij te perdant, ut meritus es.* *DO.* Phædria, ego te jam plurimos menses tolero, & expecto promittentem solum, & nihil pecunia afferentem, sed scilicet lachrymas effundentem: nunc a-

lium contra inveni multo dissimilem tui, qui scit dare, non vero promittere frustra, & flere. Cede illis qui plus possunt, quam tu. *AN.* Equidem, si ego satius recordor, diem certe desuivisti antehac, ad quam Pamphilam Phædria traderes. *PH.* Ita est. *DO.* Num ego infitior? *AN.* Præterlapsa est? *DO.* Non, sed hæc dies, quæ emptorem inveni, eam, quæ præfixa fuit, anticipavit representatione pecunia. *ANT.* Non pudore suffunderis de vanitate fidei & perfidia. *DO.* Minime: dummodo lucrum faciam. *GE.* Stercorum receptaculum. *PH.* Itane tandem agi decet? *DO.* Sic à natura comparatus sum, si gratus sum, me utere

ANNOTATIONES.

34. Neque ego, neque tu.] Irridens id ait Dorio. Hoc autem sibi vult: magnopere scilicet ego & tu afficiemur hac

amoris distractione, neque cam poterimus pati.

AN. Siccine hunc decipis? *DO.* imo enimvero, Antipho, hic me decipit:

Nam hic me hujusmodi sciebat esse: ego hunc esse aliter credidi.

45 *Iste me fefellit: ego isti nihilo sum aliter, ac fui.*

Sed utut hæc sunt, tamen hoc faciam: cras mane argentum mihi

Miles dare se dixit: si mihi prior tu attuleris, Phædria,

Mea lege utar, ut potior sit, qui prior ad dandum est. Vale.

INTERPRETATIO.

AN. Siccine hunc fallis? *DO.* Quin potius certe hic, Antipho, Phædria me fallit: nam ille hujusmodi ingenij me esse non ignorabat, hunc ego aliter factum esse putavi: itaque, iste me fefellit: ego vero eodem modo, ac antea erga eum me gero: sed utcumque

hac se habeant, hoc facere constitui: miles, cui Pamphilam vendidi, argentum se mihi eas daturum promisit: si tu, Phædria, prius quam ille, mihi dederis, jure meo utar: scilicet, potior ille mihi solet esse, qui prior ad dandum venit. Vale.

ACTUS III. SCENA III.

PHÆDRIA. ANTIPHO. GETA.

PH. Quid faciam? unde ego nunc tam subito huic argentum inveniam miser,

Cui minu' nihilo est? quod si hic pote fuisset nunc exorarier, Triduum hoc promissum fuerat. *AN.* itane hunc patiemur, Geta, Fieri miserum, qui me dudum, ut dixi, adjurit comiter?

5 *Quin, cum opus est, beneficium rursus ei experimur reddere?*

GE. Scio equidem hoc esse æquom. *AN.* age ergo, solus servare hunc potes.

GE. Quid faciam? *AN.* invenias argentum. *GE.* cupio, sed, id unde, edoce.

AN. Pater adest hic. *GE.* scio: sed quid tum? *AN.* ah, dictum sapienti sat est.

INTERPRETATIO.

PH. Quid faciam? unde ego tam cito huic Dorioni summam triginta minarum sumam infelix, qui nihil habeo, & minus quam nihil? quod si hic potuisset nunc oratione flecti, & suaderi, triduum hoc, quod postulabam, ut expectaret; hæc pecunia mihi promissa erat ab amicis. *AN.* Siccine Geta, hunc sinemus eò miseria redigi, qui me pridem, ut dixisti, tam humane, & benigne juverit, præsto mihi fuerit?

Quin quum opus is habet potius ipsi gratiam acceptam referimus? GE. Sat scio equitati id esse consentaneum. age ergo istud aggredere; salus ejus in te solo posita est. *GE.* Quid agam? *AN.* Argentum inveniam, quo accipiam, indica. *AN.* Pater jam hic adest. *GE.* scio, sed quid hoc juvat? *AN.* Ah, ex uno verbo vir sapiens facile rem totam intelligit.

- GE.* Itane? *AN.* ita. *GE.* sane hercle pulcre suades: etiam tu hinc abis?
- 10 Non triumpho, ex nuptiis tuis si nil nanciscor mali,
Ni etiam nunc me hujus quærare causa in malo jubeas crucem?
AN. Verum hic dicit. *P. H.* quid? ego vobis, Geta, alienus sum?
GE. haud puto:
Sed parumne est, omnibu' quod nunc nobis succenset senex,
Ni instigemus etiam, ut nullus locu' relinquatur preci?
- 15 *P. H.* Alius ab oculis meis illam in ignotum abducat locum?
Dum igitur licet, dumque adsum, loquimini mecum, Antipho:
Contemplamini me, *AN.* quamobrem? aut quidnam facturus?
cedo.
P. H. Quoquo hinc asportabitur terrarum, certum est persequi,
Aut perire. *GE.* Dij bene vortant, quod agas: pedetentim tamen.
- 20 *AN.* Vide, si quid opis potes adferre huic. *GE.* si quid? quid?
AN. quære, obsecro.
Ne quid plus minusve faxit, quod nos post pigeat, Geta.
GE. Quæro: salvos est, ut opinor. verum enim metuo malum,
AN. Noli metuere: una tecum bona, mala, tolerabimus.
GE. Quantum argenti opus est tibi? loquere. *P. H.* solæ triginta minæ.
- 25 *GE.* Triginta! hui, percara est, Phædria. *P. A.* Istæc vero vilis est.

INTERPRETATIO.

GE. Itane? *AN.* Ita. *GE.* Certe per Herculem egregie mones scilicet, annon etiam tu hinc à me abscedes? an sufficiens mihi materia triumphi non est, quod propter matrimonium tuum nullum patior malum, nisi etiam nunc, operam dando Phædria, in magno periculo certam crucem invenire ne jubeas? *AN.* Verum est, quod ait Geta. *P. H.* Quid, Geta? an alienum vos esse me censestis? & sic me negligitis? *GE.* Non sic aestimo; sed an minimi faciendum istud est, quod in nos omnes ira commotus est, & stomachatus senex, nisi eum acrius stimulemus, adeo ut nulla prece postea flecti, & exorari possit? *P. H.* An alius à conspectu meo illam exportabit hinc in remotam, & longinquam terram! dum igitur fieri potest, dumque nondum discessi, loquimini me-

cum tanquam nunc ultimum. Antipho, & me spectate. *AN.* Quare? aut quidnam facturus es, dicas mihi velim. *P. H.* Quocumque terrarum adducetur, constitutum est mihi eo usque ipsam sectari, aut mori. *GE.* Dij velint, ut quod acturus sis prospere succedat, sed sensim, & considerate agas, nec precipitanter. *AN.* Vide Geta, si quid eum juvare pote. *GE.* Si quid? quid? *AN.* Excogita, precor, ne quid male faciat, quod postea nobis agre sit, & dolorem afferat. *GE.* Excogito: salvos est, ut puto: verum sane ne malum inde veniat valde timeo. *AN.* Mitte timorem: omnia bona, mala tecum participabimus. *GE.* Quantâ pecuniâ opus habes? dic, Phædria. *P. H.* Tantummodo triginta minis. *GE.* Triginta? hui! percara est hac virgo, Phædria. *P. H.* Imo viliori pretio aestimatur.

- GE.* Age, age, inventas reddam. *P. H.* ô lepidum caput? *GE.* aufer te hinc. *P. H.* jam opus est.
- GE.* Jam ferēs. sed opu' est mihi Phormionem adiutorem ad hanc rem dari.
AN. Præsto est, audacissime oneris quidvis impone, & feret: Solus est homo amico amicus. *GE.* eamus ergo ad eum ocyus.
- 30 *P. H.* Abi vero. dic, præsto ut sit domi.
AN. Nunquid est, quod mea opera vobis opu' sit? *GE.* nil: verum abi domum, & Illam miseram, quam ego nunc intus scio esse exanimatam metu, Consolare. cessas? *AN.* nihil est, æque quod faciam lubens.
P. H. Quæ via istuc facies? *GE.* dicam in itinere: modo te hinc amove.

INTERPRETATIO.

GE. Bono sis animo? hanc summam tibi conficiam. *P. H.* O virum egregium! *GE.* Recede hinc. *P. H.* Verum, hoc argento præsentē opus est. *GE.* Iam accipies, sed opus est, ut mihi Phormio ad hanc rem auxiliator adjungatur. *AN.* Paratus tibi est: confidenter quidvis distelle, & grave ei manda, & suscipiet faciendum, solus est homo amico amicus; nullus est inter homines qui libentius amicis inserviat, qui amicus amico plus supiat. *GE.* Proferemus igitur ad eum ire. *AN.* Numquid est, in quo vobis opera mea usui esse possit. *GE.* Nihil: verum abi domum, & infelicem Phanium quam ego nunc domi perturbatam, metu atque exanimatam esse certò scio, verbis amicis consolare. Quid iunctaris? *AN.* Nihil est, quod jucundius mihi sit, quam hoc facere. *P. H.* Quo pacto argentum hoc invenies? *GE.* Dicam tibi inter eundem: modo hinc proficiscere.

ACTUS QUARTI SCENA I.

DEMIPHO. CHREMES.

- DE.* Quid? qua profectus causa hinc es Lemnum, Chremes?
CH. Adduxtin' tecum filiam? *CH.* non. *DE.* quid ita non?
CH. Postquam videt me ejus mater hic esse diutius, Simul autem non manebat ætas virginis
5 Meam negligentiam; ipsam cum omni familia
Ad me esse profectam aiebant. *DE.* quid illic tamdiu


INTERPRETATIO.

DE. Videt? cujus rei causa Lemnum expectare posset, tum etiam ætas jam navigasti. Chremes. Adduxisti bilis virginis moram longiorem non conne tecum filiam Phanium. *GH.* Non. cederet; mater illa navî conscensâ (ut *DE.* Quid ita non? *CH.* Quia cum ma- aiebant Lemni) in hanc urbem Athenæ ejus videret me hic diutius morari, nas cum omni familiâ ad me pro- quam solerem, nec adventum meum facta est. *DE.* Quid igitur Lemni

Quæso igitur commorabere, ubi id audiveras?
C H. Pol me detinuit morbus. *D E.* unde? aut qui? *C H.* rogas?
Senectus ipsa est morbus. sed venisse eas
 10 *Salvas* audiui ex nauta, qui illas vexerat.
D E. Quid gnato obtigerit, me absente, audistin', *Chreme*?
C H. Quod quidem me factum consilij incertum facit:
 Nam hanc conditionem si cui tulero extraneo,
 Quo pacto, aut unde mihi sit, dicendum ordine est.
 15 *Te mihi fidelem esse æque atque egomet sum mihi,*
Scibam: ille si me alienus affinem volet,
 Tacebit, dum intercedet familiaritas:
 Sin spreverit me, plus, quam opus est scito, sciet.
 Vereorque, ne uxor aliqua hoc resciscat mea.
 20 *Quod si fit; ut me excutiam, atque egrediar domo,*
Id restat: nam ego meorum solus sum meus.
D E. Scio ita esse, & istæc mihi res sollicitudini est,
 Neque defetiscar usque adeo experirier,
 Donec tibi id, quod pollicitus sum, effecero.

INTERPRETATIO.

quæso, tantum tempus desidebas, ubi
 acceperas ad te ita illas iuineri se de-
 disse? *C H.* Per Deos morbus me tar-
 davit. *D E.* Vnde ille morbus ortus est,
 & qui fuit? *C H.* Rogas, quaris? se-
 nectus ipsa fuit, qua gravis morbus est:
 sed advenisse illas salvas Athenas, nau-
 ta qui illas vexerat mihi nunciavit.
D E. Quid filio meo acciderit, dum ab-
 essem, rescivistine, *Chreme*? *C H.* Res-
 civi, & hoc facinus adeo me perturbat,
 ut dubius sim animi, & anceps, quid
 consilij capiam. Nam conditionem filia
 mea si cui obtulero, id est si filiam meam
 alicui extraneo nuptui collocavero, me
 oportebit illi declarare, qua sit mater, ex
 qua eam suscepero, quomodo, & ex qua
 muliere illa sit mihi filiâ: te quidem non
 minus fidem mihi servaturum esse,
 quam egomet mihi noveram. Ille vero
 extraneus, si meam affinitatem acce-
 ptam habuerit, silentium observabit de
 nuptijs meis cum *Leemia* uxore, de qua
 nata est filia *Phanium*, dum persevera-
 bit stare benevolentia: sin me despexerit,
 & filiam meam repudians affini-
 tati renunciaverit, hoc scito, plus sciet
 de rebus, quam expediet mihi eum
 scire, ac metuo ne tandem uxor mea
 certior fiat, de consuetudine quam ha-
 bui cum alia uxore. Quod si accidit,
 nihil aliud superest, quam ut ipse
 met me extrudam foras, & domo
 exeam: nam ut verum dicam ex meis
 domesticis solus fidelis mihi sum, à quo
 consilium petam. *D E.* Id sat scio hac se
 ita habere ut dicis; & istud mihi non
 levem curam & molestiam affert, neque
 ullo labore defatigabor omnia usque ten-
 tando, donec id quod tibi promisi perfe-
 cero; scilicet nuptias filij mei, cum sua
 filia.



ACTUS IV. SCENA II.

GETA.

*E*Go hominem callidiorem vidi neminem;
 Quam *Phormionem*. venio ad hominem, ut dicerem
 Argentum opus esse, & id quo pacto fieret:
 Vix dum dimidium dixeram: intellexerat:
 Gaudebat: me laudabat: quærebat senem:
 Diis gratias agebat, tempus sibi dari,
 Ubi *Phædriæ* se ostenderet nihilo minus
 Amicum esse, quam *Antiphoni*. hominem ad forum
 Jussi opperiri: eò me esse adducturum senem.
 10 Sed eccum ipsum: quis est ulterior? at at *Phædriæ*
 Pater venit. quid pertinui autem bellua?
 An quia, quos fallam, pro uno duo sunt mihi dati?
 Commodius esse opinor duplici spe utier.
 Petam hinc, unde à primo institui. is si dat, sat est:
 15 Si ab hoc nil fiet, tum hunc adoriar hospitem.

INTERPRETATIO.

*E*Go neminem omnium novi, ad in-
 veniendum consilia callidiorem, & ad
 expediendum difficilia peritiorem, quam
 Phormio est. Adivi hominem, ut ei di-
 cerem argento nobis opus esse, & qua
 ratione id inveniri posset: vixdum di-
 midium declaraveram, cum rem totam
 jam perspexerat. Latabatur meis verbis,
 me laudabat, quærebat, ubinam esset
Demipho: Diis gratias agebat eò quod
 occasionem sibi offerrent, ubi ostenderet
 se non minus *Phædria* causa velle, quam
Antiphonis. Hominem in foro expectare
 jussi *Demiphonem*, dicens me illuc eum
 esse adducturum: sed ecce ipsum. Quis
 est ulterior qui pone eum sequitur? At
 at at *Phædria* pater *Chremes* venit:
 verum demens quid formidavi? an pro-
 pterea quod duo sunt mihi traditi qui-
 bus dem verba, atque imponam? utilius
 esse arbitror duplici spe potiri. Expe-
 riar obtinere primum ab eo pecuniam à
 quo constitui. Id si obveniat nihil ul-
 terius quaro. Si ab hoc nihil impetrem,
 tum hunc aggrediar hospitem.



ACTUS IV. SCENA III.

ANTIPHO. GETA. CHREMES. DEMIPHO.

- AN. **E**Xspecto, quam mox recipiat huc sese Geta.
Sed patruum video cum patre astantem: hei mihi,
Quam timeo adventus hujus quo impellat patrem.
GE. Adibo hosce. ô noster Chremes! CH. salve, Geta.
5 GE. Venire salvom volupe est. CH. credo. GE. quid agitur?
CH. Multa adveniendi, ut sit, nova hic compluria.
GE. Ita, de Antiphone audistin' quæ facta? CH. omnia.
GE. Tun' dixeras huic? facinus indignum, Chreme,
Sic circumiri. DE. id cum hoc agebam commodum.
10 GE. Nam hercle ego quoque id agitans mecum sedulo,
Inveni, opinor, remedium huic rei. DE. quid, Geta?
Quod remedium? GE. ut abij abs te, sit forte obviam
Mihî Phormio. CH. qui, Phormio? GE. is, qui istanc. CH. scio.
GE. Visum est mihi, ut ejus tentarem sententiam:
15 Prendo hominem solum: cur non, inquam, Phormio?
Vides, inter vos sic hæc potius cum bona
Ut componantur gratia, quam cum mala?
Heru' liberalis est, & fugitans litium:
Nam cæteri quidem hercle amici omnes modo
20 Uno ore autores fuere, ut præcipitem hanc daret.

INTERPRETATIO.

AN. **E**Xspecto, quam mox domum sese recipiat Geta. Sed patruum Chremetem video cum patre astantem: hei mihi, quam metuo quod ille peregrinè reversus patrem incitet. GE. Ad hos ibo. O noster Chremes. CH. Salve, Geta. GE. Te rediisse salvum & bene valentem mihi sane jucundissimum est. CH. Credo. GE. Quomodo agitur tecum? CH. Multa, ut in hac vita usuvenire solet, redeunt nova res hic occurrunt. GE. Ita, audivistine qua de Antiphone facta sunt? CH. Omnia. GE. An tu, Demipho, rem uti gesta est, jam narrasti? facinus crudele, & miserabile sic circumveniri. CH. Hoc temporis momento de hac re cum fratre Demiphone agebam. GE. Equidem per Herculem ego quoque id animo apud me sape versavi, adeo, ni fallor opinione, ut huic rei medicinam inuenerim. DE. Quid Geta? qua medicina? GE. Ut à te discessi, forte mihi Phormio obvius factus est. CH. Qui, Phormio? GE. Is, qui istam virginem defendit. CH. Novi hominem. GE. In mentem mihi venit, ejus voluntatem indagare. Sed duco seorsum hominem solum; cur non, inquam, Phormio curas, ut hac res inter vos transigatur potius cum benevolentia, quam cum malevolentia diutius agitetur? herus Demipho liberalis est ingenij, ingenuus est, & contentionum forensium osor: nam cæteri profecto ejus amici omnes uno consensu modo et consilium dederunt, ut hanc fœminam domo expelleret.

AN. Quid

- AN. Quid hic cœptat? ant quò evadet hodie? GE. an legibus Daturum pœnas dices, si illam ejecerit?
Jam id exploratum est: eja, sudabis fatis,
Si cum illo inceptas homine: ea eloquentia est.
25 Verum, pone esse victum eum: at tandem tamen
Non capitis ejus agitur, sed pecuniæ.
Postquam hominem his verbis sentio mollirier;
Soli sumus nunc hîc, inquam: eho dic, quid vis dari
Tibi in manum, ut herus his desistat litibus.
30 Hæc hinc facessat, tu molestus ne sies?
AN. Satin' illi Dij sunt propitij? GF. nam sat scio,
Si tu aliquam partem æqui bonique dixeris,
Ut ille est bonus vir, tria non commutabit
Verba hodie inter vos. DE. quis te istæc jussit loqui?
35 CH. Imo non potuit melius pervenirier
Eo, quo nos volumus. AN. occidi. CH. perge eloqui.
GE. At primo homo insanibat. CH. cedo, quid postulat?
GE. Quid? nimium: quantum lubuit. CH. dic. GE. si quis daret

INTERPRETATIO.

AN. Quid conatur? aut quò perveniet hodie? GE. Dicesne legibus illum punitum iri, si illam foras extruserit? jam id certum est, te gravi labore nimio plus defatigatum iri, si cum illo viro legibus disceptas, adeo est eloquens. Verum ita sit, do ita esse ut causa cadat, & condemnetur aliqua pœna: attamen non capite, sed pecunia tantum multabitur. Postquam hominem animadverti hoc sermone leniri, adjecti hac verba: soli sumus hic, inquam; eho, dic, quid velis tibi dari in manum, ut herus his evadat litibus, hac fœmina hinc abeat, tu impertunus, & gravis non ei sis posthac amplius. AN. Satisne illi Phormioni Dij sunt faventes? nam prole scio, si aequitati consentanea, si æqua tantutula ex parte poposceris, ne minima quidem, ut homo est aequitatis amans, intercedet altercatio inter vos hodie. DE. Quis tibi hoc negotium dedit, ut talia diceres? CH. Geta recte fecit; non potuit commodius loqui, ad consequendum id quod cupimus. AN. Perij. CH. Perge, continua sermonem. GE. At primò homo stulte mihi loquebatur. CH. Dic mihi, quid petit? GE. Quid? nimium: quantum ex libidine sua voluit. CH. Dic. GE. Velim (aiebat)

ANNOTATIONES.

31. Satin' ille Dij sunt propitij? Hoc est, Satisne mente sanus est: nam quibus veteres bonam mentem optabant, his Deos propitios esse precabantur: contra quibus malam mentem, Deos iratos.
33. Tria non commutabit verba. Verba commutare est colloqui & inter se differere. Noster Terentius in Andria: Nunquam hodie tecum commutaturum patrem unum esse verbum.

R r

- Talentum magnum. *CH.* imo malum hercle: ut nil pudet.
 40 *GE.* Quod dixi adeo ei: quæso, quid si filiam
 Suam unicam locaret? parvi retulit
 Non suscepisse; inventa est, quæ dotem petat.
 Ut ad pauca redeam, ac mittam illius ineptias;
 Hæc denique ejus fuit postrema oratio:
 45 Ego, inquit, jam à principio amici filiam,
 Ita ut æquom fuerat, volui uxorem ducere:
 Nam mihi veniebat in mentem ejus incommodum,
 In servitutem pauperem ad ditem dari:
 Sed mihi opus erat, ut aperte tibi nunc fabuler,
 50 Aliquantulum quæ afferret, quæ dissolverem
 Quæ debeo: & etiam nunc, si volt Demipho
 Dare, quantum ab hæc accipio, quæ sponsa est mihi,
 Nullam mihi malim, quam istanc uxorem dari.
AN. Utrum stultitia facere ego hunc, an malitia
 55 Dicam, scientem, an imprudentem, incertus sum.
DE. Quid si animam debet? *GE.* ager oppositus est pignori

I N T E R P R E T A T I O.

talentum magnum mihi detur. CH. Quin potius magnum malum detur ei. *Quam impudens homo ille!* *GE.* Hæc quoque ei respondi; rogo, si unicam suam filiam alicui in matrimonium collocaret, an plus ei daret, quam petis? non multi interfuit sua, nullam genuisse, ut video; siquidem inventa nunc est aliqua ipsi, quæ æque ac propria non minorem dotem petat. *Vt ad pauca verba redigatur oratio mea, & silentio præteream ejus ineptas nugæ; hunc habuit ultimum sermonem; ego, inquit, hanc puellam primò in uxorem volui accipere, quòd esset amici mei filia, & hoc æquitatem velle arbitrabar; nam animo meo occurrebat, quanta infelici incommo-*

da ferenda essent, si inops diviti, in servitutem potius, quam in matrimonium illa daretur; sed, ut nihil te celem, opus mihi erat uxore, quæ mihi argentum afferret, quòd me ære alieno liberare & quodcumque debeo, creditoribus meisolvere possem: & adhuc quoque, si Demipho id gratum habet, & tantam mihi vult dare pecuniam, quantam dat illa, quæ mihi uxor promissa est; illam amici filiam præ alijs uxorem eligam mihi. *AN.* Dubius animi sum, utrum hic homo stultitiâ adductus, an malitiâ; scienterne & data opera, an inconsiderate nec cogitatò hæc agat. *DE.* Quid si animam suam debet, si seipsum debet? *GE.* Dicit ille agrum suum pignori

A N N O T A T I O N E S.

39. *Talentum magnum.*] Talentum Atticum minus, erat sexaginta minarum, valebatque sexcentis Coronatis Gallicis, sive 1800. libris Turonensibus, decies octies centum libris Turonum: majus vero talentum erat octoginta minarum, id est 2400. libris Turon.

56. *Quid si animam debet.*] Lege XII. Tabularum constitutum fuit Romæ, ut qui solvendo non esset, is nexus, & vinculus addiceretur creditori, sententiâ judicis, ut in compedibus vinciti essent, quousque apud creditores serviendo nomina, id est debita liberaissent. Hoc est quasi seipsum debere.

- Ob decem minas, inquit. *DE.* age, age jam ducat: dabo.
GE. Ædiculæ item sunt ob decem alias. *DE.* hoi hui!
 Nimium est. *CH.* ne clama: petito hæc à me decem.
 60 *GE.* Uxori emunda ancillula: tum pluscula
 Suppellectile opus est, opus est sumptu ad nuptias:
 His rebus pone sane, inquit, decem minas.
DE. Sexcentas proin potius scribito jam mihi dicas:
 Nil do: impuratus me ille ut etiam irrideat:
 65 *CH.* Quæso, ego dabo, quiesce: tu modò filius
 Fac ut illam ducat, nos quam volumus. *AN.* hei mihi,
 Geta, occidisti me tuis fallaciis.
CH. Mea causa ejicitur: me hoc est æquom amittere.
GE. Quantum potest, me certiozem, inquit, face,
 70 Si illam dant, hanc ut mittam, ne incertus siem:
 Nam illi mihi dotem jam constituerunt dare.
CH. Jam accipiat, illis repudium renuntiet:

I N T E R P R E T A T I O.

obligatum esse pro decem minis. DE. Age, age, jam mulierem illam uxorem accipiat. *tranquillus esto: tu tantum cura, ut hanc pecuniam dabo. GE.* Etiam dicit se domunculam habere item obligatam creditoribus suis, propter talem summam pecunia. *DE.* Oi, hui! non dabo. *CH.* Ne clama, si à me petantur dabo. *GE.* Uxori servulam me comparare oportet; tum plusculum suppellectilis: opus mihi præterea est aliqua pecuniâ, ad faciendas nuptias. *His sumptibus nuptiarum impendantur sane decem mina. DE.* Præterea sexcentas intendat jam mihi litis: nihil contribuo. *Itane sceleratus ille mihi illudat? CH.* Amabo, ego do: tranquillus esto: tu tantum cura, ut filius uxorem eam habeat, quam cupimus. *AN.* Hei mihi! Geta, interemisti me tuis technis & inventis. *CH.* Mei gratia hac mulier extra ades eliminatur: me has minas justum est perdere. *GE.* Quam cito potes mihi nuncia an illam puellam daturi sunt, hanc, quæ mihi sponsa est, ut à me dimittam, inquit, ne animi dubius pendeam. *Nam hujus parentes jam deliberaverunt argentum in dotem mihi numerare. CH.* Iam dotem accipiat illis repudium mittat.

A N N O T A T I O N E S.

72. *Illis repudium renuntiet.*] Divortium est separatio, quæ fit inter maritatos, eo animo, ut nunquam reintegretur matrimonium. Divortium tantum fit inter conjuges: repudium fit inter maritos, & sponfos. Formula divortij hæc est notata à Titinnio: Aliquis vestrum nuntiet Geminæ, ut res suas procuret, ædibus facessat. Repudiandæ uxoris impudicæ formula placet apud Petronium: *Quia fidem scelere violasti, & communem amicitiam, res tuas ocys tolle, & alium locum, quem polluas, quære. Repudij formula fuit: Conditione tua non utor. Cupi uxorem*

autem quis repudiare vellet, vel præfens eam expellebat ædibus, vel per nuntium absentis libellum mittebat, quo legitimæ causæ continebantur. *Juvenalis Satyra, 6.*

Collige sarcinulas, dixit libertus, & exi. Divertenti uxori claves adimebantur, ut intranti domum mariti, ei tradebantur, tanquam dominij in familiam, & fidei erga maritum argumentum, quod exprimitur his verbis XII. Tabularum; Res suas sibi habeto, claves adimito, foras exigito. Dicitur, Repudium mittere, scribere, renuntiare, dicere.

Hanc ducat. *DE.* quæ quidem illi res vortat male.
CH. Opportune adeo nunc mecum argentum attuli,
 75 Fructum, quem Lemni uxoris reddunt prædia:
 Id sumam: uxori, tibi opus esse, dixero.

INTERPRETATIO.

hanc uxorem ducat. DE. Quaquidem | *ctuum, quos præbent Lemni fundi me-*
res exitium ei afferat, & male succedat. | *uxoris, quod opus est sumam: referam*
CH. In tempore, & commode etiam pe- | *uxori te hoc argento indigere.*
cutiam mecum attuli. Ex redivibus fru-

ACTUS IV. SCENA IV.

ANTIPHO. GETA.

AN. **G**eta. *GE.* hem. *AN.* quid egisti? *GE.* emunxi argento
 senes.

AN. Satin' est id? *GE.* nescio hercle: tantum jussu' sum.

AN. Eho, verbero! aliud mihi respondes, ac rogo?

GE. Quid ergo narras? *AN.* quid ego narrem? opera tua

5 Ad restim mihi quidem res rediit planissime.

Ut te quidem omnes Dij, Deæque, superi, inferi

Malis exemplis perdant. hem, si quid velis,

Huic mandes, qui te ad scopulum è tranquillo inferat.

INTERPRETATIO.

AN. **G**eta. *GE.* Hem! *AN.* Quid
 fecisti? *GE.* Nempe, uti in-
 renderam, Demiphonem, & Chremetem
 delusos argento spoliavi. *AN.* Satisne id
 est? *GE.* Per Herculem non sat scio an
 satis pecunia Phædria elicui; sed solum
 hanc summam mihi mandatam est ut
 conficerem, quam lenoni daret. *AN.*
 Eho, flagrio! aliud mihi respon-
 des, atque à te quaro? *GE.* De quâ
 re ergo loqueris? *AN.* De qua re ego lo-
 quor? per te id factum est, ut ad la-
 quum spes mea jam omnis sine ulla
 dubitatione penitus redacta sit. Vii-
 nam equidem te Dij, Deæque omnes,
 superi, inferi eradiciunt. Hem! huic da
 negotium, ut tibi procuret, quod recte
 tibi apparatus, & effectum velis: ut
 ex portu tranquillo & tuto ad scopulum
 abripiat, & allidat. Nam, amabo,

ANNOTATIONES.

1. *Emunxi argento senes.*] Sic Plautus
 in Epidico. Actu 3, sc. 4.

homo es

Qui me emunxisti mucidum, minimi preti.

2. *Satin' id est? tantum jussus sum.*] Lu-
 dit Terentius in ambiguitate orationis.
 Dixerat Antipho; satisne putas te fe-
 cisse, quod à senibus argentum haufe-

ris; nullam vero mei curam habueris.
 respondet autem Geta, quasi Antipho
 quæreretur, an tanto argento senes
 emunxisset, quantum Phædriæ satis es-
 set: ideo dicit; an satis sit nescio; sed
 quantum jussus sum providere, tan-
 tum me providisse scio.

Quid minus utile fuit, quam hoc ulcus tangere;
 10 Aut nominare uxorem? injecta est spes patri,
 Posse illam extrudi. cedo, nunc porro Phormio
 Dotem si accipiet, uxor ducenda est domum.

Quid fiet? *GE.* enim non ducet. *AN.* novi: cæterum

Cum argentum repetent, nostra caussa scilicet

15 In nervom potius ibit. *GE.* nihil est, Antipho,

Quin male narrando possit depravarier.

Tu id quod boni est, excerpis: dicis, quod mali est.

Audi nunc contra jam. si argentum acceperit,

Ducenda est uxor, ut ais. concedo tibi:

20 Spatium quidem tandem apparandi nuptias;

Vocandi, sacrificandi dabitur paululum:

Interea amici, quod polliciti sunt, dabunt:

Inde iste reddet. *AN.* quam ob rem? aut quid dicit? *GE.* rogas?

Quot res? postilla monstra euenerunt mihi:

25 Introit in ædes ater alienus canis:

Anguis per impluvium decidit de tegulis:

INTERPRETATIO.

quid minus in rem meam, mihi que minus
 commodum fuit, quam in hanc vomitiam
 anguem immittere, ejus rei mentione
 facta, qua nobis sit odiosa, & dolorem
 afferat; aut nomen solum uxoris coram
 patre pronuntiare? spem patri fecisti posse
 illam domo ejici: dic vero nunc, si pe-
 cuniam, in dotem Phormio à patre, &
 à patruo accipiet, si in ejus domum de-
 ductio sponsa faciendâ est, quid eveniet?
 quid me fiet? *GE.* Phormio quidem non
 ducet. *AN.* Scio: verum cum senes no-
 stri argentum repetere cupient, ille Phor-
 mio nostri causa in vincula se conjici &
 neti scilicet patietur potius, quam red-
 dat quod abstulit. *GE.* Nulla res est,
 Antipho, qua male verbis exprimendo,
 vitari, & corrumpi, & in deteriorem
 partem verri non possit. Tu id quod bo-
 ni est suppressis, & excipis seorsum:

quod vero mali est, illud commemoras.
 Audi nunc contra jam: si Phormio pe-
 cuniam dotalem acceperit, eum, ut di-
 cis, uxorem ducere oportebit; per me li-
 cet; sed sane spatium paululum tan-
 dem ei concedetur ad apparatus nuptia-
 rum faciendum; ad invitandum propin-
 quos, ad sacra faciendâ: dum hac cu-
 rabuntur, amici quod promiserunt, da-
 bunt argentum. Id argentum Phormio
 recusans conficere nuptias, reddet tuo pa-
 tri, & patruo. *AN.* Quamobrem reddet?
 aut quam causam, cur reddat, poterit di-
 cere? *GE.* Quavis quid causa poterit præ-
 tendere, cur rem nolit perficere? sic di-
 cet; post conventionem nuptiarum, quot
 prodigia, quot portenta apparuerunt
 mihi! Niger canis alienus introit in
 ædes nostras: vel serpens per implu-
 vium delapsus est deorsum de tegulis:

ANNOTATIONES.

16. *Anguis per impluvium.*] Implu-
 vium, inquit Varro, est locus sub-cælo,
 in medio ædium relictus: unde lumen
 deorsum caperent: ita dictus, quod eò
 implueret. Festus vero causam notatio-

nis sic refert; impluvium quo aqua
 impluit collecta de tecto. Ex supersti-
 tione veterum hæc dicit Phormio: nam
 his de causis nuptiæ, ne fieri possent,
 prohibebantur.

Gallina cecinit: interdixit hariolus:
 Haruspex vetuit ante brumam aliquid novi
 Negoti incipere; quæ causa est iustissima.
 30 Hæc fient. *A N.* ut modo fiant. *G E.* fient: me vide.
 Pater exit, abi, dic esse argentum, Phædriæ.

I N T E R P R E T A T I O.

vel gallina cecinit: vel hariolus vetuit
 ne uxorem ducat: vel aruspex inter-
 dixit ne quid negotij aggredere ante
 sempestatem brumæ, hyemis. Quæ cau-
 sa, & excusatio iustissima, & admo-
 dum speciosa. Hæc evenient impedi-
 menta, me vide, hæc assevero tibi.
A N. Dummodo ita sit. *G E.* Ita erit.
 Sed pater exit. Abi nuntia Phædriæ ar-
 gentum, quod illi opus est, paratum esse.

A C T U S I V. S C E N A V.

D E M I P H O. G E T A. C H R E M E S.

D E. **Q**uietus esto, inquam: ego curabo, ne quid verborum duit.
 Hoc temere nunquam amittam ego ad me, quin mihi te-
 stes adhibeam:
 Cui dem, & quam ob rem dem, commemorabo. *G E.* ut cautus
 est, ubi nil opus est.
C H. Atqui ita opus est factum: at matura, dum libido eadem hæc
 manet.
 5 Nam si altera illa magis instabit, forsitan nos rejiciat.
G E. Rem ipsam putasti. *D E.* Duc me ad eum ergo. *G E.* non
 moror. *C H.* ubi hoc egeris,
 Transito ad uxorem meam, ut conveniat hanc prius, quam hinc
 abit:
 Dicat eam dare nos Phormioni nuptum, ne succenseat,

I N T E R P R E T A T I O.

D E. **T**ranquillo esto animo, in-
 quam; ego cavebo sedulo, ne
 me ullo modo fallat. Hoc argentum nun-
 quam dimittam alteri facile, aut in-
 considerate, ut non testes advocem ad fi-
 dem faciendam: his cui dem, & qua
 propter dem, aperiam, & referam.
G E. Quam circumspexitus est, ubi
 nulla circumspexione opus est. *C H.* At-
 qui, ita facere convenit. Verum pro-
 perandum est, dum voluntas & cupi-
 ditas hominis eadem hæc adhuc fer-
 vet: nam si hæc Phormionis sponsa
 magis eum sollicitet ad ipsam ducendam
 uxorem, forsitan nos dimittat, & con-
 ditionem nostram repudiet. *G E.* Rem
 vera conjectura assecutus es, recte con-
 siderasti, & perpendisti. *D E.* Duc me
 ergo ad eum. *G E.* Nulla in me mora
 est, paratus sum, camus. *C H.* Vbi hoc
 negotij pergeris, Demipho, transi ad
 uxorem meam, ut conveniat quam pri-
 mum hanc Antiphonis uxorem, Phormio-
 nis novam sponsam; priusquam domo
 vestra exeat: dicat eam nos dare ux-
 orem Phormioni, ne illa id agre ferat.

Et magis esse illum idoneum, qui ipsi sit familiarior;
 10 Nos nostro officio nihilegessos esse; quantum is voluerit,
 Datum esse dotis. *D E.* quid, malum, tua id refert? *C H.* magni,
 Demipho.
D E. Non fat, tuum te officium fecisse, si non id fama approbat?
C H. Volo ipsius quoque voluntate hoc fieri, ne se ejectam putet.
D E. Idem ego istuc facere possum. *C H.* mulieri magi congruet.
 15 *D E.* Rogabo. *C H.* ubi illas ego nunc reperire possim, cogito.

I N T E R P R E T A T I O.

& illum magis ei convenire, ut qui
 sit ei usu familiaritatis notior: nos à
 nostro officio ne tantulum quidem disces-
 sisse, & quantum argenti is petierit, de-
 disse in dotem. *D E.* Quid tua, malum!
 id interest? *C H.* Magni, Demipho. *D E.*
 Nonne satis tibi esse debet, te officio fun-
 ctum esse, quamvis id fama hominum
 probatum non fuerit? *C H.* Cupio etiam
 id fieri ea non invita, ne se à nobis
 expulsam possit commemorare, & queri.
D E. Ego idem istud officium, vice, ux-
 ris tua facere possum. *C H.* Mulier mu-
 lieri magis convenit. *D E.* Rogabo ux-
 orem tuam, ut id agat. *C H.* Valde soli-
 citus sum, ubi illas, filiam nempe &
 uxorem meam Lemmiam invenire possim.

A C T U S Q U I N T I S C E N A I.

S O P H R O N A. C H R E M E S.

50. **Q**uid agam? quem amicum inveniam mihi misera? aut cui
 consilia
 Hæc referam? aut unde nunc mihi auxilium petam? nam vereor,
 Hera ne ob meum suasum indigna injuria afficiatur.
 Ita patrem adolescentis facta hæc tolerare audio violenter.
 5 *C H.* Nam quæ hæc est anus exanimata, à fratre quæ egressa est
 meo?
S O. Quod ut facerem, me egestas impulit; cum scirem infirmas
 nuptias
 Hæc esse, ut id consulerem, interea vita ut in tuto foret.
C H. Certe ædepol, nisi me animus fallit, aut parum prospiciunt oculi,

I N T E R P R E T A T I O.

50. **Q**uid faciam? quem mihi infæ-
 lix amicum fidelem in his dif-
 ficultatibus reperiam? aut cum quo de
 nuptijs Antiphonis & Phanijs consilia com-
 municabo? aut unde nunc opem mihi
 comparabo? Timeo enim ne Phanium he-
 ra contumeliose tractetur ed quod meis
 suasionibus crediderit: ideo graviter fer-
 re patrem Demiphonem adolescentis An-
 tiphonis facta intelligo. *C H.* Quanam
 est hæc vetula exterrita, & exanima-
 ta metu, qua exit à domo fratris
 Demiphonis? *S O.* Quod ut face-
 rem, ut ei suaderem, obsequi scilicet
 Antiphoni, inopia me coëgit, quam-
 vis satis præviderem nuptias hæc
 valde instabiles esse, & facili negotio
 dirimi posse: suasi ei, ut interea vita
 ab omni injuria tuta esset. *C H.* Sa-
 ne nisi mens errat, aut visus caligat.

- 10 Meæ nutricem gnatæ video. *SO.* Neque ille investigatur. *CH.* quid agam?
SO. Qui est ejus pater. *CH.* adeon? an maneo, dum ea quæ loquitur, magis cognosco?
 Quod si eum nunc reperire possim, nihil est quod verear. *CH.* ea ipsa est.
 Colloquar. *SO.* quis hîc loquitur? *CH.* Sophrona. *SO.* & meum nomen nominat?
CH. Respice ad me. *SO.* Dij obsecro vos: estne hic Stilpho?
CH. non. *SO.* negas?
 15 *CH.* Concede hinc à foribus paululum istorum sodes, Sophrona. Ne me istoc posthac nomine appellassis. *SO.* quid? non is obsecro es, quem semper te esse dictitasti? *CH.* st. *SO.* quid? has metuis fores?
CH. Conclusam hîc habeo uxorem sævam: verum istoc me nomine Eo perperam olim dixi, ne vos forte imprudentes foris
 20 Effutiretis, atque id porro aliqua uxor mea rescisceret.
SO. Istoc pol nos te hinc invenire miseræ nunquam potuimus.
CH. Eho dic mihi, quid res tibi est cum familia hac, unde exis? aut ubi
 Illæ sunt? *SO.* miseram me! *CH.* hem! quid est? vivuntne?
SO. vivit gnata:
 Matrem ipsam ex ægritudine miseram mors consecuta est.
 25 *CH.* Male factum. *SO.* ego autem, quæ effem anus deserta, egens, ignota,

INTERPRETATIO.

filia mea nutricem video Sophronam. *SO.* Neque etiam sedulo inquirendo, Stilphonem eum invenire possumus. *CH.* Quid agam?
SO. Qui sit ejus pater deprehendere non valemus? *CH.* An eam conveniam, an hic consistam, dum sermonem ejus magis intelligam? *SO.* Quod si eam nunc invenire possim, nihil erit causa, cur quidquam posthac timeam. *CH.* Ea est ipsa nutrix Sophrona: conveniam illam.
SO. Quem hîc loquentem audio? *CH.* Sophrona. *SO.* Et me etiam meo nomine appellat? *CH.* Specta qui sim. *SO.* Dij, vestram fidem! estne hic Stilpho? *CH.* Minime. *SO.* Negasne te hunc esse. *CH.* Sed: pauxillum hinc à foribus domus, ad istam partem, Sophrona, ne me isto nomine Stilphonis posthac voces. *SO.* Quid? nonne adhuc is, quæso, es, quem semper te esse dictitasti? *CH.* St. *SO.*

Quid has metuis fores? *CH.* Hîc intus continetur mihi uxor fera, & immanis; ideo me olim hoc nomine scilicet Stilphonis vocari volui, ne vos ne scientes per incogitantiam temere diceretis quis essem, & quod à me factum est, ad aures uxoris meæ perveniret. *SO.* Hem Pollucem, idcirco nos infortunata sub hoc nomine nunquam te invenire potuimus in hac urbe. *CH.* Eho, dic mihi, quid tibi rei est, cum familia harum adium, ex quibus egredieris? aut ubi illa sunt? *SO.* O me infelix! *CH.* Hem, quid est? num bene valent? *SO.* Valet & vivit filia tua. Matrem ejus tristitia, & animi anxietate oppressam nuper mors rapuit. *CH.* O casum gravem, & infaustum mihi! *SO.* Ego autem vetula, omni auxilio destituta, inops, ignota, filiam tuam,
 U:

- Ut potui, nuptum virginem locavi huic adolescenti, Harum qui est dominus ædium. *CH.* Antiphonine? *SO.* hem, isti ipsi. *CH.* quid?
 Duasne uxores habet? *SO.* au, obsecro? unam ille quidem hanc solam.
CH. Quid illa altera, quæ dicitur cognata? *SO.* hæc ergo est. *CH.* Quid ais?
 30 *SO.* Composito est factum, quo modo hanc amans habere posset Sine dote. *CH.* Dij vestram fidem! quam sæpe forte temere Eveniunt, quæ non audeas optare! offendi adveniens, Quicum volebam, atque ut volebam, conlocatam filiam. Quod nos ambo opere maximo dabamus operam, ut fieret,
 35 Sine nostra cura, maxuma sua cura hæc sola fecit.
SO. Nunc quid factu est opus, vide. pater adolescentis venit, Eumque animo iniquo hoc oppido ferre ajunt. *CH.* nihil pericli est. Sed per Deos atque homines, meam esse hanc, cave resciscat quisquam.
SO. Nemo ex me scibit. *CH.* sequere me: intus cætera audies.

INTERPRETATIO.

ut potui, uxorem dedi huic adolescenti, qui dominus est hujus domus. *CH.* Antiphonine? *SO.* Hem, isti ipsi. *CH.* Quid? duasne uxores habet Antipho?
SO. Au, obsecro, ut Dij non sinant. Habet quidem ille unam hanc solam. *CH.* Quid illam alteram, quam nobis dicunt esse cognatam, nonne ille habet uxorem? *SO.* Hæc, inquam, eadem est. *CH.* Quid ais? *SO.* Ex industria id inter nos eo pacto convenit, ut Antipho ejus amore captus illam posset habere uxorem, etsi dotem nullam afferret. *CH.* Dij vestram fidem! quam crebro multa casu insperata eveniunt, qua ne votis quidem petere audeamus! peregre reversus, fortuito inveni cum eo,

cum quo cupiebam, & quomodo volebam filiam meam matrimonio conjunctam. Quod nos ambo, ego, & frater Demipho, summopere, & enixe conabamur facere, hæc anus sola sine labore nostro, at illa summo labore suo perfecit. *SO.* Nunc prospice quid fieri oportet; nam pater Antiphonis advenit, eumque, hoc propter matrimonium; vehementer iratum esse dicunt. *CH.* Nihil hinc ab illo periculi metuendum est: sed per Deos, atque homines te obtestor, cave ne quisquam cognoscat à te puellam hanc esse meam filiam. *SO.* Nemo ex me id accipiet. *CH.* Sequere me, intus in adibus cætera tibi declarabo.



ACTUS V. SCENA II.

DEMIPHO. GETA.

- DE. **N**Os nostræ culpa facimus, ut malis expediat esse.
Dum nimium dici nos bonos studemus & benignos.
Ita fugias, ne præter casam, ajunt. nonne id satis erat,
Accipere ab illo injuriam? etiam argentum est ultro objectum;
5 Ut sit qui vivat, dum aliud aliquid flagitij conficiat.
GE. Planissime. DE. his nunc præmium est, qui recta prava
faciunt.
GE. Verissime. DE. ut stultissime quidem illi rem gesserimus.
GE. Modo ut hoc consilio possiet discedi, ut istam ducat.
DE. Etiamne id dubium est? GE. haud scio hercle, ut homo
est an mutet animum.
10 DE. hem! mutet autem? GE. nescio: verum, si forte, dico.
DE. Ita faciam, ut frater censuit; uxorem ejus huc adducam,
Cum ista ut loquatur. tu abi, Geta: prænuntia hanc venturam,
GE. Argentum inventum est, Phædria: de jurgio filetur:
Provisum est, ne in præsentia hæc hinc abeat: quid nunc porro?

INTERPRETATIO.

DE. **P**er nostram culpam efficitur, ut dum largi, & munifici prædicari vehementius cupimus; nobis satius fuerit malignos esse, & difficiliore in dando: sic fugiamus ne longius domicilium nostrum præterferamur; ut dici vulgò solet. Nonne id satis erat, ab hoc homine Phormione contumeliâ affectos fuisse? ecquid etiam oportuit nos sponte argentum ei suppeditare, ut habeat unde vivat, & alatur ad alia flagitia committenda? GE. Omnino sic est. DE. Hi nunc premia accipiunt, qui recta in prava detorquent. GE. Verissime hæc dicta sunt. DE. Quam imprudenter, & inepte huic lucrum paraverimus. GE. Bene cesserit nobis consilium huic dandi

argenti, dummodo istam accipiat uxorem. DE. Etiamne hoc incertum est? GE. Per Herculem dubito, ut homo levi, & perfido est ingenio, an verbum stet, & maneat in fide data. DE. Hem! an mutet voluntatem? GE. Nescio, verum dico, si forte mutaverit consilium de accipiendâ uxore. DE. Ita mihi faciendum puto, ut frater suavis, ut uxorem ejus adducam Nausistratam, quam cum ista Phario colloquatur. Tu, Geta, abi, & certiozem fac virginem, Nausistratam fratris uxorem illam conventuram esse. GE. Factum est ut pecuniam haberes, Phædria: è lite cum Phormione transactum est: præcavimus ne Phanium in præsentia domo nostra dimittatur: quid nunc verij?

ANNOTATIONES.

3. Ne præter casam.] Id est, sic vitium aliquod, aut culpam evitare studeas ne in gravius incidas: à mediocritate ne discedas: excessus enim à medio re-

moti tuti non sunt: quemadmodum cum fugimus longius à domicilio evagari non expedit, ut commodus illuc sit receptus.

- 15 Quid fiet? in eodem luto hæsit: vorfuram solves,
Geta. præsens quod fuerat malum, in diem abiit: plagæ crescunt,
Nisi prospicis. nunc hinc domum ibo, ac Phanium edocebo,
Ne quid vereatur Phormionem, aut ejus orationem.

INTERPRETATIO.

quid fiet rebus meis? in eodem cæno, dies augeri, nisi tibi consulis. Nunc do-
Geta, immersus es: vorfuram solves; mum me conferam, & Phanium præ-
debitas tandem dabis pœnas tantò gra- monebo, ne ullo modo credat Phormio-
viores quantò præsens, quod erat ma- nem ipsam uxorem ducturum, nec ter-
lum, diutius fuerit dilatum: videopla- reatur sermone Demiphoni, & Sostrata.
gas, istus verberum, qui te manent in

ANNOTATIONES.

16. Vorfuram solves.] Id est, in simili conditione es, atque ij, qui ut unam suam faciunt. Vorfuram facere dicitur, qui æs alienum ex ære alieno syngrapham dissolvant, pecuniam mutam majori fœnore iterum accipiunt: solvit, quod nihil aliud est, quam in dies enim deteriozem conditionem vertere creditorem, & mutare.

ACTUS V. SCENA III.

DEMIPHO. NAUSISTRATA. CHREMES.

- DE. **A**Gedum, ut soles, Nausistrata, fac illa ut placetur nobis:
Ut sua voluntate id, quod est faciendum, faciat. NAV. faciam.
DE. Pariter nunc opera me adjuves, ac dudum re opitulata es.
NAV. Factum volo: ac pol minus queo viri culpa, quam me dignum est.
5 DE. Quid autem? NAV. quia pol mei patris bene parta indiliger
Tutatur: nam ex his prædiis talenta argenti bina
Capiebat statim. hem, vir viro quid præstat! DE. bina, quæso?

INTERPRETATIO.

DE. **A**Gedum, Nausistrata, cum soluta tuâ industriâ, effice nobis placabilem illam fœminam, ut sponte volens faciat, quod illam facere necesse est. NAV. Id carabo. DE. Nunc aque me opera tua subleves, ac pridem re ipsa, pecuniâ mutuâ juvisti. NAV. Id libenter facere volo: & per Pollucem minus officiosam me præbere possum, mariti culpâ, quam me decet. DE. Quid cause est? NAV. Quia per Pollucem bona mihi bene parva & relicta à patre. negligenter curât, & administrat: nam ex his fundis pater quotannis talenta argenti bina aequaliter capiebat: hem! quam vir alius alij præcellit! DE. Binane quæso?

- NAV.* Ac rebus vilioribus multo, tamen talenta bina. *DE.* hui!
NAV. Quid hæc videntur? *DE.* scilicet. *NAV.* Virum me nam vellem:
 10 *Ego ostenderem.* *DE.* certe scio. *NAV.* quo pacto. *DE.* parce, fodes,
 Ut possis cum illa; ne te adolescens mulier defatiget.
NAV. Faciam, ut jubes: sed meum virum abs te exire video.
CH. hem, Demipho,
 Jam illi datum est argentum? *DE.* curavi illico. *CH.* nollem datum.
 Hei! video uxore: pene plus quam sat erat. *DE.* cur nolles, Chreme?
 15 *CH.* Jam recte. *DE.* quid tu? ecquid locutus cum ista es, quam obrem hanc ducimus?
CH. Transegi. *DE.* quid ait tandem? *CH.* adduci non potest.
DE. Quid non potest?
CH. Quia uterque utrique est cordi. *DE.* quid istuc nostra?
CH. magni, præter hæc,
 Cognatam comperi esse nobis. *DE.* quid! deliras? *CH.* sic erit:
 Non temere dico: redi mecum in memoriam. *DE.* fatin sanus es?
 20 *NAV.* Au? obsecro, vide ne in cognatam pecces. *DE.* non est,
CH. ne nega:

I N T E R P R E T A T I O.

NAV. Ac etiam tunc temporis, cum res viliores erant, quam nunc sunt, tamen talenta bina capiebat ex reditibus horum prædiorum. *DE.* Hui, id mirum est. *NAV.* Quid de his tibi videtur? an non hæc magna videntur? *DE.* Mihi videntur ita esse. *NAV.* Utinam vir nata essem; ego certe mea industria, & arte omnibus notum facerem. *DE.* Minime dubito. *NAV.* Quanam ratione? *DE.* Parce tibi, queso, & consule viribus tuis, ut cum hac Phanio valeas loqui, ne vincaris defessa à juvene muliere. *NAV.* Faciam ut manes: sed meum virum Chremetem video egredi ad has tuis. *CH.* Hem, Demipho, jam argentum numeratum est Phormioni? *DE.* Curavi confestim illi numerandum. *CH.* Nollem hoc factum. Hei, conspicio uxorem. Pene plura, quam qua opus erant locutus sum. *DE.* Cur nolles datum argentum, Chreme? *CH.* Minime: jam recte factum. *DE.* Quid tu egisti apud istam feminam? ecquid dixisti causam, propter quam, hancj domo nostra ejectam ad Phormionem ducimus? *CH.* Hoc perfeci. *DE.* Quid dicit tandem? *CH.* Abduci ab Antiphone non potest. *DE.* Quare non potest? *CH.* Quia uterque utrumque amat ex animo. *DE.* Quid istud nostra interest? *CH.* Magni sane, Demipho. Præterea rescivi eam cognatione nobis esse junctam. *DE.* Quid? desipisne? *CH.* Sic verum esse reperietur, Non inconsiderate, nec frustra loquor. Revoca in memoriam. *DE.* Satisne mentis sana es? *NAV.* Au, Demipho, noli injuriam facere cognatae tuae. *DE.* Non est cognata. *CH.* Ne contradicas.

A N N O T A T I O N E S.

10. *Ego ostenderem.* Connectendum istud est cum eo quod sequitur, quo pacto: sum supplendum, res meas administrare sciam.

- Patris nomen aliud dictum est: hoc tu errasti. *DE.* non norat patrem?
CH. Norat. *DE.* cur aliud dixit? *CH.* nunquam hodie concedes mihi, neque
 intelliges? *DE.* si tu nil narras? *CH.* perdis. *NAV.* miror quid hoc fiet.
DE. Equidem hercle nescio. *CH.* vin' scire? at ita me fervet Jupiter,
 25 *Ut propior illi, quam ego sum, ac tu, nemo est homo.* *DE.* Dij vestram fidem!
 Eamus ad ipsam unà omnes nos: aut scire, aut nescire hoc volo.
CH. ah!
DE. Quid est? *CH.* itane parum mihi fidem esse apud te? *DE.* vin' me credere?
 Vin' satis quæsitum mihi istuc esse? age fiat, quid illa filia amici nostri? quid futurum est? *CH.* recte. *DE.* hanc igitur mittimus?
 30 *CH.* Quidni? *DE.* illa maneat? *CH.* sic. *DE.* ire igitur tibi licet, Nausistrata.
NAV. Sic pol commodius esse in omnes arbitror, quam ut cæperas,
 Manere hanc: nam perliberalis visa est, cum vidi, mihi.
DE. Quid istuc negotij est? *CH.* Jamne operuit ostium? *DE.* jam
CH. ô Jupiter,
 Dij nos respiciunt: gnatam inveni nuptam cum tuo filio. *DE.* I. em,

I N T E R P R E T A T I O.

Aliud patris nomen tibi relatam fuit: hoc causa fuit cur in hunc errorem induceris. *DE.* Nonne sciebat quis pater erat? *CH.* Sciebat. *DE.* Quare igitur alium nominavit? *CH.* Nunquamne hodie consenties mihi, neque mente capies? *DE.* Non equidem, si nihil quidquam mihi dicas. *CH.* Perseveras adhuc mihi adversari? *NAV.* Mirum mihi videtur, quid illud sit, de quo tantopere ambigunt? *DE.* Equidem per Herculem non intelligo qua mihi significas. *CH.* Vis ne intelligere? Ita me Iupiter sospitem conservet, ut nullus illi propior est cognatus, quam tu atque ego sumus. *DE.* Dij vestram fidem! nos omnes unà ad ipsam eamus: aut scire, aut nescire hoc volo. *CH.* Ha! *DE.* Quid est? *CH.* Itane mihi parvam fidem habes? *DE.* Visne me tibi dubi-

tantem credere? Visne me nihil quidquam amplius inquirere? Age, fiat ut vis. Verum quid fiet de illa filia amici nostri, quam Antiphoni uxorem dare constitutum nobis fuerat? *CH.* Recte res se habebit. *DE.* Hanc igitur dimittimus? *CH.* Quidni hanc mittamus? *DE.* Illam vero domi retineamus. *CH.* Ita censeo. *DE.* Redire igitur domum hinc, si libet, potes. *Nausistrata.* *NA.* Sic per Pollucem nobis utilius est omnibus hanc retinere, quam, ut cæperas dicere eandem remittere; nam ingenii, & liberalis animi mihi visa est, ut illam vidi. *DE.* Quid ista res sibi vult? *CH.* Iamne ostium occlusit *Nausistrata?* *DE.* Iam occlusit. *CH.* O Iupiter! Iam Dij nobis propitij sunt. Filiam reperi cum tuo filio nuptijs junctam uxorem esse. *DE.* Hem!

35 Quo pacto id potuit? *CH.* non satis tutus est ad narrandum hic locus.

DE. At tu intro abi. *CH.* heus, ne filij nostri quidem hoc resciscant, volo.

I N T E R P R E T A T I O.

quo modo id potuit fieri? *CH.* Non satis tutus tuus istud in hoc loco recensere possum. *DE.* At tu intra domum. *CH.* Hem, nolo ut ipsi quidem filij nostri id inaudiant.


A C T U S V. S C E N A I V.

A N T I P H O.

Lætus sum, ut ut meæ res sese habent, fratri obtigisse quod volt: Quam scitum est, ejusmodi parare in animo cupiditates, Quas, cum res adversæ fient, paulo mederi possis? Hic simul argentum repperit, cura sese expedivit: Ego nullo possum remedio me evolvere ex his turbis, Quin, si hoc celetur, in metu; sin patefit, in probro sim. Neque me domum nunc reciperem, nisi mihi esset spes ostensa Hujusce habendæ. sed ubinam Getam invenire possum, ut Rogem, quod tempus conveniendi patris me capere jubeat?

I N T E R P R E T A T I O.

Utrumque se habeant res mea, ingenti lætitia perfundor, quod Phædria fratri patrueli successerit ut optabat. Quam pulchrum & venustum est ejusmodi animo concipere cupiditates, quibus, si aliquid adversi interveniat, facile remedium afferre possis? Hic Phædria ut primum argentum repperit quod daret pro amica, omni sollicitudine se liberavit: ego nulla ratione ex his anxietatibus animi me eripere possum, ut non, si secretum hujus rei occultetur, in timore; sin manifestetur in dedecore & infamia verser: neque domum redire nunc audeam, nisi mihi spes praluceret, me posse Phanium illam possidere: verum ubinam Getam reperiam, ut petam ab eo, quod tempus commodum ad eundem patris capere mihi suadeat.



A C T U S V. S C E N A V.

P H O R M I O. A N T I P H O.

PH. **A**rgentum accepi, tradidi lenoni: abduxi mulierem: Curavi, propria ea Phædria ut potiretur: nam emissa est manu.

Nunc una mihi res etiam restat, quæ est conficienda, otium a senibus ad potandum ut habeam: nam aliquot hos sumam dies.

AN. Sed Phormio est, quid ais? *PH.* quid? *AN.* quidnam nunc facturus, Phædria?

Quo pacto satietatem amoris ait se velle sumere?

PH. Vicissim parteis tuas acturus est. *AN.* quas? *PH.* ut fugitet patrem:

Te suam rogavit rursus ut ageres causam, ut pro se diceres:

Nam potaturus est apud me: ego me ire senibus Sunium

10 Dicam ad mercatum, ancillulam emptum, dudum quam dixit Geta;

Ne, cum hic non videant me, conficere credant argentum suum. Sed ostium concrepuit abs te. *AN.* vide, quis egreditur. *PH.* Geta est.

I N T E R P R E T A T I O.

PH. **A**rgentum accepi, numeravi Diononi lenoni, abduxi puellam, ut eam propriam traderem Phædria possidendam: nam manumissa est, & liberata facta: nunc mihi etiam una res superest peragenda, scilicet ut mihi otium ab his senibus Demiphone, & Chremete concedatur, quod possum poculis operam dare: nam aliquot hos dies sumam ad indulgendum voluptatibus. *AN.* Sed Phormio adest. *PH.* Quid ais? *PH.* Quid aio? *AN.* Quidnam in presentia facturus est Phædria? quomodo ait se velle amoris satisfacere. *PH.* In vicem suscepturus est partes tuas agendas. *AN.* Quas? *PH.* Ut patris conspectum fugiat. Te rogavit ut rursus suam ageres causam apud patrem, & pro se orares. Nam apud me compotaturus est. Ego dicam senibus nostris Demiphoni, & Chremeti me proficisci Sunium ad mercatum, ancillulam ut emam de qua Geta locutus est illis jam pridem, ne hic me non videntes credant me consumere argentum suum: sed ostium domus tuæ constrepuit. *AN.* Vide quis exeat. *PH.* Geta est.

A N N O T A T I O N E S.

7. Parteis tuas acturus.] Translatum à scenicis Actoribus. Id est, te imitaturus est.

9. Sunium.] Extremum est Atticæ Promontorium ortum spectans, vicum habens, ejusdem nominis, nunc vocatum Cabo delle colonne.

12. Ostium concrepuit abs te.] Id est, ostium domus tuæ: ut in Andriâ act. 3. scena 1. crepuit à Glycerio ostium. Sic fulgor ab auro, pro auri fulgor, Lucretius. Cicero reus à Milone, id est, accusatore Milone.

ACTUS V. SCENA VI.

GETA. ANTIPHO. PHORMIO.

GE. **O** Fortuna ! ô fors fortuna ! quantis commoditatibus,
Quam subito meo hero Antiphoni ope vestra hunc onera-
stis diem !

AN. Quidnam hic sibi volt ? GE. nosque amicos ejus exone-
rastis metu.

Sed ego nunc mihi cesso , qui non humerum hunc onero pallio :
Atque hominem propero invenire , ut hæc , quæ contigerint , sciat :

AN. Num tu intelligis , hic quid narret ? PH. num tu ? AN. nil ,
PH. tantumdem ego.

GE. Ad lenonem hinc ire pergam : ibi nunc sunt. AN. heus , Ge-
ta. GE. hem tibi !

Num mirum , aut novum est revocari , cursum cum institueris ?
AN. Geta.

GE. Pergithercle : numquam tu odio tuo me vinces. AN. non manes :

10 GE. Vapulabis. curialis vernula est , qui me vocat.

AN. Id tibi quidem jam fiet , nisi resistis , verbero.

GE. Familiariorem oportet esse hunc , qui minitat malum.

Sed isne est , quem quæro , an non ? ipse est. PH. congregere
actutum. AN. quid est ?

INTERPRETATIO.

GE. **O** Fortuna ! ô fors fortuna ! quantis utilitatibus , & bo-
nis successibus , quam repente nec opi-
nanti hero meo Antiphoni , vestro au-
xilium hunc cumulaſtis diem ! AN. Quid-
nam hic sibi vult. GE. Nosque ejus
amantissimos exolvistis metu ? sed quid
ego cunctor & cesso in officio meo , qui
non pallium colligo , & in humeros re-
ficio (Antiphonem) festinaner quaro ,
ut hæc qua acciderint resciat , noscat.
AN. Ecquid mente percipis , qua Geta
iste commoret ? PH. Ecquid tu ? AN.
Nihil. PH. Tantumdem ego. GE. Ad
lenonem hinc pergere volo. Ibi in ejus adi-
bus nunc sunt : scilicet Antipho , & Pha-
dria. AN. Heus Geta , audi. GE. Hem
tibi : non mirum , aut insolitum est , nos si-
ſti , & retinericum festinare instituimus.
AN. Geta. PH. Per Herculem cursum con-
tinuat. GE. Pergit sane : nunquam tamen
tua importunitate consequeris , ut cursum
intermittam. AN. Non hic manes , Geta ?
GE. Quæris verbera. Procul dubio unus
est ex curialibus istis servulis qui me vo-
cat. AN. Id ipsum quidem nisi sistis gra-
dum , tute consequeris , flagrio. GE. Ex
familia nostra hunc esse oportet , qui ver-
bera minis intemat tam familiariter.
Sed isne est Antipho , quem quæro , an
non ? ipse est. PH. Antipho , conse-
ſtim hunc conveni. ANT. Quid est ?

ANNOTATIONES.

1. **O fors fortuna !**] Fortuna est incer-
tus rei exitus : fors fortuna est bona for-
tuna. Hujus ædes trans Tyberim est.

10. **Curialis vernula.**] Servi curiales ij-
erant qui in cœnis post cœnata comitia
celebratis ministrabant.

GE. O

GE. **O** omniaum , quantum est qui vivunt hominum , homo or-
natissime !

15 Nam sine controversia à Diis solus diligere , Antipho.

AN. Ita velim : sed , qui istuc credam ita esse , mihi dici velim.

GE. Satin' est , si te delibutum gaudio reddo ? AN. enicas.

PH. Quin tu hinc pollicitationes aufer , & , quod fers , cedo.

GE. oh !

Tu quoque hic aderas , Phormio ? PH. aderam : sed cessas ?
GE. accipe , hem ;

20 Ut modo argentum dedimus tibi apud forum , recta domum
Sumus profecti : interea mittit herus me ad uxorem tuam.

AN. Quamobrem ? GE. omitto proloqui : nam nihil ad hanc
rem est , Antipho.

Ubi in gynæceum ire occipio , puer ad me occurrit Mida ;

Pone apprehendit pallio , resupinat : respicio : rogo ,

25 Quamobrem retineat me : ait esse vetitum intro ad heram accedere.

Sophrona modo fratrem huc , inquit , senis introduxit Chremem ,

Eumque nunc esse intus cum illis. hoc ubi ego audiui , ad fores

Suspensio gradu placide ire perrexi. accessi : adſtiti :

Animam compressi : aurem admovi. ita animum cœpi attendere ,

30 Hoc modo sermonem captans. AN. euge , Geta. GE. hic pulcher-
rimum

Facinus audiui : itaque pene hercle exclamavi gaudio.

INTERPRETATIO.

GE. **O** homo omnium quotquot in ter-
ra degunt hominum omnibus bonis & for-
tunis ornatissime : nam procul omni du-
bio Di j te elegerunt quem solum ama-
rent. Antipho. AN. Vitam ita ſit , ſed
cupio mihi referri cauſam quã poſſim ad-
duci ad hoc credendum. GE. Ecquid tibi
ſufficit , ſi te gaudio totum perfundo ?
PH. Quin tu ceſſas polliceri , & quod
nunciaturus es dicis ? GE. Nonne hic
preſens quoque fuiſti ? PH. Fui , ſed
nos nimis moraris. GE. Audi igitur ,
hem ; ut modo argentum tibi ſolvimus
apud forum rectã viã domum nos rece-
pimus. Interea herus Demipho me miſit
ad tuam uxorem , Antipho. AN. Qua-
propter ? GE. Mitto cauſam dicere ,
nihil enim ad rem pertinet , de quã agi-
tur , Antipho. Poſtquam in gynæceum
ire cœpi , ſervulus Mida nomine prope-
rans ad me venit , à tergo pallium ap-
prehendit , & me retrò trahit , ab in-
cœpta viã revocans : hunc intueor , in-
terrogo quam ob cauſam me retrahat ,
dicit prohibitum eſſe intrò ire ad heram.
Sophrona nutrix Phani j modo , inquit ,
fratrem Demiphoniſ Chremem in gyna-
ceum intrò admiſit , eumque nunc intus
verſari cum illis. Hoc poſtquam audiui ,
ad oſtrum placido ac ſilenti gradu ire per-
ſeveravi , acceſſi , propius ſtetì , ſpiritus
continui , aurem adhibui : ita attente
audire cœpi , explorans eorum colloquun-
tiones. AN. Euge , Geta. GE. Hic loci
propter ? GE. Mitto cauſam dicere ,
nihil enim ad rem pertinet , de quã agi-

ANNOTATIONES.

23. **Gynæceum.**] Est secretum conclave , quò non datur viris ingressus.

T t

- 15 Nam omneis posthabui mihi res, ita uti par fuit,
Postquam tantopere id vos velle animum adverteram.
D E. At hic dehortatus est me, ne illam tibi darem:
Nam qui rumor erit populi, inquit, si id feceris?
Olim cum honeste potuit, tum non est data:
20 Nunc viduam extrudi, turpe est: ferme eadem omnia,
Quæ tute dudum coram me inculaveras.
P H. Satin' superbe inluditis me? *D E.* qui? *P H.* rogas?
Quia ne alteram quidem illam potero ducere,
Nam quo redibo ore ad eam, quam contempserim?
25 *C H.* Tum autem Antiphonem video ab sese amittere
Invitum eam, inque. *D E.* tum autem video filium
Invitum sane mulierem ab se amittere.
Sed transi fodes ad forum, atque illud mihi
Argentum jube rursus rescribi, Phormio.

I N T E R P R E T A T I O.

nam huic rei omnes res meas postposui, & neglexi, uti conveniens fuit, postquam tam vehementer id vos cupere per-spexi. D E. At exinde hic Chremes frater meus dissuasit mihi, ne illam tibi darem: nam qui sermones vulgi ferentur per urbem, inquit, si id feceris? olim cum honeste virgo potuit dari in uxorem, non data fuit: nunc postquam nupsit filio tuo Antiphoni, eam privatam suo viro, ut viduam ejici invitam turpe est. Denique pene omnia me monuit, quæ tute jam pridem coram me presente redargueras. P H. Satisne arroganter vos me ludificatis? D E.

Quo modo? P H. Quaritisne istud? quia ne alteram quidem illam virginem, qua mihi sponsa erat, potero uxorem habere: nam quomodo potero, nisi sim insigniter impudens, eam iterum petere, quam respuerim. C H. Tu etiam dic: video præterea Antiphonem impatienter ferre, & non nisi coactum pati, eam à se abstrahi. D E. Tum autem filium video impatienter & non nisi coactum ferre, mulierem à se abstrahi: sed transeamus, quæso, ad forum, Phormio, & triginta illas minas, quas tibi dedi, jube mihi ab argentarijs remunerari.

A N N O T A T I O N E S.

19. *Iube rursus rescribi.* Scribere numeros dicuntur creditores pecuniarum, quibus moris erat, ut in argentarium, apud quos pecunias suas collocarent tabulis expensum alicui ferrent, & argentario id nomen dictarent. Horatius:
Scribe decem à Nerio; non est satis: addere cicutam.
Nodosi tabulas centum.
Rescribere, dicebatur debitor; qui mutuum pecuniam reddebatur vel per se, vel per argentarij scripturam, qui in codicem suum referebat æs alienum, à debitore creditori esse dissolutum. Rescribi, ait Donatus est reddi, seu per mensæ scripturam dari. Horatius:
Putidius multo cerebrum est mihi crede, Perilli.
Dictantis, quod tu nunquam rescribere possis.
Rescribere est mutuum per scripturam mensæ reddere, cum mandato debitoris, qui pecuniam suam apud mensam deposuerat, mensarius, sive argentarius ferebat acceptum creditori. Scindum est, veteres apud mensam, magnam pecuniæ partem deposuisse. Cum per argentarium debitor solvebat, dicebatur ex mensæ scripturâ id fieri. Sin ipse debitor satisfaciebat, dicebatur de domo, vel ex arcâ numerari.

- 30 *P H.* Quodne ego perscripsi porro illis, quibus debui?
D E. Quid igitur fiet? *P H.* si vis mihi uxorem dare, Quam despondisti, ducam: sin est, ut velis Manere apud te illam, hic dos maneat, Demipho: Nam non est æquom me propter vos decipi:
35 Cum ego vestri honoris causa, repudium alteri Remiserim, quæ tantumdem dotis dabat.
D E. I in malam rem hinc cum istac magnificentia, Fugitive, etiam nunc credis te ignorariet, Aut tua facta adeo? *P H.* irritor. *D E.* tunc hanc duceres,
40 Si tibi data esset? *P H.* fac periculum. *D E.* ut filius Cum illa habitet apud te, hoc vestrum consilium fuit.
P H. Quæso, quid narras? *D E.* quin tu mihi argentum cedo.
P H. Imo vero uxorem tu cedo. *D E.* in jus ambula.
P H. In jus? enimvero si porro esse odiosi pergitis.
45 *D E.* Quid facies? *P H.* egone? vos me indotatis modo Patrocinari fortasse arbitramini:
Etiam dotatis soleo. *C H.* quid id nostra? *P H.* nihil?
Hic quandam nôram, cujus vir uxorem. *C H.* hem! *D E.* quid est?
P H. Lemni habuit aliam. *C H.* nullus sum. *P H.* ex qua filiam
50 Suscepit: & eam clam educit. *C H.* sepultus sum.
P H. Hæc adeo ego illi jam denarrabo. *C H.* obsecro Ne facias. *P H.* oh! tun' is eras? *D E.* ut ludos facit!

I N T E R P R E T A T I O.

P H. An illud petis argentum tibi reddi quod creditoribus meis per scripturam argentariorum reddidi. D E. Quid igitur hac re fiet? P H. Si vis uxorem mihi dare, quam despondisti, eam ducam, sed si statuis ut sponsa illa apud te maneat; dos illa triginta minarum, quam pro illa mihi dedistis, apud me manebit; Demipho. Nam iniquum est propter vos me damnatum pati; & vestri honoris causa mihi fraudem esse. si alteram repudiaverim, qua tantidem dotem mihi afferebat. D E. Abi in malam crucem cum ista magnificentia verborum quæ ais nostro honori consuluisse; fugitive: etiamne credis nos latere qui sis, & qua facere consueveris? P H. Ringor indignatione. D E. Auderesne eam uxorem ducere, si tibi traderetur? P H. Experire. D E. Hoc solum convenerat inter vos, ut

in tuis adibus filius meus habitet cum illa, non ut ipsam pro uxore haberes. P H. Quæso, vide quam frustra memoras. D E. Quin tu argentum mihi redde. P H. Imo vero tu redde uxorem. D E. In jus te voco. P H. In jus? Si equidem ulterius mihi molesti estis. D E. Quid facies? P H. Egone? vos me patrocinium, & defensionem solum fortasse virginum qua sine dote sunt, qualis Phanium est, suscipere opinamini; etiam soleo mulieribus dotatis opem præbere. C H. Quid hoc nostrâ refert? P H. Nihil? hic noveram olim quandam, cujus vir uxorem. C H. Hem! D E. Quid est? P H. Lemni habuit aliam. C H. Perij. P H. Ex qua filiam genuit, & eam secreto educat. C H. Interij. P H. Hæc prolixè illi renunciabo. C H. Per Deos te obtestor ne facias. P H. Ho! an tute is eras? D E. Quam nos ludibrio habes!

- C H.* Missum te facimus. *P H.* fabulæ. *C H.* quid vis tibi ?
Argentum quod habes, condonamus te. *P H.* audio ;
55 Quid vos, malum, ergo me sic ludificamini,
Inepti, vostra puerili sententia ?
Nolo, volo : volo, nolo rursus : cedo, cape :
Quod dictum, indictum est : quod modo erat ratum, irritum est.
C H. Quo pacto, aut unde hæc hic rescivit ? *D E.* nescio :
60 Nisi, me dixisse nemini, id certo scio.
C H. Monstri, ita me Dij ament, simile. *P H.* injeci scrupulum :
D E. hem !
Hiccine ut à nobis hoc tantum argenti auferat,
Tam aperte irridens ! emori hercle fatius est.
Animo virili præsentique ut sis, para :
65 Vides tuum peccatum esse elatum foras,
Neque jam id celare posse te uxorem tuam ?
Nunc quod ipsa ex aliis auditura sit, Chreme,
Id nosmet indicare placabilius est :
Tum hunc impuratum poterimus nostro modo
70 Ulcisci. *P H.* at at, nisi mihi prospicio, hæreo :
Hi gladiatorio animo ad me affectant viam.
C H. At vereor ut placari possit. *D E.* bono animo es :
Ego redigam vos in gratiam : hoc fretus, Chreme,
Cum è medio excessit, unde hæc suscepta est tibi.
75 *P H.* Itane mecum agitis ? satis astute aggredimini :

INTERPRETATIO.

C H. Missum te facimus. *P H.* Fabula, & mendacia sunt vestra pollicitationes. *C H.* Quid petis amplius ? argentum quod à nobis habes, tibi remittimus, & concedimus liberationem jus obligationis. *P H.* Audio : acquiesco vestra sententia : quid ergo, malum ! me sic per lasciviam luditis, stulti, levibus, instar puerorum, promissis ? nolo, volo : volo, nolo rursus : cedo, cape : quod modo probatum & fixum erat, statim improbatum est. *C H.* Quo modo, aut à quibus istud inauditum, & scire potuit ? *D E.* Ignoro : unum scio, nulli hominum me hoc secreti detexisse. *C H.* Istud, ita Dij mihi faveant, prodigij instar est. *P H.* Injedi scrupulum hominibus. *D E.* Hoccine fiet, ut à nobis hanc ingeniem summam pecuniæ extorqueat ? mori, per Herculem, omnino, potius est : ostende ergo te animosum, & fortem, sicut virum decet. *Cer-*

nis culpam tuam in vulgus delatam esse, & manifestatam ; neque te eam uxori tua occultare jam posse : nunc illud commodius, & validius erit ad placandam Nausistratam, si illi referamus nosmet ipsi, quod alij ei nunciaturi sunt : hoc pacto etiam de hoc flagitioso, & omni scelere contaminato, nostro arbitrio, ultionem sumere poterimus. P H. At, at, nisi saluti mea carveo, in eâ difficultate involvendus, & implicandus sum, ut inde egre me expediam. Hitanquam Gladiatores adversi in me tendunt, audaci, & pertinaci ad exitium meum animo. *C H.* At metuo ut Nausistrata mitigari & sedari possit. *D E.* Securus esto ; ego vos in concordiam reducam, & in gratiam reconciliabo hoc confusus quod hæc mulier è vivis abiit, ex quâ hanc virginem suscepisti. *P H.* Itane vos igitur erga me geritis ? Satis me callide adorimini scilicet

- Non hercle ex re istius me instigasti, Demipho.
An tu, ubi quæ libitum fuerit, peregre feceris,
Neque hujus sis veritus fœminæ primariæ,
Novo modo ei quin faceres contumelias ;
80 Venias nunc precibus lautum peccatum tuum ?
Hisce ego illam dictis ita tibi incensam dabo,
Ut ne restinguas, lacrumis si exstillaveris.
D E. Malum, quod isti Dij, Deæque omnes duint.
Tantane affectum hominem quemquam esse audacia ?
85 Non hoc publicitè scelus hinc deportarier
In solas terras ? *C H.* in id redactus sum loci,
Ut nesciam prorsus, quid agam cum illo. *D E.* ego scio :
In jus eamus. *P H.* in jus ? huc, si quid lubet.
D E. Assequere, ac retine, dum huc ego servos evoco.
90 *C H.* Enim solus nequeo : accurre huc. *P H.* una injuria est
Tecum. *C H.* lege agito ergo. *P H.* altera est tecum, Chreme.
D E. Rape hunc. *P H.* itane agitis ? enimverò voce est opus.
Nausistrata, exi. *C H.* os opprime. *D E.* impurum vide,
Quantum valet. *P H.* Nausistrata, inquam. *C H.* non taces ?
95 *P H.* Taceam ? *D E.* nisi sequitur, pugnos in ventremingere.
Vel oculum exclude. *P H.* est ubi vos ulciscar probe.

INTERPRETATIO.

per Herculem, Demipho, non est utile isti Chremei nec commodum, quod me irritasti. An tu vero, Chreme, postquam peregre in Lemno agens libidini tua satisfeceris, nec te quidquam puduerit fœmina uni ex primariis, novo modo facere injuriam, nunc venias purgatum precibus flagitia tua ? Talibus ego illam dictis, ita inflammatam ira in te redam, ut ne restinguas, etiam si totus lachrymis liquefactus stillatim fluas. *D E.* Malum, quod Dij, Deæque omnes à nobis avertant, & in istum vertant. An quisquam tantâ audacia præditus inveniri potest ? Nonne hæc pestis, hic sceleris dignus est, qui publico decreto in extremas, & desertas terras amandetur. *C H.* In eo statu situs sum, ut ignorem omnino quomodo mihi agendum sit cum illo. *D E.* At ego non ignoro. In jus, ad Prætores eamus. *P H.* In jus ? in

hanc Chremeis domum, si libet istud. *D E.* Chreme, hunc assequere, & contententem ad domum tuam retrahere, atque inhibere, dum ego huc servos accieo. *C H.* Huc accurre, nam solus ego hunc retinere non possum. *P H.* Una mihi tecum injuria actio est, pro contumelia quam mihi facis, Demipho. *C H.* Lege age igitur. *P H.* Altera est tecum, Chreme. *D E.* Rape hunc in jus venientem. *P H.* Itane male mecum agitis ? certe opus est ut clamitem : Nausistrata, faras egredere. *C H.* Occlude os illi. *D E.* Vide quantum roboris & virium flagitiosus habet. *P H.* Nausistrata, inquam, te voco. *C H.* Non taces ? *P H.* Cur taceam ? *D E.* Nisi sequitur, pugnis huic ventrem tunde, vel oculum exculpe. Est mihi occasio, & facultas vos ulciscendi probe.



ACTUS V. SCENA VIII.

NAUSISTRATA. CHREMES. PHORMIO. DEMIPHO.

N A. **Q**uis nominat me? **C H.** hem! **N A.** quid istuc turbæ est, obsecro,
 Mi vir? **P H.** hem! quid nunc obticuiſti? **N A.** quis hic homo est?
 Non mihi respondes? **P H.** hiccine ut tibi respondeat?
 Qui hercle, ubi sit, nescit. **C H.** cave isti quidquam creduas.
 5 **P H.** Abi: tange: si non totus friget, me eneca.
C H. Nihil est. **N A.** quid ergo est? quid istuc narrat? **P H.** jam scies:
 Ausculta. **C H.** pergin' credere? **N A.** quid ego, obsecro,
 Huic credam, qui nihil dixit? **P H.** delirat miser
 Timore. **N A.** non pol temere est, quod tu tam times.
 10 **C H.** Egon' timeo? **P H.** recte sane: quando nihil times,
 Et hoc nihil est, quod dico ego: tu narra. **D E.** scelus!
 Tibi narret? **P H.** eho tu? factum est abs te sedulo
 Pro fratre. **N A.** mi vir, non mihi narras? **C H.** at. **N A.** quid, at?
C H. Non opus est dicto. **P H.** tibi quidem: at scito huic opus est.
 15 In Lemno. **C H.** hem! quid ais? **D E.** non taces? **P H.** clam te.
C H. hei mihi!
P H. Uxorem duxit. **N A.** mi homo, Dij melius duint.

INTERPRETATIO.

N A. **Q**uis iste tumultus? **C H.** Hem!
N A. Quis iste tumultus?
 qua rixa? quaſo, mi vir, dicitis. **P H.**
 Hem, quid nunc obmutuiſti? **N A.** Quis
 hic homo est? nihil respondes? **P H.** Quomo-
 do tibi respondeat iste, qui per Herculem
 ita attonitus est, ut in quo loco stat,
 non cognoscat? **C H.** Vide ne isti quidquam
 credas. **P H.** Accede ad illum, tange:
 si non totus frigore riget, nihil causa di-
 co, quin me occidas. **C H.** Nihil est.
N A. Quid ergo est? quid iste recitat?
P H. Iam discas, attente me audi. **C H.**
 Perſiſtis ne, uxor, isti credere? **N A.**
 Quid ego, cedo, huic credam, qui non-
 dum ullum verbum loquutus est? **P H.**
 Mente errat & insanit pra metu. **N A.**
 Per Pollucem non sine causa est quod tan-

tum metuis, **C H.** Egone metuo? **P H.**
 Recte sane: quando ergo nihil metuis,
 nihilque esse dicis, quod metuere debeas,
 qua ego illi mox dicturus sum, tu ipse
 met illi recense. **D E.** Scelste, ex tua vo-
 luntrate ille recenseat? **P H.** Eho tu, egre-
 gie & strenue te g'ssiſti in defendendo fra-
 tre, dum me offendis. **N A.** Mi vir, ec-
 quid mihi recitas, quod hic ait?
C H. At. **N A.** Quid, at? **C H.** Non
 opus est hoc referre. **P H.** Tibi qui-
 dem non opus est ut referatur; sed
 opus est, ut illa resciat. In Lemno
 cum esset. **C H.** Hem, quid ais?
D E. An non taces? **P H.** Te ignarâ
 & insciâ. **C H.** Hei mihi! **P H.**
 Uxorem duxit. **N A.** Mi homo, non
 ita est, ut ait: Dij melius esse valint.

ANNOTATIONES.

11. Scelus.] Id est scelestus.

16. Duint.] Id est dent.

P H. Sic

P H. Sic factum est. **N A.** perij misera. **P H.** & inde filiam
 Suscepit jam unam, dum tu dormis. **C H.** quid agimus?
N A. Pro. Dij immortales! facinus indignum, & malum!
 20 **P H.** Hoc actum est. **N A.** an quidquam hodie est factum indi-
 gnus?
 Qui mihi, ubi ad uxores ventum est, tum fiunt senes.
 Demipho, te appello: nam me cum hoc ipso distinet loqui.
 Hæcine erant itiones crebræ, & mansiones diutinae
 Lemni? hæccine erat, qua nostros fructus minuebat, vilitas?
 30 **D E.** Ego, Nausistrata, esse in hac re culpam meritum non nego;
 Sed eam quæ sit ignoscenda. **P H.** verba fiunt mortuo.
D E. Nam neque negligentia tua, neque odio id fecit tuo,
 Vinolentus fere abhinc annos quindecim mulierculam
 Eam compressit unde hæc nata est, neque postilla unquam attigit.
 35 Ea mortem obiit: è medio abiit: qui fuit in re hac scrupulus.
 Quam ob rem te oro, ut alia facta tua sunt, æquo animo hoc feras.
N A. Quid ego æquo animo? cupio misera in hac re jam defungier.
 Sed quid sperem? ætate porro minus peccaturum putem?
 Jam tum erat senex, senectus si verecundos facit.
 40 An mea forma atque ætas nunc magis expetenda est, Demipho?
 Quid mihi hic affers, quamobrem expectem, aut sperem porro
 non fore?

INTERPRETATIO.

P H. Sic factum est. **N A.** Perij misera.
P H. Et ex ea genuit jam unam filiam,
 dum tu secura es, & sola dormis. **C H.**
 Heu quid agam? **N A.** Pro. Dij im-
 mortales, facinus flagitiosum, & perni-
 ciosum! **P H.** Tamen hoc factum est.
N A. An quidquam hoc tempore fa-
 ctum est turpius, magis ignominiosum, ac
 probrosius ab homine ullo? Nempe cum ad
 uxores accedunt, tum mihi fiunt debiles
 & infirmi senes. Demipho te alloquor:
 nam me cum isto sermonem conferre ni-
 midum tadet, & fastidiosum est. Hanc
 erant ideo frequentes profectiones, &
 diuturna Lemni commorationes? hæc-
 ne erat vilitas, annona, quam dictita-
 bat minuire pretia fructuum nostrorum?
D E. Ego Nausistrata non inficior cul-
 pam in hac re à Chremete merito ejus
 admittam esse, sed talem, qua sit con-
 donanda ex omni: m sententia. **P H.** Hac
 verba in gratiam Chremetis, ad pla-
 candam Nausistratam facere, est mor-
 tuo verba facere. **D E.** Nam neque id
 fecit, quod te negligeret, & odio habe-
 ret, sed vino captus fere sunt anni
 quindecim, cum mulierculam gravidam
 fecit; unde hæc virgo genita est, neque
 postea unquam cum illa rem habuit;
 eadem è vitâ decessit, morte sublata est,
 que si viveret difficultates, & dissidia
 afferre posset. Quapropter te obsecro,
 qua tua est solita benignitas & facili-
 tas, ut hoc etiam patienter feras. **N A.**
 Quid? me patienter id ferre? utinam
 in hac tam atroci injuriâ, omnibus de-
 functa essem, & libera in posterum; ut
 desineret, & finem faceret Chremes mi-
 hi molestias exhibere; sed quid melius
 expectem ab illo? An propter ætatem
 minus eum libidini deditum iri opiner?
 At jam tum erat senex; si quidem se-
 nectus homines à peccando abstertere per
 verecundiam debet. An mea pulchritudo
 atque ætas præbens magis quam antea eum
 alluciet in amorem, Demipho? quid mihi
 proponis, quamobrem expectem eum
 ulterius ad libidinem non rediturum.

V u

PH. Exequias Chemeti, quibus est commodum, ire jam tempus est. Sic dabo. age nunc, Phormionem, qui volet, laceffito: Faxo tali eum mactatum, atque hic est, infortunio.

45 Redeat sane in gratiam: jam supplicij satis est mihi:

Habet hæc, ei quod, dum vivat, usque ad aurem obganniat.

NA. At meo merito credo. quid ego nunc commemorem, Demipho,

Singillatim, qualis ego in istum fuerim? *DE.* novi æque omnia Tecum. *NA.* merito hoc meo hoc videtur factum? *DE.* minime gentium:

50 Verum, quando jam accusando fieri infectum non potest,

Ignosce: orat, confitetur, purgat. quid vis amplius?

PH. Enimvero, prius quam hæc dat veniam, mihi prospiciam, & Phædriæ.

Heus, Nausistrata, prius quam huic respondes temere, audi,

NA. quid est?

PH. Ego minas triginta ab isto per fallaciam abstuli:

55 Eas dedi tuo gnato. is pro sua amica lenoni dedit.

INTERPRETATIO.

PH. Exequias funeris Chremetis prosequi si quibus vacat, jam tempus est celebrare. Sic dabo exercitum, & opprobrijs expositum. Age, age nunc, si cui libeat, Phormionem irritato; faciam ut tali, atque hic, augeatur arumna, & calamitate: reconciliemur sane nunc in gratiam: jam satis hac ultio mihi sufficit. Habet à me hæc Nausistrata quod et, dum stabit in vita, quod ei ad aurem occinat & obmurmuret. *NA.* An ita fortasse de eo merueram, ut sic mecum ageret! credo vero. Quid nunc ego minutatim tibi narrem, qualem ego erga eum me gesserim? *DE.* Probe id scio tecum pariter. *NA.* An tibi videor di-

gna fuisse hac contumelia? *DE.* Minime omnium: verum cum hac illius culpa criminationibus, & increpationibus infecta reddi non potest, condona illi. Obsecat, confitetur se deliquisse, postulat ut suam purgationem, & satisfactionem accipias. Quid exigis amplius? *PH.* Equidem, priusquam hæc se ignoscere marito culpam pronunciet, mihi pracavendum & Phædriæ, Heus, Nausistrata, priusquam huic subito incogitans respondeas, audi me. *NA.* Quid est? *PH.* Ego minas triginta per dolum à marito tuo per dolum expiscatus sum: eas dedi tuo filio; is pro sua amica lenoni dedit,

ANNOTATIONES.

43. Exequias ire.] Quemadmodum dicimus ire inficias, pro inficiari, sic ire exequias Antiqui dicebant. Hac formula exequiæ indicebantur; L. Titius vixit: L. Titio exequias ire quoi (pro cui) commodum est jam tempus est: ollus (pro, ille) effertur.

43. Mactatum infortunio.] Macto,

verbum est sumptum à facris. Dictum putant, quasi, magis aucto, id est, augeo; nam priusquam victimam immolarent, thus, aut vinum super eam fundebant; unde mactam illam dicebant, quasi magis auctam. Mactare morte, supplicio, damno, infortunio dicitur per metaphoram.

CH. Hem, quid ais? *NA.* adeon' indignum tibi viderar, filius Homo adolescens unam si habet amicam? tu uxores duas.

Nil pudere? quo ore illum objurgabis? responde mihi.

DE. Faciet, ut voles. *NA.* imo, ut meam jam scias sententiam.

60 Neque ego ignosco, neque promitto quidquam, neque respondeo,

Prius quam gnatum video. ejus judicio permitto omnia: is

Quod jubebit, faciam. *PH.* mulier sapiens es, Nausistrata.

NA. Satin' id est tibi? *PH.* imo vero pulcre discedo, & probe.

Et præter spem. *NA.* tu tuum nomen dic quod est. *PH.* min', Phormio,

65 Vestræ familiæ hercle amicus, & tuo summus Phædriæ.

NA. Phormio, at ego æcastor, posthac tibi quod potero, & quæ voles,

Faciamque, & dicam. *PH.* benigne dicis. *NA.* pol meritum est tuum.

PH. Vin' primum hodie facere, quod ego gaudeam, Nausistrata,

Et quod tuo viro oculi doleant? *NA.* cupio. *PH.* me ad cœnam voca.

70 *NA.* Pol vero voco. *DE.* eamus intro hinc. *CH.* fiat. sed ubi est Phædria,

Judex noster? *PH.* jam hic faxo aderit. Vos valetè, & plaudite.

CALLIOPIUS RECENSUI.

INTERPRETATIO.

CH. Hem, quid ais? *NA.* Adeone hoc malefactum, & grave delictum putas, si filius adolescens habet unam amicam, cum tu uxores duas habeas? nihil te pudet? quâ fronte, nisi ferreâ, illum culpa argues? Responde mihi. *DE.* Faciet ut tibi libuerit. *NA.* Imò jam ut non ignores quid constituerim facere; neque ego veniam do, neque ullo promisso me obligo, neque responso quidquam asservo, priusquam filium meum videro; eum arbitrum omnium controversiarum facio: quod judicabit ratum habebò & confirmabo. *PH.* Sapis, Nausistrata, & recte censet. *NA.* Satisne id tibi hoc est, atque ex aequitate constitutum? *PH.* Imò vero egregie, & abunde, supraque omnem spem satis factum est; itaque lætus & contentus hinc

abeo. *NA.* Tu vero dic mihi, quod tibi nomen est? *PH.* Mihine? Phormio nomen est: familia vestra quidem amicus, & tuo filio Phædria amicissimus. *NA.* At ego, Phormio, per Castorem posthac, tui causa, quoad ejus potero, & quæ petes, faciamque & dicam. *PH.* Prolixè & liberaliter loqueris. *NA.* Per Pollucem ad hoc meritum tuum me adducit. *PH.* Visne primum hodie facere, quod mihi pergratum erit, & oculis mariti tui molestum atque agrum? *NA.* Cupio. *PH.* Ad cœnam me invita. *NA.* Per Pollucem sane te invito. *DE.* Hinc intro eamus. *CH.* Ita fiat: sed ubi est Phædria arbiter, & judex noster? *PH.* Mox efficiam ut præsid sit. Vos valetè, & plaudite.

Calliopius recensui.



*Amorem ; dum se purgat Bacchis , annulum
Mater vitata forte agnoscit Myrrhina :
Vxorem recipit Pamphilus cum filio.*

INTERPRETATIO.

*dum se excusat Bacchis , forte accidit | fuit. Vxorem cum filio recipit Pam-
ut Myrrhina annulum agnosceret , quem | philus.
gerebat filia , cum stuprum ei illatum*

PROLOGUS.

HECYRA est huic nomen fabulæ. hæc cum data
Est nova , novum intervenit vitium & calamitas ;
Ut neque spectari , neque cognosci potuerit :
Ita populus studio stupidus in funambulo
5 Animum occuparat. nunc hæc plane est pro nova :
Et is , qui scripsit hanc , ob eam rem noluit
Iterum referre , ut iterum possit vendere.
Alias cognostis ejus : quæso hanc noscite.
Orator ad vos venio ornatu prologi,
10 Sinite exorator sim , eodem ut jure uti senem
Liceat , quo jure sum usus adolescentior ,
Novas qui exactas feci ut inveterascerent ,
Ne cum poëta scriptura inveterasceret.

INTERPRETATIO.

Hecyra nominatur hac fabula. Tunc cum n. va exhibitæ est , fortuito vitio & calamitate factum est , ut neque spectari , neque cognosci potuerit vel ex scena apparatu , vel ex personarum actione : ita populus stupens admiratione funambuli , in eo spectando animo defixus fuerat. Nunc hæc fabula Hecyra tanquam nova datur , ut qua acta non fuit. & poëta qui hanc fecit , noluit post spectaculum funambuli , denuò eam introducere in scenam , ut iterum pro nova eam histrionibus venderet. Alias Poëta fabulas notas habetis , hanc precor ut noscatis attente spectate. Orator legatus à grege Histrionum ad vos , spectatores , venio in vestitu Prologi , per vos liceat mihi exoratore esse impetrando ea , qua postulo. Permittite mihi Lucio Ambrosio Actori comico uti eadem facultate , nunc cum senex sum , quæ uti mihi licuit , cum adolescens fui , qui feci ut Comædia nova Cæcilij Poëta , licet expulsa , viverent , & ad vetustatem pervenirent sapius deinceps acta , & probata ; ne cum Poëta poëma caducum fieret , & periret.

ANNOTATIONES.

1. Hecyra.] *ἠὺρεξ* , significat Socrum. repta concidisset , aut si alia legitima omiſſa fuissent : nam comitia his casibus dirimenda erant : aliter tota actio vitiosa , & inauspicata censebatur.

In his , quas primum Cæcilij didici novas ,
15 Partim sum earum exactus , partim vix steti.
Quia sciebam dubiam fortunam esse scenicam ,
Spe incerta certum mihi laborem sustuli.
Easdem agere cœpi , ut ab eodem alias discerem
Novas studiose , ne illum ab studio abducerem.
20 Perfeci ut spectarentur : ubi sunt cognitæ ,
Placitæ sunt. ita poëtam restitui in locum ,
Prope jam remotum injuria advorsariûm
Ab studio , atque ab labore , atque arte musica.
Quod si scripturam sprevissem in præsentia , &
25 In deterrendo voluissem operam sumere ,
Ut in otio esset , potius quàm in negotio ;
Deterruissem facile , ne alias scriberet.
Nunc quid petam , mea causa , æquo animo attendite.
Hecyram ad vos refero , quam mihi per silentium
30 Nunquam agere licitum est , ita eam oppressit calamitas.
Eam calamitatem vestra intelligentia
Sedabit , si erit adiutrix nostræ industriæ.
Cum primum eam agere cœpi , pugilum gloria ,
Funambuli eodem accessit expectatio :
35 Comitum conventus , strepitus , clamor mulierum
Fecere , ut ante tempus exirem foras.

INTERPRETATIO.

In Cæcilij Comædijs quas novas primum recitari , partim eas agens sum reje-ctas ; partim vix potui fabulam per-agere. Quoniam vero videbam fortunam scena ancipitem esse , & periculosa ; ideo in spe incerta certum laborem subij ; easdem Cæcilij Comædias , qua exclusæ fuerant , agendas suscepi , ut alias ejusdem novas recitandas discerem accurate : effecique ut populus eas spectaret , probaretque ; ne ille deterritus à studio scribendi fabulas abstracta , grata & accepta populo fuerunt : ita Poëtam Cæcilium in pristinum statum , & estimationem reduxi , qui pe-ne rejectus & repulsus fuerat , iniquitate inimicorum abs studio , industriâ , atque arte Poëtica. Quod si Cæcilij fabulas exclusas à scena agere iterum neglexissem , tunc cum primum edita fuerunt , & in dehortando eum à labore , ut in quiete potius ageret , quam in tanto labore studij ; facili negotio eum ab alijs Comædijs faciendis avertissem. Nunc quid postulem , rogo vos ut mei gratiâ , favente , & placido animo advertatis. Hecyram Comædiam in scenam reduco , quam mihi exhibere cum favente silentio nunquam concessum est ; tantum eam obruit infortunium. Istud infortunium vestra prudentia , & ad eam Comædiam cognoscendam attentio placabit , si nostra diligentia opem afferat. Simul atque eam coram populo recitare cœpi , pugiles gloria cupidi , populus magna expectatione & ingenti studio concitatus spectandi funambuli , concursus eorum qui in nostro sunt comitatu , tumultus , vociferatio mulierum , me coegerunt egredi , ante completam fabula actionem , extra Theatrum.

- Vetere in nova cœpi uti consuetudine,
 In experiundo ut essem: refero denuo;
 Primo actu placeo. cum interea rumor venit;
 40 Datum iri gladiatores. populus convolat:
 Tumultuantur, clamant, pugnant de loco.
 Ego interea meum non potui tutari locum.
 Nunc turba nulla est: otium & silentium est.
 Agendi tempus mihi datum est: vobis datur
 45 Potestas condecorandi ludos scenicos.
 Nolite sinere per vos artem musicam
 Recidere ad paucos: facite, ut vestra autoritas
 Meæ autoritati fautrix adiutrixque sit.
 Si nunquam avare statui pretium arti meæ,
 50 Et eum esse quæstum in animum induxi maximum;
 Quam maxime servire vestris commodis;
 Sinite impetrare me, qui in tutelam meam
 Studium suum, & se in vos tram commisit fidem,
 Ne eum circumventum inique iniqui irrideant.
 55 Mea causa causam hanc accipite, & silentium
 Date, ut libeat scribere aliis, mihi que ut discere
 Novas expediat, posthac pretio emptas meo.

INTERPRETATIO.

Cœpi uti antiqua consuetudine, quæ
 usus fui in Cæcilij fabulis, in nova Te-
 rentij Comœdia Hecyra, ut in periculo
 faciendo insisterem, & tentare perseve-
 rarem. Iterum Hecyram Comœdiam in-
 troduco in Theatrum. Primo actu gra-
 tus sum, & acceptus: quum interea
 sermo spargitur exhibitum iri gladiato-
 res. Fit subitus populi concursus, turba
 excitantur, vociferantur, certant propter
 locum: ego interea dum hac fierent non
 potui defendere locum in quo ipse age-
 bam. Nunc tumultuatio nulla est, tran-
 quillitas, & taciturnitas observantur,
 occasio opportuna recitandi ab adiutibus
 mihi præbetur. Vobis licet ludos Thea-
 trales, qui in scena aguntur, cohone-
 stare favore silentij vestri. Nolite com-
 mittere, ut ars Poëtica paucos artifices
 peritos habeat, & ad paucos perveniat:

concedite mihi subsidium vestrum &
 præsidium, dum enixè laboro in ju-
 vando Poëtas eorumque studia. Si nun-
 quam avare arti meæ estimationem &
 indicationem feci, & mihi persuasi lu-
 crum istud esse amplissimum, vestris uri-
 litatibus, & emolumentis atque oblecta-
 mentis inservire: permittite me hoc à
 vobis precibus obtinere, ne eum delu-
 sum improbi improbe ludibrio habeant,
 qui studium & operam artis suæ mihi
 tuendam, & se fidei & favori ve-
 stro protegendum dedit. Mei gratiâ,
 causam Poëta Terentij suscipite defen-
 dendam, & linguis favete, ut alij
 Poëta quoque libenter studeant compo-
 nendis Comœdijs, mihi que conducant no-
 vas memoria mandare, & addiscere,
 quas pecunia mea estimatione à Poëta
 comparaverim.



ACTUS

ACTUS PRIMI SCENA I.

PHILOTIS. SYRA.

- PH. PER pol quam paucos reperias meretricibus
 Fideleis evenire amatores, Syra.
 Vel hic Pamphilus jurabat quoties Bacchidi,
 Quam sancte, ut quivis facile possit credere,
 5 Nunquam illa viva ducturum uxorem domum:
 En! duxit. SY. ergo propterea te sedulo
 Et moneo, & hortor, ne cujusquam misereat,
 Quin spolies, mutiles, laceres, quemque nacta sis.
 PH. Utin' eximium neminem habeam? SY. neminem:
 10 Nam nemo illorum quisquam, scito, ad te venit,
 Quin ita paret sese, abs te ut blanditiis suis
 Quam minimo pretio suam voluptatem expleat.
 Hiscine tu, amabo, non contra insidiabere?
 PH. Tamen eandem pol esse omnibus, injurium est.
 15 SY. Injurium est autem ulcisci advorsarios?
 Aut qua via captent te illi, eadem ipsos capi?
 Eheu me miseram! cur non aut istæc mihi
 Etas & forma est, aut tibi hæc sententia?

INTERPRETATIO.

PH. Perquam raros aliquis inve-
 niat, meretricibus amatores con-
 spiciam fidei contingere, Pollucem testor,
 Syra. Etiam hic Pamphilus, quoties ju-
 rjurando fidem obligabat Bacchidi,
 & religiose promittebat (ut quilibet fa-
 cile sibi persuaderet eum certa dicere)
 nunquam se ullam mulierem, dum illa vi-
 veret, in uxorem accepturum: ecce! ac-
 cepit tamen. SY. Propterea igitur te
 commonefacio, & adhortor, ne cujus-
 vis amatoris miseratio te moveat, quo-
 minus eum omnibus opibus exuas, di-
 minuas, dilantes, quicumque ad te
 veniet. PH. Mihi ne suades ne ullum
 mihi seligam præcipuum, dilectum mihi,
 cui ne quidem parcam? SY. Aio ne-
 minem: nam ita habeo, nullus ex il-
 lis te adit, quin ita se disponat, ut ser-
 monibus blandis libidinem suam ex-
 te quam admodum modica mercede sa-
 tiet. Talibusne amatoribus tu vicissim,
 rogo te, insidias non tendes? PH. Nihil-
 ominus iniquum est eandem se gerere
 erga omnes. SY. An autem iniquum est
 punire inimicos? aut eadem arte, quæ
 te decipere student, eos decipi? Eheu me
 infortunatam! cur non tua etas, &
 pulchritudinis ego sum; vel tu mea sen-
 tentia non es?



XX

ACTUS I. SCENA II.

P A R M E N O . P H I L O T I S . S Y R A .

P A. Senex si quæret me, modo ipse dicito
 Ad portum, percontatum adventum Pamphili.
 Audin', quid dicam, Scirte? si quæret me, uti
 Tum dicas: si non quæret, nullus dixeris,
 5 Alias ut uti possim causa hac integra.
 Sed videon' ego Philotium? unde hæc advenit?
 Philotis, salve multum. P H. ô salve, Parmeno.
 S Y. Salve mecastor, Parmeno. P A. & tu ædepol, Syra,
 Dic mihi, Philoti, ubi te oblectasti tam diu?
 10 P H. Minime me equidem oblectavi, quæ cum milite
 Corinthum hinc sum profecta inhumanissimo:
 Biennium ibi perpetuum misera illum tûli.
 P A. Ædepol te desiderium Athenarum arbitror,
 Philotium, cepisse sæpe, & te tuum
 15 Consilium contempsisse. P H. non dici potest
 Quam cupida eram huc redeundi, abeundi à milite,
 Vosque hic videndi, antiqua ut consuetudine

I N T E R P R E T A T I O .

P A. S I senex Laches à te quæret
 ubi sim, illi dicito modo me
 ivisse ad portum, inquisitum de reditu
 Pamphili ex Imbro insula. Advertisne
 quid dicam, Scirte? Si quæret, in-
 quam, ut tunc istud ei dicas: si verò
 non quæret, nihil quidquam ei di-
 xeris; ut alio tempore hanc causam
 non prius dictam possim pratexere. Sed
 ecquid video Philotium? unde Arhe-
 pas advenit? Philotis, multum mihi
 salva sis. P H. Salve tu quoque, Par-
 meno. S Y. Salve pol, mi Parmeno.
 P A. Et tu ædepol, Syra. Dic mihi,

Philoti, ubi tandiu voluptati vacasti?
 P H. Minime certe voluptati vaca-
 vi, qua hinc Athenis Corinthum
 profecta sum cum milite immittissimo.
 Ibi per spatium continuum duorum
 annorum misera illum passa sum. P A.
 Per adem Pollucis, Philotium, opi-
 nor te sæpe desiderio Athenarum sta-
 grasse, & consilium hinc discedendi
 improbasse. P H. Verbis exprimi non
 potest quanta cupiditas me tene-
 bat in hanc urbem revertendi, disce-
 dendu à milite, atque aspectu vestro
 fruendi, ut ex vetusta familiaritate

A N N O T A T I O N E S .

II. Corinthum.] Achaia urbs in me-
 dio Isthmi Peloponnesiaci sita (Isth-
 mos autem Græci vocant angustias,
 quibus à peninsula ad continentem est
 aditus) ab ortu Saronicum; ab occasu,
 Crissaum sinum habens, qui & Co-
 rinthiacus dicitur; duobus incluta por-
 tubus. Cenchræ ab ortu portus im-
 minet Ægæo mari; Lechæ Jonio ab
 occasu: unde bimarem Poëtæ Corin-
 thum dixerunt.

Agitare inter vos libere convivium.
 Nam illi haud licebat nisi præfinito loqui
 20 Quæ illi placerent. P A. haud opinor commode
 Finem statuisse orationi militem.
 P H. Sed quid negoti hoc? modo quæ narravit mihi
 Hic intus Bacchis? quod ego nunquam credidi
 Fore, ut ille hac viva posset animum inducere
 Uxorem habere. P A. habere autem? P H. eho tu, an non habet?
 25 P A. Habet, sed firmæ hæc vereor ut sint nuptiæ.
 P H. Ita Dij Deaque faxint, si in rem est Bacchidis,
 Sed qui istuc credam ita esse? dic mihi, Parmeno.
 P A. Non est opus prolato hoc: percontarier
 30 Desiste. P H. nempe ea causâ, ut ne id fiat palam.
 Ita me Dij amabunt, haud propterea te rogo, ut
 Hoc proferam, sed tacita ut mecum gaudeam.
 P A. Nunquam dices tam commode, ut tergum meum
 Tuam in fidem committam. P H. ah noli, Parmeno:
 35 Quasi tu non multo malis narrare hoc mihi,
 Quam ego, quæ percontor, scire. P A. vera hæc prædicat:
 Et mi illud vitium maximum est. si mihi fidem
 Das te tacituram, dicam. P H. ad ingenium redis.
 Fidem do, loquere. P A. auscultra. P H. istic sum. P A. hanc
 Bacchidem
 40 Amabat, ut cum maxime, tum Pamphilus,

I N T E R P R E T A T I O .

celebrarem vobiscum convivium, nullius
 voluntati subdita: nam Corinthi non
 erat mihi facultas loquendi, nisi qua
 grata essent militi, prout determinasset,
 & præscripsisset. P A. Non arbitror bene
 pro tua voluntate militem terminum
 & modum præfuisse sermonibus tuis,
 cum vos loquaces sitis. P H. Sed quid
 rei est? qualia, & quanta retulit mihi
 hic intus Bacchis? Illud quod nunquam
 putavi futurum esse, ut Pamphilus pos-
 set adduci ut uxorem duceret, dum Bac-
 chis vitam ageret. P A. Quid? ais eum
 uxorem duxisse? P H. Eho tu, respon-
 de: annon duxit? P A. Duxit, sed
 dubito an sint stabiles hæc nuptiæ. P H.
 Dij, Deaque faciant ne sint stabiles,
 si id utile est Bacchidi: sed quam ob
 causam, unde istud credam ita esse,
 scilicet has nuptias non esse firmas? P A.
 Non opus est id declarare: desine id cu-
 riosè inquirere. P H. Nimirum ne id
 fiat manifestum, quare non sint firma.
 Ita me Dij bene ament, non propter
 eam causam te interrogo, ut hoc publi-
 cem, sed ut tacitam apud me voluptatem
 capiam, ut in sinu gaudeam. P A. Nun-
 quam tam idonee & apte eloqueris ad
 persuadendum, ut tergum meum in tu-
 telam tuam dedam. P H. Ab noli Par-
 meno dicere talia, quasi tu non potius
 velis hoc mihi commemorare, quam ego,
 qua inquiram, inaudire. P A. Verum hæc
 mulier dicit; & istud vitium mihi propriū
 est, tacere non posse. P H. Ad naturam
 tuam garrulam & loquacem redis. P A.
 Si mihi promittis te celaturam, quod qua-
 ris id proferam. P H. Promitto me tacitu-
 ram: narra. P A. Audi attente. P H. Para-
 ta sum ad audiendum. P A. Hanc Bacchi-
 dem Pamphilus tam vehementer tunc ama-
 bat ut nunquam magis antea amavisset.

- Cum pater, uxorem ut ducat, orare occipit:
 Et hæc, communia omnium quæ sunt patrum,
 Sese senem esse dicere, illum autem unicum
 Præsidium velle se senectuti suæ.
- 45 Ille se primò negare: sed postquam acrius
 Pater instat, fecit animi ut incertus foret,
 Pudorin' anne amori obsequeretur magis,
 Tundendo atque odio denique effecit senex:
 Despondit ei gnatam hujus vicini proximi.
- 50 Usque illud visum est Pamphilo neutiquam grave,
 Donec jam in ipsis nuptiis, postquam videt
 Paratas, nec moram illam, quin ducat, dari;
 Ibi demum ita ægre tulit, ut ipsam Bacchidem
 Si adesset, credo ibi ejus commiseresceret.
- 55 Ubicunque datum erat spatium solitudinis,
 Ut conloqui mecum unâ possent: Parmeno,
 Perij, quid ego egi? in quod me conjeci malum?
 Non potero hoc ferre, Parmeno. perii miser.
- P. H.* At te Dij Deæque perdunt cum isto odio, Laches,
 60 *P. A.* Ad pauca ut redeam, uxorem deducit domum.
 Nocte illa primâ virginem non attigit:
 Quæ consecuta est nox, eam nihilo magis.
- P. H.* Quid ais? cum virgine una adolescens cubuerit;
 Plus potus, sese illac abstinere ut potuerit?
 65 Non verisimile dicis; nec verum arbitror.

INTERPRETATIO.

cum pater Laches eum rogare cœpit, ut uxorem ducere velit & eum commonefacere de his, quæ ab omnibus patribus solent proponi: sese dicit senectutis onere premi, illum unicum, sine fratribus, velle sibi in senectute esse levamen. Primò Pamphilus recusabat accipere: verum postquam pater vehementius urget, fecit ut animi dubius esset, pudorine & reverentia patris, an amori Bacchidis amica se dederet; denique crebris hortationibus impellendo, & odiose flagitando senex effecit, quod volebat, stipulatus est ei in uxorem filiam hujus vicini proximi Phidippi Philumenam. Eò usque sponsalia non nimis moleste tulit, quousque in ipso tempore nuptiarum, ubi videt eas mox celebrandas, ibi tandem ægritudine tantâ animi cruciatus fuit, ut si ipsa Bacchis præsens esset, non me-

diocri commiseratione moveretur. In quocunque loco, seorsum ab aliis, solis nobis esse licebat, ut cogitationes suas mihi exponere verbis clam posset; Parmeno, perditus sum, dicebat; quid ego feci assentiendo his sponsalibus? in quod infortunium me precipitem dedi? non potero tolerare istud malum, Parmeno, perditus sum infœlix. *P. H.* At te Dij, Deæque perdant, Laches, cum instanti tua, & molesta sedulitate. *P. A.* Ut paucis verbis orationem absolvam, Pamphilus uxorem ducit in domum paternam. Nocte illa primâ Philumenam in toro non attigit; altera sequenti, ne magis quidem attigit, *P. H.* Quid ais? Adolescens solus cum unâ virgine plus solito potus cubuerit, & ab ejus tamen amplexibus abstinere, sese ille potuerit; non verò consentaneum & probabile ais, neque id verum esse puto,

- P. A.* Credo ita videri tibi. nam nemo ad te venit; Nisi cupiens tui: ille invitus illam duxerat.
- P. H.* Quid deinde fit? *P. A.* diebus sane pauculis Post, Pamphilus me solum seducit foras,
 70 Narratque, ut virgo ab se integra etiam tum fiet:
 Seque antè quàm eam uxorem duxisset domum,
 Sperasse, eas tolerare posse nuptias.
 Sed quam decrerim me non posse diutius
 Habere, eam ludibrio haberi, Parmeno,
 75 Quin integram itidem reddam, ut accepi à suis;
 Neque honestum mihi, neque utile ipsi virgini est.
- P. H.* Pium ac pudicum ingenium narras Pamphili!
P. A. Hoc ego proferre, incommodum esse mihi arbitror:
 Reddi patri autem, cui tu nihil dicas vitij,
 80 Superbum est: sed illam spero, ubi hoc cognoverit,
 Non posse se mecum esse, abituram denique.
- P. H.* Quid interea? ibatne ad Bacchidem? *P. A.* quotidie:
 Sed, ut fit, postquam hunc alienum ab sese videt,
 Maligna multo & magis procax facta illicò est.
- 85 *P. H.* Non ædepol mirum. *P. A.* atque ea res multo maxime
 Disjunctum illum ab illa, postquam & ipse se,
 Et illam, & hanc quæ domi erat, cognovit fatis,
 Ad exemplum ambarum mores earum æstimans.
 Hæc, ita uti liberali esse ingenio decet,

INTERPRETATIO.

P. A. Credo te ita judicare, nemo enim te convenit, nisi cupidus amator: ille nolens eam uxorem ceperat. *P. H.* Quid deinde sequutum fuit? *P. A.* Non ita multò post Pamphilus sine testibus seorsum me ducit extra domum atque narrat ut Philumenam non attigerit, ut, quod ad se pertinet, virgo etiam tum incorrupta permaneat: se antequam eam accepisset uxorem spem habuisse, se in his nuptiis perduraturum: verum neque mihi decorum, neque virgini commodum, & conducibile est, Parmeno, eam, quam constituerim brevi à me dimittere, deludi & frustra haberi, quominus inviolatam & intactam eodem modo reddam, quomodo eam accepi à parentibus. *P. H.* Religiosum, & castum Pamphili ingenium refers. *P. A.* Hoc ego patri meo renunciare, amorem scilicet Thaidis, non utile mihi esse puto, ne irriter eum: remitti autem virginem ad patrem ipsius, cui nullam culpam filia referre possit, fastuosum est: sed spero Philumenam, ubi intellexerit se mecum versari non posse, tandem discessuram. *P. H.* Quid interea faciebat? ibatne ad amicam Thaidem. *P. A.* Quotidie itabat: sed sicut fieri solet, postquam Thais Pamphilum ab alia possideri muliere, nec adhuc esse suum cognoscit; difficilis; superba, procax, & petulans esse cœpit. *P. H.* Per Pollucem non mirum, si talis facta est. *P. A.* At vero talis malignitas longe maxime illum ab illa segregavit, & avertit, postquam & ipse se ipsum & mores proprios, & illam Thaidem quàm mala esset.

- 90 Pudens, modesta, incommoda atque injurias
Viri omneis ferre, & tegere contumelias.
Hic animus partim uxoris misericordia
Devictus, partim victus hujus injuriis,
Paulatim elapsus est Bacchidi, atque huic transtulit
- 95 Amorem, postquam par ingenium nactus est.
Interea in Imbro moritur cognatus senex
Horunc; ea ad hos redibat lege hæreditas.
Eo amantem invitum Pamphilum extrudit pater.
Relinquit cum matre hic uxorem: nam senex
- 100 Rus abdidit se: huc raro in urbem commeat.
P. H. Quid adhuc habent infirmitatis nuptiæ?
P. A. Nunc audies, primum dies complusculos
Bene conveniebat sane inter eas: interim
Miris modis odisse cœpit Sostratam,
- 105 Neque lites ullæ inter eas, postulatio
Nunquam. *P. H.* quid igitur? *P. A.* si quando ad eam accesserat
Confabulatum, fugere è conspectu illico,
Videre nolle, denique, ubi non quit pati,
Simulat se à matre accersi ad rem divinam, abit.

INTERPRETATIO.

Et quam uxor modesta, diligentius consideravit, & perspexit, ambarum ingenium, comparatione facta examinans: tunc animus ejus uxoris misericordia partim conciliatus, & allectus: partim coactus hujus Thaidis contumeliâ, sensim se ei subduxit, & amorem suum in uxorem transtulit, postquam ingenium suo congruens & conforme reperit. Interea dum hæc geruntur, senex quidam ex eorum cognatione vita decessit in Imbro insula, cujus legitimi erant heredes: eò Pamphilum uxoris amore captum, pater nolentem ad eundem compulit. Hic verò uxorem cum matre reliquit; nam senex seorsum ab hominibus secedens rus se contulit: huc raro Athenam remeat. *P. H.* Quid huc usque dixisti, ex quo infirmas istas esse nuptias demonstrares? *P. H.* Nunc audies; primò aliquot dies concorditer certe inter se vivebant Sostrata & Philumena: repente hæc cœpit illam mirum in modum odio habere; neque tamen ulla jurgia inter eas erant; nulla querela, & accusationes. *P. H.* Quid igitur fuit? *P. A.* Si quandoque Sostrata convenerat Philumenam colloquendi causâ, continuo hæc se illius oculis subripiebat, nolbat eam intueri. Denique ubi non potest socrum tolerare, fingit Philumena, se à matre Myrrhinâ vocari ad sacrificium faciendum.

ANNOTATIONES.

96. Interea in Imbro moritur.] Imbrus maris Egæi Insula est. Sophianus Imbro vocat.
103. Interim miris modis odisse.] Fallitur Parmeno, cum non odio so-
- crus, sed pudore, similitudinem ad- versus socrum Philumena simulavit.
107. Fugere è conspectu.] Ut pote que caveret gravida intelligi.

- 110 Ubi illic est dies complureis, accersi jubet.
Dixere causam tunc nescio quam: iterum jubet;
Nemo remisit. postquam accersunt sapius,
Ægram esse simulant mulierem. nostra illico
Is visere ad eam: admisit nemo. hoc ubi senex
- 115 Rescivit, heri ea causa rure huc advenit,
Patrem continuo convenit Philumenam.
Quid egerint inter se, nondum etiam scio:
Nisi sane curæ est, quorsum eventurum hoc fiet.
Habes omnem rem: pergam quò cœpi iter.
- 120 *P. H.* Et quidem ego. nam constitui cum quodam hospite
Me esse illum conventuram. *P. A.* Dij vortant bene
Quod agas. *P. H.* vale. *P. A.* & tu bene vale, Philotium.

INTERPRETATIO.

ubi multos dies illic moratur; Sostrata eam advocari mandat; causantur nescio quid. Iterum advocatur: non remittitur. Postquam sapius eam accersi vident, aegritudine & morbo fingunt mulierem detineri: nostra hera Sostrata statim it eam visum, nullus intro duxit ad Philumenam. Hoc postquam senex Laches inauduit, heri ob hanc causam è prædio huc remeavit, patrem continuo Philumena Phidippum adit. Quid rei inter eos actum sit adhuc ignoro: præter quam quò valde sollicitus sum & curâ scire, quem eventum hæc res habitura sit. Nunc accepisti ex hac narratione, quòd audire petisti. Persequar iter incœptum ad portum. *P. H.* Et sane ego quoque; nam indixi cuidam amatori advena tempus, quò ad illum venirem. *P. A.* Dij velint bene evenire, feliciter cedere, quidquid actura sis. *P. H.* Vale. *P. A.* Etsi quoque Philotium.

ACTUS SECUNDI SCENA I.

LACHES. SOSTRATA.

- L. A.* **P**Rò Deum atque hominum fidem! quod hoc genus est, quæ hæc conjuratio,
Ut omnes mulieres eadem æque studeant, nolintque omnia?
Neque declinatam quidquam ab aliarum ingenio ullam reperias?
Itaque adeo uno animo omnes focrus oderunt nurus. viris
5 Essè adversas, æque studium est, similis est pertinacia.

INTERPRETATIO.

- L. A.* **P**rob Deum, atque hominum fidem! quale est hoc genus mulierum? qualis hæc est inter eas conspiratio, & confœderatio? ut hæc omnes easdem res velint, & studiose pariter assentiant; neque ulla inveniatur quæ defleat, & recedat ab aliarum natura: adeo valde simili animo, omnes quotquot sunt focrus odio nurus suas prosequuntur: viris adversari similis voluntas, & conatus; similis pervicacia, & mentis obstinatio est.

In eodem omnes mihi videntur ludo doctæ ad malitiam : & Ei ludo , si ullus est , magistram hanc esse satis certò scio.

S O. Me miseram , quæ nunc , quamobrem accuser , nescio!
L A. hem !

Tu nescis ? *S O.* non , ita me *Dij* bene ament , mi *Laches*.

10 Itaque una inter nos agere ætatem liceat. *L A.* *Dij* mala prohibeant.
S O. Meque abs te immerito esse accusatam , postmodum rescifices.
L A. scio.

Tu immerito ? an quidquam pro istis factis dignum te dici potest.
Quæ me , & te , & familiam dedecoras ? filio luctum paras ?

Tum autem ex amicis inimici ut sint nobis affines , facis ;

15 Qui illum decrerunt dignum , suos cui liberos committerent ;
Tu sola exorere , quæ perturbes hac tua impudentia.

S O. Egone ? *L A.* tu , inquam , mulier , quæ me omnino lapidem
haud hominem putas.

An , quia ruri esse crebro soleo , nescire arbitramini ,
Quo quisque pacto hinc vitam vestrorum exigat ?

20 Multo melius , hinc quæ fiunt , quam illic , ubi sum assidue , scio ;

Ideo quia , uti vos mihi domi eritis , proinde ego foris.

Jampridem equidem audivi cepisse odium tui *Philumenam* :

Minimeque adeo mirum : & , ni id fecisset , magis mirum foret.

Sed non credidi adeo , ut etiam totam hanc odisset domum :

25 Quod si scissem , illa hinc maneret potius , tu hinc isse foras.

At vide , quàm immeritò ægritudo hæc oritur mi abs te , *Sostrata*.

INTERPRETATIO.

In eadem schola arbitror illas eruditæ esse ad malefaciendum. In hac schola si usquam ea est , magistram hanc *Sostratam* uxorem meam esse minime dubito. *S O.* O me infœlicem ! qua nunc ignoro , qua de causâ nunc maritus me accuset. *L A.* Hem ! tu nescis ? *S O.* Non equidem , ita *Dij* mihi sint propiti , mi conjux , nobisque concedant unâ vitam ducere longissimam. *L A.* *Dij* meliora velint , & mala avertant. *S O.* Meque nullo meo merito posthac à te accusatam cognosces. *L A.* Nullo tuo merito ? que me , qua te , & familiam ignominia afficis ? & filio luctum , & mœrorem quaris ? quin etiam causa es , cur assinitate nobis juncti , ex amicis inimici nobis reddantur , qui filium nostrum tantum duxerunt , ut ejus fidei suos liberos tuendos darent. Tu sola reperta es , qua has perturbationes afferas perveracità tuâ.

S O. Egone ? *L A.* Tu , inquam , mulier ipsa hæc facis , qua me omnino saxum sensu privatum , non hominem esse arbitraris. An quia frequenter ruri sum in pradio , idcirco ignorare putatis , quomodo singuli in urbe domi vitam traducatis ? Melius absens scio , qua hic sunt in urbe , quam ea qua fiunt ruri , ubi continuè præsens ago. Ob eam causam , quod qualis vita vestra domi agitur , talis fama & æstimatio mea est ruri. Iam dudum auditione percepi *Philumenam* numerum nostram concepisse odium tui ; nec valde id mirandum est : imo nisi ita fecisset , majori admiratione esset dignum : sed non in animum induxi , eam adeo commotam fuisse , ut etiam totam hanc familiam odio haberet. Quod si de hac re certior factus fuisset , illa in hac domo permaneret ; tu foras dimissa fuisset. Sed considera , quam sine causa , hac animi molestia mihi ex te nascitur , *Sostrata* :
Rus

Rus habitatum abij , concedens vobis , & rei serviens ,
Sumptus vestros , otiumque , ut nostra res posset pati ,
Meo labori haud parcens , præter æquum atque ætatem meam ;

30 Nec te pro his curasse rebus , ne quid egre esset mihi ?

S O. Non mea opera neque pol culpa evenit. *L A.* immo maxime ;

Sola hic fuisti : in te omnis hæret culpa sola , *Sostrata*.

Quæ hic erant , curares ; cum ego vos solvi curis cæteris.

Cum puella anum suscepisse inimicitias non pudet ?

35 Illius dices culpa factum ? *S O.* haud equidem dico , mi *Laches*.

L A. Gaudeo , ita me *Dij* ament , gnati causa. nam de te quidem

Satis scio , peccando detrimenti nil fieri potest.

S O. Qui scis , an ea causa , mi vir , me odisse assimulaverit ,

Ut cum matre una plus esset ? *L A.* quid ais ? non signi hoc fat est ,

40 Quod heri nemo voluit visentem te ad eam intromittere ?

S O. Enim lassam oppido tum ajebant : eo ad eam non admiffa sum.

L A. Tuos esse illi mores morbum magis , quam ullam aliam rem arbitror :

Et merito adeò : nam vostrarum nulla est , quin gnatum velit

Ducere uxorem ; & quæ vobis placita conditio est , datur :

45 Ubi duxere impulsu vestro , vestro impulsu eandem exigunt.

INTERPRETATIO.

rus in pradium ad habitandum me contuli , concedens vobis ut in urbe essetis , rei faciendæ , & augendæ dans operam , ut facultates nostra , qua sunt mediocres ; sufficerent vestris sumptibus , & vita otiose ducenda , labori assidue incumbens , quum æquus esset vos id facere : & me qui senectute infirmus sum quiescere. Nonne pro his meritis , ingenti cura studere debuisti , ne ulla molestia mihi exhiberetur ? *S O.* Per *Pollucem* non meo studio , neque culpa accidit. *L A.* Imò maxime per te id factum est. Sola domi fuisti , qua familiam regeres : in te sola omnis culpa sita est , *Sostrata*. Domestica rei curam habere debuisti , cum ego vos liberavi alijs sollicitudinibus , & alimenta paro ex cultura agri. Nonne erubescis pudore , inimicitias te vetulam cum puellâ exercere ? illius merito respondebis id evenisse ? *S O.* Non sane dico culpa factum puellâ , mi *Laches*. *L A.* Filij mei gratiã gaudeo , ita mihi *Dij* faveant , cum

talem habeat uxorem , quam nec inimici accusare possint : nam quod ad te attinet , quantumvis pecces , nihil damni inde eventurum satis certo scio. *S O.* Quid si me idcirco , mi marite , odio persequi pra se tulerit , ut cum matre suâ crebrius conversaretur ? *L A.* Quid dicis ? nonne satis clarum indicium est , eam te vere , nec simulate odisse , quòd hesternâ die nullus ex familia voluit te visendi eam gratia venientem , intrò domum excipere ? *S O.* Certe non admiffa sum , quia tunc eam dicebant ægritudine animi languentem , & defatigatam esse. *L A.* Magis opinor eam ægrotam esse propter morosam tuam consuetudinem , quam propter aliam causam ; & merito admodum , nam vestrum nulla existit , qua non cupiat filium suum uxorem accipere ; & quæ virgo vobis probata est , ea in matrimonium filio datur : postquam ducta est hortatu vestro , vestro hortatu , divortio ejicitur.

ACTUS II. SCENA II.

PHIDIPPVS. LACHES. SOSTRATA.

P. H. **E**T si scio, Philumena, meum jus esse, ut te cogam,
Quæ ego imperem, facere: ego tamen patrio animo victus
faciam

Ut tibi concedam, neque tuæ libidini aduorsabor.

L. A. Atque eccum Phidippum optume video. ex hoc jam scibo
quid sit.

5 **Phidippe**, esse ego meis omnibus scio me apprime obsequentem,
Sed non adeo, ut facilitas mea illorum corrumpat animos.
Quod si tu idem faceres. magis in rem & nostram, & voftram id
esset.

Nunc video in illarum potestate esse te. **P. H.** eja vero.

L. A. Adij te heri de filia: ut veni, itidem incertum amisti,

10 **Haud** ita decet, si perpētuum vis esse affinitatem hanc,
Celare te iras. si quid est peccatum à nobis, profer:

Aut ea refellendo, aut purgando vobis, corrigemus,

Te iudice ipso. sin ea est causa retinendi apud vos,

Quia ægra est; te mi injuriam facere arbitror, **Phidippe**,

15 **Si** metuis, satis ut meæ domi curetur diligenter.

At, ita me **Dij** ament, haud tibi hoc concedo, etsi illi pater es,

Ut tu illam salvam magis velis, quàm ego. id adeo gnati causa,

Quem ego intellexi illam haud minus, quam se ipsum, magni facere,

INTERPRETATIO.

P. H. **Q**uamvis sciam ego, Philumena, in mea potestate esse, te
compellere ea facere, qua tibi precipiam; ego tamen patrio affectu coactus,
nunc imperabo tibi, ut tibi obsequar, neque tua immoderata cupiditati
reluctabor. **L. A.** Ecce hic Phidippus est. Opportune hunc reperio. Ex eo
jam sciam, qui sit, cur ejus filia à nobis discesserit. Phidippe, quamvis
me sentio imprimis esse facilem erga omnes è mea familia; at tamen non is sum,
qui nimia indulgentia praviore eos reddam: quod si tu idem, atque ego faceres,
magis & mihi & tibi utile esset. Nunc perspicio te uxoris, & filia potestati
subjacere. **P. H.** Eja vero, perge expostulare. **L. A.** Heri te conveni filia
tua causa. Ut ad te incertus veni, aque me incertum dimisisti. Minime ita
convenit, si cupis inter nos persisteret hanc affinitatem; occultare causam
tua iracundia. Si quod delictum fecimus, ediffere nunc jam: aut id refutando,
aut excusando emendabimus, te ipso iudice existente. Sin propterea retines
filiam in tuis adibus, quod ægritudine, & morbo laborat, te in me injuriè
ageve puto, Phidippe, si vereris ne non domi mea sedulo remedia ei, & fomenta
curentur. At ita mihi **Dij** bene velint, in hoc tibi non cedo, quamvis illius pater sis,
ut illius salutem atque incolumitatem magis diligas, quam ego. Id adeo volo filij
mei gratia, quem ego perspexi, illam non minus quam se ipsum magni estimare.

Neque adeo me clam est, quam esse eum graviter laturum credam,
20 **Hoc** si rescierit. eo domum, studeo hæc prius, quam ille, ut redeat.

P. H. Laches, & diligentiam vestram, & benignitatem

Novi: & quæ dicis, omnia esse ut dicis, animum induco:

Et te hoc mihi cupio credere, illam ad vos redire studeo,

25 **Eho**, nunquidnam accusat virum? **P. H.** minime: nam postquam
attendi

Magis, & vi cœpi cogere ut rediret, sancte adjurat

Non posse apud vos Pamphilo se absente perdurare.

Aliud fortasse alij vitii est; leni ego animo sum natus:

Non possum aduorsari meis. **L. A.** hem, Sostrata! **S. O.** heu me
miseram!

30 **L. A.** Certumne est istud? **P. H.** nunc quidem, ut videtur: sed
nunquid vis?

Nam est, quod me transire ad forum jam oportet. **L. A.** eo tecum
una.

INTERPRETATIO.

Neque certe ignoro eum moleste, & agre auditurum uxorem suam à nobis recessisse. Hanc ob causam laboro omnino studio, ut Philumena prius ad ades nostras redeat, quam ille. **P. H.** Laches, & sedulitatem vestram, & benignitatem compertam habeo, & omnia quæ dicis, certa, & vera esse mihi persuasum: etiam velim, hoc mihi credas: illa ut domum tuam reveriatur, me operam dare, si ulla ratione id efficere valeam. **L. A.** Quæ res te hoc facere impedit? **Eho**, an illa alicujus culpa virum suum arguit? **P. H.** Nullius; nam ubi rem diligentius consideravi, & vi aggressus sum eam, ut in tuam domum revertetur, ipsa religiose jurat se non posse apud vos per absentiam Pamphili permanere. Aliis hominibus aliud vitium à natura instum est: ego sum mihi animo à natura præditus; non possum repugnare voluntati meorum. **L. A.** Hem, Sostrata, tu mali tanti causa es. **S. O.** Eheu me infœlicem! **L. A.** Certumne est istud, Philumenam non ad nos redituram esse, dum Pamphilus aberit? **P. H.** Nunc sane, quantum possum prospicere; sed nunquid vis? nam aliquid causa est, cur me ad forum citò ire oporteat. **L. A.** Illuc usque te comitabor.

ACTUS II. SCENA III.

SOSTRATA.

Æ Depol ne nos æque sumus omnes invisæ viris,
Propter paucas; quæ omnes faciunt dignæ ut videamur malo.

INTERPRETATIO.

Æ Depol, certe nos omnes mulieres, pter pauculas, per quas fit, ut omnes judicemur pariter odiosæ viris, pro-
cemur meruisse calamitates, & infortunias
Y y ij

Nam, ita me ament Dj, quod me accusat nunc vir, sum extra noxiam.

Sed non facile est expurgatu: ita animum induxerunt, focrus

Omneis esse iniquas; haud pol me quidem: nam nunquam secus
Habui illam, ac si ex me esset nata: nec, quâ hoc mi eveniat, scio:
Nisi pol filium multis modis jam expecto, ut redeat domum.

I N T E R P R E T A T I O.

nam ita valeam, in eò quoddam mihi vir nunc imputat, culpa expers sum, & innocua: sed difficile est id, cuius me accusat defensione repellere, & diluere: adeo viri sibi persuaserunt omnes focrus nurbus esse infestas & injurias; non

pol ego quidem talis sum. Nam nunquam aliter cum eâ egi, ac si mea filia esset; nec unde hoc malum mihi ortum intelligo; nisi quod mirum in modum expecto reditum filij Pamphili.

A C T U S T E R T I I S C E N A I.

P A M P H I L V S. P A R M E N O. M Y R R H I N A.

P A M. N Emmini ego plura acerba esse ex amore homini unquam oblata credo,

Quam mi. heu me infelicem! hancine ego vitam parsi perdere?

Haccine ego causa eram tantopere cupidus redeundi domum?

Cui quanto fuerat præstabilius, ubivis gentium atatem agere,

Quam huc redire? atque hæc ita esse miserum me resciscere?

Nam nos omnes, quibus alicunde aliquis objectus est labos,

Omne quod est interea tempus, prius quam id rescitum est, lucro est.

P A R. At sic, citius quâ te expedias his ærumnis, reperies.

Si non rediisses, hæc iræ factæ essent multo ampliores:

Sed nunc adventum tuum ambas, Pamphile, scio reverituras,

Rem cognosces: iram expedies: restitues rursus in gratiam,

I N T E R P R E T A T I O.

P A M. N Vlli hominum plures calamitates, & molestias credo ab amore unquam allatas esse, quam mihi. Heu me miserum! tantiane cura cavi, ne hanc vitam amitterem in itinere? An propter hanc causam tanta cupiditate desiderabam redire domum; cum mihi satius fuisset in quolibet alio loco vitam traducere, quam in hanc urbem reverti; quam hac mala videntem intelligere, quam sim infortunatus? Nam nos omnes, quibus aliquo ex loco, vel occasione infortu-

nium advenit, tempus quoddam intercedis, donec id cognoscamus, in lucro ponimus. P A R. At hoc modo, quia rediisti, citius te his calamitatibus liberare potes. Si tardius reversus esses; hæc ira, qua sunt inter matrem, & uxorem tuam, vehementius exarsissent, & facta essent multo graviores: sed nunc scio ambas reditus tui respectum habituras, ira ut altera alteram accusare vereatur. De controversiâ cognosces, iracundiam earum sedabis rursus gratiam inter eas, reconciliabis.

Levia sunt, quæ tu pergravia esse in animum induxti tuum.

P A M. Quid consolare me? an quisquam usquam gentium est æque miser?

Prius quam hanc uxorem duxi, habebam alibi animum amori deditum:

Jam in hac re ut taceam, cuius facile scitu est quàm fuerim miser:

Tamen nunquam ausus sum recusare eam, quam mi obrudit pater.

Vix me illinc abstraxi, atque impeditum in ea expedivi animum meum,

Vixque huc contuleram; hem nova res orta est, porro ab hac quæ me abstrahat.

Tum matrem ex ea re me, aut uxorem in culpa inventurum arbitror:

Quæ cum ita esse invenero, quid restat, nisi porro ut fiam miser?

Nam matris ferre injurias me, Parmeno, pietas jubet:

Tum uxori obnoxius sum: ita olim suo me ingenio pertulit,

Tot meas injurias quæ nunquam in ullo patefecit loco.

Sed magnum nescio quid necesse est evenisse, Parmeno,

Unde ira inter eas intercessit, quæ tam permanfit diu.

P A R. Hoc quidem hercle parvum est. si vis vero veram rationem exsequi,

Non maxumas, quæ maxumæ sunt interdum iræ, injurias

Faciunt: nam sæpe est, quibus in rebus alius ne iratus quidem est,

Cum de eadem causa est iracundus factus inimicissimus.

I N T E R P R E T A T I O.

Facilia sunt hæc, qua magni ponderis, & difficilia esse tibi persuasisti. P A. Quid dolorem meum solari conaris? an quisquam hominum tam infelix est, ut ego sum? Priusquam hanc Philumenam in uxorem accepi, habebam in alia muliere animum amore occupatum; nunc in eo quem dico amore, etsi nihil dicam; quisque facili negotio rescire potest, quanta infelicitate pressus fuerim, ob ejus Bacchidis jurgia, & fastidia; tamen nunquam negare patri ausus sum, in uxorem accipere eam, quam mihi per vim ille objecit. Vix me amore Bacchidis avulsi, atque in eâ devinctum animum meum liberavi: vixque amorem meum à Bacchide in hanc meam uxorem Philumenam transverteram; hem, recens factum deinde obvenit, propter quod inovit ab hac divertam. Præterea ex hac diffensione, me comperurum puto utrum mater mea, an uxor,

sit ejus causa, & origo. Quod cum cognovero, quid mihi superest, nisi ut in posterum in miseris, & ærumnis vivam: nam, Parmeno, pietatis affectus requirit, ut injurias matris tolerem: deinde uxori devinctus sum: adeo mores meos diu sua mansuetâ naturâ usque ad finem tulit; quum injurias, quibus eam affeci, semper celavit, nec usquam declaravit: sed ingentes causas oportuit natas esse, Parmeno, propter quas adeo tanta iracundia inter eas intervenit, qua adeo diuturna ad hanc diem perseveravit. P A. Non equidem parvas causas necesse est, evenisse; verum si vis rectam rationem putare aliquando contingit ut ingentes iræ, non sunt causa injuriarum: nam sæpe evenit, cum iracundus, qui ad iram propensus est, sit infensissimus ex eadem causa, ex quâ alius, in iisdem rebus, ne minimum quidem ira commoveatur.

- 30 Pueri inter sese quam pro levibus noxiis iras gerunt?
PAM. Quapropter? *PAR.* quia enim, qui eos gubernat animus, infirmum gerunt.
 Itidem mulieres sunt ferme ut pueri, levi sententia:
 Fortasse unum aliquod verbum hanc inter eas iram conciverit.
PAM. Abi, Parmeno, intrò, ac me venisse nuntia. *PAR.* hem! quid hoc? *PAM.* tace.
- 35 *PAR.* Trepidari sentio, cursari rursus profum: agedum ad fores Accede propius. hem! sensitin? *PAM.* noli fabularier.
 Prò Jupiter! audio clamorem. *PAR.* tute loqueris, me vetas?
MY. Tace, obsecro, mea gnata. *PA.* matris vox visa est Philumena:
 Nullus sum. *PAR.* quid dum? *PAM.* perii. *PAR.* quam ob rem?
PAM. nescio quod magnum malum
- 40 Profecto, Parmeno, me celant. *PAR.* uxorem Philumenam Pavitare nescio quid dixerunt. id si forte est, nescio.
PAM. Interij: cur mihi id non dixi? *PAR.* quia non poteram unà omnia.
PAM. Quid morbi est? *PAR.* nescio. *PAM.* quid? nemone medicum adduxit? *PAR.* nescio.
PAM. Cesso hinc ire intrò, ut hoc quamprimum, quidquid est, certum sciam?
- 45 Quonam modo, Philumena mea, nunc te offendam affectam?
 Nam si periculum ullum in te est, periisse me unà haud dubium est.

INTERPRETATIO.

Quam pueri inter sese, pro levibus offensionibus iras exercent? *PAM.* Quamobrem? *PAR.* Quia certe, mens, que eos ducit, debilis & instans admodum est: similiter illa mulieres sunt fere ut pueri levi voluntate, & opinione: fortasse unum nescio quod verbum hanc similitatem inter eas excitare potuit.
PAM. Abi, Parmeno, domum, in qua est Philumena, ac me ex Imbro! redisse refer. *PAR.* Hem, quid hoc est, quod audio? *PAM.* Sile, audi diligenter. *PAR.* Voce tremula timorem indicari percipio, ab ijs, qui intus sunt, & hac & illac discursari ante, & retro. *PAM.* Agedum ad ostium aures propius admove. *PAR.* Hem, ecquid audivisti? *PAM.* Noli garrere. Proh, Iupiter! vociferationem audio. *PAR.* Tu ipse, Pamphile, loqueris, & loqui me prohibes? *MYR.* Vocem supprime Philumena, ne hoc factum resciscatur. *PAM.* Puto me audivisse vocem Myrrhina ma-

tris Philumena. De me actum est misero. *PAR.* Cur dete actum est? *PAM.* Quia dolore confectus sum ad mortem usque. *PAR.* Quam ob causam? *PAM.* Nescio quod grave exitium mihi occultas. *PAR.* Vxorem tuam Philumenam pavidam, nescio quid horrere mali, & pratimere mihi relatum est. Id si forte est, propter quod clamitavi, ignoro. *PAM.* Perij; cur de hac re me non monuisti? *PAR.* Quia non poteram omnia simul tibi dicere. *PAM.* Quo morbo laborat? *PAR.* Istud ignoro. *PAM.* Quid ignoras? nullusne medicus ad eam curandam vocatus est, ex quo id cognoscere posses? *PAR.* Ignaro, an medicus ei affuerit. *PAM.* Nimis tardo in domum socrus ire, ut hoc quam citò, quodcumque potest esse, pro certo comperiam: quonam modo, Philumena mea, te inveniam in reditu à morbo tentari: nam si tantulum periclitaris, certum est me in eodem versari periculo.

- PAR.* Non usus factus est mihi nunc, hunc intro sequi:
 Nam invisos omnes nos esse illis sentio:
 Heri nemo voluit Sostratam intromittere.
- 50 Si forte morbus amplior factus fiet,
 Quod sane nolim, maxime heri causa mei;
 Servum illicò introiisse dicent Sostratæ:
 Aliquid tulisse comminiscunt mali,
 Capiti, atque ætati illorum, morbus qui auctus fiet:
 55 Hera in crimen veniet, ego vero in magnum malum.

INTERPRETATIO.

PAR. Non utile factus mihi nunc est hunc in domum intrò comitari; nam nos exosos omnes illis, matri & filia scilicet, esse intelligo. Hesternæ die nemo ex familia ista voluit Sostratam matrem Pamphili, socrum Philumena in ades intròmittere. Si forte morbus ejus gravior factus fuerit, quod abominor, maxime propter Pamphilum herum meum, statim dicent servum Sostrata intrò ingressum esse, aliquid congingent noxium illum attulisse vitæ illorum & annis ætatis exitiosum, quo morbus accreverit: unde hera Sostrata crimine accersetur: ego vero in questionem postulabor.

ANNOTATIONES.

55. Hera in crimen veniet.] Veneficij fuit: nec solum alienos, sed etiam no-

Ego vero in magnum malum.] Questionis tormentis subjiciat scilicet, Servos torqueri olim; quibus sine questione nihil credebatur, usitatissimum

stros, qui vocabantur interdum in testimonium contra nos: non temere tamen, nisi in causa fraudati tributi, & aliis quibusdam.

ACTUS III. SCENA II.

SOSTRATA. PARMENO. PAMPHILVS.

50. **N**escio quid jamdudum hinc audio tumultuari misera:
 Male metuo, ne Philumenæ magis morbus adgravescat:
 Quod te, Æsculapi, & te, Salus, ne quid sit hujus, oro.
 Nunc ad eam visam. *PAR.* heus, Sostrata. *SO.* chem! *PAR.* iterum istinc excludere.
- 5 SO. Ehem Parmeno, tune hinc eras? perij, quid faciam misera?

INTERPRETATIO.

50. **N**escio quid jam pridem hac in domo Phidippi strepitus, & tumultus fieri audio. Valde timeo ne Philumena morbus gravior fiat: quod te, Æsculapi Medicinæ præses, tale accidat, precor. Nunc ibo ad videndam eam. *PAR.* Heus, Sostrata. *SO.* Ehem! *PAR.* Secundo meo ne Philumena morbus gravior fiat: prohibebers ingressu istarum adium. *SO.* quod te, Æsculapi Medicinæ præses, Hem, Parmeno, tune hinc eras? perique Salus Dea sanitatis, ut nihil dita sum: quid ego faciam infelix?

Non visam uxorem Pamphili, cum in proximo hic sit ægra?
PAR. Non visas, nec mittas quidem visendi causa quemquam.
 Nam qui amat cui odio ipsius est, bis facere stulte duco:
 Laborem inanem ipse capit, & illi molestiam affert.

10 Tum autem filius tuus introit videre, ut venit, quid agat.

SO. Quid ais? an venit Pamphilus? *PAR.* venit. *SO.* Diis gratiam habeo.

Hem, istoc verbo animus mihi rediit, & cura ex corde excessit.

PAR. Jam ea te causa maxime huc nunc introire nolo.

Nam si remittent quippiam Philumenæ dolores,

15 Omnem rem narrabit, scio, continuo sola soli,

Quæ inter vos intervenit, unde ortum est initium iræ.

Atque eccum video ipsum egredi. quam tristis est. *SO.* ô mignate!

PAM. Mea mater, salve. *SO.* gaudeo venisse salvom. salvan'

Philumena est? *PAM.* meliuscula est. *SO.* utinam istuc ita Dij faxint.

20 Quid tu igitur lacrimas? aut quid es tam tristis? *PAM.* recte, mater.

SO. Quid fuit tumulti? dic mihi: an dolor repente invasit?

PAM. Ita factum est. *SO.* quid morbi est? *PAM.* febris. *SO.* quotidiana. *PAM.* ita ajunt.

I sodes intro, consequar jam te, mea mater. *SO.* fiat.

PAM. Tu pueris curre, Parmeno, obviam, atque his onera ajuta.

INTERPRETATIO.

An non ibo ad videndam Philumenam uxorem Pamphili, cum in proximis his adibus jaceat ægrotata? *PAR.* Noli ire, nec mittas etiam illum qui à te, eam invisat: nam qui amore prosequitur eum, cui invisus & odiosus est, bis inepte se gerere arbitror: vanum laborem ipse sumit, & illi quem amat, à quo non redamatur, ratio est, & importunus. Filius etiam tuus ingressus est ad eam, postquam huc ex itinere rediit, ut videat quomodo illa se habeat. *SO.* Quid ais? an advenit Pamphilus? *PA.* Advenit. *SO.* Diis gratias habeo pro ejus adventu. Hem, dicto tu de adventu filij refecta, & recreata sum, & anxietas ex animo recessit. *PA.* Propterea te precipue has ades ingredi, non suadeo tibi: nam si morbi dolor Philumenam relinquat, & intermittatur, non dubium est mihi, quin Pamphile totam rei seriem expo-

nat, & recesserat confestim remotis arbutris, presens presenti, qua inter te, & eam iracundia intercessit, & ex quare odij origo fluxit. Ecce hic eum video exire à domo socrus suæ: quam tristis vultu apparet. *SO.* O mi fili, gaudeo te salvum advenisse. *PA.* O mea mater, salve. *SO.* An bene valet Philumena? *PAM.* Aliquantò melius se habet. *SO.* Dij velint ita esse ut dicas. Quare ergo, si meliuscule valet, lachrymaris? aut quid es tristis? *PAM.* Nihil est, mater. *SO.* Quid modò tumultuatum fuit in istis adibus? dic mihi, an improvisus dolor Philumenam corripuit? *PH.* Ita accidit. *SO.* Quod genus morbi est? *PAM.* Febris. *SO.* An quotidiana est? *PA.* Ita vulgò dicunt. I, quæso, domum intro: consequar me te. *PAM.* Tu, Parmeno, curve obviam servis afferentibus onera & sarcinas à navè, & eis adjumentum prebe

30 *PAR.*

30. *PAR.* Quid? non sciunt ipsi viam, domum qua redeant?
PAM. cessas?

INTERPRETATIO.

PAR. Quid opus est me his occurrere? | redeant? *PAM.* Quid tardas, cuncta-
 nonne sciunt viam, per quam domum | ris ire, quò dico?

ACTUS III. SCENA III.

PAMPHILVS.

Nequeo mearum rerum initium ullum invenire idoneum.
 Unde exordiar narrare, quæ nec opinanti accidunt,
 Partim quæ perspexi his oculis, partim quæ accepi auribus:
 Quæ me propter exanimatum citius eduxi foras.
 5 Nam modo me intro ut corripui timidus, alio suspicans
 Morbo me visurum affectam, ac sensi esse, uxorem: hei mihi!
 Postquam me aspexere ancillæ advenisse, illico omnes simul
 Lætæ exclamant, venit, id quod me repente aspexerant:
 Sed continuo voltum earum sensi immutari omnium;
 10 Quia tam incommode illis fors obtulerat adventum meum.
 Una illarum interea propere præcucurrit, nuntians
 Me venisse: ego eju' videndi cupidus recta consequor.
 Posteaquam introij, extemplo ejus morbum cognovi miser.
 Nam neque, ut celari posset, tempus spatium ullum dabat:
 15 Neque voce alia, ac res monebat, ipsa poterat conqueri.
 Postquam aspexi, ô facinus indignum! inquam: & corripui illico

INTERPRETATIO.

Non possum excogitare rerum mihi molestarum ullum principium aptum & conveniens, à quo incipiam exponere ea, quæ mihi nec suspicanti, nec cogitanti advenerunt: quorum aliqua his oculis pervidi; aliqua his auribus percepi: quamobrem me perterritum, & consternatum citius extra domum extuli. Nam paulo ante, postquam raptim intro domum ingressus sum, alio opinans morbo me inventurum correptam esse uxorem, atque vidi: hei mihi! ut me ancilla conspexere rediisse, omnes statim unâ hilares primo gaudio adventus clamitant, Pamphilus advenit; propter id, quod improvisò, & subito

me viderant: sed illicò animadverti earum omnium vultus transmutatos esse. postquam consideraverunt reditum meum intempestive illis forte obtigisse. Interea ex illis una celeriter cucurrit ad prænunciandum me advenisse: ego videnda Philumena cupiditate ardens rectâ hanc ancillam insequor. Postquam ingressus sum cubiculum, confestim deprehendi quomorbo tentabatur: nam temporis brevitas impediabat quominus ejus partitudo occultaretur, neque ipsa poterat alia voce, ac dolores cogebant, gemitus ex partu, & questus edere. Postquam visu id comperi; ô probrum ingens! apud me dixi, & continuo inde

ZZ

- Me inde lacrumans , incredibili re , atque atroci percitus :
 Mater consequitur , jam ut limen exirem , ad genua accidit ,
 Lacrumans misera : miseritum est . Profecto hoc sic est , ut puto ;
 20 *Omnibus nobis ut res dant sese ; ita magni atque humiles sumus .*
 Hanc habere orationem mecum principio institit :
 O mi Pamphile , abs te quamobrem hæc abierit , causam vides :
 Nam vitium est oblatum virgini olim , ab nescio quo improbo :
 Nunc huc confugit , te atque alios partum ut celaret suam .
 25 Sed cum orata ejus reminiscor , nequeo quin lacrumem miser .
 Quæquæ fors fortuna est , inquit , nobis quæ te hodie obrulit ,
 Per eam te obsecramus ambæ , si jus , si fas est , uti
 Adversa ejus per te tecta tacitaque apud omnes fient :
 Si unquam erga te animo esse amico sensit eam , mi Pamphile ,
 30 Sine labore hanc gratiam , te , uti sibi des pro illa nunc , rogat .
 Cæterum de reducenda id fac , quod in rem sit tuam .
 Parturire eam , neque gravidam esse ex te , solus conscius .
 Nam ajunt tecum post duobus concubuisse eam mensibus :
 Tum , postquam ad te venit , mensis agitur hic jam septimus :
 35 Quod te scire , ipsa indicat res . nunc si potis est , Pamphile ,
 Maxime volo , doque operam , ut clam partus eveniat patrem ,
 Atque adeo omneis . sed si fieri id non potest quin sentiant ;

INTERPRETATIO.

me subduxi , illacrymans , re mihi non credibili & aspectu horrenda commotus ac perturbatus . Mater Philumena me insequitur , & lachrymas fundens infelix , in limine domus , ad genua exeuntem mihi se subjicit . Ego certe ejus miseratus sum . Procul dubio hoc usuvenit omnibus nobis hominibus : ut res eveniunt nobis ; ita elati , & demissi sumus . Hunc illa sermonem facere mecum primo incepit ; o mi Pamphile , causam cognoscis , propter quam hæc filia mea à domo vestra discesserit ; nam stuprum ei illatum est virgini olim à nescio quo fugitioso tenebrione : nunc illa ad me matrem suam confugit , ut tibi , atque alijs se parientem occultaret . Verum cum preces istius memoria repeto non possum me continere à lacrymis . Quæcumque subita fortuna , inquit , te nobis hodie adduxit , per eam te obsecramur ambæ mater & filia , si per jura humana , divinaque licitum est , ut ejus infortuna tuo beneficio occulta , & silentio obrecta sint omnibus : si unquam eam amico animo te complexam fuisse cognovisti , mi Pamphile , eadem nunc te orat , ut hanc gratiam sibi concedas , (quod facile potest) pro amico illo animo erga te . Sed de recipienda ea , aut ejicienda uxore , id facias quod tibi commodum videbitur , & expediat . Laborare eam dolore partus , neque prægnantem à te factam esse , nemo omnium cognovit præter te solum : nam dicunt eam duobus tantum mensibus post nuptias , non statim ut nupta est , tecum rem habuisse , neque te antea eam attigisse : postquam ad te deducta est , mensis jam hic est septimus , quod te scire re ipsa declarasti modò cum eam comperiens parturire cito te tristis proripuisti foras . Nunc si fieri potest , Pamphile , vehementissime cupio , & laboro , ut partus Philumena latenter fiat , etiam ignorante patre , atque inscijs omnibus alijs : sed si fieri non potest , quin resiant ,

- Dicam abortum esse . scio nemini aliter suspectum fore ,
 Quin , quod verisimile est , ex te recte eum natum putent .
 40 Continuo exponetur . hic tibi nihil est quidquam incommodi : &
 Illi miseræ indigne factam injuriam contexeris .
 Pollicitus sum , & fervare in eo certum est , quod dixi , fidem .
 Nam de reducenda , id vero neutiquam honestum esse arbitror ,
 Nec faciam : etsi amor me graviter , consuetudoque ejus tenet .
 45 Lacrumo , quæ posthac futura est vita , cum in mentem venit ,
 Solitudoque . O Fortuna , ut nunquam perpetuo es bona !
 Sed jam prior amor me ad hanc rem exercitatum reddidit ,
 Quem ego consilio missum feci , idem nunc operam huic dabo .
 Adest Parmeno cum pueris : hunc minime est opus
 50 In hac re adesse : nam olim soli credidi ,
 Ea me abstinuisse in principio , cum data est .
 Vereor , si clamorem ejus hic crebro audiat ,
 Ne parturire intelligat . aliquò mihi est
 Hinc ablegandus , dum parit Philumena .

INTERPRETATIO.

præteream hoc scilicet eam abortum fecisse , & immaturum factum eiecisse . Scio neminem aliter suspicaturum , quam quod probabile est eum ex te genitum esse . Illud exponetur . In hac re celandi parvis nullum patet incommodum , & illi infelici , indigna qua injuriam factam acciperet , honorem integrum servaveris . Promisi hæc facere , qua mater Myrrhina pro ea postularat . Stat sum , atque immotum mihi in eo quod promisi , fidem inviolatam servare : nam ut eam ex patris domo ad nos reducam , eamque recipiam , non valde conveniens , & decorum esse opinor ; nec faciam : quamvis ejus amore , & conversatione vehementer afficiar . Non possum lacrymas tenere , cum animo reputo , quam posthac vitam ducturus sum , quam tristem & solitariam . O fortuna , quam non diu constans , & prospera es ! Sed jam prior amor Bacchidis me ad hanc rem a quo ferendam animo exercitavit & assuefecit : quem amorem tunc ratione , & prudentia dimisi , idem nunc huic me dedam & vacabo . Parmeno adest , venit cum servulis , redeuntibus ex Imbro . Non opus est omnino , in hoc Philumena partu eum presentem esse : nam quondam huic uni hoc arcanum commisi , nimirum me eam non attigisse ab initio , cum data est mihi in uxorem . Timeo ne si Philumena quarentis vocem saepe audiat , ne eam partu laborare cognoscat . Aliquò hinc mihi amandandus est , interea dum Philumena in puerperio est .

ACTUS III. SCENA IV.

P A R M E N O. S O S I A. P A M P H I L V S.

P A R. **A**In tu, tibi hoc incommodum evenisse iter?
 S O. Non hercle verbis, Parmeno, dici potest
 Tantum, quàm re ipsa navigare incommodum est.
 P A R. Itane est? S O. ò fortunate, nescis quid mali
 Præterieris, qui nunquam es ingressus mare.
 Nam alias ut omittam miseras, unam hanc vide:
 Dies triginta, aut plus eo, in navi fui,
 Cum interea semper mortem expectabam miser:
 Ita usque adversa tempestate usi sumus.
 P A R. Odiosum. S O. haud clam me est: denique hercle aufu-
 gerim
 Potius, quam redeam, si eo mi redeundum sciam,
 P A R. Olim quidem te causâ impellebant leves,
 Quod nunc minitare facere, ut faceres, Sofia.
 Sed Pamphilum ipsum video stare ante ostium.
 Ite intro. ego hunc adibo, si quid me velit.
 Here, etiam tu hîc stas? P A M. equidem te expecto. P A R. quid
 est?
 P A M. In arcem transcurso opus est. P A R. cui homini
 P A M. tibi.
 P A R. In arcem, quid eo? P A M. Callidemidem hospitem

I N T E R P R E T A T I O.

P A R. **D**icisne, Sofia, hanc viam
 tibi arduosam fuisse?
 S O. Per Herculem, Parmeno, ver-
 bis declarari non potest quantum re
 ipsa mari iter facere laboriosum
 est. P A R. Itane est? S O. O bea-
 te, nescis quas difficultates, & mi-
 serias evitaveris, qui nunquam in
 mare ascendisti. Nam ut alias si-
 leam calamitates, & difficultates na-
 vigationis, hanc cognosce: spatio tri-
 ginta dierum, aut plus eo tempore, in
 navi steti, cum inter hos dies,
 semper mortem formidabam infelix,
 adeo contrariis, & oppositis ventis jacta-
 ti continue fuimus. P A R. Res hac
 incommoda, & molesta est. S O. Non

ignoro, & ut uno verbo dicam, potius
 fugiam, quàm iterum in Imbrum pro-
 ficiscar, si ed mihi proficiscendum esse
 videam. Olim certe ex levibus causis
 paratus eras fugere, quod nunc mina-
 ris facere magni & gravis periculi vi-
 tandi causa: ideo facile tibi credo. Sed
 Pamphilum video ipsum stantem ante
 fores. Ite vos servi domum. Ego ve-
 ro hunc conveniam visurus, si quid
 me velit facere. Here, etiam nunc
 hic moraris? P A M. Ego te expecto.
 P A R. Quamobrem? P A M. In ar-
 cem urbis transcurrendum est. P A R.
 Cui homini? P A M. Tibi. P A R. Qua-
 nam causa est, cur tam remote in arcem
 me currere jubes? P A M. Callidemidem

Myconium, qui mecum una advectu' st, conveni.
 P A R. Perij. vovisse hunc dicam, si salvus domum
 Rediisset unquam, ut me ambulando rumperet.
 P A M. Quid cessas? P A R. quid vis dicam? an conveniam modo?
 P A M. Imo, quod constitui me hodie conventurum eum,
 Non posse, ne me frustra illi expectet: vola.
 P A R. At non novi hominis faciem. P A M. at faciam, ut noveris,
 Magnus, rubicundus, crispus, crassus, cæsius,
 Cadaverosa facie. P A R. Dij illum perduint.
 Quid, si non veniet, maneamne usque ad vesperum?
 P A M. Maneto: curre. P A R. non queo, ita defessu' sum.
 P A M. Ille abiit. quid agam infelix? prorsus nescio
 Quo pacto hoc celem, quod me oravit Myrrhina,
 Suae gnatae partum: nam me miseret mulieris.
 Quod potero, faciam; tamen ut pietatem colam:
 Nam me parenti potius, quam amori obsequi
 Oportet. at, at, at. eccum Phidippum, & patrem
 Video: horsum pergunt. quid dicam hisce, incertu' sum.

I N T E R P R E T A T I O.

Myconium hospitem meum, qui mecum
 una navi in hanc urbem advenit, allo-
 quere. P A R. Interij. Voto promississe
 vere dicere possum hunc Pamphilum,
 me ambulando rupturum, si unquam è
 mari sospes domum advenisset. P A M.
 Quid tardas ire quò jubeo? P A R. Quid
 vis ei à te nunciem? an id solum vis
 ut eum adeam? P A M. Dic, me non
 posse eum nunc convenire, sicut denun-
 tiaveram ei me facturum hodie. Ne me
 frustra illic opperiat. P A R. At igno-
 tus homo mihi est de facie. P A M. At
 efficiam ut cognoscas: procera staturâ
 est, rubra facie, crispis capillis, spisso
 & pingui corpore, glaucis oculis,
 vultu ad cadaveris similitudinem facto.
 P A R. Dij illum perdant. Quid si non

veniet in arcem, an illum expectem us-
 que ad vespertinum tempus? P A M. Ex-
 pecta. Curre celeriter. P A R. Non pos-
 sum, ita defatigatus sum. P A M. Parme-
 no abiit. Quid agam miser? Nescio
 quâ ratione partum occultem Philumena,
 quod ut facerem enixe oravit Myrrhina:
 nam miseroor vehementer mulieris: quod
 earum gratia potero, id perficiam; uxori
 vitium celabo, & ejus honori consu-
 lam; ita tamen ut pietatem in matrem
 meam observem, qua à Philumena offen-
 sa est: nam parentis potius, quam amo-
 ris in uxorem, me rationem habere oportet.
 At, at, ecce Phidippus patre Phi-
 lumena, & Laches pater meus. Versus
 hanc partem veniunt. Quid hisce dicam
 animi dubius sum.

A N N O T A T I O N E S.

19. Myconium.] Mycone insula una ex
 Cycladibus, non procul à Delo, Virg.
 Quam prius Arcitenens oras, & littora
 circum Errantem celsâ Gyaro, Myconeque re-
 vinxit.
 Cyclades vocantur. Isole de Archipe-
 lago.



ACTUS III. SCENA V.

LACHES. PHIDIPPVS. PAMPHILVS.

- L.A.** D Ixtin' dudum, dixisse illam, se expectare filium?
P.H. Factum. **L.A.** venisse ajunt: redeat. **P.A.** quam causam dicam patri,
 Quamobrem non reducam, nescio. **L.A.** quem ego hic audivi loqui?
P.A. Certum obfirmare est viam me, quam decrevi persequi.
 5 **L.A.** Ipsus est, de quo hoc agebam tecum. **P.H.** salve, mi pater.
L.A. Gnate mi, salve. **P.H.** bene factum te advenisse, Pamphile,
 Et adeo, quod maxumum est, saluum atque validum. **P.A.** creditur.
L.A. Advenis modo? **P.A.** admodum. **L.A.** cedo, quid reliquit Phania
 Consobrinus noster? **P.A.** sane hercle homo voluptati obsequens
 10 Fuit, dum vixit: & qui sic sunt, haud multum hæredem adjuvant.
 Sibi vero hanc laudem relinquunt: vixit, dum vixit, bene.

INTERPRETATIO.

L.A. Nonne dixisti, Phidippe, Philumenam dixisse sese expectare reditum Pamphili, ut ad nos rediret; nam sine illo in domo nostra perdurare non posse? **P.H.** Dixi. **L.A.** Pamphilum dicunt redisse: redeat ergo Philumena ad nos. **P.A.** Nescio quam excusationem proponam patri, ob quam nolim reducere uxorem meam. **L.A.** Quem ego hic audivi loqui? **P.A.** Stat mihi propositum meum obfirmate, & constantiter persequi, ut scilicet non recipiam uxorem, & veram causam non recipienda citem. **L.A.** Ipse Pamphilus est, Phidippe, de quo hic tecum colloquebar. **P.A.** Salve, mi pater. **L.A.** Fili mi, salve. **P.H.** Gaudeo te advenisse, Pamphile, eoque magis gaudeo, quod incolumis & bene valens redis, quod præcipuum est. **P.A.** Sic à quibusdam creditur. **L.A.** An modo advenis? **P.A.** Propemodum. **L.A.** Dic quid reliquit in bonis Phania consobrinus noster. **P.A.** Certe per Herculem homo voluptatibus deditus fuit, & delicijs incumbens, quandiu in vivis fuit, & qui ita facti sunt non multum hæredi profunt, & commodant: sibi hunc laudum titulum comparant; nimirum vixit, dum vixit, laute & opipare.

ANNOTATIONES.

4. *Obfirmare viam.*] Firmiter, & pertinaciter insistere viam, (id est propositum, consilium) quam mihi persequendam proposui.
 6. *Benefactum te advenisse.*] Id est, prospere contigit te advenisse. Formula est peregre venientes gratulandi.

- L.A.** Tum tu igitur nihil attulisti huc plus una sententia?
P.A. Quidquid id est, quod reliquit, profuit. **L.A.** imo obfuit:
 Nam illum vivum & saluum vellem. **P.H.** impune optare istuc licet.
 15 Ille reviviscet jam nunquam: & tamen, utrum malis, scio.
L.A. Heri Philumenam ad se accersi hic jussit. dic jussissete.
P.H. Noli fodere. jussi. **L.A.** sed eam jam remitteret. **P.H.** scilicet.
P.A. Omnem rem scio, ut sit gesta. adveniens audivi omnia.
L.A. at
 Istos invidos Dij perdant, qui hæc libenter nuntiant.
 20 **P.A.** Ego me scio cavisse, ne ulla merito contumelia
 Fieri à vobis posset: idque si nunc memorare hinc velim,
 Quam fideli animo & benigno in illam & clementi fui,
 Vere possim; ni te ex ipsa id magi' velim resciscere:
 Namque eo pacto maxime apud te meo eritingenio fides;
 25 Cum illa, quæ nunc in me iniqua est, æqua de me dixerit.
 Neque mea culpa hoc dissidium evenisse, id testor Deos.
 Sed quando sese esse indignam deputat matri meæ,
 Cui concedat, cujus mores toleret sua modestia;

INTERPRETATIO.

L.A. Tu igitur nihil plus rei attulisti, quam unam illam sententiam. **P.A.** Vt ut est, quodcunque reliquit nobis emolumentum & emolumentum attulit. **L.A.** Imo damnum: nam illum vitâ frui, & incolumem superesse vellem. **P.H.** Sine pœna id permissum est optare, nihilque nocet, nam non iimendum est, ne unquam ad vitam redeat; tamen non ignoro utrum præoptes. **L.A.** Pamphile, Phidippus heri Philumenam ad se vocari jussit ex adibus nostris. Phidippe, dic te jussisse. **P.H.** Noli me monendi causa adeo mihi latus pungere. Sic est, ad me jussi vocari. **L.A.** Sed jam ad nos eam remitteret. **P.H.** Certe ego remittam. **P.A.** Omnem rei seriem referri qualiter sit gesta, cum advenirem: paulo ante audivi omnia, quæ facta sunt. **L.A.** At istos garrulos, qui concordia & amori conjugum invident, Dij perdant, qui hæc quæ audivisti tam cupide referunt. **P.A.** Ego scio me sedulo curasse, ne quidquam mihi à vobis contumeliosè exprobrari posset merito meo: idque si nunc hic recitare velim, quam fideli amore, & suavi Philumenam filiam tuam, Phidippe, prosequutus sum, vere id recitare possum; nisi potius velim te ex ejus ore ea discere: namque eo modo, magis credes me tali esse ingenio, quali me esse tibi dico, cum Philumena ipsa, quæ iniquam erga me se gessit, aqua de me tibi predicaverit: neque me causam huic divorcio præbuisse, Deos testes advoco. Sed quandoquidem seipsam existimat tanti, ut nolit obsecundare matri meæ, & rem indignam esse putat, si ei se submittat, ejusque senectutis mores moderate ferat;

ANNOTATIONES.

17. *Noli fodere.*] Fodere, hic est latus alicujus manu vel pungere, vel tundere: quod facimus monendi gratia, & suggerendi, & impellendi. **Horratius**, lib. 1. epist. 8. *Mercurum servum, qui dicitur nominis laum.* *Qui fodunt latus.*

- Neque alio pacto potest componi inter eas gratia,
 30 Segreganda aut mater à me est, Phidippe, aut Philumenā.
 Nunc me pietas matris potius commodum suadet sequi.
L.A. Pamphile, haut invito ad aures sermo mihi accessit tuus;
 Cum te postputasse omnes res præ parente intelligo.
 Verum vide, ne impulsus ira prave insistas, Pamphile.
 35 *P.A.* Quibus iris nunc in illam impulsus iniquus sim?
 Quæ nunquam quidquam erga me commerita est, pater?
 Quod nollem: & sæpe, quod vellem, meritam scio,
 Amoque, & laudo, & vehementer desidero:
 Nam fuisse erga me miro ingenio expertus sum,
 40 Illique exopto, ut reliquam vitam exigat
 Cum eo viro, me qui sit fortunatior,
 Quandoquidem illam à me distrahit necessitas.
P.H. Tibi in manu est, ne fiat. *L.A.* si sanus fies;
 Jube illam redire. *P.A.* non est consilium, pater:
 45 Matris servibo commodis. *L.A.* quo abis? mane,
 Mane, inquam: quo vadis? *P.H.* quæ hæc pertinacia est?
L.A. Dixi, Phidippe, hanc rem ægre laturum esse eum:
 Quamobrem te orabam, ut filiam remitteres.
P.H. Non credidi ædepol adeo inhumanum fore:
 50 Ita nunc is sibi me supplicaturum putat?
 Si est, ut velit reducere uxorem; licet:

INTERPRETATIO.

neque inter eas alio modo gratia reconciliari possit, nisi matri se submittat; aut se jungenda mater est à me, Phidippe, aut Philumena. Nunc pietate moveor, ut potius quæram quod placet matri, & ei commodum est. *L.A.* Pamphile, libenter auribus accepi sermonem tuum, cum te video posthabuisse omnes res commodis matris tuæ. Verum diligenter perspice ne ira incitatus in tua sententia inique permanes, Pamphile. *P.A.* Quibusnam iris impulsus nunc me erga eam inique agam? quæ nunquam quidquam mali erga me commeruit, neque commisit quod mihi displiceat, & sæpe de me bene meritam esse, & præstitisse, quod placeret, in memoria habeo: amoque, & laudo. & ejus retinenda desiderio teneor: nam singulari, & mirifica ingenij mansuetudine, & benignitate erga me usam esse expertus sum, illique ex animo opto, ut reliquos vita annos trahat cum eo marito, qui me sit felicior, siquidem illam à me divellit necessitas. *P.H.* In tua potestate est, ut non divellatur. *L.A.* Si satis sana mentis es, fac ut reducatur. *P.A.* Non ita mihi proposui facere, sed potius matris commoda sectari. *L.A.* Quod abis? mane, mane, inquam, quod abis? *P.H.* Quæ est hac mentis obstinatio? *L.A.* Nonne vere tibi dixi, Phidippe, molestum, & ægrum fore Pamphilo, si resciverit Philumenam ad vos ex adibus nostris ita discessisse: quamobrem à te petebam, ut filiam ad nos remitteres, antequam ille redisset. *P.H.* Per Pollucem, non suspicatus sum eum adeo immittere & ferocem fore. Itane is sibi nunc me supplicaturum opinatur, ut uxorem Philumenam recipiat. Si in eo est, ut velit recipere uxorem suam, per me ei licet: Sin

- Sin alio est animo, renumeret dotem huc, eat.
L.A. Ecce autem, tu quoque proterve iracundus es.
P.H. Percontumax redisti huc nobis, Pamphile.
 55 *L.A.* Decedet jam ira hæc, etsi merito iratus est.
P.H. Quia paululum vobis accessit pecuniæ,
 Sublati animi sunt. *L.A.* etiam mecum litigas?
P.H. Deliberet, renunciaretque hodie mihi,
 Velitne, an non; ut alij, si huic non sit, fiet.
 60 *L.A.* Phidippe, ades, audi paucis. abiit: quid mea?
 Postremo inter se transigant ipsi, ut lubet:
 Quando nec gnatus, neque hic, mihi quidquam obtemperant:
 Quæ dico, parvipendunt. porto hoc jurgium
 Ad uxorem: cujus fiunt consilio omnia hæc:
 65 Atque in eam hoc omne, quod mihi ægre est, evomam.

INTERPRETATIO.

sin aliter animatus est, & nolit, reddat dotem, valeat. *L.A.* Ecce autem, tu quoque insolenter irascens, & ad iram propensus es. *P.H.* Pervicax, & pertinax ex Imbro ad nos redisti, Pamphile. *L.A.* Abiit hac ira, etsi non sine causa commotus est. *P.H.* Quia aliquantulum pecunia rei vestra accrevit, elatioris animo, & ferociores facti estis. *L.A.* Etiam lites in me quoque intendis. *P.H.* Decernat, mihi que denunciaret hodie Pamphilus, velitne, an non, recipere in uxorem Philumenam, ut alij sit uxor, si ipsi non sit. *L.A.* Phidippe, propius accede, audi qua paucis dicam. Abiit Phidippus, quid mea refert? Tandem controversiam inter se decidant ipsi, ut videbitur; quia nec filius, neque hic Phidippus in ulla re mihi auscultare voluit: verba mea nihili æstimant. Hanc rixam ad uxorem meam jam nunc defero, quasi munus gratum; nam hujus suasio hæc omnia efficiuntur, atque in eam omnem ægritudinem & dolorem effundam.

ACTUS QUARTI SCENA I.

MYRRHINA. PHIDIPPVS.

- M.Y.* **P**erij, quid agam? quo me vortam? quid meo respondebo viro
 Misera? nam audisse vocem pueri visus est vagientis:
 Ita corripuit derepente tacitus sese ad filiam:
 Quod si resciverit peperisse eam, id qua causa clam me habuisse
 5 Dicam? non ædepol scio.

INTERPRETATIO.

M.Y. **P**erdita sum: quid agam? quod me vortam? quid respondi marito meo reddam infelix? nam vagientis pueri clamor videtur ad aures ejus pervenisse: adeo raptim, & subito filiam ad filiam se contulit. Quod si cognoverit eam parium edidisse, per Pollucem nescio, quæ de causa ei dicam me hoc celavisse.
 A a a

- Sed ostium concrepuit : credo ipsum ad me exire : nulla sum.
P H. Uxor ubi me ad filiam ire sensit, se duxit foras.
 Atque eccam video. quid ais Myrrhina? heus, tibi dico. *MY.* mi-
 hine,
 Mi vir? *P H.* vir ego tuus? tu virum me, aut hominem adeo
 esse deputas?
 10 Nam si utrumvis horum, mulier, unquam tibi visus forem,
 Non sic ludibrio tuis factis habitus essem. *MY.* quibus? *P H.* at
 rogitas?
 Peperit filia? hem! tacēs? ex quo? *MY.* istuc rogare æquum est
 patrem?
 Perij: ex quo censes, nisi ex illo, cui data est nuptum, obsecro?
P H. Credo, neque adeo arbitrari patris est aliter: sed de-
 miror,
 15 Quid sit quamobrem tantopere hunc omnes nos celare volueris
 Partum; præsertim cum & recte, & suo peperit tempore.
 Adeone pervicaci esse animo, ut puerum præoptares perire,

I N T E R P R E T A T I O.

Sed ostium stridit: credo ipsum foras
 ad me prodire: perij. *P H.* Vbi uxor
 vidit me ad filiam ire, foras abiit. At-
 que ecce eam conspicio. Quid ais Myr-
 rhina? quid siles? heus, te appello. *MY.*
 Mene ipsam appellas, mi vir? *P H.* An
 vir ego tuus sum? Tunc virum, aut
 hominem quemlibet existimas me esse?
 Nam si utrumvis horum, vel virum me
 judicasses, non sic per ea, qua fecisti, de-
 risus, & delusus fuisset. *M Y.* Per
 qua mea facta derisui fuisti? *P H.* At
 etiam quaris? Filia nostra peperit, Hem!

siles? Ex quo homine peperit? *MYR.*
 Istud patrem decet interrogare de filia?
 perdita sum. Ex quonam opinari il-
 lam peperisse, nisi ex eo cui uxor data
 est, obsecro? *P H.* Credo eam peperisse
 ex Pamphilo, neque licet patri aliter
 censere: sed mirum mihi est, quamob-
 rem tantam curam & operam adhibuisti
 ad hunc partum nobis occultandum; præ-
 cipue cum recte, & tempore congruo, quo
 prægnantes possunt parere, peperit. Adeo-
 ne pervicaci animo esse potuisti, ut puerum
 filia potius cuperes exponi ad mortem.

A N N O T A T I O N E S.

17. Ut puerum præoptares perire.] Id
 est, exponi. Vetusissimus hic mos
 antiquis fuit, Hebræis, Græcis; ut
 constat de Moyse, de Oedipo, & etiam
 Romanis, ut notum est de Romulo, &
 Remo. Exponebantur miselli infan-
 tes in mare, in aliquem fluvium, in
 deserta, & avia abiciebantur. *Ovi-*
diius Factorum, lib. 1.

Anne jubet mergi geminos: scelus unda
 refugit:

In sicca pueri destituuntur humo.

Idem Ovid. *Epist. 11.*
 Iamque dari parvum canibus, avibus-
 que nepotem
 Iusserat, in solis destituitque locis,
 Denique ad cloacas vetus Scholiastes
 Juvenalis infantes exponi solitos pro-
 didit, ad *Satyr. 6. versu 600.*
 Transeo suppositos, & gaudia, votaque
 saepe
 Ad spurcos decepta lacus.
 Hinc exponere idem, quod necare.
 Paulus Jurisconsultus, *L. 4. D. De agnos-*
 cendis liberis.

- Ex quo inter nos scires posthac amicitiam fore firmiorem,
 Potius quam esset cum illo nupta adversus animi lubricitatem
 20 Tui? ego etiam illorum esse hanc culpam credidi, quæ te est penes.
MY. Misera sum. *P H.* utinam sciam ita esse istuc. sed nunc mihi
 in mentem venit,
 De hac re quam locuta es olim, cum illum generum cepimus:
 Nam nuptam filiam negabas posse te pati tuam
 Cum eo, qui meretrices amaret, qui pernoctaret foris.
 25 *MY.* Quamvis causam hunc suspicari, quam ipsam veram,
 mavolo.
P H. Multo prius scivi, quam tu, illum amicam habere, Myr-
 rhina:
 Verum id vitium ego nunquam decrevi esse adolescentiæ:
 Nam id omnibus innatum est. at post jam adierit, se quoque etiam
 cum oderit.
 Sed ut olim te ostendisti eandem esse, nihil cessasti usque adhuc,
 30 Ut filiam ab eo abduceres; neu, quod ego egissem, esset ratum.
 Id nunc res indicium hæc facit, quo pacto factum volueris.
MY. Adeone me esse pervicacem censes, cui mater sum.

I N T E R P R E T A T I O.

ex quo non ignorabas stabiliorum fu-
 turam esse amicitiam in posterum inter
 nos, quam contra immoderatam tuam
 cupiditatem, Philumena cum Pamphilo
 nuptis jungeretur. Ego etiam adhuc
 culpam in illis credere credidi, qua apud
 te est. *M Y.* Infelix sum. *P H.* Utinam
 cognoscam hac ita esse, uti tu mihi
 narras: sed aliud mihi in memoriam
 venit, ex quo videris non esse innocens,
 propter ea, qua olim dixisti, cum Pam-
 philum generum elegimus: nam tu ne-
 gabas te posse consentire, ut filia tua col-
 locaretur nuptiæ cum eo, qui meretri-
 cem amicam haberet, qui totam noctem
 duceret extra domum. *M Y.* Hunc ma-
 ritum meum malo suspicari quamli-
 bet aliam causam esse dissidii inter Pam-
 philum, & Philumenam, quam illam
 veram, propter quam volui celare filiam

peperisse. *P H.* Multo prius scivi, quam
 tu, illum amare Bacchidem meretricem,
 Myrrhina: verum nunquam censui id
 vitium esse in adolescentibus, amicam
 habere: nam id, amare scilicet, omni-
 bus à natura instum est: at per Pol-
 lucem circa tempus adveniet, cum etiam
 seipsum adventante senectute, & se-
 nectutis incommodis, odio habeat: sed
 ut olim te præbui, nunquam desti-
 tisti eandem te præbere, adversariam
 nimirum huic matrimonio, ut Philu-
 menam à Pamphilo distraberes, neve
 quod egissem esset firmum, & stabile.
 Id nunc hæc res omnino manifestum fa-
 cit, cum partum filia nos omnes celaveris,
 quo modo has nuptias, quas feci, gra-
 tias habueris. *M Y.* Adeone me contu-
 macem esse censes, ut eum animum ha-
 berem adversus eam, cui mater sum,

A N N O T A T I O N E S.

18. Ex quo inter nos firmiorem fore amicitiam.] Scilicet, inter familiam no-
 stram, & familiam Philumenæ.

- Ut eo essem animo, si ex usu esset nostro hoc matrimonium?
PH. Tum prospicere, aut judicare, nostram in rem quod sit, potes?
 35 Audisti ex aliquo fortasse, qui vidisse eum diceret
 Exeuntem aut introeuntem ad amicam: quid tum postea,
 Si modeste ac raro hoc fecit? nonne ea dissimulare nos
 Magis humanum est, quam dare operam id scire, qui nos odit?
 Nam si is posset ab ea sese derepente avellere,
 40 Quicum tot consuesset annos; non eum hominem ducerem,
 Nec virum satis firmum gnatæ. *MY.* mitte adolescentem, obsecro,
 Et quæ me peccasse ais. abi, solum solus conveni?
 Roga, velintne an non uxorem: si est, ut dicat velle se,
 Redde: sin est autem, ut nolit, recte consului meæ.
 45 *PH.* Siquidem ille ipse non volt, & tu sensisti esse in eo, Myrrhina,
 Peccatum; aderam, cujus consilio ea par fuerat prospici.
 Quamobrem incendor ira, te esse ausam hæc facere injustu meo,
 Interdico, ne extulisse extra ædes puerum usque velis.
 Sed ego stultior, meis dictis parere hanc qui postulem;
 50 Ibo intro, atque edicam servis, ne quoquam efferri sinant.
MY. Nullam pol credo mulierem me miseriorem vivere:
 Nam ut hic laturus hoc sit, si ipsam rem, ut fiet, resciverit,

I N T E R P R E T A T I O.

si hoc matrimonium in utilitatem nostram fieret? *PH.* Tunc providere, aut arbitrari potes, quid rebus nostris conducatur? accepisti forte ab aliquo, qui referret se eum vidisse ingredientem domum amica, aut inde egredientem. Quid tum postea? quid inde postea conjiciendum est mali, si moderate, mediocriter, nec cæbrò id fecit? Nonne magis humanum est, nos ad ea connivere; quam affectare nos id scire, unde ipsius adversum nos odium suscipiamus. Nam si is posset subito ab ea se abstrahere cum quâ tandiu consuetudinem habuisset, non eum esse hominem estimarem, nec maritum satis fidelem nostra filia. *MY.* Omitte precor loqui de adolescente, & de ijs qua male fecisse dicis. Abi hinc; & secreto sine arbitris cum Pamphilo colloque; quare ab eo, velit-

ne Philumenam recipere, an non, si contingit, ut dicat se velle, redde eam uxorem viro. Sin autem negat se velle, recte à me prospectum esse filia nostra fateberis. *PH.* Si quidem recusat Pamphilus uxorem recipere Philumenam, & tu cognovisti in eo culpam inhaerere divorij; prope aderam ego, cujus ex sententiâ æquum erat omnia hæc provideri. Quamobrem ira exardesco; te hæc ausam fuisse exequi sine jussu meo. Veto ne puerum, qui modo natus est, extra domum nostram in ullum locum exportare audeas; sed ego inep-tior, qui uxorem meam poscam meis jussis obedire. Ibo intro ades. & familia imperabo ne patiantur infantulum exportari in ullum quemvis locum. *MY.* Per Pollucem nullam credo mulierem esse in terris magis infelicitatam, quam ego sum:

A N N O T A T I O N E S.

48. Ne extulisse extra ades puerum.] Timebat Phidippus, ne Myrrhina exponeret puerum.

- Non ædèpol clam me est; cum hoc, quod levius est tam animo iracundo tulit:
 Nec, qua via sententia ejus mutari possit, scio.
 55 Hoc mi unum ex plurimis miseriis reliquum fuerat malum,
 Si, puerum ut tollam, cogit: cujus qui sit nescimus pater.
 Nam cum compressa est gnata, forma in tenebris nosci non quita est:
 Neque detractum ei tum quidquam est, qui post possit nosci, qui fiet:
 Ipse eripuit vi, in digito quem habuit, virgini abiens annulum.
 60 Simul vereor, Pamphilus ne orata nostra nequeat diutius
 Celare, cum sciet alienum puerum tolli pro suo.


I N T E R P R E T A T I O.

nam per Pollucem non mihi obscurum est, quam agre laturus sit Phidippus, si cognoverit ut vere ipsa res se habet; cum hoc tantum, quod multò minus est, parum scilicet celasse, tam acerbè & iracunde accepit; nec qua ratione à sententiâ sua de non exponendo puero dimoveri possit. Hoc mihi unum extremum, ex omnibus calamitatibus & infortunij, malum restiterat, si vir meus me cogit, ut educam puerum, cujus pa-

ter nobis est ignotus: nam cum filia vi-rata fuit, facies ejus qui eam compressit, cognosci notu non potuit, neque ei Philumena quidquam detraxit, ex quo possit comperiri quis ille sit; sed ipse discedens eripuit vi annulum ei virgini ex digito. Etiam timeo ne Pamphilus non possit ea, qua oravimus, diutius silentio abscondere, cum noverit alienum puerum educari loco sui filij, quod moleste feret.

A N N O T A T I O N E S.

561 Si puerum ut tollam cogit.] Id est, ut educem. Infantes olim, simul ac nati erant, humi deponerantur. Ab humo vero pater tollebat, & in sinum recipiebat.
 Statius ————— meus ille meus; tellure cadentem Excepi,
 Qui autem non tollebatur; pro abdicato, & abjectio erat; quò respicit frequenter Terentius,



ACTUS IV. SCENA II.

SOSTRATA. PAMPHILVS.

- SO. **N**on clam me est, mi gnate, tibi me esse suspectam, uxorem tuam
 Propter meos mores hinc abiisse: etsi ea dissimulas sedulo.
 Verum ita me Dij ament, itaque obtingant ex te, quæ exopto mihi, ut
 Nunquam sciens commerui, merito ut caperet odium illam mei;
 5 Teque antequam me amare rebar, ei rei firmasti fidem:
 Nam mihi intus tuus pater narravit modo, quo pacto me habueris
 Præpositam amoris tuo. nunc tibi me certum est contra gratiam
 Referre, ut apud me præmium esse positum pietati scias.
 Mi Pamphile, hoc & vobis, & meæ commodum famæ arbitror:
 10 Ego rus abituram hinc cum tuo me esse certo decrevi patre,
 Ne mea præsentia obstet, neu causâ ulla restet reliqua,
 Quin tua Philumena ad te redeat. P. A. quæso, quid istuc consilii est?
 Illius stultitia victa, ex urbe tu rus habitatum migres?
 Haud facies, neque sinam, ut qui nobis, mater, maledictum velit,
 15 Mea pertinacia esse dicat factum, aut tua modestia;
 Tum tuas amicas te, & cognatas deserere, & festos dies,

INTERPRETATIO.

SO. **N**on me latet, fili mi, me tibi in suspicionem venisse. uxorem tuam Philumenam hinc discessisse in domum patris, propter mores meos forsitan injucundos, & si ea diligenter celas: verum ita mihi Dij favcant, itaque à te mihi obveniant ea, quæ exopto, ut nunquam volens, prudensque culpam commisi, propter quam uxor tua conciperet odium in me merito meo: & antequam existimabam te me amare, id ita vere esse confirmasti. Nam mihi paulo ante pater tuus commemoravit quomodo me prætulisti amoris, quo uxorem prosequeris: & nunc mihi deliberatum, & constitutum est, vicissim tibi beneficium retribuere; ut tibi manifestum fiat mercedem pietati in me tua apud me servari, & recondi. Mi Pamphile, hoc & vobis, & meæ existimationi conveniens, & utile est iudico: ego constitui hinc ad villam meam profecturam esse cum tuo patre, ne mea præsentia obstet, neve ulla causa relinquantur, quominus tua uxor Philumena ad te revertatur. P. A. Rogo, quod istud propositum tuum? ut tu illius imprudentiâ adacta ex urbe discedas ad villam incolendam? Non permittam, neque id fiet à te, ut qui nobis, mater, obrectare cupiunt, meam perveracitatem dicant esse causam, non tuam facilitatem, & moderationem cur habitatum rus ieveris: etiam tuas amicas, & cognatione propinquas relinquere, & dierum festorum solennem celebrationem.

- Mea causâ, nolo. SO. nihil pol jam istæ res mihi voluptatis fuerunt:
 Dum ætatis tempus tulit, perfuncta satis sum: satias jam tenet Studiorum istorum: hæc mihi nunc cura est maxuma, ut ne cui meæ
 20 Longinquitas ætatis obstet, mortemve exoptet meam.
 Hic video me esse invisam immerito: tempus est concedere.
 Sic optume, ut ego opinor, omnes causas præcidam omnibus,
 Et me hac suspitione exsolvam, & illis morem gesserō.
 Sine me obsecro effugere volgus quod male audit mulierum.
 25 P. A. Quam fortunatus cæteris sum rebus, absque una hac foret,
 Hanc matrem habens talem, illam autem uxorem! SO. obsecro,
 mi Pamphile,
 Non tute incommodam rem, ut quæque est, in animum inducas pati.
 Si cætera sunt ita, ut tu vis, itaque ut esse ego illam existumo,
 Mi gnate, da veniam hanc mihi, reduc illam. P. H. væ misero mihi!
 30 SO. Et mihi quidem: nam hæc res non minus me male habet, quam te, gnate mi.

INTERPRETATIO.

propter me minime consentire possum. SO. Nihil per Pollucem ista res nunc me oblectat: dum atas vite passa est, satis huic rei operam dedi. Satietas nunc tenet harum omnium exercitationum: hac nunc maxime me cura sollicitat, ut ne longa vita mea alicui invisa sit & noceat, morsque mea expectetur ab aliquo. Hic animadverto me odio haberi ab omnibus. Tempus est abire hinc. Sic commodissime omnes causas amputabo omnibus. & me hac opinione falsa liberabo, & illis obsequutus fuero. Permite me oro hoc evitare, propter quod genus mulierum vituperatur. P. A. Quam beatus sum in cæteris rebus omnibus, absque hac una re esset: nam quoniam matrem tam benignam habeo, felix sum: sed infelix uxorem habens gravidam ex alio. SO. Quæso, mi Pamphile, ne tibi tu ipse persuadens te rem difficilem, & molestam ullam tollerare; ut ut sit incommoda, si cætera tibi pro voto succedunt, si ita sit uxor, ut ego illam esse existimo, honestam & tibi obsequentem, concede hoc mihi; recipere illam apud te. P. A. Væ misero mihi! SO. Et mihi certe: nam hæc res non minori curâ me sollicitat, quam te, gnate mi.



ACTUS IV. SCENA III.

LACHES. SOSTRATA. PAMPHILVS.

L.A. **Q**uem cum istoc sermonem habueris, procul hinc stans accipi, uxor:

Illuc est sapere, qui, ubicunque opus sit, animum possis flectere, quod faciendum fortasse sit post, idem hoc nunc si feceris.

S.O. Fors pol' fuit. L.A. abi rus ergo hinc: ibi ego te, & tu me feres.

5 S.O. Spero mecastor. L.A. i ergo intro, & compone, quæ tecum simul

Ferantur: dixi. S.O. ita ut iubes, faciam. P.A. pater.

L.A. Quid vis, Pamphile? P.A. abire hinc matrem? minime.

L.A. quid ita istuc? P.A. quia

De uxore incertus sum etiam, quid facturum siem. L.A. quid est? Quid vis nisi reducere? P.A. equidem cupio, & vix contineo: sed

10 Non minuat meum consilium, ex usu quod est, id persequar.

Credo, si non reducam, ea gratia concordet magis fore.

L.A. Nescias, verum tua refert nihil, utrum illæ fecerint,

Quando hæc abierit: odiosa hæc est ætas adolescentulis:

INTERPRETATIO.

L.A. **N**on ita hinc longe stans, audivi ea, qua colloquuta fueris cum isto filio nostro, Pamphilo. Istud porro est sapientis, posse, quandocumque res exigit, animum facile circumagere, & adducere ad id faciendum libenter impræsentia, quod fortasse postea facere cogat necessitas. S.O. Bona fortuna eveniat. L.A. Secede igitur in villam ab hac urbe. Ibi ego tuos mores, tuque meos invicem a quo animos feres. S.O. Proculdubio ita confido fore. L.A. Intra igitur domum, collige, & compara ea, qua tecum ferenda sunt: hæc censeo facienda. S.O. Ita ut imperas, exequar. P.A. Pater. L.A. Quid vis, Pamphile? P.A. Hincne rus matrem abire sinis? minime hoc fiat. L.A. Quid ita istud vis? matrem scilicet rus non ire? P.A. Quia animi pendeo dubius etiam, quid uxore mea debeam facere. L.A. Quid est? quid aliud facere vis, nisi eam apud te recipere? P.A. Profecto cupio eam recipere, & vix mihi tempero, quin hoc faciam, sed nihil quidquam de consilio meo mutabo: id quod expedit, & utile est, ut accipi sequar. Credo eas inter se, matrem, & uxorem, magis consensuras esse, si Philumenam uxorem non recipiam. L.A. Nescias utrum eventurum sit: verum id tua nihil interest, utrum conveniat inter eas, necne, quando mater tua rus concesserit. Ætas hæc senilis tadiosa est, & invisa adolescentulis.

ANNOTATIONES.

4. Fors fuit.] Fortuna faveat, fuit, significat sit.
6. Dixi.] Hoc verbum in peroratione ne causæ adhiberi solitum, quo significatur firmum & esse ratum, quod egerit Orator.

E medio

E medio æquom excedere est: postremo nos jam fabulæ
5 Sumus, Pamphile, senex. atque anus.
Sed video Phidippum per tempus egredi. accedamus.

INTERPRETATIO.

Ex cætu hominum nos senes morosos diducere par est. Denique materiam præsumus. Sed video Phidippum domo exire stamus sermonibus populi & diæterijs, ut ridiculi, ego & mater tua qui vetuli sumus. Sed video Phidippum domo exire tempestive & commode.

ACTUS IV. SCENA IV.

PHIDIPPVS. LACHES. PAMPHILVS.

P.H. **T**ibi quoque ædepol sum iratus, Philumena, Graviter quidem: nam hercle abs te factum est turpiter:

Etsi tibi causa est de hac re. mater te impulit:

Huic vero nulla est. L.A. oportune te mihi,

5 Phidippe, in ipso tempore ostendis. P.H. quid est?

P.A. Quid respondebo his? aut quo pacto hoc aperiam?

L.A. Dic filiæ, rus concessuram hinc Sostratam:

Ne revereatur, minus jam quo redeat domum. P.H. ah,

Nullam de his rebus culpam commertuit tua;

10 A Myrrhina hæc sunt mea uxore exorta omnia.

P.A. Mutatio sit. P.H. ea nos perturbat, Laches.

P.A. Dum ne reducam, turbent porro, quàm velint.

P.H. Ego, Pamphile, esse inter nos, si fieri potest.

Affinitatem hanc sane perpetuam volo:

INTERPRETATIO.

P.H. **T**ibi quoque succenseo, non solum Myrrhina matri tua, Philumena, & valde quidem per adem Pollucis: nam per Herculem indecenter te gessisti, quod abscesseris domo mariti: & si tibi excusatio est parata est, nempe matrem, te ad id faciendum instigasse: hæc vero nullam omnino causam habet, quàm obtendat. L.A. Commode, & tempori mihi te obvium præbes Phidippe. P.H. Quamobrem? P.A. Quid respondebo his, aut quomodo quarentibus id exponam? L.A. Phidippe, dic filia Philumena rus profecturam hinc Sostratam, ne timeat quominus ad nos revertatur. P.H. Ah, nihil quidquam, Phidippe, in ea re spectat peccavit uxor tua Sostrata: Myrrhina uxor mea est origo, & causa harum omnium turbatarum. P.A. Nova oritur rerum conversio. P.H. Ea est causa perturbationis nostræ, Laches. P.A. Dummodo non reducam Philumenam, tumultuentur, & contendant Laches, & Phidippus, quantum eis placeat. P.H. Ego, Pamphile, hanc affinitatis necessitudinem inter nos perpetuam intercedere opto, si fieri potest: quod si non ita fert tua voluntas.

ANNOTATIONES.

2. Turbent porro.] Hæc ad spectatores dicuntur.

Bbb

- 15 Sin est, ut aliter tua fiet sententia,
Accipias puerum. *P. A.* sensit peperisse. occidi.
L. A. Puerum? quem puerum? *P. H.* natus est nobis nepos:
Nam abducta à vobis prægnaus fuerat filia,
Neque fuisse prægnaus unquam ante hunc scivi diem.
20 *L. A.* Bene, ita me *Dij* ament, nuncias: & gaudeo
Natum illum, & tibi illam salvam. sed quid mulieris
Uxorem habes? aut quibus moratam moribus?
Nosne hoc celatos tamdiu? nequeo satis,
Quam hoc mihi videtur factum prave, proloqui.
25 *P. H.* Non tibi illud factum minus placet, quam mihi, *Laches*,
P. A. Etsi jamadudum fuerat ambiguum hoc mihi,
Nunc non est, cum eam consequitur alienus puer.
L. A. Nulla tibi, *Pamphile*, hic jam consultatio est.
P. A. Perij. *L. A.* hunc videre sæpe optabamus diem,
30 Cum ex te esset aliquis, qui te appellaret patrem.
Evenit. habeo gratiam *Diis*, *P. A.* nullus sum.
L. A. Reduc uxorem, ac noli advorsari mihi.
P. A. Pater, si ex me illa liberos vellet sibi,
Aut se esse mecum nuptam, satis certo scio,

INTERPRETATIO.

puerum, quem genuisti ex *Philumena*, id factum mihi videtur. *P. H.* Non tibi recipias velim. *P. A.* Nempe comperit illud factum magis displicet, quam *Phidippus* *Philumenam* peperisse. *interij.* mihi, *Laches*. *P. A.* Etsi antea de reducenda, vel non, uxore dubius animi *L. A.* Puerum? quem puerum? *P. H.* Natus est nobis nepos ex *Pamphilo*. & *Philumena*: nam *Myrrhina* ex vestra domo filiam gravidam abduxit, neque unquam gravidam fuisse accepi ante hunc diem. *L. A.* Iucundum mihi nuncium, ita me *Dij* ament, mihi nuncias. & gratulor tibi, illum natum esse, & filiam quoque *Philumenam* esse incolu- mem, & bene valentem: sed qua mulier est uxor tua, aut quibus instructa moribus? Nobisne hoc, filiam fuisse prægnaus, tanto tempore occultare debuit? Non possum satis ampla oratione exprimere, quam indecenter, & perverse

ANNOTATIONES.

16. Sensit peperisse.] Hæc solus secum ait *Pamphilus*.
26. Etsi jamadudum ambiguum.] Hæc omnia secum *Pamphilus*.
27. Hanc consequitur alienus puer.] Ex

injuncta conjunctione natus, conditionem matris sequitur: ex justis nuptiis creati sequuntur patrem.
29. Perij.] Hoc sibi *Pamphilus* dicit.

- 35 Non me clam haberet, quæ celasse intelligo.
Nunc, cum ejus alienum esse à me animum sentiam,
Nec conventurum inter nos posthac arbitrer,
Quamobrem reducam? *L. A.* Mater quod suasit sua,
Adolescens mulier fecit. mirandumne id est?
40 Censen' te posse reperire ullam mulierem,
Quæ careat culpa? an quia non delinquent viri?
P. H. Vosmet videte jam, *Laches*, & tu, *Pamphile*,
Remissam opus sit vobis, an reductam domum:
Uxor quid faciat, in manu non est mea.
45 Neutra in re vobis difficultas à me erit.
Sed quid faciemus puero? *L. A.* ridicule rogas.
Quidquid futurum est, huic reddas; suum scilicet,
Ut alamus nostrum. *P. A.* quem ipsa neglexit, pater,
Ego alam? *L. A.* quid dixi? cho! an non alemus, *Pamphile*?
50 Prodemus quæso potius? quæ hæc amentia est?
Enimvero prorsus jam tacere non queo.
Nam cogis ea, quæ volo, ut præsentem hoc, loquar.
Ignarum censet tuarum lacrumarum esse me?
Aut, quid sit id, quod sollicitere ad hunc modum?
55 Primum, hanc ubi dixi causam, te propter tuam
Matrem non posse habere hanc uxorem domi:
Pollicita est ea, se concessuram ex ædibus.
Nunc, postquam ademptam hanc quoque tibi causam vides;
Puer quia clam te est natus, nactus alteram es.

INTERPRETATIO.

non me latere vellet, quod mihi occultasse cognosco. Nunc cum ejus animum immutatum, & à me aversum videam, nec nos concordare fore, & consensuros putem: quam ob causam eam reducam? *L. A.* Quod ejus mater consilium dedit, juvenis mulier secuta est: mirandumne id est? estimasne te posse invenire ullam mulierem culpa expertem? An quia scilicet non peccant viri? *P. H.* Vos ipsi deliberate nunc, *Laches*, tuque, *Pamphile*, an ex usu sit vobis, ut remissa sit ad suos, vel ad vos reducta *Philumena*. Quid uxor faciat me inscio, non est in potestate mea id infectum reddere: neutra in re, nec in remissione nec in reductione per me vobis fiet difficultas. Sed quid faciemus de infante nato ex *Philumena*? *L. A.* Per risum id interrogas.

Quidquid continget, *Pamphilo* reddes suum filium, ut nos educemus eum. *P. A.* Egone, Pater, educabo infantem, quem ipsa mater pro derelicto habuit? *L. A.* Quid dixisti? Eho an non educabimus, *Pamphile*? projiciemusne potius? quamnam hac insania est? equidem jam omnino silere non possum, nam me compellis ad declaranda ea, que nollem præsentem *Phidippo* de te dicere. An putas me causam ignorare cur tam frequenter lacrymaris, aut cur ita pertuberis, & sollicitus sis? In primis postquam dixisti hanc causam non reducenda uxoris, nimirum te non posse pati hanc uxorem domi esse, quæ matrem odisset; promisit mater se domo discessuram. Nunc cum sentis te hoc prætextu privari; quia pueri partu te nesciente, ex occulto fuit editus, alteram causam reperisti.

- 60 Erras, tui animi si me esse ignarum putas.
 Aliquando tandem huc animum ut adjungas tuum,
 Quam longum spatium amandi amicam tibi dedi?
 Sumptus, quos fecisti in eam, quam animo æquo tuli?
 Egi atque oravi tecum, uxorem ut duceres;
- 65 Tempus dixi esse: impulsu duxisti meo.
 Quæ tum, obsecutus mihi, fecisti ut decuerat.
 Nunc animum rursus ad meretricem induxti tuum:
 Cui tu obsecutus, facis huic adeo injuriam.
 Nam in eandem vitam te revolutum denuo
- 70 Video esse. *P. A.* mène: *L. A.* te ipsum: & facis injuriam,
 Constringis falsas causas ad discordiam,
 Ut cum illa vivas, testem hanc cum abs te amoveris.
 Sensitque adeo uxor: nam ei causa alia quæ fuit,
 Quamobrem abs te abiret? *P. H.* plane hic divinat: nam id est,
- 75 *P. A.* Dabo jusjurandum, nihil esse istorum, tibi. *L. A.* ah!
 Reduc uxorem: aut, quamobrem non opus sit, cedo.
P. A. Non est nunc tempus. *L. A.* puerum accipias, nam is quidem
 In culpa non est: post de matre videro.
P. A. Omnibus modis miser sum: nec, quid agam, scio
- 80 Tot nunc me rebus miserum concludit pater.
 Adibo hinc, præfens quando promoveo parum,

INTERPRETATIO.

Fallit te opinio, si arbitraris me ignorare animi tui propositum, Aliquando tandem ut animum ad uxorem adhibeas, quam longum tempus amandi Bacchidem concessi tibi? quas impensas pecunia ut eam possideres, fecisti? quam patienter hæc tuli? Suasi, & rogavi ut uxorem duceres: dixi tempus advenisse; hortatu duxisti meo. Quæ cum mihi morem gerens fecisti, ut debueras; nunc amorem tuum in meretricem Bacchidem transfulisti; cui tu obediens facis uxori injuriam; nam in eandem vivendi consuetudinem te reversum esse rursus intelligo. P. A. Mene? L. A. Te ipsum, & injuste agis, quum falsas causas invenis, cur uxorem non reducas, ad movendam dissensionem inter affines, ut cum illa Bacchide meretrice consuetudinem ha-

beas; postquam hanc uxorem tuam, te- stem præsentem libidinis tua à te expuleris: sensitque certe illa: nam quid aliud eam impulit, ut à te discederet? P. H. Omnino spiritu divino afflatus hac vaticinatur Laches: nam ea vera sunt, P. A. Iurejurando affirmabo tibi, nihil esse verum eorum quæ mihi exprobras, L. A. Ah! reduc uxorem, aut, cur non ex usu sit istud, dicito. P. A. Non est nunc tempus dicendi. L. A. Puerum natum tibi recipias: nam is quidem im- munis est à culpâ: postea conside- rabo utrum Philumena ejus mater cul- pa sit particeps, necne. P. A. Ex om- nibus partibus miser sum, nec quid agam scio: tot me nunc petitionibus urget, & circumdat pater. Hinc abscedam, quandoquidem præfens parum proficito.

ANNOTATIONES.

79. Omnibus modis miser sum.] Querela Pamphili ad spectatores,

- Nam puerum injussu credo non tollet meo.
 Præsertim in ea re cum sit mihi adjutrix socrus.
L. A. Fugis? hem, nec quidquam certi respondes mihi?
- 85 Num tibi videtur esse apud sese? sine:
 Puerum, Phidippe, mihi cedo, ego alam. *P. H.* maxime.
 Non mirum fecit uxor, si hoc ægre tulit:
 Amaræ mulieres sunt, non facile hæc ferunt.
 Propterea hæc ira est; nam ipsa narravit mihi:
- 90 Id ego præfente hoc tibi nolebam dicere:
 Neque ei credebam primo: nunc verum palam est.
 Nam omnino abhorreere animum huic video à nuptiis.
L. A. Quid ergo agam, Phidippe? quid das consili?
P. H. Quid agas? meretricem hanc primum adeundam censeo:
- 95 Oremus: accusemus gravius: denique
 Mitemur, si cum illo habuerit rem postea.
L. A. Faciam, ut moneas. puer, eho, curre ad Bacchidem hanc
 Vicinam nostram: huc evoca verbis meis.
 Et te oro porro, in hac re adjutor sis mihi. *P. H.* ah!
- 100 Jamdudum dixi, itidemque nunc dico, Laches,
 Manere affinitatem hanc inter nos volo,
 Si ullo modo est ut possit; quod spero fore.
 Sed visne adesse me una, dum istam convenis?
L. A. Immo vero abi, aliquam puero nutricem para.

INTERPRETATIO.

Nam puerum, credo, sine consensu, & mandato meo non tollet, ut nutriant, & educant, cum præcipue socrus Myrrhina ea re mihi faveat, ut qua hunc exponendum censeat. L. A. Fugis? hem! nec ullum certum responsum mihi reddis? num tibi videtur, Phidippe, Pamphilus mentis compos esse? Sine me facere. Puerum mihi trade; ego nutriam. P. H. Libenter dabo tibi infantem. Non rem mirandam, & insolitam fecit uxor Myrrhina, si à moribus Pamphili abhorruit: aspera mulieres sunt, non æquo patiuntur animo viros alias amare; propterea hac indignatio est uxoris meæ in Pamphilum, quem genarum sibi esse nolebat; nam ipsa mihi recitavit. Istud ego nolebam tibi, præfente Pamphilo, referre: neque ego uxori id narranti primo fidem habebam, nunc vero, quod dixi manifestum est: nam omnino Pamphilum aver-

sum esse à nuptiis animadverto. L. A. Quid ergo censes, Phidippe, mihi esse faciendum? Quid mihi suades? P. H. Quid agere debeas? Primum hanc meretricem conveniendam esse arbitror: rogemus, probris, reprehensionibus acerbis insectemur; denique minas intentemus, si in posterum consuetudinem habeat cum Pamphilo. L. A. Faciam quæ præcipis. Eho, puer, propera ire ad Bacchidem hanc vicinam nostram: huc accerse eam meo nomine, & te rogo deinde Phidippe, ut in hac re me adjuves. P. H. Ah! jam multo ante tempore dixi, idemque nunc verbis confirmo. Laches; perpetuam esse esse hanc affinitatem inter nos cupio, si ullo modo id potest fieri, quod spero futurum; sed visne me simul tecum præsentem esse, dum illam alloqueris? L. A. Quin potius abi. Aliquam puero nutricem quare.

ACTUS QUINTI SCENA I.

BACCHIS. LACHES.

B. A. Non hoc de nihilo est, quod Laches me nunc conventam esse expetit;

Nec pol me multum fallit, quin, quod suspicor, sit, quod velit.

L. A. Videndum est, ne minus propter iram hanc impetrem, quam possiem;

Aut ne quid faciam plus, quod post me minus fecisse satius sit.

5 Aggrediar. Bacchis, salve.

B. A. Salve, Laches. **L. A.** Credo ædepol te nonnihil mirari, Bacchis,

Quid sit, quapropter te huc foras puerum evocare iussi.

B. A. Ego pol quoque etiam timida sum, cum venit in mentem, quæ sum,

Ne nomen mihi quæsti obsiet: nam mores facile tutor.

10 **L. A.** Si vera dicis, nihil tibi est à me pericli, mulier:

Nam jam ætate ea sum, ut non fiet peccato mihi ignosci, æquom:

Quo magis omnes res cautius, ne temere faciam, accuro:

Nam si facis, facturave es, bonas quod par est facere; inscitum Offerre injuriam tibi: immerenti, iniquom est.

15 **B. A.** Est magna ecastor gratia de hac re quam tibi habeam.

Nam qui post factam injuriam expurget, mihi parum profit.

Sed quid istuc est? **L. A.** meum receptas filium ad te Pamphilum.

B. A. ah!

INTERPRETATIO.

B. A. Non abs re est, quod Laches nunc me vult alloqui; nec per Pollucem valde opinio me fallit, quin, quod in suspitione habeo, sit id, de quo me velit nunc compellare. **L. A.** Providendum mihi est, ne si iracundius agam, minus obtineam quam possim mitius agendo; aut ne quid violentius faciam, quod postea infectum esse melius sit. Accedam ad illam, Bacchis, salve. **B. A.** Salvus sis, Laches. **L. A.** Credo per adem Pollucis tibi aliquantulum mirum videri, Bacchis, quam ob causam te huc ex domo tua servulum accersere jusserim. **B. A.** Ego quoque meticolosa sum, quum recordor mea conditionis, ne nomen meretricis, propter quæstum quem exerceo, mihi apud te

noceat: nam ceteros mores facile praestabo innoxios. **L. A.** Si vera dicis, nihil periculi à me timere debes, mulier: nam jam ejus ætatis sum, ut mihi, si quid peccaverim, veniam dare minime justum sit: quò majori cura caveo ne imprudenter, & inconsideratè quidquam faciam. Nam si id facis, aut factura es, quod bonas facere convenit; inelegans & inhonestum me tibi facere injuriam: quòd si innoxia sis, id etiam iniquum est. **B. A.** Per Castorem magnas tibi gratias, hanc ob rem habere debeo, nam si quis post illatam injuriam se excuset, parvum mihi commodum attulerit: sed quid istud est, quod mihi cupis dicere? **L. A.** Meum frequentius recipis apud te filium Pamphilum. **B. A.** Ah!

L. A. Sine dicam. uxorem hanc prius quam duxit, vestrum amorem pertuli.

Mane, nondum etiam dixi id, quod volui. nunc hic uxorem habet.

20 **Quare** alium firmiter tibi, dum consulendi tempus est.

Nam neque ille hoc animo erit ætatem: neque pol tu eadem ista ætate.

B. A. Quis id ait? **L. A.** socrus. **B. A.** mene? **L. A.** te ipsam: & filiam abduxit suam,

Puerumque ob eam rem clam voluit, natus qui est, extinguere.

B. A. Aliud si scirem, quæ firmare meam apud vos possem fidem,

25 Sanctius quam jusjurandum, id pollicerer tibi, Laches:

Me segregatum habuisse, uxorem ut duxit, à me Pamphilum.

L. A. Lepida es. sed scin' quid volo potius sodes facias? **B. A.** quid vis? cedo.

L. A. Eas ad mulieres huc intro, atque istuc jusjurandum idem

Polliceari illis. exple animum iis, teque hoc crimine expedi.

30 **B. A.** Faciam. quod pol, si esset alia ex hoc quæstu, haud faceret, scio,

Ut de tali causa nuptæ mulieri se ostenderet:

Sed nolo falsa fama esse gnatum suspectum tuum,

Nec levior vobis, quibus est minime æquom, viderier

Immerito. nam meritis de me est, quod queam, illi ut commodem.

35 **L. A.** Facilem benevolumque lingua tua jam tibi me reddidit:

INTERPRETATIO.

L. A. Permitte me loqui; priusquam ille uxorem habuit, illum te amare perpessus sum: sine & nondum etiam dixi ea, que volui. Hic nunc matrimonio uxori junctus est, quare alium constantiorem amatorem, dum tempus habes prospiciendi tua utilitati: nam ille, neque integram ætatem, eodem amore te prosequetur, neque pol tu eadem ætate semper florida eris. **B. A.** Quis ait me receptare filium tuum? **L. A.** Socrus ejus Myrrhina. **B. A.** Mene? **L. A.** Te ipsam, & filiam abduxit suam ex domo meâ, atque infantem qui recens natus est, ob eam rem, occulte voluit necare. **B. A.** Si scirem aliud quidpiam sanctius esse, quam jusjurandum, quo vobis meam fidem datam firmam esse persuadere possem: id tibi asseverarem, Laches, à me se junxisse Pamphilum; ut uxorem sibi junxit. **L. A.** Scita, & venusta es: sed sine quod volo amplius, si v' , ut fa-

ciat. **B. A.** Quid vis? dic mihi. **L. A.** Ut convenias has mulieres, qua in hac domo sunt, atque idem jusjurandum eis te facturam promittas. Satisfacito illis, & te hujus criminis suspitione libera, quod Pamphilum receptas. **B. A.** Faciam, quod, per Pollucem, alia meretrix, qua similiter quæstum corpore facit, nollet certe facere, ut propter talem causam, propter amorem mariti in pellicem; in conspectum ejus uxoris veniret, nedum de hac re verba ei faceret: sed nolo pati, ut filius tuus in suspitionem veniat culpa, qua falsa est, & ex qua falsus rumor differatur: nec minus eum constantem à vobis parentibus estimari volo, quibus non justum est ut talis esse videatur, nullo suo merito; nam ita bene de me est meritis, ut debeam omnia commoda, qua possim, ei prestare, & utilitati ejus inservire. **L. A.** Benignum & benedicentem tibi, lepida sermo tuus me fecit:

- Nam non sunt solæ arbitratae hæ: ego quoque etiam credidi.
Nunc cum ego te esse præter nostram opinionem comperi;
Fac eadem ut sis porro, nostra utere amicitia, ut voles.
Aliter si facis. Sed reprimam me, ne ægrè quidquam ex me audias.
40 Verum te hoc moneo unum, qualis sis amicus, aut quid possiem,
Potius quam inimicus, periculum facias. *B. A.* faciam sedulo.

INTERPRETATIO.

vam non sola hæ mulieres, Myrrhina, & Philumena, te receptare Pamphilum iudicaverunt: ego quoque ipse credidi. Nunc cum ego te innoxiam, & criminis puram perspexi, contra opinionem nostram, fac ut talis videaris Myrrhina, & Philumena. In posterum utere tuo arbitrio, nobis amicus. Sin aliam te perhibeas; sed me cohibebo, ne moleste, & acerbe quidquam tibi dicam. Verum te hoc unum hortor, ut potius experiaris qualis sis amicus, & quid possim, quam inimicus. B. A. Faciam diligenter quæ mones.

ACTUS V. SCENA II.

PHIDIPPVS. LACHES. BACCHIS.

- P. H.* **N**ihil apud me tibi defieri patiar, quin, quod opus sit, benigne præbeatur.
Sed cum tu satura, atque ebria eris, puer ut satur sit, facito.
L. A. Noster focer, video, venit: puero nutricem adducit.
Phidippe, Bacchis dejerat persancte. *P. H.* hæccine ea est?
L. A. hæc est.
5 *P. H.* Nec polistæ metuum Deos: neque has respicere Deos opinor.
B. A. Ancillas dedo: quolibet cruciatu per me exquire.
Hæc res hic agitur: me facere Pamphilo ut uxor redeat,
Oportet: quod si perficio, non pœnitet me famæ,
Solam fecisse id, quod aliæ meretrices facere fugitant.

INTERPRETATIO.

P. A. **N**utrix, non finam quidquam tibi apud me deficere, ut quod necessarium sit, non large tibi præstetur; sed cum tu cibus, & vino plena eris, fac ut infans lacte sit plenus, & bene nutriatur. *L. A.* Noster focer Phidippus, ut cerno, venit. Puero alendo nutricem adducit. Phidippe, Bacchis per Deos bene jurat, & religiose. *P. H.* Hæcne ea est? *L. A.* Hæc est. *P. H.* Nec pol ista meretrices Deorum timorem, nec Dijs ullo modo curam sunt, uti quidem existimo. *B. A.* Servas meas in tuam potestatem trado: quibuslibet quaestionis tormentis, me permittente, veritatem de illis quære. Potes id facere. Hæc res agitur: oportet nimirum me efficere, ut Philumena uxor Pamphili ad eum reducatur. Quod si hoc perficio, famam & astimationem hanc me acquisisse non pœnitabit, scilicet: solam sine exemplo fecisse, quod aliæ meretrices facere recitant: id est reconciliare uxores mariti.

10 *L. A.*

- 10 *L. A.* Phidippe, nostras mulieres suspectas falso nobis, In re ipsa invenimus: porro hanc nunc experiamur. nam si Compererit falso crimini tua se uxor credidisse, Missam iram faciet: sin autem est ob eam rem iratus gnatus, Quod peperit uxor clam, id leve est, cito ab eâ hæc ira abscedet,
15 Profecto in hac re nihil mali est, quod sit dissidio dignum.
P. H. Velim quidem hercle. *L. A.* exquire: adest: quod satis sit, faciet ipsa.
P. H. Quid isthæc mihi narras? an quia non tute audisti dudum De hac re animus meus ut sit, Laches? illis modo exple animum.
L. A. Quæso ædepol, Bacchis, quod mihi es pollicita tute, ut serves.
20 *B. A.* Ob eam rem vis ergo introeam? *L. A.* i, atque exple animum iis, ut credant.
B. A. Eo, etsi scio pol his fore meum conspectum invisum hodie: Nam nupta meretrici hostis est, à viro ubi segregata est.
L. A. At hæ amicæ erunt, ubi, quamobrem adveneris, resciscunt.
P. H. At easdem amicas fore tibi promitto, rem ubi cognorint:
25 Nam illas errore, & te simul suspitione exsolves.
B. A. Perij! pudet Philumenæ. me sequimini intro ambæ.
L. A. Quid mî est, quod malim, quam quod huic intelligo evenire;

INTERPRETATIO.

L. A. Phidippe, mulieres nostras falso in suspitione apud nos positas fuisse, in rei veritate comperimus. Hujus autem Thaidæ etiam hinc deinceps periculum faciamus: nam si tua uxor deprehenderit se falso accusationi fidem adhibuisse, iram dimittet: sin autem, hac de causâ, succenset filius tuus, quod ejus uxor secretò, & occulte peperit eo nesciente: id non magni est ponderis, cito hæc ira eum deseret. Certe in hac partus celatione, nihil mali est, quod sit dignum divortio. *P. H.* Per Herculem id velim. *L. A.* Explora sagaciter à Bacchide. Illa hic præfens est. Faciet ipsa quod sufficit ad plenam purgationem Pamphili, & suam. *P. H.* Quid opus est his verbis? an quia non tu ipse pridem à me audivisti quæ sit mea mens, & desiderium? illis modo mulieribus, quæ amara sunt, & molesta hæc persuade. *L. A.* Per Deos te obsecro, Bacchis, ut quod mihi promissisti, jusjurandum apud mulieres, tu ipsa præstes. *B. A.* Visne ergo ut ingrediar ad mulieres, ut iurejurando confirmem Pamphilum à me non receptari. *L. A.* Fac, & ita illis persuade, ut credere tibi cogantur. *B. A.* Eo ad illas, quamvis certa sim his meum conspectum molestum, & exosum hodie fore: nam mulier nupta, meretrici inimica est, cum à viro separata est. *L. A.* At hæc amica erunt tibi, cum primum cognoverint, quam ob causam eas conveneris. *P. H.* At easdem amicas tibi fore polliceor: quando rei veritatem resciverint: nam illas falsa opinione, & te suspitione, quam de te habent, simul liberabis. *B. A.* Perij. Pudet me propter Philumenam, conscientia consuetudinis, quam cum Pamphilo habui. Sequimini me in hæc domum, vos ancilla duæ. *L. A.* Quid est quod magis optem mihi acciderè, quam quod Bacchidi evenire video;

Ccc

Ut gratiam ineat sine suo dispendio, & mihi profit?
 Nam si est, ut hæc nunc Pamphilum vere ab se segregarit;
 20 Scit sibi nobilitatem ex eo, & rem natam, & gloriam esse?
 Referet gratiam ei, unaque opera nos sibi amicos junget.

INTERPRETATIO.

ut unâ operâ à me gratiam sibi comparat, sine damno, & mihi utilitatem afferat, mihique commodet, reconciliando uxorem Pamphilo, & Sostrate ejus matri? Nam si verum est, ut Pamphilum à consuetudine sua semoverit; certo perspicit, nomen suum ex eo insigne & nobile fore

apud omnes; cum antea obscurus & minus celebre esset: tum rem familiarem auctum iri, & laudem non mediocrem se consequitur. Pamphilo reddet beneficium acceptum, unâque operâ, nos sibi amicos conciliabit.

ACTUS V. SCENA III.

PARMENO. BACCHIS.

P. A. **Æ** Depol-ne esse meam herus operam deputat parvi pretij?
 Qui ob rem nullam misit: frustra ubi totum defedi diem?
 Myconium hospitem dum expecto in arce Callidemidem.
 Itaque ineptus hodie dum illic sedeo, ut quisque venerat,
 5 Accedebam: adolescens, dic dum, quæso, tun' es Myconius?
 Non sum, at Callidemides? non, hospitem ecquem Pamphilum
 Hic habes? omnes negabant: neque eum quemquam esse arbitror,
 Denique hercle jam pudebat: abij. sed, quid Bacchidem
 Ab nostro affine exeuntem video? quid huic hîc rei est?
 10 B. A. Parmeno, opportune te offers: propere curre ad Pamphilum,
 P. A. Quid eo? B. A. dic me orare ut veniat. P. A. ad te? B. A. immo ad Philumenam.
 P. A. Quid rei est? B. A. tua quod nil refert, percunctari desinas.

INTERPRETATIO.

P. A. **P**er adem Pollucis herus Pamphilus laborem meum parvi aestimat, qui pro nihilo me illuc misit, ubi totum diem frustra otiosus sedi, dum Myconium hospitem Callidemidem frustra in arce expecto. Itaque stolidus ego, dum illic sedeo, ut primum aliquis advenerat, ad illum ibam dicens: adolescens, dicit, te rogo, es tu Myconius? respondebat, non sum. At, es Callidemides? Minime. Rogabam deinde, nunquid hospitem in hac urbe habes, qui vocatur Pamphilus? omnes negabant se habere

hospitem hoc nomine: neque Callidemidem aliquem usquam esse judico. Denique per Herculem pudebat illic sedere tandiu: discessi ex eo loco: sed quamobrem Bacchidem video, è domo Phidippi socii Pamphili egredientem? quid huic meretrici negotij est apud Phidippum? B. A. Parmeno, commode occurris mihi: propera ire ad Pamphilum. P. A. Quapropter? B. A. Dic ei me rogare ut veniat hîc. P. A. Ad te? non vero ad me, sed ad Philumenam. P. A. Quanam res est? B. A. Quæ nullo modo ad te spectat, desistas curiosus inquirere.

P. A. Nil aliud dicam? B. A. etiam: cognosse annulum illum Myrrhinam
 Gnatae suæ fuisse, quem olim mihi ipse dederat. P. A. scio.
 15 Tantumne est? B. A. tantum: aderit continuo, hoc ubi ex te audiverit.
 Sed cessas? P. A. minime equidem: nam hodie mihi potestas haud data est:
 Ita cursando, atque ambulando totum hunc contrivi diem.
 B. A. Quantam obtuli adventu meo lætitiâ Pamphilo hodie?
 Quot commodas res attuli? quot autem ademi curas?
 20 Gnatum ei restituo, qui penè harum, ipsiusque opera periit?
 Uxorem, quam nunquam est ratus posthac se habiturum, reddo:
 Qua re suspectus suo patri, & Phidippo fuit, exsolvi.
 Hic adeo his rebus annulus fuit initium inveniendis.
 Nam memini, abhinc menses decem fere, ad me nocte prima
 25 Confugere anhelantem domum, sine comite, vini plenum,
 Cum hoc annulo. extimui illico: mi Pamphile, inquam, amabo,
 Quid exanimatus es, obsecro? aut unde annulum istum nactus?
 Dic mihi: ille alias res agere se simulare. postquam id video;
 Nescio quid suspicari magis cœpi; instare, ut dicat,
 30 Homo se fatetur vi, in via, nescio quam compressisse:
 Dicitque sese illi annulum, dum luctat, detraxisse:
 Eum hæc cognovit Myrrhina in digito modo me habentem:
 Rogat unde sit. narro omnia hæc: inde est cognitio facta:

INTERPRETATIO.

P. H. Nihilne aliud ei dicam? B. A. Dic etiam Myrrhinam cognovisse annulum, quem olim ipse mihi dederat, fuisse illum, quem Philumena ejus filia olim in digito habuerat. P. A. Scio, tantumne momenti hac res est, ut statim veniat? B. A. Tanti: sine morâ hic præsens erit, postquam hunc nuntium audiverit. Sed, iudicæ? P. A. Minime sane, nam mihi hodie facultas nulla data fuit cessandi: adeo frequenter currendo, & hîc, & illuc commeando, totum hunc consumpsi diem. B. A. Quam hodie lætitiâ adventus meus Pamphilo attulit? quot utilitates? quot ei abstuli sollicitudines? Filium ei restituo, qui pene harum mulierum, ipsiusque opera expositus fuit: uxorem Philumenam, quam nunquam credidit in posterum se habiturum, reddo: suspitionibus patri & socii, in quibus erat, eum expediti. Hic certe annulus

tot felicitatum successibus dedit initium. Nam recorder decem prope abhinc menses illum primis noctis tenebris confugisse ad me parvantem, & anhelantem, aigre respirantem, sine comite, temulentum cum hoc annulo. Statim parvum cum hoc annulo. Statim parvum facta sum, ut eum vidi, suspicata aliquid mali ei accidisse: mi Pamphile, dixi, oro, quid perturbatus es? aut unde istum annulum comparasti? dic mihi, obsecro. Ille alias res agentem se fingebat. Postquam id animadverti, nescio quid suspicans, timere magis cœpi, urgeo illum flagitans, ut dicat. Homo fatetur se per vim nescio quam stuprasse, refertque se illi annulum, cum contrariam luctatur, abripuisse. Hunc annulum hæc Myrrhina modo cognovit, dum eum in digito habebam, quarit unde eum accepit: recto illi omnia hæc. Ex hoc quoque quem dixi, annulo agnitum illud est.

- Philumenam compressam esse ab eo, & filium inde hunc natum.
 35 Hæc tot propter me gaudia illi contigisse lætor:
 Et si hoc meretrices aliæ nolunt: neque enim est in rem nostram,
 Ut quisquam amator nuptiis lætetur. verum ecastor
 Nunquam animum quæsti gratia ad malas adducam partes.
 Ego, dum illo licitum est, usa sum benigno, & lepido, & comi.
 40 Incommode mihi nuptiis evenit: factum fateor.
 At pol me fecisse arbitror, ne id merito mihi eveniret.
 Multa ex quo fuerint commoda, ejus incommoda æquom est ferre.

INTERPRETATIO.

Philumenam vitiatam fuisse à Pamphilo, & filium ex eo compressu esse natum. Hæc tot, per me, latos successus, quæstos illi fuisse summopere gaudeo: quamvis alia meretrices talia abominantur; neque enim nobis utile est ut ullus qui nos amat, amore nostri captus latitiam ex nuptiis capiat uxore contentus: sed per adem Castoris, nunquam lucro im-

pulsa ad malum mentem applicabo. Ego, dum concessum fuit, illum habui liberalem, scitum, festivum, & suavem erga me. Incommoda mihi hæc nuptia acciderunt, fateor: at per Pollucem id nulla mea culpa, qui eas impedire non potui. Multa incommoda ferenda sunt ejus, à quò multa beneficia accepta sunt.

ACTUS V. SCENA IV.

PAMPHILVS. PARMENO. BACCHIS.

- PAM. **V**ide me, Parmeno, etiam fodes, ut mi hæc certa & clara artuleris,
 Ne me in breve hoc conjicias tempus, gaudio hoc falso frui.
 PAR. Visum est. PAM. certone? PAR. certo. PAM. Deus sum, si hoc ita est. PAR. verum reperies.
 PAM. Manedum, fodes. timeo ne aliud esse credam, atque aliud nuncies.
 3 PAR. Maneo. PAM. sic te dixisse opinor, invenisse Myrrhinam Suum annulum habere Bacchidem. PAR. factum. PAM. eum quem ego olim ei dedi:
 Ea que hoc te nunciare mihi jussit: itane factum? PAR. ita, inquam.

INTERPRETATIO.

PAM. Vide, mi Parmeno, etiam, quaeso, ut mihi vera, & manifesta nunciaveris: ne me in brevis temporis angustias impellas; dum hoc falso gaudio fruor. PAR. Huic rei provisum est. PAM. An satis consideratum est? PAR. satis. PAM. Deorum felicitate fruor, si hoc verum est. PAR. Verum esse

deprehendes. PAM. Mane, quaeso; vereor ne aliud mihi persuadeam, ac ut mihi nuncies. PAR. Maneo. PAM. Sic te dixisse mihi vidaris. Myrrhinam cognovisse Bacchidem suum annulum habere. PAR. Sic dixi. PAM. Eum annulum qui olim ei à me datus est, idque nuncium te mihi aff. rre mandavit. Itane est factum? PAR. Sic, inquam.

- PAM. Quis me est fortunatior, venustatisque adeo plenior?
 Egon' te pro hoc nuncio quid donem? quid? quid? nescio.
 10 PAR. At ego scio. PAM. quid? PAR. Nihil enim.
 Nam neque in nuncio, neque in me ipso, tibi boni quid sit, scio.
 PAM. egone, qui ab Orco mortuum me reducem in lucem feceris,
 Sinam sine munere à me abire? ah, nimium me ingratum putas.
 Sed Bacchidem eccam video stare ante ostium:
 15 Me expectat, credo. adibo. BA. salve, Pamphile.
 PAM. O Bacchis, ô mea Bacchis, servatrix mea!
 BA. Bene factum, & volupe est. PAM. factis, ut credam, facis.
 Antiquamque adeo tuam venustatem obtines,
 Ut voluptati obitus, sermo, adventus tuus, quocumque adveneris,
 20 Semper fiet. BA. at tu ecastor morem antiquum atque ingenium obtines,
 Ut unus omnium homo te vivat nunquam quisquam blandior.
 PAM. Ha, ha, hæ: tun' mihi istuc? BA. recte amasti, Pamphile, uxorem tuam:
 Nam nunquam ante hunc diem meis oculis eam, quod nossem, videram.
 Perliberalis visa est. PAM. dic verum. BA. ita me Dij ament, Pamphile.
 25 PAM. Dic mihi, harum rerum numquid dixti jam patri? BA. nil.
 PAM. neque opus est;
 Adeo mutito: placet hoc non fieri itidem, ut in comædiis,

INTERPRETATIO.

PAM. Quis me est beatiior, & Veneri gratior? Egone, quo te premio, pro hoc nuncio donem? quo? quo? nescio. PAR. At ego scio. PAM. Quid? PAR. Nihil equidem: nam ignoro quam utile sit tibi hoc nuntium; aut opera mea tibi profut. PA. Egone committam, ut te non remunerem, qui me ab inferis mortuum ad vitam reduxisti? Ah nimium me immemorem beneficiorum putas. Sed Bacchidem video stare ante ostium. Me operitur, credo: ibo ad eam. BA. Salve, Pamphile. PAM. O Bacchis, ô mea Bacchis, ô conservatrix mea. BA. Bene omnia tibi facta fuisse, & evenisse gaudeo. PAM. Factis tuis ut credam te gaudere mei causa facis, adeoque antiquum tuum leporem, & venustatem pristinam retines, ut occursum, colloquium, & adventus in

quemcumque locum veneris, semper afferat voluptatem. BA. At tu, per adem Castoris, morum tuorum solitam elegantiam, atque ingenij solertiam retines, ut nullus hominum, ne unus quidem, unquam sit suavior. PAM. Ha, ha. he. Tune mihi istud attribuis, quod non merui? BA. Recte, Pamphile, & prudenter collocasti amorem tuum in Philumenâ; nunquam eam adhuc usque meis oculis sic videram, ut notitiam ejus habere possem: pulchra, & honesta mihi visa est. PAM. Verumne dicis? BA. Ita me Dij ament, Pamphile, ut verum dico. PAM. Dic mihi, harum rerum nihilne quidquam patri nunciasti? BA. Nihil. PA. Neque opus est: adeo ut satius sit te musitare. Non placet hoc fieri in ea re quod fieri solet in Comædiis, in quarum sine omnia sunt manifesta.

Omnia ubi omnes resciscunt: hic, quos par fuerat resciscere; Sciunt: quos non autem scire æquom est, neque resciscunt, neque scient.

B. A. Imo etiam, hoc qui occultari posse facilius credas, dabo:

30 Myrrhina ita Phidippo dixit, iurijurando se meo Fidem habuisse, & propterea te sibi purgatum. *P. A. M.* est optime: Speroque rem hanc esse eventuram nobis ex sententia.

P. A. R. Here, licet scire ex te, hodie quid sit quod feci boni? Aut quid istuc est, quod vos agitis? *P. A. M.* non. *P. A. R.* suspicor tamen.

35 Egone ab Orco hunc mortuum? quo pacto? *P. A. M.* nescis, Parmeno,

Quantum hodie profueris mihi, & ex quanta ærumna extraxeris. *P. A. R.* Imo vero scio, neque hoc imprudens feci. *P. A. M.* ego istuc satis scio. *P. A. R.* an

Temere quidquam Parmenonem prætereat, quod factu usus sit? *P. A. M.* Sequere me intro, Parmeno. *P. A. R.* sequor: equidem plus hodie boni

40 Feci imprudens, quam sciens ante hunc diem unquam. & Plaudite, CALLIOPIUS RECENSUI.

INTERPRETATIO.

omnibus: in hac vero re, quos æquum fuerat scire, sciunt qua facta sunt: quos autem non convenit scire, neque cognoscunt: ex alio, neque scient per se. *B. A.* Quin etiam, quomodo id celari posse facilius putes, dicam: Myrrhina Phidippo socero tuo dixit, iuramento meo se credidisse, & propter id te apud se purgatum esse ab ea suspitione, quam de te habebant, te semper mecum consuescere. *P. A. M.* Bene se res habet, spero que hanc rem pro votis prospere cessuram. *P. A. R.* Here, permittisne me hodie cognoscere ex te, quid illud sit, quod boni tibi feci? *P. A. M.* Non permitto te cognoscere. *P. A. R.*

Tamen conjicio, Egone hunc ab Orco mortuum in lucem reduxero? quomodo? *P. A. M.* Nescis, Parmeno, quam utilis mihi hodie fueris, & ex quanta miseria me eripueris. *P. A. R.* Imo vero scio, neque per imprudentiam feci. *P. A. M.* Ego istud probe scio, te istud fecisse inconsulto ut mihi prodesse. *P. A. R.* An facile Parmeno ignoret quidquam, quod facere utile fuerit? *P. A. M.* Sequere me intro, Parmeno. *P. A. R.* Sequor. Certe plus hodie boni feci ignorans, quam sciens unquam ante hunc diem. & Plaudite.

Calliopius recensui.

F I N I S.



ÆLIUS DONATUS IN TERENTIUM.

ÆLII DONATI,
V. C. ORATORIS URBIS ROMÆ.

PREFATIO IN ANDRIAM TERENTII.




COMŒDIA Andria, cum Palliata sit, de loco nomen accepit, & à Menandro prius, & nunc ab ipso Terentio: qui cum de Chryside loqueretur sic ait, *Hei vere orne quid Andria apporet mali.* & hoc commune vocabulum est & in Græca, & in Latina lingua. Hæc majori ex parte motoria est, continetque actus amatorum adolescentium, & patrum piorum. Sunt ibi callidi servi, astutæ ancillæ, severi senes, adolescentulæ liberales. In hac, primæ partes senis Simonis sunt, secundæ Davi, tertiæ Chremetis, & deinceps reliquorum. Prologus in hac acer inducitur, & in adversarios non mediocriter exasperatur; sed tamen id subtiliter, ut omnia laceffitus facere videatur, ac dicere. Hic protasis subtilis, epitasis tumultuosa, catastrophe pene tragica; & tamen repente ex his turbis in tranquillum pervenit. Hæc prima, acta est ludis Megalensibus, M. Fulvio, & M. Glabrione, Ædilibus Curulibus. Egerunt L. Atilius Prænestinus, & L. Ambivius Turpio. Modos fecit Flaccus, Claudij filius, tibiis paribus, dextris & sinistris. Et est tota Græca. edita M. Marcello, & Sulpitio Coss. Pronunciataque est Andria Terentij, ob incognitum adhuc nomen Poëtæ, minoris apud populum auctoritatis ac meriti. Diverbiis aut canticis lepide distincta est: & successu spectata prospero: hortamento Poëtæ fuit ad alias conscribendas. Initium autem *ἀντιτικὸν προσῶπον*, id est, adventitiam personam recepit Sosia, propter evolvendam argumenti obscuritatem. Persona autem protatica ea intelligitur, quæ semel inducitur in principio fabulæ, in nullis deinceps fabulæ partibus adhibetur. Adnotandum sane, puellarum liberalium nullam orationem in proscenio induci, in Comœdia Palliata, præter invocationem Junonis Lucinæ; quæ & ipsa quoque post scenam fieri solet.

ARGUMENTUM DONATI.

CHREMES Atticus, pater Pasibula & Philumena, cum ex his duabus se Pasibulam perdidisse falsè crederet relictam Athenis, nec visam postea multo tempore, tanquam unicam sibi putabat Philumenam: quam Charinus adolescens Atheniensis adamabat unice, & sibi petebat uxorem. Sed pater eam Pamphilo cuidam Simonis filio ultro desponderat: qui Pamphilus contra sororem Chrysidis, ac peregrinam tum creditam, Pasibulam supra dictam, alteram Chremetis filiam sub nomine Glycerii latenter, sic amavit, ut ex ea filium suscepisset, inscio patre. Qua re intellecta, commotus Simo pater Pamphili, dum per falsas nuptias tentat animum Pamphili, multis modis à Davo ipse deluditur servo: periculoque Charini & Pamphili motus error in fabula usque ad eum finem ductus est, dum Athenas veniens Andrius quidam Crito, rem aperiat: & nodum fabula solvat: per quem agnita Pasibula recipitur à parentibus, & traditur Pamphilo amanti: Philumena vero Charino despondetur, & traditur exoptanti. Perspecto argumento, scire debemus, hanc esse virtutem Poëticam, ut à novissimis argumenti rebus incipiens initium fabula, & originem narrative reddat spectatoribus: auctoremque presentem sibi exhibeat, ubi finis est fabula. hunc enim orbem & circulum Poëtica virtutis non modo secuti sunt tragici comicique auctores: sed Homerus etiam & Virgilius tenuerunt. Divisionem actuum in Latinis fabulis internoscere difficile est. causam jamadudum demonstravimus. Unde autem, aut quo modo quamvis egre, tamen intelligi distinguique possint, est operapretium dicere. Principio dicendum est, nullam personam egressam quinquies, ultra exire posse. Sed illa re plerumque decipimur, quod personam, cum tacuerit, egressam falso putamus: qua nihilominus in proskenio tacens, loquendi tempus expectat. Est igitur attentè animadvertendum, ubi & quando scena vacua sit ab omnibus personis: ut in ea chorus, vel tibicen audiri possit; quod quum viderimus, ibi actum esse finitum debemus agnoscere. Confundit sepe lectorem id, quod persona in superiori scena desinens, & in proxima incipiens loqui, non intelligitur ingressa: quod ipsum experientes, statim dijudicant de rerum ac temporum quantitate. potest enim fieri, ut & sit ingressa ac egressa, quam prave credimus de proskenio non recessisse. Possè autem quintò egredi personam, non necesse esse dicimus: ut appareat ultra exire non posse: in Tragœdia & parcius exire, & solere pariter, & licere. Primus actus in Andria, narrationem Simonis apud Sositam continet argumenti, quod populus hac occasione perdisit: mox querelam apud se Davi de domino, & ejusdem cum domino verba: & rursus ejusdem servi deliberationem, quid rerum gerat. Secundi actus hac sunt: Charini verba primo cum Birrha servo, & post cum ipso Pamphilo de nuptiis Philumena. Davi interventus, & cum eo disputatio de nuptiis Pamphili.

Pamphili

Pamphili sermo cum patre, dolo consentientis in nuptias. Birrha verba. Davi callida oratio adversum senem. Tertio actui hac attribuuntur: Myfidis cum obstetrice colloquium, Davo ac Simone audientibus. Partus Glycerii suspectus seni: & Davi apud eum fraudulenta sermocinatio. Simonis verba cum Chremete de nuptiis. Davi perturbatio ac Pamphili. Quartum actum per hac intelligimus: prima Charini verba sunt indignantis, velut fidem sibi non servatam à Pamphilo: tum Myfis verba apud Pamphilum, ejusdemque questus: Davi administratio doli adversus Chremetem. In quinto actui: Simonis & Chremetis prope jurgium, disputatio; tum detectio fallaciarum Davi, tum indignatio patris adversus filium, tum Critonis interventus: & per eum cognitio rebus in tranquillum res acta, ducentibus uxores, quas concupiverant, Pamphilo & Charino. Illud non commovere nos debet, quod in horum actuum distinctione videntur de proskenio non discessisse persona quedam: sed tenere debemus, ideo Terentium vicinitatis mentionem fecisse in principio, ut modico receptu & adesse & abesse personam intelligamus. nihil ergo sequius factum est ab antiquis, qui ad hunc modum Terentianas fabulas diviserunt.



ÆLII DONATI V. C. Oratoris Urbis Romæ,
COMMENTARIUS.

ÆLII DONATI.] Commentarium hunc, qui Ælio Donato Oratori urbis Romæ adscribitur, sic quidem illius esse censeo, ut inegriorem multo eum olim existisse, mea quidem opinio sit: qualem autem nunc habemus, Collectanea potius sive Excerpta dicenda esse, quam ipsissimum Donati opus. Id quod arguere videntur frequentes asterisci; & quod toties eadem repetantur, nonnulla etiam parum dilucidè explicentur. Quum etiam Hieronymus Comment. in Eccles. cap. 1. attestatur, Donatum præceptorem suum, cum versiculum illum, Nihil est dictum, quod non sit dictum prius, interpretaretur; Pereant, dixisse, qui ante nos nostra dixerunt. Quæ sanè verba in hisce Commentariis nunc minimè leguntur. Dum, quæ ex Probo & aliis hic adferuntur, quis negaret ea collectoris potius studio, quàm Donati iudicio inserta esse? Præter hunc enim & alios plures certum est in Terentium Commentaria edidisse: Evanthium puta, Aruntium Celsum, Flavium Caprum, Helenium Acronem, Asprum, Probum, Nigidium, & si vera lectio, Adefionem, De Evanthio, Rufinus Grammaticus de Metris Terentianis: Evanthius in commentario Terentij de fabula, hoc est, de comœdia, sic dicit: Reliquos Charisius Sospiter & Donatus ipse, in hisce Commentariis laudant. At quidquid sit, contenti sumus hoc Catone, qui ex tantorum naufragio solus periculum qualiter qualiter evasit. Lindenbrogius.

Poëta quum primum animum ad scribendum appulit.] Principium factum est à commendatione personæ, Poëta quum primum.] Omnis hujus prologi intentio hoc agit, ut novo Poëtæ veniam pareat, & veteri odium: & ut,

D d d

quam maximè modestum minimeque errantem Terentium probet. *Poëta quum primum animum ad scribendum appulit.* Sensus hic est: Proposuerat quidem Poëta noster, ut in Prologis argumenta narraret: sed hoc imputat Lucio Lavinio aduersario, qui cum facere non permisit, quod proposuerat, maledictis suis ad respondendum eundem provocans. *Appulit.* Appellere propriè dicitur, cum ex pelago aut freto quis ad litus accesserit. *Virgilius:*

Hinc me digressum vestris Deus appulit oris.

Appulit. In secunda lectione attulit fuit: sed appulit magis: nam postea sic, *Animum ad scribendum appulit.*

2. *Id negoti.* Modo pro molestia & cura; non labore.

3. *Populo ut placent.* Ut, ne non significat; nec est modò conjunctio. *Fabulas.* Ad fecisset retulit fabulas, non ad placent. Et est figura syllepsis. *Fecisset.* Bene fecisset, non scripsisset. Unde & Poëta *ὄρε τὴ μοίην*, id est, à faciendo dicti sunt. Sic *Virgilius:*

Pollio & ipse facit nova carmina.
4. *Verum aliter multo intelligit.* Sic *Virgilius:*

Majus rerum mihi nascitur ordo.
Et: *Majus opus moveo.* Non enim hoc se elegisse dicit, sed quasi ex ordine ipso natum sibi esse. *Intelligit.* Quod credimus; plerumque falsum: quod intelligimus, certum est. *Aliter* autem, contra significat. *Virgilius:*

Diis aliter visum.
Verum aliter multo intelligit. Adeo nec preparaverat, nec intenderat quenquam lædere, ut spe falsus, laceffitusque hoc faciat.

5. *Operam abutitur.* Utimur fructibus rei, quæ ab amantibus salvo usu nobis subministratur: *Abutimur*, quando deperdimus & rem, & fructum. Nam usui & ager, domus; abusui vinum, oleum, & cætera hujusmodi. *Cicero:* *Non debet* (inquit) *ea mulier, cui vir bonorum suorum usum fructum legavit, cellis vinariis & oleariis plenis relictis, putare id ad se pertinere, usus enim, non abusus legatus est. ea inter se sunt contraria.* Hæc in Top.

6. *Argumentum narret.* Quod verè

prologi est officium. *Qui.* Pro ut: ergo non est modò pronomen. *Sed qui malevoli veteris Poëta.* Primum à natura, *malevoli:* deinde à tempore, vel ab invidia, *veteris:* à signo æmulationis, *Poëta.*

7. *Veteris.* *Vetus* plerumque ad laudem; interdum ad vituperationem, ut hic, & alibi, *Vetus, veterinosus senex, Veteris.* Pro cariosi & quasi rancidi posuit, atque ideo malevoli: non criminibus, sed maledictis. Quid autem inter *maledictum & crimen* interfit, docet Cicero in Tusculanis. *Veteris.* Ratio invidia; *Poëta.* Causa infectationis, *Maledictis.* Criminatio aduersarii. *Veteris Poëta.* Quia senex Lucius edebat fabulas, adolescentulo tunc Terentio, Et eleganter, *malevoli veteris maledictis:* commendatio Poëta à persona aduersarii. *Respondent.* Excusatio respondentis, quod non obstitat, sed respondeat.

8. *Nunc quam rem dent.* Utrum, nunc animadvertite, an, nunc vitio dent. Et oratoriè quasi multos facit, cum unum supra dixerit. Ut *Virgilius:*

Desiste manum committere Teucris.
Nunc quam rem vitio. Propositio est, *Quam.* Qualem. *Vitio dent.* Vituperent, culpent. *Vituperare,* est mala vitio dare, & etiam bona. *Advertite.* Legitur & attendite. Unde manifestum est, & advertite, & attendite, non esse plenum, nisi addideris *animum.*

9. *Menander fecit Andriam.* Narratio est. Et propriè fecit, scribit enim Terentius, qui verba adhibet tantum: facit Menander, qui etiam argumentum componit. Sed sæpè ad laudem Terentii: *fecit.* pro eo, quod est, transulit.

10. *Vtrumvis.* Prima scena Perinthiæ, penè iisdem verbis quibus Andria scripta est; cætera dissimilia sunt, exceptis duobus locis, altero ad versus xi. altero ad versus xx. qui in utraque fabula positi sunt. *Qui norit unam, ambas noverit.* Omnem rem uno versu naverit. *Vtrumvis.* Deest harum.

11. *Non ita dissimili sunt.* Ordo, Ita non sunt, Ergo ita subdistingendum. *Non ita dissimili sunt argumento.* Ita pro valdè, & cautè, Potuit enim dici, *Quomodo* ergo sunt duæ dissimili oratione, *Ita,* Ne Menandrum culpæ videatur?

Ita adjunxit, quod laudis est. *Sed tamen.* Discretio est à superioribus, & est ἀκαλοστον. non enim supra posuit quidem.

12. *Oratione ac stylo.* Oratio in sensu est, *stylus* in verbis. Oratio ad res refertur, *stylus* ad verba. *Stylus* non est in tempore, sed prolata oratione. Oratio autem est in cogitatione, & in prolato. Orationem in sententiis dicunt esse, *stylum* in verbis, argumentum in rebus. Ergo in poemate oratio est.

13. *Qua convenere in Andriam.* Apparet non de industria, sed casu esse translata ea, quæ de Perinthia in Andriam eodem sensu, iisdemque verbis perscripta fuerunt. *Qua convenere in Andriam.* Unam ergo non duas transulit. *Qua convenere in Andriam.* Quæ apta & commoda fuerunt in Andriam Latinam, non Græcam, fatetur transulisse. Sed quare se onerat Terentius, cum possit videti de una transulisse? Sic solvitur, Quia conscius sibi est, primam scenam de Perinthia esse translata, ubi senex ita cum uxore loquitur, ut apud Terentium cum liberto: at in Andria Menandri, solus senex est.

15. *Id isti vituperant factum.* Isti, ad reprehensionem sumitur personæ: interdum rei reprehensionem significat: ut *Virgilius:*

Quid petis istis?
Vituperant. Vitium rei parant. *Disputant.* Immorantur, calumniantur, argumentantur.

16. *Contaminari.* Propriè *contaminare* est, manibus luto plenis aliquid attingere, & *contaminare* attingere est & polluere. *Virgilius:*

Linquere pollutum hospitium,
id est, contaminatum, *Contaminari.* Tangi & relinqui polluta manu, ac per hoc velut scedari aut maculari: ut ipse ait, *Ne hoc gaudium contaminet vitam egri tudine aliqua.* *Contaminari non decere.* Id est, ex multis unam non decere facere.

17. *Faciunt ne.* Ne quidam corripiunt, & cum interrogatione pronuntiant: quidam producant, *Quorum alii ne pro nec accipiunt, id est, non.* Alii ne pro valdè, ut: *Ne ego homo sum infelix.* Et Cicero: *Ne illi vehementer errant.* Et hoc

melius: nam statim infert.

18. *Qui cum hunc accusant, Nevium, Plantum, Ennium accusant.* In singulis magna emphasis autoritatis: sed ordo non est servatus. *Ennius* namque ante *Plantum* fuit: sed quod est summæ autoritatis, *Ennium* ultimum dixit, *Ne.* Nimis, multum, plurimum. *Qui cum hunc.* Terentium, inquit, specialiter accusantes, nesciunt se bonis omnibus maledicere, quos ille imitatur: & argumentum est ab exemplo & autoritate.

22. *Dehinc ut quiescant.* Rectè: nam *quiescere* ille dicitur, qui est insolens & inquietus. *Porro.* In futurum, dixit *Monneo.* Terribiliter dixit. *Cicero: Monneo, prædico, ante denuntio.* Liberatus culpa, etiam terret, alibi etiam criminaturus aduersarios.

24. *Favete.* Jam ad auditores convertitur, à quibus favorem captat, *Favete.* Quasi dicat, Hoc aduersarii faciunt. Vos autem, quod in vobis est, favete. Vos ergo favorem facite. Et *adeste,* non ut absentibus dicit, quippe qui corporibus præsto erant: sed intenti estote, favete, filete. Sic & Pontifices dicunt, *Favete linguis.* Favete verbis. Unde *Virgilius:*

Ore favete omnes.
Adeste. Animis scilicet auxilium præbere: ut advocatus reo dicitur adesse. *Equo animo.* Ab honesto. *Et rem cognoscite:* A iusto. *Cognoscite, Perno scite.* Sic dixit, *Cognoscite ut perno scatis,* quem admodum in Hecyra:

Orator ad vos venio ornatu prologi, Sinite exorator sim.

25. *Vt perno scatis.* Ab utili. *Reliquum.* Sunt qui pro *reliquorum* accipiant: ut sit sensus, De hac fabula sumite specimen, ut sciatis an cæteræ vobis spectandæ sint. Nam postmodum dictum alio prologo, *Alias cognoscitis ejus, quaso hanc noscite.* *Reliquum.* Quasi diceret, Postremum, ergo adverbium est, id est, τὸ λοιπόν. Sed sive hoc *reliquum* dicit, sive *reliquum* pro *reliquorum*, geminato ll scribitur.

26. *De integro.* Utrum denuò, an ex integris Græcis? *Quas faciet comedias.* Syllepsis; ut supra, ad verbum enim *faciet* declinavit, non ad *spectanda sunt.*

27. *Spestanda.*] Propriè ut fabulæ, id est, probandæ. *Exigenda.*] Excludendæ.

IN SCENAM PRIMAM
ACTVS PRIMI.

Vos isthac intrò auferte.] In hac scena hac virtus est, ut argumenti narratione actio scenica videatur, ut sine fastidio longus sermo sit, ac senilis oratio. *Vos isthac.*] Hac scena pro argumenti narratione proponitur, in qua fundamenta fabula jaciuntur: ut virtute Poëtae, sine officio prologi, vel ἡρώδης ἐπιπέδου, & periocham comœdiae populus teneat, & res agi magis, quam narrari videatur.

1. *Vos isthac intrò auferte: abite.*] Moliter retenturus, & experturus Sofiam, imperat ut remaneat, addit etiam causam aliis abeundi, dicendo: *Isthac intrò auferte:* ne suspicionem injiciat, Sofiam communicandi secreta causâ remansisse. Et bene, *Auferte: Auferimus enim ea,* quæ cum fastidio cernimus; *Ferimus ea,* quæ cum honore tractamus. Deinde quasi respicientes increpat, dicendo *Abite, Abite,* concitatus legendum est: quia & respectantes propeant, & discernit à Sofia. Sofiæ persona protatica est: non enim usque ad finem perseverat, ut est Davi in Phormione, in Hecyra Philotidis & Syra.

2. *Adesdum.*] *Ades,* imperativum est, dum παράλλου: est enim productio, & adjectio syllabæ; ut *Ehodum ad me, Paucis te volo.* Deest colloqui verbis: & est figura ellipsis. *Dicendum puta.*] Ad hoc respondet, ut agi res videatur, quemadmodum supra diximus.

3. *Nempe ut curentur.*] Diligenter coquantur. *Curatio,* propriè medicorum est; *cura,* reliquorum: sed coquina, medicinæ famulatrix est. *Hac.*] *Αὐκτικῶς,* *Nempe ut curentur.*] Deest vis: ut sit, *nempe vis.* Imo aliud.] Bene ἀπὸ τῆς ἰσχυρίας τοῦ ἰμο & deest volo.

4. *Mea ars.*] *Ars* ἀπὸ τῆς ἀρετῆς dicta est per syncopam. ἀρετὴ autem virtus est. Virtutis verò quatuor generales sunt partes; Prudentia, Justitia, Fortitudo, & Temperantia. sed Prudentia, in multis rebus descendit. *Efficere.*] Facere, est

in opere esse: sed *efficere,* perfectionem designat.

5. *Nihil istac opus est arte.*] Mirè ait: arte opus non est, sed opus est artibus.

6. *Sed his quas semper in te intellexi stas.*] Ipse hic signatissimè ostendit, multas variasque artes esse, id est, ἀρετῆς, quæ virtutes intelliguntur. *Sed his.*] Zeugma, à superiore, quod subauditur, artibus. *Sitas,* constitutas, positas.

7. *Fide & taciturnitate.*] *Fides,* est commendatorum fida executio, vel observantia; *Taciturnitas* verò, observantiae genus, in silentio constituta, & in celando secreta. *Quærit autem taciturnitatem,* ne prodatur Pamphilo secretum, quod ei commendaturus est. *Fidem,* ad complenda; *taciturnitatem,* ad celanda mandata. *Expecto.*] *Expecto,* desidero; ut *Virgilius:*

Expectate venis.

Quid velis.] Deest, *scire,* nam si dixisset, *quod velis,* nihil desiderasset.

8. *Ego postquam.*] *Commendatio personæ* potius, quam servi; ne contra filium levi servo aliquid committi indecorè videatur. *Te emi à parvulo.*] Tale est, *Parvulum ego te,* *Jugurtha,* apud *Salustium.* *A parvulo.*] Non enim à parvo, sed à parvulo. *Scis.*] Hoc est, à parvulo scis. *Semper.*] Continuationem significat *semper.*

9. *Iusta & clemens.*] Ita dixit *iusta;* ut alibi, *Non necesse habeo omnia pro meo jure agere.* *Quid enim non justum domino in servum? Iusta,* in qua nihil iniquum jubetur; *Clemens,* in qua etiam de justo multum remittitur. *Apud me iusta.*] Id est, moderata, æqualis, cui contrarium ait *Virgilius:*

Et iniquo pondere rastris.

Et:

Injusto sub fasce viam dum carpit. Nam qui *justam,* debitam nunc dici putant, nihil afferunt ad juvandam sententiam. *Clemens fuerit servitus.*] Libertatem imputaturus, clementem intulit servitutem. *Servitus.*] Mirè *servitutem* pro dominatu posuit. Sic *Salustius,* *Dein servi imperio P. C.*

10. *Feci è servo ut esses libertus mihi.*] Duicem libertatem fecit operatione & tractatione verborum, dicendo, ex servo libertum, non enim tantam haberet

gratiam, si dixisset, *feci libertus ut esses:* quam si dicat, *feci è servo ut esses libertus.* Ac si quis dicat: *feci ut esses sanus.* non tantam haberet gratiam, quam si dicat, *feci ut ex agro sanus esses.* Et *mibi,* emphasim habet: quod mihi libertus factus sis, non filio. Aut idèd *mibi* additum est: quia libertus ad aliquid dicitur. Et bene *mibi,* non *filio.* id est, ne pertimesceret filium, cui nec liberti munus debeat. *E servo.*] Mirè addit *è servo:* ut vim beneficii exprimeret. *Scis, feci è servo ut esses libertus mihi.* Hinc *Virgilius:*

Nympha, decus fluviorum, animo gratissima nostro,

Scis, ut te cunctis unam, quacumque Latina

Magnanimi Iovis, ingratum ascendere cubile,

Præulerim, cœlique libens in parte locarim.

11. *Liberaliter.*] Bene: quia omne bonum libero aptum est, malum servo. Idem alibi, *Factum à vobis duriter, immisericorditerque: atque etiam si est, pater, dicendum magis apertè, illiberaliter.* Et bene admonuit, cur dederit beneficium, eadem & nunc officia quaesiturus. Nunc enim dicit artificiosè, quia supra ait, *Nihil istac opus est arte. Serviebas.*] Bene imperfecto tempore, non perfecto usus est: ut ostendat, eum potuisse sibi etiam atque etiam servire: quale est illud *Virgili:*

Atque omnes pelagique minas, cœlique ferebat

Invalidus.

Ut ostendat eum, quamvis invalidus esset; tamen adhuc potuisse laborem exercitiumque ferre.

12. *Summum pretium.*] Libertatem dicit. *Perfolvi tibi.*] Quia *pretium* dixerat, *perfolvi* dixit propriè. *Perfolvi tibi.*] Modestè pretium redditum dixit, non beneficium erogatum.

13. *In memoria habeo.*] Hoc est, non sum ingratus. Plus dixit, *in memoria habeo,* quam si dixisset, *scio.* Nam quæ scimus, possumus oblivisci: quæ vero memoriam commendamus, nunquam amittimus. *Haudmuto factum.*] *Vetuste:* non me poenitet, nam si quid poeniteret, *infectum velle* dicebant, an secundum jus,

quod adversus liberos ingratos est, ut in servitutem revocentur: sed hoc non convenit senem dicere. Legitur & *multo,* hoc est, damno, reprehendo, quod si est, sic intelligeretur, non nollem factum. Nemo enim potest factum, infectum reddere. Sed adverbialiter dixit: ut dicimus, *nollem factum, nollem huexertum.* Ergo *haud muto factum,* non poenitet me facti.

14. *Si tibi quid feci, aut facio.*] Et fecisse se, & adhuc facere ostendit, quamvis eum manumississet. *Gaudeo si tibi quid feci, aut facio quod placeat.*] Felicitatis est, ut ea quæ facta & facienda sunt, grata sint. *Quid,* pro aliquid.

15. *Adversum te.*] Apud te, & penes te. *Adversum.*] Sine dubio præpositio est. *Adversus* participium potest esse, ab eo quod est *adverso,* sicut alibi. Ergo *adversum te* dixit, quod apud te.

17. *Exprobratio.*] *Exprobratio* est commemoratio beneficii cum enumeratione factorum. *Quasi exprobratio.*] Rectè ostendit, se in memoria habere. Sunt qui ad beneficium referunt, *Immemor:* ut, *Memorem Iunonis ob iram.* ut sit sensus. *Isthac commemoratio, quasi est exprobratio immemoris beneficii:* id est, cuius nemo meminerit.

18. *Quin tu uno verbo.*] Uno verbo, uno ἀξίωματι, una sententia. Nam ἀξίωμα sententia est, vel enuntiatio, uno verbo nexam continens & perfectam intelligentiam. ἀξίωμα enim constat ex nomine & verbo. Sed hic, quod est ἀξίωμα; hoc est, *Has bene ut adsimules nuptias.* ergo omnis virtus, adsimulatio est. *Quin tu uno verbo.*] Una sententia: ut in *Adelphis:*

non meum illud verbum facio, quod tu Mitio

Bene ac sapienter dixi dudum: vitium commune omnium est

Quod nimium ad rem in senecta attentissimus.

Nam male intelligit qui putat, *adsmules,* verbum significare.

19. *Ita faciam.*] Hoc est, uno verbo dicam. & quod verbum promittit, ibi dicit, *Nunc tuum officium est, has bene ut adsimules nuptias.*

20. *Quas credis esse has.*] Syllepsis.

21. *Cur simulas igitur?* Virgilius: *Et quanta fuit Romam tibi causa videndi?*

22. *Eo pacto.* Pacto, modo, quoniam antecedit pactum, modus sequitur. Ergo ab eo quod præcedit, id quod sequitur, dicit: *Et gnati vitam, & consilium meum cognosces: & quid facere in hac re.* Nam istæ divisiones sunt. *Gnati vitam:* quoniam dicturus est, *Nam is postquam excessit ex ephēbis, Sofia. Consilium meum:* quia dicturus est, *Et nunc id operam do.* *Et quid facere in hac re te velim:* quia dicturus est. *Nunc tuum est officium. Et gnati vitam, & consilium meum cognosces, & quid facere in hac re te velim.* Tripartita distributio. *Et gnati vitam.]* Vitam filii in duas partes dividit in narratione: in anteaactam bonam, & præsentem malam. Et incipit mala ibi, *Interea mulier quadam.* Et bene actæ vitæ narratio ad eam rem valet, ut ostendat, quàm justus dolor patri sit ipse decepto.

24. *Nam is.]* Necessario is positum pro nomine, *ἀναφορὰ* ad illud *gnati vitam:* nam si non posuisset hoc pronomen, Sofia erat intelligendus. *Nam is.]* Pamphilus, *Postquam excessit ex ephēbis.]* Ephēbia prima ætas adolescentiæ est, adolescentia est extrema pueritiæ, *Excessit ex.* Cum sufficeret unum.

25. *Liberius.]* Liberius, non est comparativus gradus: non enim potuit liberè ante vivere, dum ætas, metus, magister prohibebant. Ergo deest aliquanto: ut sit, aliquanto liberius. *Liberius vivendi.]* Deest ei,

26. *Qui scire.]* Scimus quod certum est: *Noscimus* quæ adhuc incerta desideramus. Idem alibi, *Forma in tenebris nosci non quita est.*

27. *Merus, magister.]* Magister pædagogus. *Ita est.]* Intercidit Poëta, ne solus Simo loqueretur: cæterum non erat respondendi locus necessarius.

28. *Quod plerique omnes.]* Hæc adjectio dicitur, in primo posita loco, adjectiones vero, aut in prima parte orationis, aut in ultima adjiciuntur. Hic ergo *plerique,* ex abundantia positum est: *omnes* vero, necessario additum est. Et alibi, *Calesces plus satis.* In ultimo; sicut, *Interea loci, interibi.* Attendenda est ianè locutio, *Quod plerique omnes.* Aut

enim quod in qua vertendum est, ut sit, *Qua plerique omnes.* Aut quod ad singula eorum studiorum adjungendum erit, *Equos alere, canes ad venandum.* Aut certè erit figurata locutio, ut est illud: *Si quisquam est, qui placere se student bonis*

Quamplurimis, & minime multos laudare:

In his poëta hic nomen profertur suum. Et alibi, *Aperite acutum os suum.* *Plerique omnes faciunt.]* Ἀρχαῖος est. Namerant, qui *plerique* παρέλλων intelligunt; aut qui subdistingunt *plerique,* & sic inferunt omnes, hoc enim pro una parte orationis dixere veteres. Eodem modo Græci πάμπλλα, & Latini plus satis. *Nævius* in bello Punico, *Plerique omnes subiguntur sub suum iudicium.* Figuratè Terentius, παρέλλων τῶ ἀρχαῖου. *Quod plerique omnes faciunt,* pro, quæ faciunt plerique adolescentuli. *Adolescentuli.]* Bene diminutivè, ut propter ætatem facilè ignoscatur.

30. *Aut equos alere, aut canes ad venandum.]* Si & equos ad venandum alunt, quomodo & canes, quod multi docti improbant: & dicunt separata esse: & ad venandum extra orationem, pro ad venatum: ut *Venatum Eneas, unaque miserrima Dido. Ad philosophos.]* Ellipsis pulchra & familiaris Terentio. Nam possimus subaudire, audiēdos sive sectandos, *Ad philosophos.]* Vitium est, qui dixit, *ad aliquod studium.* Aut si ad philosophos: separanda locutio est, sic ut animum adjungant ad Philosophos.

31. *Horum ille nihil egregie.]* Est sergo figurativum: quod esset rectum, *Quæ plerique omnes faciunt adolescentuli,* horum ille nihil egregiè præter cætera studebat. *Egregie.]* Egregium dicitur, quod ex grege eliditur, sed hic egregie, valde, nimis, non est ergo ad laudem positum. Hæc, inquit, ut cætera, similiter studebat. *Præter cætera.]* Mediocriter, ergo non extenuavit rem, sed ad laudem retulit.

33. *Gaudebam.]* Non dixit *laudabam,* sed *gaudebam.* *Laudat* enim etiam alienus: *Gaudet* qui pater est. *Non injuria.]* Intempestivè Sofia respondet: sed prudentia tantæ sententiæ, compensavit

importunitatem. *Aprime.]* Adjectio est confirmationis.

34. *Vt.]* Admirabiliter dixit. *Vt ne quid nimis.]* Sententia non incongrua seruo, quia est pervulgata, & non refertur ad personam domini dicentis: & de quo dicitur, an magis, quia Sofia convenit ejusmodi character in verbis? *Ne quid nimis.]* Deest *agas:* ut sit, *Ne quid nimis agas.*

35. *Facile omnes perferre.]* Latens argumentatio est, quia filium ad meretricem commēsse errans pater, non ad corruptelam, sed ad obsequium amicum crediderit. *Perferre ac pati.]* Ferre, est cum certo tempore: *Perferre* finem expectat effectus. Feruntur onera, & sustinentur supplicia. *Perferre.]* Mediocriter stultos odiososque.

36. *Cum quibus erat cumque.]* Figura τμησις. *Dedere.]* Plus est *dedere,* quam *consentire:* quemadmodum in hostium potestatem hostes se dedunt. *Dedere* ergo, pertinacibus. *His sese dedere.]* *Dedere* se & obsequi superioribus: non adversari paribus, non se præponere inferioribus.

37. *Eorum obsequi studiis.]* Commodior, scilicet. *Eorum obsequi studiis.]* Talem esse Pamphilum, adjuvat argumentum fabulæ, simul & Charinum.

38. *Ita.]* Deest faciens, volens, agens. *Ita facillime sine invidia.]* Sallustius: *Et cum omnes gloria anteiret, omnibus tamen chavus esse. Invenias.]* Secunda persona pro tertia: ut, *Migrantes cernas.*

40. *Nam hoc tempore obsequium amicos, veritas odium parit.]* Improbatur à Sapientibus hæc sententia. Nam obsequium assentator debet, veritatem amicus: sed in theatro dicitur, non in schola. *Obsequium amicos.]* Hic versus per improprium est. *Veritas odium parit.]* Falsum est autem quod Cicero dixit *obsequium* primum dixisse Terentium cum & *Plautus* & *Nævius* antè dixerint: & est sententia παρὰ δόξος, & magis theatro apta, quàm officio, de qua *Tullius* multa dixit. *Obsequium amicos.]* Sententia probabilis magis, quam necessaria & honesta.

42. *Interea.]* *Interea* est, cum habet instantiam superiorum actorum. *Mulier*

quadam.] Sic dixit, non quasi ignorare nomen ejus, paulò post Chrysidem nominaturus: sed ideò, ut gratam expectationem faciat, simulque lectorem avidum nominis reddat. Ut *Virgil.* paulò post nominaturus ait,

Ecce manus juvenem interea post terga revinatum.

Interea mulier.] Hic digressio est, nam proposuit Gnati vitam dicere. *Abhinc triennium.]* Artificiosè dixit *triennium,* cum posset plus minusve temporis ponere: ut sit verisimile, unum annum fuisse pudicæ paræque vitæ: sequentem, conditionis acceptæ: tertium, mortis. Primo ergò anno ignorata est domus Chrysidis Pamphilo: secundo, Glycerio cognitus: tertio, nupsit Glycerium Pamphilo, & pariter invenit parentes.

43. *Huc vicinia.]* *Vicinia* παράλλων. huc loci, vel huc locorum. Legitur & *huic vicinia.*

44. *Inopia, & cognatorum negligentia.]* Ludatis Pamphili moribus qui mox ducet uxorem, superest ut futuræ quoque matronæ, id est, Glycerio probitatem debitam pro persona reddat: quæ quia honesta nunquam esse poterit, si sic eam constet ante nuptias impudicam ductam esse, partim defendenda, partim laudanda est Chrysis, cum qua commorata est: quam quoniam necesse est meretricem fateri, in conditione turpissimi nominis multum sumitur excusatio voluntatis. *Et cognatorum.]* Hic nos jam parat ad Critonis adventum.

41. *Egregia.]* Id est, eminenti, præstantique. *Atque ætate integra.]* Integra est ætas, quæ in flore consistit, cui neque addendum jam sit, neque quidquam adhuc sit imminutum, ut *Virgilius:*

— integer avi Ascanius —

Et contulit duo ad quæstum meretricium congrua.

46. *Hei vereor, ne quid Andria adportet mali.]* *Andria,* mitè: audivit enim excessisse ex ephēbis Pamphilum, illatamque mentionem mulieris peregrinæ, adolescentulæ, pulchræ. *Ne quid Andria.]* Eleganter, ex Andro. *Andria,* nomen ostendit & mulieris & fabulæ. Et bene, *Adportet:* quia portare ignotis est,

47. *Primum hac.*] Defendit ut diximus, vitam Chrysidis, ut potuerit apud eam rectè morata esse Glycerium, quæ ex argumento matrona erit. *Primum hac pudicè.*] Benè *hac* quidem, id est, illa quæ coacta est. *Duriter.*] Contra rationem regulæ: debuit enim dicere *durè*, ab eo quod est *durus*. Et tamen est differentia. Est enim *duriter*, sine sensu laboris: *durè* autem, crudeliter. Illud, ad laborem: hoc, ad sævitiam relatum est. Sed *durè* in alterum: *duriter* in nos aliquid facimus.

48. *Lana actela.*] Subdistingue tela: finis enim est laboris. *Victum quaritans.*] ut *Virgilius*.

— *Cum fœmina primum,*

Cum tolerare colo vitam, tenuique Minerva,

Impositū cinerem & sopitos suscitavit ignes. Deinde finem laboris intulit, non cibum, sed victum. *Cibus* enim est, qui etiam delicatis præbetur. *Victus*, in parvis aridisque alimoniis est constitutus. Unde *Virgilius*.

Victum infelicem, baccas lapidosaque corna,

Dant rami. —

Et post tantum laborem, *victum*, non cibum dixit: ut *Virgilius*.

At pascens operum, parvoque assueta iuventus.

Et non *quærens*, sed *quaritans*, dixit. *Quaritur* enim, qui ad plenum & perpetuum reponit: *Quaritur*, qui vix quotidie inquirendo victum invenit. *Lana ac tela victum.*] Artificiose, ut videatur pudicè apud eam futura materfamilias educari posse, quam meretricem necessitas fecit.

49. *Sed postquam amans.*] Amator fingere potest: amans verè amat.

50. *Vnus & item alter.*] Post unum duo, ex quibus alter, ut sint tres, inquit enim post, *Nam hi tres tum simul amabant*: ut, *Alter ab undecimo.*

Ergo *alter*, non est secundus, sed tertius. *Vnus & item alter.*] Id est, plures, quæstus jam meretricius factus est. *Vt ingenium est omnium hominum.*] Alia defensio Chrysidis: ut quæ antè fecerat ipse hant: quæ postea peccaverit, naturæ hominum adscribantur.

51. *Proclive.*] *Proclive* est porro inclinatum, vel primum inclinatumque.

52. *Acceptit conditionem.*] Cum uno quæstus non est: cum altero non est: cum multis fit. *Conditionem.*] *Conditio* est pactio, certam legem in se continens.

54. *Perduxere.*] Invitum isse Pamphilum his verbis significat. *Perducuntur* enim necessitate coacti. Hoc etiam verbum iudices pronunciare solent. Et hoc est quod supra ait,

His sese dedere, eorum obsequi studiis, Vt una esset, meum.] Et productè legitur *esset*, ut cibum caperet, & correptè, ut alibi,

Essem una qua cum cupiebam, Antipho, Vnà esset.] Simul, id est, una cibum caperet. *Perduxerunt illuc secum.*] Secum duxere, ut secum esset.

55. *Egomet continuo mecum.*] *Bene mecum*: ut appareat nihil temere constitutum, vel prolatum foras; hoc ipsum satis quæsitum esse, quod statuit de falsis nuptiis, & infensus esset filio. *Egomet continuo mecum.*] Deest *volvebam*, cogitabam, *versabam*, *Captus est.*] Teneatur & irretitur: ex translatione ferarum, atque venatus.

56. *Habet.*] Id est, vulneratus est. *Habet* enim qui percussus est: & propriè de gladiatoribus dicitur: quia prius alii vident, quam ipsi sentiant se percussos. *Habet.*] Sic dicitur de eo qui lethaliter vulneratus est. *Virgilius*:

Hoc habet, hac melior magnis data victimis divinis.

Ergo quid sequitur captum, nisi occidi? *Captus est.*] *Sallustius*: *Sin captus pravis cupidinibus. Cerrè.*] Sine dubio: pro certo captus est: *ιδιωτισμός*. *Observabam mane.*] *Mane* adverbialiter. *Observabam.*] Deest *tamen*, hoc est, quamvis captus erat, & hæc tamen observabam.

57. *Rogitabam.*] Non *rogabam*, sed *rogitabam*: quia sedulè faciebat.

58. *Dic, sodes.*] *Dic*, imperativum est: ideo temperavit injuriam blandimento. *sodes*, est autem, si audes; ut *sis*, si vis: nam delirat qui *σώος* [*sis*], interpretatur *sodes*. *Dic sodes.*] Exhortantis est vox. *Amabo, Rogo.* *Quis heri Chrysidem habuit?* Nam *Andria* illi id erat nomen. Opportunè nomen intulit Chrysidis. Et bene *illi*, quasi dicat, quam tu *Andriam*

driam nominasti. Nam *Andria* illi id erat nomen. Attico more, peregrinæ mulieri à patria nomen imposuit. Et simul celebrat nomen Comædiæ, dicendo, *Ex Andro commigravit*: Et nunc, Nam *Andria* illi id erat nomen.

61. *Quid? Symbolam dedit.*] Subdistingue, *Quid*: ut sit vox quærentis, quid dicat de Pamphilo. *Symbolam dedit.*] *Mire*, nulla pro Pamphilo negatio facti est posita, sed per puerilem simplicitatem omnia gesta narrata sunt, & quidem tacitum est, non celatum: sed ut non factum esse ita videatur. *Eho, quid Pamphilus?*] Primo sic egit, ut de Pamphilo quærere videretur, ad ultimum adjecit nomen: ne quid reliqui faceret. *Cœnavit.*] Cætera in gestu sunt quærentis, quid dicat de Pamphilo, nec invenientis.

62. *Item alio die.*] *Item*, similiter, & vide diligenter tempus adjectum, quasi non sufficeret unus dies.

63. *Comperiebam.*] Vide si non verba patris sunt, & de rebus veneris circa filii mentionem agentis. *Nihil ad Pamphilum quidquam.*] *Παρέλιον*, nam abundat *quidquam*, nam, nemo *quisquam*, non dicitur.

64. *Spectatum.*] Ad Pamphilum, non ad exemplum refertur: &, *spectatum*, probatum.

65. *Et magnum exemplum continentia.*] *Ἰσχυρὸν* laudis. Pamphilus exemplum continentia.

66. *Nam qui cum.*] *Qui*, animus scilicet, aut certe homo subaudiendum. *Cum ingenii.*] *Ingenia* pro hominibus posuit. *Constitatur.*] Id est, atteritur. *Constitatio* est tactus corporum invicem, & collisio.

67. *Neque commovetur.*] Utrum animus, an homo? *Neque commovetur animus.*] Utrum deest *ejus*? An ordo est, qui animus cum ingenii constitatur ejusmodi, neque commovetur in ea re tamen, *ἀνκόλας* don: eo quod non præmissio licet, vel *quamquam*, subiecit tamen. *Sallustius*: *Atque edita undique, tribus tamen cum muris & magnis turribus.*

68. *Sua vita modum.*] Moderationem, regimen.

69. *Cum id mihi.*] *Cum*, id est, præterquam quod. *Tum uno ore omnes.*] *Omnes*, ne pater amore falli videretur, & ideo mox ait, *Bene dissimulatum amorem, & celatum indicat.*

70. *Laudare fortunas meas.*] *Εὐφρατιώτερον* fortunas, quam *fortunam*, & de more, ut,

Quære tanti talem genuere parentes, Et, Vade, ait, ô felix nati pietate.

Et *Plautus*:

Fortunatus qui illum eduxit sibi.

72. *Hac fama.*] An vere laudatus sit, singula hæc pro argumentis sunt: & exculatio est, non esse stultitiâ falsum, sed impulsum. *Impulsus.*] Bene *impulsus*: ultrò enim venire impulsus est, qui daret contra officium socii.

73. *Vnicam gnatum suam.*] Abundat quidem *sua*: sed tamen asseverantius est, *Vnicam gnatum.*] *Quid* si tædio multorum filiorum? at *unicam*.

74. *Cum dote summa.*] *Quid* si pauper est? at cum dote summa.

75. *Placuit.*] Cum pronuntiatione, *placuit, Placuit.*] *Συνορία*, adeo bona conditio fuit, ut quamvis ultro objiceretur, tamen statim placeret. *Despondi.*] Ex veteri more, quo spondebat etiam petitoris pater: unde *sponsus & sponsa* dicitur. *Despondi.*] *Proprie*. Nam de sponso dicitur, quia *spondet* puellæ pater: *despondet*, adolescentis. *Hic dictus est dies.*] Utrum constitutus? an dicatus? ut,

Iunoni inferna dictus sacer.

78. *Chrysis.*] Commemorat nunc quæ esset Chrysis. *Vicina hæc.*] *Supra* enim ait, *Ex Andro commigravit huc vicina.* *Vicina hæc.*] *Ἀνάμνησις*. *O factum bene!*] *Animadvertite*, ubique à Poëta sic induci comicas mortes, ut cum ad necessitatem argumenti referantur, non sint tamen tragicæ. Nam aut meretrix sumitur, aut senex, aut de duabus simul uxoribus una uxor. Itaque hujusmodi obitus, aut mediocri tristitia excipitur, aut etiam gaudio. *O factum bene!*] Quasi qui dixerit, *Vereor ne quid Andria apporet mali.*

79. *Beâsti.*] Artificiose quidem *gaudium* subiecit, ne mors in comœdia, luctus in tragœdia personaret. *Motui à*

Chryside.] *Metuo illum dico*, qui mihi ipsi aliquid facturus est. *Timeo ab illo*, cujus causâ possum aliquid mali pati, etiam si ipse nihil in me mali consulat.

Metui à Chryside.] *Ἀγγεῖος*.

80. *Vna aderat frequens.*] Ut supra, *Cum quibus erat cumque una*, his sese dedere.

Aderat frequens.] Possumus enim adesse, & frequentes non esse, si præsentes non adhaeremus his, quibus adsumus. Et *frequens*, ut miles apud signa.

81. *Curabat una funus.*] *Funus*, est pompa exequiarum: dictum à funalibus. Etenim noctu efferebantur, propter sacrorum celebrationem diurnam. *Curabat una funus.*] Ut non potuerit in exequiis videre patrem. *Interim.*] Descriptio est hujus rei, quæ ad narrationem pertinet superiorem.

82. *Nonnunquam conlacrumabat.*] Illis enim magis causâ flendi fuerat, qui, quam amabant, amiserant. hic amore propter suam Glycerium conlacrumabat, qui alienis lachrymis suas commodabat.

83. *Sic cogitabam.*] Ac si diceret, hoc cogitabam, sensum tantum cogitationis dicere debuit: sed quia *sic cogitabam* dixit, ipsum gestum cogitantis exponit, & dicitur *μυμησις*. *Hic parva consuetudinis causa.*] Hoc est, convivii tantum: & quia dixerat puer, hoc solum egisse Pamphilum, nihil aliud, *Symbolam dedit, cœnavit.*

84. *Tam fert familiariter.*] Id est, graviter, nam quæ nobis sunt familiaria, gravia sunt animo nostro. *Familiariter*, quasi familiaris: an potius familiariter.

85. *Quid hic mihi faciet patri?*] *Mibi*, circa me. Et postquam *mibi* dixit, pondus intulit nominis, dicendo *patri*. *Quid hic mihi?*] Vide quam venuste repetierit hic.

86. *Hac ego putabam.*] *Putare* est ejus qui simplicitate pectoris aberravit. *Cicero: Non putavit, lapsus est.* *Hac ego putabam.*] Cum adhuc nihil peccationis ostenderit, tamen dolor in futura prorumpit: ut,

Et gener auxilium Priamo, Phrygibusque ferebat.

Humani ingenii.] Circa Chrysidem.

87. *Manfueri.*] Circa amicos.

88. *Egomet quoque.*] Ut ipse Pamphilus, aut etiam ego, quem minus crederes, *Ejus causa.*] Ejuldem mansuetudinis & humanitatis, & ejus Pamphili, *In funus prodeo.*] *In funus* (in pompam exequiarum) quod à funalibus dictum est, & uncis vel cuneis candelaborum, quibus delibuti funes, & [in genu] cerei fomites insiguntur.

89. *Nihil suspicans etiam mali.*] Bene suspendit auditorem. *Etiam.*] Alia est suspensio audientis, & exculatio alia, *Etiam.*] Adhuc. *Hem.*] Percussit amententis.

90. *Effertur.*] *Ἐφέρεται*. Græcum est, quod vitans *Virgilius*, ne diceret *effertur*, inquit,

*— tum corpora luce carentum
Exportante tectis, & tristia funera ducunt,
Efferrî proprie dicuntur cadavera mortuorum: & ire proprie ad exequias,*

Virgilius,
Ite, ait, egregias animas, qua sanguine nobis

Hanc patriam peperere.

91. *Vnam aspicio.*] Ex consuetudine dicit *unam*, ut dicimus, *Vnus est adolescens*, tolle *unam*, & ita fiet ut sensui nihil desit: sed consuetudo mirantis non erit expressa. *Vnam* ergo *τῆς ἰδυπποῦ* dixit: vel *unam*, pro quadam.

92. *Forma & vultu.*] Et hinc duo sunt, & ætas & forma, quibus additur pudor, quia meretrix non est. *Forma & vultu.*] Forma immobilis est & naturalis: vultus movetur & fingitur. *Et vultu Sosa, aded modesto.*] Quia formæ laudatio cum meretrice commissa est, progreditur artifex Poëta ad laudanda ea, quæ honestiora sunt, quàm forma. *Et vultu Sosa.*] Quid hinc deest, ut eam nunc dignetur Simo, nisi sola cognitio? & formam probat in puella Pamphili pater, & matronalem modestiam miratur in vultu, & venustatem stupet. Nonne ergo jam cernimus hoc præstruxisse *Terentium*, ut cum Chremetis filiam esse cognoverit Simo, hanc potius eligat, quàm Philumenam, nunc? quanquam ex sororis pulchritudine, & amore Charini, & Davi laudatione, idipsum

quoque probè monstraverit nobis. *Vultu.*] Hæc laus adjuvat, post cognitionem, futuram nunc.

93. *Aded modesto, aded venusto.*] *Modestus*, ad probitatem vultus, & morum pertinet: *Venustus*, ad naturam corporis. Atque aded sibi vultum fingere multi possunt: formam nemo. *Vt nihil super.*] *Ἐλλείπει* Terentiana, nam non necesse est subungere duos versus.

94. *Quia tum mihi.*] Excusatio necessaria. *Præter ceteras.*] Id est, plus quam ceteræ.

96. *Honestæ ac liberali.*] *Honestæ*, ad formam, *Liberali*, ad vultum retulit.

98. *Percussit.*] Hoc est, suspicio, vel aliquid tale. *At at!*] Interjectio admirantis. *Hoc illud.*] *Διππὸν* ejus rei est, quam in animo conceperamus, *Virgil.*

Hoc illud germana fuit.

99. *Hinc illa lachryma.*] *Hinc*, ex hac causa.

100. *Quam timeo.*] Non videtur adhuc *Sosia* plenum amoris argumentum: aded pendet ad ea quæ dicturus est *Simo*. *Evadas.*] Id est, exas, vel pervenias. *Funus procedit.*] *Funus*, à funalibus dictum est, ut supra notavimus, & est funus, pompa exequiarum. Et bene, *funus procedit, nos sequimur*, dixit, quasi post ipsam morituri: unde *exequia* dicuntur. *Funus interim procedit.*] *Ἀπὸς δέτοι*.

101. *Ad sepulchrum.*] *Sepulchrum* *κατ' ἀποφασίν* dicimus, quod sine re pulchra sit, an quod ibi sine pulsu sint, id est, mortui? an quod illic animæ à vivis sepeliantur, id est, separentur? Et sepulchrum dixit futurum, non quod jam esset, *Sepulchrum* enim à sepeliendo dictum. *Virgilius* proprie,

*At pius Æneas ingenti mole sepulchrum
Imposuit.*

102. *In ignem posita est.*] *Ἐλλείπει*, non enim est *qua*. Et mire, cum funus supra dixerit, *Fletur.*] Hic bene impersonaliter, fletur ab omnibus, extrema enim quæque mortuorum omnes commovent ad lachrymas, *Hæc soror.*] Id est, quam dixi esse sororem Chrysidis.

103. *Ad flammam.*] Innuit affectum sororis, unde omnes vinceret: cæteri enim flent, hæc flammæ se ingerit. *Virgil.*

Exinctum Nymphæ crudeli funere Daphnim,
Atque Deos, atque astra vocat crudelia mater.

104. *Ibi tum exanimatus.*] A voluntate, à facultate, à summo ad imum, ubi sunt dicta & facta, ibi est *πείθος*, & mire ibi.

105. *Bene dissimulatum.*] *Bene*, multum, an quasi dolens, quod etiam negaturus sit Chremeti, dixit *bene*? *Indicat.*] Omnia significanter non ostendit, inquit, sed *indicat*: non accedit, sed *accurrit*, non vestem aut manus, sed *mediam mulierem*: non tenet, sed *complectitur*, & quia his tribus rebus inducitur in alicujus rei gestionem persona: affectu, facto, dicto. Affectus est, quod ait, *Ibi tum exanimatus Pamphilus*. Factum, quod ait, *Accurrit, mediam mulierem complectitur*. Dictum, quod ait, *Mea Glycerium, inquit, quid agis? cur te is perditum?* *Indicat.*] *Indicium* proprie est oris & linguæ: factis ergo indicat: non enim dixit, *amo*.

106. *Accurrit.*] *Virgilius:*
*Interiora domus irrumpit limina, & altos
Conscendit furibunda rogos.*

107. *Mea Glycerium.*] *Mea*, quasi amator. *Glycerium.*] Quasi familiaris dixit. *Quid agis?*] Quasi perturbatus. *Cur te is perditum?*] Quasi consolaturus.

108. *Vt consuetum facile amorem cerneret.*] Mire, non suspicaretur dixit, sed *cerneret*, & est ordo, ut facile cerneret, sed *cerneret*, sicut supra, *Laudem invenias & amicos pares.*

109. *Rejecit se in eum.*] Objicitur ei quod à Glycerio factum est: ut, *Quis enim unquam tam palam de honore, tam vehementer de salute sua contendit, quam ille atque illius amici, ut ne hæc mihi delatio detur?*

110. *Quid ais?*] Non interrogantis, sed minantis est. *Iratus atque agre ferens.*] *Iratus*, culpa, *agre ferens*, quia præter spem.

111. *Nec satis.*] Mire expressit indulgentiam patris erga filium. Erat, inquit, causa: sed pro amaritudine oburgationis non erat satis, hoc est, non idonea videbatur. *Nec satis ad oburgandum.*] Deest habui, vel erat. *Virgilius:*

— *Nec sat rationis in armis.*

& hic, erat vel habui, deest ad sententiam. *Diceret.*] Deest enim. *Quid feci?*] Mire fiduciam prætulit argumento, quod est in sequenti versu.

112. *Quid feci, quid commerui, aut peccavi?*] Ἀδύνατος à majoribus ad minora. Et feci quasi facinus dixit. *Facere* enim quis & homicidium dicitur. *Commerui*, minoris culpæ est: *Peccavi*, multo minoris & levioris.

113. *Qua sese.*] Illic, mea Glycerium, hic pronomen dixit. Mira dissimulatio, tanquam illam præter periculum neficiat.

115. *Nam si illum.*] Argumentum per ratiocinationem à contrario, ut si dicas. *Viro fori premium debetur, si desertori pœna constituta est. Tulit.*] Pro attulit. Sed multa significat. Et aliàs perulit. *Virgilius:*

Non tulit hanc speciem furiosa mente Chorœbus.

Aliàs sustulit: ut idem,
Omnia fert ætas, animum quoque. --- pro aufert.

116. *Illi.*] Pro illo. *Dedit damnum aut malum.*] *Damnum*, rei est: *malum*, ipsius hominis.

117. *Venit Chremes.*] Argumentum ex conjectura, de testibus, Et mirè supra, *Utro venit ad me.* Ergo hic causa iusti doloris ostenditur, quia dolet etiam Chremes: nam potuit, non daturus filiam, non venire. *Postridie ad me, clamitans.*] Ut sine dilatione sciri posset, & clamitans, indignantis est: ut *Clamant omnes.*

118. *Indignum facinus.*] Distinguentium, ut per se intelligatur indignum facinus; & ipse doleat Pamphilum corrumpi. *Comperisse.*] Ergo ab aliis, ut appareat verum quod ait, *Tum uno ore omnes, & Hac fama impulsus Chremes. Indignum facinus comperisse.*] Deest se: incertaque distinctio.

119. *Pamphilum.*] Cum emphasi dixit, id est, pudentem & bene moratum. Et nec amicam, sed pro uxore. Mire ergo, quasi non hoc doleat quod amet, sed quod pro uxore habeat. Et simul excusatur filiam denegaturus focer. *Hanc peregrinam.*] *Hanc*, cum contemptu di-

ctum est, & peregrinam, ut alibi: *Adone est demens ex peregrina:* nam hoc nomine meretrices etiam nominabantur. *Ego illud sedulo.*] Quanto affectu pater factum, quod viderat, negabat! *Sedulo.*] Quomodo sedulo, si negabat? an sedulo, ut Sofia? id est, simpliciter. *Sedulo.*] Quia non semel negavit, vel ille instituit.

110. *Factum.*] Impersonaliter. *Negare factum.*] Officium patris, & simul per hoc expressio probationis. *Ille instat factum.*] *Plautus, Instare factum.*] similis est ἀπαίστω. *Instare factum.*] Verulte, id est, instat dicere factum esse. *Denique.*] Quid denique? ad summam properat, & ad finem dictorum. *Denique.*] Id est, postremo.

111. *Discedo.*] Propriè, non enim ab eo. Unde *discessio. Vt quis se neget.*] Probavit, quod non volebat senex, Sofia: adhuc superest ut ostendat, quod non sit irascendum, quin iuste irascatur.

112. *Non tu ibi gnatum.*] Ἀποσιώπις, vel ellipsis. deest, invasisti, objurgasti, adortus es. *Ad objurgandum.*] Incusandum, inclamandum.

124. *Tute his rebus.*] Modo non addit, diceret.

125. *Prope adest.*] Prope adsunt nuptiæ: in proximo sunt metæ libertatis: & ideo avidius voluptaria sub finem carpenda sunt. *Quum alieno.*] *Quum*, pro quo; hoc enim significat *quum*. *Meo me vivere interea modo.*] *Meo modo*, mea voluntate, meo arbitrio.

127. *Relictus est objurgandi locus.*] Mirè *objurgandi*: tanquam incensus pater in filium videretur. nam supra commotus, plus per ἀπαίστωσιν significaverat.

128. *Si propter.*] Hoc erat secundum in divisione, *Et consilium meum cognosces. Si propter amorem.*] Initium consilii sui demonstrandi. *Nolit.*] Legitur & nollet.

129. *Ab illo animadvertenda injuria.*] Nota participium à passivo. *animadvertenda*, castiganda, vindicanda est. *Ab illo injuria.*] Quam facit, non quam patitur. *Ea primum animadvertenda.*] Ut jam hoc sit peccatum, quod recusat nuptias, non quod peccat adolescens. Ideo ergo primum dixit, animadver-

tenda injuria est, vindicanda, exequenda est. Et bene ea ab illo dixit injuria, certissimam enim notat personam, quæ debeat pro injuriis pœnas solvere, quod si dixisset, *Injuriam ejus, ἀμαρτολίαν* fecisset, utrum quam passus est ab alio, an quam ipse aliis intulit.

130. *Et nunc id.*] Hic reddit quod dixerat, *Consilium meum cognosces. Id.*] Id est, propter id.

131. *Vera.*] Ἀπίστων, quia falsa dixit, intulit vera.

134. *Manibus pedibusque.*] Proverbiale, id est, omnibus membris. *Obnixæ.*] Cum conatu, instanter contra conantem.

135. *Magis id.*] Id, propter id. *Incommodet.*] Noceat, incommodum afferat. *Mihi ut incommodet.*] Non enim, inquit, prodest filio amare meretricem.

136. *Quapropter.*] Mire Sofia interrogat, quasi nulla causa sit fallendi dominum.

137. *Mala mens.*] Voluntas est mens, etiam ratio. *Mala mens.*] Argumentum à natura, & an aliquis sine causa malus, an ab impulsione. *Mala mens.*] Quia dixit, Magis ut lædat, quam ut profit. *Quem quidem ego si sensero.*] Ἀποσιώπις est, gravissimam pœnam ostendentis.

140. *Exorandus.*] Legitur & expurgandus. Si expurgandus; lege cui, non qui: quia cui per q veteres scripsere. *Confere.*] Ab eo quod est confis, id est, perficitur, futurum tempus infinitivi modi confere, id est, perfectum iri. Sic in Adelphis,

Verum quid ego dicam? hoc confis quod volo.

Confieri, id est, perfici; unde *confectum* negotium dicitur, vel *confectares*: quæ ad plenum perficitur. *Virgilius:*

--- nunc qua ratione quod instat,
Confieri possit, paucis, adverte, docebo.

141. *Nunc tuum est officium.*] Hoc ad illud tertium respicit, quod dixit, *Et quid facere in hac re te velim. Haec bene ut adsimules nuptias: perterrefacias Davum.* hoc erat tertium de his, quæ dicturum se promiserat. *Adsimules.*] Hoc est unum verbum. *Adsimules*: quod dixit, *Quin tu uno verbo dic, quid est quod me velis.*

142. *Perterrefacias.*] Venuste & Poë-

tice. *Observes filium.*] Observatio in duabus rebus est, in obsequio, & speculando.

144. *Curabo.*] Ut coquus: & supra sic, *Nempe ut curentur recte hæc. I pra]* Figura ἀναστροφῆ, quod nos præi dicimus.

IN SCENAM SECUNDAM

ACTVS PRIMI.

Non dubium.] Narratione jam habita, persona Sofia non erat necessaria: ergo substitit senex, per quem agenda sunt reliqua.

1. *Non dubium.*] Ad hoc certus inducitur Simo, ut magis perturbetur inopinata consensione Pamphili ad ducendam uxorem, & præterea nihil agat cum Chremete de tradenda filia, confirmandisque nuptiis.

2. *Ita modo Davum timere sensi.*] Non recessit de loco senex: *Sensit* ergo antè, quam cum Sofia loqui cœpisset. *Ita modo.*] Argumentum quod supra, ab eo quod nostri faciunt. *Modo*: antequam cum Sofia loqui cœpisset Simo. Et *Davus* non recte scribitur. *Davos* scribendum: quod nulla litera vocalis geminata unam syllabam facit. Sed quia ambiguitas vitanda est nominativi singularis, & accusativi pluralis: necessariò pro hac regula digamma utimur, & scribimus, *DaFus, SerFus, CorFus.*

4. *Mirabar hoc.*] Hic locus est, in quo Davus insinuat, spectatoribus multa gesturus. *Si sic.*] Sic, pro leviter & negligenter, quod Græci εἶτως dicunt, significat autem εἶτως, id est, sic: & est de his, quæ adjuvanda gestu sunt: ut *tamillum puerum*: & *Hujus non faciam. Lenitas.*] Clementia, facilitas, cui contraria, asperitas & difficultas. *Et heri semper lenitas.* An semper lenitas? ut sit ὁσόν. *Lucretius:*

--- Semper florentis Homeri.

Semper lenitas.] Ac per hoc simulata usque nunc lenitas: nam nemo in diuersis actibus semper lenis est: nisi forte fictus assimulator & callidus. *Adsimulas.*] Sine differentia est importuna lenitas.

5. *Quorsum evaderet.*] Ad quam partem erumperet. Et *evadere*, est per

quamcumque difficultatem ad aliquid pervenire.

7. *Verbum fecit.*] Non dixit litigium, aut rixam, sed *verbum*. Iste exiguitates, asseverationes dicuntur. & cum pronuntiatione: ut intelligatur, ne verbum quidem. *Neque id agre tulit.*] Hoc est *semper lenitas*.

8. *Faciet.*] Subaudiendum *verbum*. & est *faciet* persona tertia, pro prima. *Faciet.*] Id est, irascetur, denuntiabit, loquetur. *Sine tuo magno malo.*] Id est, comminabitur tibi, & minas contemnes, ut ad poenas pervenias.

9. *Id voluit.*] Aut absolute accipiendum *id*: aut *id*, quomodo *sic*, demonstratio est, ut magis gestu quam sensu intelligatur, ut supra diximus. *Nec opinantes.*] *Ἰσθύν. Duci.*] Ducere est expectatione longi temporis malum proletere: vel *induci*, ut ferat in retia. *Falso gaudio.*] Velut ex ira, & vitæ senis iracundia.

10. *Amoto metu.*] Ista singula sunt. & *amotio metu*, sic dixit, quasi metus sit corpus brutum, quod cum molimine movetur. *Oscitantes.*] *Oscitatio* est animi otium & securitas, dictum ab ore *ciendo*, id est, commovendo. *Oscitantes*, securi, id est, nihil providentes.

11. *Cogitandi ad disturbandas.*] *Miranda locutio*: ut si dicat, *Cogitat ad dicendum*.

12. *Astute.*] Hoc & gestu, & vultu servili, & cum agitatione capitis dixit. *Carnifex.*] Aut excarnificans dominum, aut ipse dignus carnifice, ut caro fiat, id est, lanietur. *Lucilius*:

Carcer vix carcere dignus.

Neque provideram.] Providentia duplex est: aut enim animo, aut oculis providemus.

13. *Hem.*] Quasi correptio totius corporis. *Ehodum.*] Nutus est, intentionem animi ad versionemque deposcens ejus, cum quo vult loqui. *Ehodum.*] *Dum παρῆλαος* est hoc loco. *Quid hic vult?*] More servili, & vernili gestu, sic enim vocati à dominis servi vultuose agunt. *Qua de re.*] Negantis vim habet hæc interrogatio, plus est enim *qua de re*, quam *nihil*. *Rogas?*] Hoc cum interrogatione indignantis.

14. *Meum Gnatum rumor est amare.*]

Mire apud servum dissimulat id, quod jam probavit. *Meum gnatum rumor est amare.*] Graviter, constanterque senex nondum se fatetur credere, nec verum scire: ne amittat vim vindicaturi, si reciderit. *Id populus curat scilicet!*] Quia rumigeratio populi est, sed hoc avertit ab illo, contumaciter. sic *Virgilius*:

Scilicet is superis labor est. ---

Scilicet, semper cum *εἰρωνεία* ponitur. 15. *Hocine agis.*] *Agis*, id est, audis. Alibi sic, *Hoc age, amabo*. *Plautus*: *Hoc agite iulius Spectatores nunc jam*. Pronuntians simul demonstrative, veluti aurem suam tangens. *Istihuc.*] *Deest ego*, vel *audio*.

16. *Iniqui patris est.*] *Iniqui* est, si nunc velim querere actus liberos adolescentis. *Nam quod antehac fecit.*] *Pro ante hac*, consuetudine magis, quam ratione dicitur. *Nihil ad me.*] Id agit, ut superius consilium se servare ostendat.

17. *Dum tempus ad eam rem tulit.*] *Absolute*, & *deest se*: ut sit, *Dum tempus se præbuit*: quia supra dixit, *Tute his rebus finem præscripsi pater. Sini, animum ut expleret suum.*] Mira ratio cur siverit, ut & hoc quod permisit, ad bonam frugem permisit, non ad luxuriam. *Sini* autem distingue: est autem *sini*, modo, permisi, cessavi. *Sini*, anti-que. Aliter in Adelphis:

Non siviit egestas facere hoc nos.

18. *Nunc hic dies aliam vitam adfert.*] Hoc est, recte, & severe, & inexorabiliter denuntiat. *Aliam vitam*, pro diversam & contrariam. Sic & *Virgilius*: *Diis aliter visum est.* ---

19. *Te oro Dave.*] Gravius illud fecit, nomen appellando. *Vt redeat jam in viam.*] *Iam* modo tarditatis est signum, & *in viam* dixit, quasi qui devius sit, & errarit à recta via. *Vt redeat jam in viam.*] Proverbiale. *Sive aquum est.*] *Ἐπινοήτωσις.*

20. *Hoc quid sit.*] *Ἐκλεψίς*: *deest enim quavis.*

21. *Ita ajunt.*] Hæc credunt & loquuntur universi, & est trepida confessio, & quasi inviti responsio: ut in *Heautont. Ita credo*: monente patre filium. *Tum si quis magistrum.*] *Μεταφορεῖσθαι*, an quia & pædagogus est magister: ut *Geta* in *Phormione*,

Me filii reliquunt quasi magistrum. Ad eam rem.] Id est, super eam rem; hoc est, super amorem.

22. *Animum agrotum.*] Pro *agrum*, nam animus æger, corpus agrotum. 23. *Hem.*] Interjectio est irascentis. *Davus sum, non Oedipus.*] Multiplex contumelia. potest enim senem quasi sphingem dixisse, id est, deformem monstrique similem. Potest etiam inhumanum & ferum, ut sphinx. Potest etiam per Oedipum se ultorem promittere futurum, atque oppressorem sapientia senis. *Davus sum, non Oedipus.*] Facere se negavit Oedipum, ut senem sphinga esse confirmet, non Oedipum. Imitationum duo sunt genera: quandam necessitas, quandam introducit voluntas. *Non Oedipus.*] Si Latine pronunties, genitivus *Oedipi* faciet: si Græcè *Oedipodis*.

24. *Sane quidem.*] *Sane*, valide: quia qui sanus, & validus est.

25. *Si fersero.*] *Comminatio*, & fit pronuntiatio, ut in singulis verbis ardeant minæ. *Hodie.*] Non ad tempus non plenum, sed ad comminationem refertur, ut *Virgilius*: *Nunquam omnes hodie moriemur inulti.* Et *dies* pro nocte accipitur: ut hoc ipsum,

Nunquam omnes hodie moriemur inulti.

26. *Quo fiant minus.*] *Quo minus*, hoc est, quo impeditius.

28. *Verberibus casum te Dave in pistrinum.*] Vult in pronomine & nomine excitare comminatione servum, ne quid relinquat iracundia. *Dadam.*] *Dare*, est quod repetas: *Dedere*, est ad perpetuum. *Damus* & amicis: *Dedimus*, tantum hostibus.

29. *En lege atque omine.*] *Lege*, ad homines: *omine*, ad rem divinam refertur, id est firmamentum, per humana & divina. *Omen* autem est, quicquid ore dicitur. *Ea lege atque omine.*] Bene lege atque omine, quia leges auspiciis servatis ferebantur. Ergo sic intellige, quasi dixerit, ea lege & conditione. Et anti-qui auspicio omnia faciebant, quæ rata esse vellent.

30. *An nondum etiam.*] *Quartum παρῆλαος*, quia abundat etiam.

31. *Ipsam rem.*] Ipsam rem, id est,

voluntatem suam, aut interminationem suam: hoc est, pistrinum & poenas serviles. *Nihil circuitione.*] *Nihil*, pro non. *Circuitione*, periphrasi. *Vsus es.*] Legitur & *usor es*.

32. *Vbi vis facilius.*] *Admonitio*. *Vbi vis facilius.*] *Cicero*: *Non est in hac causa peccandi locus ullus.*

33. *Bona verba quæso.*] Hic in *εἰρωνεία* est *εὐφημισμός*. Quasi dicat, meliora loquere, rogo te, ergo cum admonitione, *Bona verba*, inquit, rogo. *Nihil me fallis.*] Non te ignoro, non me decipis. Sic *Menander*: *ὄν δὲ εἰδὲν λέλυθῆς με δὲ. Nihil me fallis.*] Figura est *ἑλλωισμός*. à loco *εἰδὲν με λαρδάνοις εἶ. Fallis.*] Latet, ut sit *εἰδὲν με λέλυθῆς. Nihil me fallis.*] *Nihil*, pro etiam *nunc*.

34. *Neque tu haud dicas, tibi non prædictum.*] *Dux* negativæ faciunt unam affirmativam: tres negativæ pro una negativa accipiuntur: ut hic, *Neque haud non*. *Sallustius*, *Haud impigre, neque inultus occiditur*. *Vera ergo lectio est*, *Neque tu haud dicas*. *Quod plurimi non intelligentes, hoc dicas legunt.* *Neque haud tu dicas.*] *Vera lectio*, *Neque haud dicas*, est enim quintum *παρῆλαος*. *Plautus* in *Bacchid*.

Neque haud subdititia gloria oppidum arbitror.

IN SCENAM TERTIAM

ACTVS PRIMI.

Enimvero, Dave.] Hic brevis & comica deliberatio est, magna expectatione populorum rerum imminentium commotura, metu & cura astuantis *Davi* consideratione proposita.

1. *Enimvero, Dave.*] *Omnis* persona aut ab altero commendatur, aut se ipsam populo commendat, aut & ab altero & à se ipsa, ut hic *Davi*, & per *Simonem* supra descripta est, ubi dicit, *Mala mens, malus animus*: & hic per se, dum hoc gestu ac sermone agit ac disputat secum. *Enimvero, Dave.*] *Enimvero*, significati- nem habet nimium permoti atque irritati animi. *Cicero*, *Hic tum alius xalia parte. Enimvero ferendum hoc non est: vocetur mulier. segnitia.*] *Ad agendum*,

Socordia.] Ad considerandum.

2. *Quantum modo.*] *Quantum*, pro in quantum.

3. *Qua si non astu.*] Exhortatio à periculo. *Providentur.*] Provisio rerum duas significationes habet. *Providemus* enim nobis tam bonum, quam malum. Malum, sicut si quis eminus veniens, telum providerit, atque sic caverit. Ergo hic *providentur*, caventur, vitantur. Et nuptias velut undam navigio imminentem fecit, quod si quis undam ex adverso venientem prora non exceperit, demersus undis in pectus abit. est ergo metaphora. *Me aut herum.*] *Herum* hic, herilem filium.

4. *Pamphilumne adjutem, an auscultem seni.*] Semper deliberativa verba habent quendam sonum, per quem exitus rei demonstratur: ut hic ostendit, se Pamphilum magis adjuturum, quam verbis senis obtemperaturum.

5. *Si illum relinquo.*] Partium tractatus, quæ supra sunt, Pamphilumne adjutem, an auscultem seni. *Vita ejus timeo.*] Ut alibi, *Syre, tibi timui male. Sin opitulor.*] Opem ferre dicitur in malis rebus, & iis qui de salute dubii sunt: ut, *Fer opem, serva me, obsecro. Opitulor & opitulatio* dicta ab opem tollendo, hoc est, ferendo. *Hujus minas.*] Subauditur, *timeo.*

6. *Cui verba dare.*] *Verba dare*, fallacia est: & illud spectat, *Nihil me fallis. Difficile est.*] Non dicit, impossibile est. Ergo ostendit, partem se sequi, quæ pro Pamphilo est. *Primum jam.*] Primo, inquit, jam infensus est senex, deinde à Pamphilo gravis est Glycerium. *Primum jam.*] *Ἦρόν.* est enim ἀνεσφορῆ, pro jam primum. *De amore hoc.*] *Hoc amore*, sic, quasi cum tædio & reprehensione ejus amoris loquatur.

7. *Me infensus.*] Scilicet de amore filii, senex me servat, & re vera timendus est. *Servat.*] *Φυλάττει.* *Nequam faciam.*] Hoc ad illud spectat, *Tum si quis magistrum cepit ad eam rem improbum.*

9. *Quo jure, quaque injuria.*] Proverbiale hoc est: qualia sunt, *fas & nefas, nolis velis.*

10. *Ad hac.*] In ipsa re major est difficultas, quia gravis est Glycerium. *Sive*

ista uxor.] Et hoc cum quodam tædio & indignatione stomachi interruptit.

12. *Opera prævium audaciam.*] Dicitur de mirificis & laudabilibus, nam & ea quæ magna sunt, etiam si mala, tamen miramur: quia libenter audiamus, & hoc prævium est operæ, id est, audiendi. Et *audaciam* proprie dixit, ut in Eunuchio, *Audaciam meretricum specta.*

13. *Nam incæptio est amenitium, hanc amantium.*] Amabant veteres de proximo similia dicere: ut Cicero, *Minuscharum putavit fore de armario, quam quod de sacrario fuisset ablatum.* Et quidem si in verbis sunt, *παρομοίωσι* dicitur: in nominibus, *παρομοίωσι*.

14. *Quidquid peperisset.*] Majorem reprehensionem sonat, quidquid peperisset: paritur enim aut masculus, aut femina: & solet jultior esse causa tollendi, si marem uxor peperit, sed nimii amoris est, non expectare quid tollas. *Decernerunt.*] *Decernere* est de magnis rebus certam proferre sententiam, unde etiam *Senatus decretum.*

15. *Et fingunt.*] Argumenti partem narrat: & non credit futura esse quæ dicit, ut superfit locus errori. Et *fallaciam, & quandam*; ne verisimilis sit ipsa fallacia totius contemptiois & vilitatis.

16. *Fuit olim.*] Modo totius summæ argumentum populo narratur: sed ut restet aliquid ad errorem, abrogatur fides, *Αδυναμαπικρό* ad *μυμηπικόν* transit.

18. *Is obiit mortem.*] Plene dixit, quod nos obiit tantum, *Virgilius, Morde obita quales fama est volitare figuras.*

19. *Recepisse orbam parvam.*] *Parvam* propterea adjecit, ut fiat verisimile, non posse eam facile suos agnoscere. *Fabula.*] Redit ad narrationem.

20. *Atque ipsis.*] *Atque* pro tamen, ut sit, tamen ipsis commentum placet, quod comminiscuntur probant.

21. *Sed Mysis.*] *Παγγοκευὴ* alterius scenæ. *Mysis.*] Semper autem nomina comicorum ser vorum, aut à nationibus sunt indita, ut Mysis, Syrus, aut ex accidentibus, ut Lesbica, velut ebriosa, à Lesbio insula, quæ est ferax suavissimi candidissimique vini. aut à moribus & vernilitate, ut Pseudolus, aut ex negotio,

gotio, ut Chrysalus. aux ex qualitate corporis, ut Thyrlacus [an Chylacus] aut ex specie formæ, ut Pinacium. *Ego hinc.*] Nihil adhuc Davus invenit consilii, nisi ut quærat Pamphilum, moneatque. *Ego hinc me ad forum.*] Vulgose hoc pronuntiat: ut desit, pergam, aut ducam me.

IN SCENAM QUARTAM ACTVS PRIMI.

Audiui, Archillis.] *Hæc sunt inventionis poetica, ut ad οἰκονομίας faceria aliquid addant, nam οἰκονομίας est ut accersatur obstetric, & conveniatur Pamphilus. Faceria scribentis in his verbis est, quod Archillis compositricem potissimum adduci jubet.*

1. *Audiui, Archillis.*] Frequenter hoc modo Terentius compendium facit, ut egrediens loquatur persona de eo, quod est gestura: & simul doceat quid ab altera gestura sit. *Audiui, Archillis, jam dudum, Lesbiam adduci jubes.* Utrum *jam dudum audiui*, an, *jam dudum jubes*, incerta distinctio est, & sunt qui *jam dudum*, jam primum intelligant: ut, *jam dudum sumite penas.*

2. *Sane pol.*] *Sane*, multum; aliàs, pro valide, namque validus est, qui multum rerum necessarium habet ad salutem. *Temulenta.*] *Temulenta*, Vinolenta, hoc est, ebriosa, quia *temetum* vinum dicitur: unde *abstemius* sobrius. *Dictum autem temetum* ab eo, quia tentet mentem. *Temulenta*, vino: *Temeraria*, natura.

3. *Nec satis digna cui committas.*] Bene in conclusione illa specialiter probavit, dicendo non idoneam, cui committatur primum partus mulieris. Sed mire signateque dixit *committas*, etenim committimus magna, & quæ salutem in dubio habent. *Nec satis digna.*] *Das res, nec parientem, nec primo partu.* *Figura δὸ δ' ἐβός.* ut *Virgilius*:

— *Non me tibi Troia
Externum tulit.* —
Et, *Dum domus Æneæ Capitolii immobile saxum Accolet.* —

4. *Tamen eam adducam.*] Redit ad il-

lud, quod vi coacta. *Importunitatem.*] *Importunitas* neque loci, neque temporis habet commoditatem. *Anicula.*] *Archillis* scilicet.

5. *Quia compositrix.*] In vultu remansit oratio, deest enim per figuram *ἐλλείψιν*, ideo illam vult arcessiri.

6. *In aliis.*] Utrum in aliis mulieribus, an in aliis rebus.

7. *Exanimatum.*] *Exanimatus*, est perturbatus, *Virgilius*:

Exanimata sequens impingeret agmina muris.

Exanimus, mortuus.

Idem,

*Corpus ubi exanimum postum Pallantis
Acestes.*

Vereor quid fiet.] *Quid*, ob quid, propter quid sit exanimatus. Aut aliter: *quid fiet*, id est, quid sit negotii. Sed quidam putant *quid* pro quare: ut *Quid veniant.* Aut deest, *potest*: ut sit, *quid esse potest.*

8. *Num quidnam.*] *Comicum* est & Terentianum. *Num quidnam*: *Quona exemptis num & nam*, sufficere ad interrogationem potuisset *quid.*

IN SCENAM QUINTAM ACTVS PRIMI.

Hoccine est.] *Hic inducitur adolescentis animus circa nuptias: ut ex magnitudine ejus ingens gaudium comparatur in sine fabula, cognita Glycerio, & simul id agitur, ut magis magisque per Mysidem Pamphilus excitetur ad resistendum patri nuptias indicenti.*

1. *Hoccine est.*] Ab iracundia & dolore coepit. *Iracundia* descendit ex injuria: Dolor ex miseria. *Hoccine est humanum factum?*] Quasi deliberatio est: in qua duæ partes sunt: una patris, altera amicæ, pro suafore Mysis est. *Principium ab invectione: in qua primo ut hominem accusat, deinde ut patrem.* *Hoccine est.*] Hoc est dilatare orationem, ne diceret quod fecit. & est perversa *ἀνέστης*, à majoribus descendens ad minora, per amplificationem accusationis. *Factum aut incæptum.*] In aliis, *factu aut incæptu*, fuit. *Hoccine est officium.*] *Officium* ab efficiendo, ab eo

quod quaritur quid efficere in eo unumquemque conveniat, pro conditione personæ.

2. *Quid est, si non hoc.*] Sic dicimus de his, quæ necessario hoc sunt, quod dicimus, *Si non hoc.*] Hoc cum stomacho dictum, quasi aliquo contradicente non esse contumeliam. *Civero, Quid est quasi, Metelle, iudicium corrumpere, si hoc non est?*

3. *Vxorem decrerat.*] *Decernere*, est de magnis certam proferre sententiam. *Vxorem decrerat.*] Propositio injuriæ.

4. *Nonne oportuit præscisse me ante?*] *Oportuit*, scilicet ad patrem refert. Nam nec sic consentirem ad nuptias, sed fac me velle, *Nonne oportuit præscisse me ante?* Doler autem se spacium non habuisse consilio. Et ante abundat, aut certe præ, cum sufficiat scisse. *Nonne prius communicatum oportuit?*] Quam de stomacho repetitum est oportuit. Et de more, *præscisse me ante præscisse* proprie ad eum refertur, hoc est, Pamphilum. *Communicatum.*] Quod neque hujus proprium est, neque illius. *Communicatum.*] Quia nuptiarum non omnis potestas in patre est.

5. *Quod verbum.*] *Verbum* pro ἀξιωμα more suo posuit. id est, uxorem dare, quod ait.

6. *Quid Chremes?*] Transit, à patre nunc, & ad socerum redit. *τὸ quid*, non ad Chremetem dicitur: sed ad illum transeuntis est, & non considerantis quid dicat. *Quid Chremes?*] Irascitur patri, quod cogat: Chremeti, quod non neget uxorem. Nove dolet, non odio haberi, non repudiari. *Qui denegarat se, &c.* Non latuerat Pamphilum, repudiasse Chremetem. Unde & Davus ait, *Qui posteaquam audiverat non datum iri filio uxorem suo, Commissurum.*] Putaverat nuptias, & Chremetem mutare sententiam.

7. *Id mutavit.*] Nove dixit *id*, τὸ id enim ad denegarat. *Id mutavit, quoniam iam me immutatum.*] Παρομοίως. Nam quoties verba sunt, παρομοίως dicitur, quoties nomina, παρομοίως.

8. *Itane obstinate?*] *Obstinare facere* est aliquid in alterius malum cum conatu facere perseveranter, & in alterius per-

niciem nimis niti. *Abstrahat?*] Magna vi verbi & proprietate usus est, unde illud est, *Iphitus & Pelias mecum duellimur inde. Abstrahat.*] Magna indignatione usus est; tanquam Chremes non tam filia consultum velit, quam læsum Pamphilum.

10. *Adeo hominem.*] Alia exclamatio est adversum socerum. Neminem putat esse in genere humano ita infelicem ut se: quod est commune omnium, qui in aliquo mœrore consistunt. Itaque non se, sed conditionem humanam dolet, & queritur natum esse quenquam qui possit esse tam miser ut ipse est, ac per hoc se. *Adeo hominem.*] Amatorie amore nominato exiit in gemitus. Sic Virgil, *aut si lux alma recessit, Hætur ubi est? Invenustum aut infelicem.*] *Invenustus* est sine venere, id est, sine gratia, quem omnes respiciunt, repudient, que pulchræ, & quem deformes appetant. *Invenustum aut infelicem.*] *Invenustus*, cui displicens objicitur: *Infelix*, cui placens negatur. *Aut infelicem quenquam ut ego sum?*] Adeo se miserum dicit, quod sibi repudiare non licet: ut propter se doleat humanum genus, in quo sit aliquis tam miser. *Virgil, Hæc cadit in quenquam tantum scelus! Ut ego sum?*] *Ανακόλουδον* est, ut quam enim inferre debuit, non ut.

11. *Prò Deum.*] Quam ferveat indignatione, hinc aspice, quod frequenter exclamat. *Prò Deum.*] Alia exclamatio est adversus socerum.

12. *Effugere.*] In totum fugere.

13. *Quot modis contemptus, spreus?*] Si Chremes spreus, intelligemus Pamphilum dicere, quod operam dederit, ut se repudiaret Chremes: ut supra dixit, *Mutavit, quia me immutatum videt.* *Quot modis contemptus?*] Chremes an Pamphilus? *Facta, transacta omnia.*] Proverbiale est in id negotii, de quo nihil superstit ad agendum. *Facta autem à Pamphilo: transacta etiam à Chremete.*

14. *Repudiatus repeto.*] Quasi & hæc injuria sit, repudiare & repetere. Et tale est in Eunuchis, *Exclusit, revocat. Nisi si id est.*] Conjecturale argumentum.

15. *Aliquid monstri alunt: ea.*] Duplex

contumelia, & monstri & aliquid. minus enim esset, aliquid monstrum. Sic, *Quid hominis uxorem habes?* Et mutavit genus, dicendo ea: quoniam foemina est. Sic in Eunuchis, *Taces, monstrum hominis non dicturus es? Aliquid monstri alunt: ea.*] Dum monstrum dixerat, ea subjunxit, tanquam non verbis, sed sententiæ serviens. *Nemini obrudi.*] *Mire obrudi*, quasi invito, & totum cum iracundia. *Obrudi*, infringi, impingi.

16. *Iur ad me.*] Dotem amator non cogitat: & ad vilitatem trahit, quod ultro venit, & quod se repetit Chremes. *Iur ad me.*] Quasi ad hostem. *Plautus in Pseudolo,*

Iur ad me.

Et Virgilius:

--- simul ense relicto

Ibat in Euryalum propere.

Oratio hæc.] Etiam pauca verba veteres orationem dicebant.

17. *Nam quid ego.*] Quasi dicat, quid ego de patre dicam, qui alienam accusaverim Chremetem. *Nam quid ego.*] Redir ad patrem, in quo nove hoc accusat, negligenter eum agere, quod nolit fieri.

18. *Tantam rem.*] Summam voti ac nuptias. *Præteriens modo.*] Hic ostendit specialiter quid peccaverit. *Pater præteriens modo mihi apud forum.*] Undique conflatur accusatio, ex facto, quod præteriens; ex tempore, quod modo; ex loco, quia in foro, ex modo & ex verbis, Uxor tibi ducenda est.

19. *Ducenda.*] *Mire ducenda*, semper hoc genus declinationis, necessitatem ostendit, ut Virgilius:

Et pacem Trojano ab rege petendum.

Sallustius:

Agendum, atque obviam eundem est.
10. *Abi cito, & suspende te.*] Ad Hodie, cito retulit, ad *Vxor tibi ducenda est, suspende te.*

22. *Ineptam saltem; falsam.*] Duo comparantur in defensionem, aut vera aut ad tempus accommodata. *Ineptum* est, quod à quovis reprehendi potest. *Falsum* quod etiam prudentem possit fallere.

23. *Quod si ego rescissem.*] Si mecum

communicasset prius. *Quid facerem.*] Ipse se reprehendit. *Quid facerem.*] Ἰπεροχῆ.

24. *Ut ne hoc facerem.*] Tacerem, & nota, *facerem*, pro tacerem. *Sed nunc.*] Deliberatio, & partes ejus.

26. *Amor, misericordia.*] Hæc oratoria sunt, cum unum negotium in multas distrahimus partes. *Diverse trahunt.*] Pro, in diversa trahunt. *Amor.*] A necessario. *Misericordia.*] Ἄπο τοῦ αἰσῆ. *Misericordia hujus.*] Ἀμφοτέρω. *Nuptiarum sollicitatio.*] A perturbatione. Quibus colligit, consulere se non posse. *Sollicitudo* est, quæ inhaeret mentibus. *Sollicitatio* quæ ab alio fit.

27. *Tum patris pudor.*] Ἀμφοτέρω. *Qui me tam.*] Explanatio, in quo pudentum sit sibi apud patrem. Et ad illud spectat, *Tute his rebus finem præscripsi, pater. Qui me tam leni passus est animo.*] Atqui accusabat eum. Sed amator est.

28. *Ei ne ego.*] Pronomen hoc vim qualitatis habet, & est, An tali, tam bono? *Egone ut averter.*] Videtur inclinasse, ut secundum patris animum consistat, sed amore ad incerta iterum devolvitur.

29. *Quorsum accidat.*] Ad quam rem, quo versus.

30. *Sed nunc peropus est.*] Calliditati foemineæ & astutiæ sententiæ hæc congruit. *Cum ipsa.*] *Ipsa*, nunc domina mea. *Adversum hunc.*] Apud hunc, ut alibi, *Et id gratum fuisse adversum te, habeo gratiam.*

31. *Dum in dubio est animus.*] Translatio hæc est à mole alicujus ponderis, quæ ante quam in loco sederit, cum incerta pendet, facillime commovetur.

32. *Quis hic loquitur?*] Hoc secum: deinde conversus, ut vidit, *Mysis, salve, salve.*] Difficile est aliud invenire verbum, quod sic declinetur, *Salve & salvete*, quippe hujus verbi per modos est rara declinatio. *Quis hic loquitur?*] Principium Terentianum in jungendis personis, *O salve.*] *O*, interjectio optantis adventum, aut repente percussit. *Quid agit?*] Amatorie, & familiariter non addidit quæ. *Virgilius:*

Qua mihi reddat eum, vel eo me solvat amantem.

Rogas?] Lenta quædam, & tristis est responsio, & dolore plena.

33. *Laborat à dolore.*] Duplicem laborem Glycerii esse dicit, unum partitudinis, alterum curæ & sollicitudinis nuptiarum Pamphili. *Laborat à dolore.*] Callide aggreditur juvenem; nam utraque propter illum perpetitur, & dolorem & sollicitudinem. *Atque ex hoc.*] Mysis, quæ contra patrem suasura est, incertum inveniens Pamphilum, facile ad se convertit mentione dominæ suæ: & maxime quod addidit, cur illam ægram esse dicat, quare statim perfectum est quod volebat, ut dicat Pamphilus, *Egone istuc conari queam?*

34. *Constituta.*] Nec addit, à patre: sed invidiose, quasi & à Pamphilo sint constituta. An timet in negotio? *In hunc diem.*] Idem enim dies est quo placuerant destinata nuptiæ, quamvis Chremes renuntiaverat. & supra, *Hic nuptiis dictus est dies. Tum autem.*] Tum præterea. Tertiam sollicitudinem habere Glyceriumne deferatur à Pamphilo. *Sollicitudo est.*] *Sollicitudo* rerum incertarum magis est. *Quod in hunc diem. &c.*] Hic certior metus est, & gravior.

35. *Egone istuc conari?*] Ideo sic Pamphilus, quia illa invidiose non *deserere conaris*, dixit: sed, *deseras*. Ego ne *istuc conari?*] Non perficere, sed conari velle aliquid ad scelus, effectio est, etiam si non potest fieri, hic enim voluntas, non factum damnatur, ut *Virgilius*:

Ausi omnes immane nefas, ausoque potiti. Conari?] Levius est conari, quam facere.

36. *Egone propter me?*] Magna vis est in pronomibus, & diversa sunt, & singula, & non præcipitantur, nec dicuntur uno spiritu: sicut in Eunucho, *Egone illam, qua me, qua illum? Qua illum,* deest, amat: *qua me,* deest, non amat. *Egone?*] Suadenter. subauditur, *ut fieri sinam.*

37. *Qua mihi suum animum.*] Ab ejus beneficiis. *Suum animum.*] Quantum ad amorem pertinet. *Atque omnem vitam.*] Hoc est, ut maritum speraret. *Qua mihi suum animum, atque omnem vitam credidit.*] Argumenta à consequenti. Si eam deserit, hæc subjiciuntur,

38. *Quam ego animo egregie charam.*] Egregie, præter ceteras, id est, nimis.

39. *Bene & pudice.*] Hic illud solvitur, *Lana & tela victum quaritans*: ut hoc præstruat, bene & pudice Glycerium esse educatam, *Lana & tela victum quaritans.* Et non pertinet ad argumentum, nisi post vitam Glycerii intelligas. *Bene & pudice.*] Ab honesto. *Bene & pudice ejus doctum.*] Hanc sententiam quasi de exemplo probat, nam bene educata est à Chryside, quæ primo pudice vitam, parce, & duriter agebat.

40. *Coactum egestate.*] Propterea quod Chrysis, inopia & cognatorum negligentia coacta. *Coactum egestate.*] Non paupertate, sed egestate, cui contrarium, *Inopia, & cognatorum negligentia.*

41. *Haud vereor.*] Acuit animum adolescentis contra patrem, cuius etiam nomen grave est.

42. *Sed vim ut queas.*] Hic, *vereor* subauditur, *ut*, pro *ne* non posuit: ut sit, *Sed vereor ne non queas vim patris ferre.* Et ne non possis, non damnatio est, verum adolescentis provocatio in contemptum patris. *Adeon' me ignavum.*] A verisimili. *Ignavum.*] Quod adversum necessitatem proferendum fuit, id primum dixit, adesse sibi virtutem, quæ sequuntur, ad fidem pertinent. Ita pro tempore contemptum patris pro fortitudine habet. *Ignavum.*] *Ignavus* est, qui vim non potest ferre, qui non est perseverans.

43. *Adeon' porro ingratum.*] Porro, conjunctio est expletiva, alias adverbium temporis. *Ignavum & ingratum.*] *Av'çnos* est, inhumanum aut ferum post subjecta dixit. *Adeon' porro ingratum, aut inhumanum?*] Mira omnis conversio. Non enim dixit, *Adeon' me obsequenti patri existimas, adeo gratum, adeo pium, adeo mansuetum?* Ita amatoris per omnia servat condiciones, ut oratorie hoc cogatur, scelus esse, si pareret nunc patri.

44. *Ut neque me consuetudo.*] Non ordinem reddit. ferum enim reddit ad mansuetum, quod etiam fera mansuecunt. *Neque amor.*] Ad illud, *Inhumana-*

rum. Amor namque vehementior est in homines. *Virgilius*:

Quid juvenis, magnum cui versat in ossibus ignem

Durus amor? ----
Pudor.] Ad *ingratum* retulit. *Ut neque me consuetudo, neque amor.*] *Απόδοσις* ad superiora. *Consuetudo*, adversus feritatem. *Amor*, adversus inhumanitatem. *Pudor*, adversus ingratum animum.

45. *Commoveat, neque commoveat.*] *Av'çnos* est ad majora. *Ut servem fidem.*] *Exquisite*: non dixit, ut contemnam patrem.

46. *Vnum hoc scio.*] In eodem hæret, ut excitet juvenem: neque audire se fingit quod dicit. *Vnum hoc scio.*] Vide quam callida sint, quæ à Myside subjiciuntur, ad irritandam promissionem Pamphili: quæ ardentem incendant magis, nam dixit ille omnia, quibus cogitur servare fidem: sed de merito ejus aut nihil dixit, aut parum. *Vnum hoc scio.*] Quasi hoc dicat, *Quid tu facturus sis equidem nescio, sed unum scio. Ut memor esses sui.*] Invidiose, quasi obliato: adeo commovetur hoc dicto Pamphilus. *Ut memor esses sui.*] Bene, præterito: quoniam quæ præterita sunt, in recordatione magis lachrymabilia sunt, ut *Virgilius*:

--- *Cui parvus Iulius, Cui pater, & conjux, quondam tua dicta, relinquitur?*

Idem alibi,
Per caput hoc juro, per quod pater ante solebat.

47. *O Mysis, Mysis.*] Primum vocandi, alterum increpandi est. *Etiam nunc scripta.*] Id argumentum est, quam vive memor sit, qui etiam mortuæ verborum meminert Chrysidis de Glycerio.

49. *Iam ferme.*] *Ferme*, adverbium est festinantis. *Moriens me vocat.*] Ex tempore probavit locutam vera esse, non ficta & simulata, nam qui sani sunt, spe longioris vitæ adulantur, *Virgil.*

Et dulcis moriens reminiscitur Argos. Iam ferme moriens.] Affectus à tempore, quod postrema vox erat.

50. *Accessi vos semota, nos soli.*] *Figuræ propriæ Terentianæ, ασω δεινόν & ελλειψις.* *Vos semota*, deest *estis*: *nos*

soli, deest *remansimus*, ut est illud, *Egone illam, qua illum, qua me? Vos semota: nos soli.*] Habuit fidem, quod soli fuimus, quod nemo testis. an timuit, ne hoc pater ante firmatum amorem cognosceret? *Incipit.*] Deest *dicere*, Præparatio, & quasi vestibulum orationis est, *Inceptio* dicitur orationis, quæ longa taciturnitate, meditate, graviterque profertur, ut *Virgilius*,

Tum pater omnipotens, rerum cui summa potestas.

Insit ----

51. *Mi Pamphile.*] *Μίμωσις* per *σωπεμπίαν* & principium à blandimento. *Mi Pamphile.*] Imitatus est etiam blandimentum Chrysidis. *Mi Pamphile.*] Vide redditam voci morientis densis intervallis interruptam orationem, ut pote lasso anhelitu interveniente. *Hujus formam atque atatem.*] Amat compendium lassitudo. *Formam* enim dicendo: pulchritudinem significat: *atatem*, quod parva. *Hujus formam atque atatem.*] Duplex causa commendationis, *forma* & *atatis*: ut supra, *Forid' unam aspicio adolescentulam, Forma, &c.*

52. *Vtraque inutiles.*] Legitur & *utiles*.
53. *Et ad pudicitiam.*] Propter formam dixit. *Et ad rem tutandam.*] Propter atatem. *Απόδοσις.*

54. *Quod te per.*] *Quod*, propter quod: ut, *Quod te per superos*. Et est ordo, propter quod te oro. *Per hanc dextram.*] Tinet eum, ut apparet. *Per hanc dextram.*] Fidei & foederis membrum. Ad manum fit conventio. *Et ingenium.*] Legitur & *genium*.

55. *Per hujus solitudinem.*] Legitur & *solitudinem*.

56. *Obtestor.*] *Obtestatio* dicitur, quando eum adjuramus, quem rogamus. *Oramus* per eas res, propter quas rogamus, *Virgilius*:

-- *per eversa, genitor, fumantia Troia Excidia obtestor.* ----

Ne abs te hanc segreges, neu deseras.] Ad fidem, *ne segreges*, retulit: *ad solitudinem*, *ne deseras*: hoc est, ne aliam ducas, aut amare desinas, etiam si aliam ducas. *Ne abs te hanc segreges.*] Quasi ipsam manu tenens. *Hanc*, propter formam & atatem.

tem, *Segreges*.] Hoc verbum simplex fieri non potest. *Neu deferas*, postremo, *Te obtestor*.] Sextum *παρέλκον*, dixit enim jam, *Quod ego te per hanc dextram oro*.

57. *Si te in germani*.] Sic tunc dicimus, quando præstitimus aliquid, & tamen nolumus exprobrare, ut *Virgil*.

Si qua tuis unquam pro me pater Hyrtæus avis

Dona tulit. ----

Et alibi,

Si bene quid de te merui. ----

In germani fratris.] Non fratris solum, sed etiam germani.

58. *Sive hæc te solum*.] Si aut te mihi prætulit, aut nullum alium noverit amatorem in domo meretricis.

59. *Morigera*.] Hoc quasi amanti utile fuit. *Virgilius*:

---- fuit aut tibi quidquam

Dulce meum. ----

60. *Te isti virum do*.] Hæc, ut diximus, & singula sunt, & non præcipitatur, nec dicuntur uno spiritu. *Te isti virum do*.] Apparet quod junctis dextris hæc dicebat, ideo &, *Per hanc dextram te oro*. *Amicum*.] Potest enim & maritus esse, & non amicus, sed affectu mariti retulit amicum, *Virum*.] Ne *segreges*. *Amicum*.] Ne *deferas*, *Tutorem*.] *Quasi orbæ*. *Patrem*.] *Quasi parvæ*. *Patrem*.] Ad illud quod ait, *Et ad pudicitiam*.

61. *Bona nostra tibi hæc permitto*, & *tua mando fidei*.] Conclusio per mandatum & obtestationem efficax satis. *Bona nostra*.] Hæc verba quasi supellectilem suam ostendentis sunt. *Bona nostra*.] Hoc est, *Ad rem tutandam*.

62. *Hanc mihi in manum dat*.] Confirmatæ sunt legitimè nuptiæ per in manum conventionem: Et mire *hanc*: non, *hujus manum*. *Mors continuo ipsam occupat*.] Quo magis memorem esse oportet eorum, post quæ illa nihil locuta est.

63. *Accepi*.] *Proprie*, quasi uxorem. *Acceptam servabo*.] Conclufit partem deliberationis suæ per electionem.

64. *Sed cur tu?*] Corripit, quod abeat ab illa, *Cur*, non interrogantis, sed corripientis est, & increpantis quod Glycerium deserat. *Obstetricem*.] Quæ opem tulerit parienti, *obstetrix* dicitur: unde & parturientes, *Fer opem*, clamant.

65. *Propera, atque audin?*] Et interrogatio quo eat, & revocatio, ad argumentum magni amoris accedit. *Verbum unum cave de nuptiis*.] Deest *áicas*, figura *ἄλλειψις*. De nuptiis.] Non quod hodie futuras neseierit Glycerium: sed quod illas hodie indixerit pater filio: cum supra & Pamphilo & Glycerio disturbatæ viderentur, quia sunt constitutæ in hunc diem. *Cave*.] Annotant quidam *cave* hic corripiendum esse.

66. *Ne ad morbum hoc etiam*.] Iterum *ἄλλειψις*, deest enim, *accedat*.

IN SCENAM PRIMAM ACTVS SECVNDI.

*Q*uid ais, *Byrrhia?*] In hoc colloquio altera pars ostenditur fabula, siquidem *Andria* ex duorum adolescentium pavoribus gaudiiisque componitur, cum fere solum *Hecyram* Terentius ex unius comædia adolescentis effecerit.

1. *Quid, &c.*] Has personas Terentius addidit fabulæ; nam non sunt apud Menandrum, ne *κατακώτερον* fieret, Philumenam spretam relinquere sine sponso, Pamphilo aliam ducente. *Quid ais?* &c.] Ex verbis Charini apparet Byrrhiam nuntiasse nuptias futuras cum Pamphilo: nec adducitur tamen, ut statim credat, & accommodet animum, Sæpius ergo repetit interrogando, Et bene illa, velut amatorie de certa loqueretur persona, Sic *Virgilius*:

---- solam nam perfidus ille

Te colere, arcanos etiam tibi credere sensus.

Ergo non *Æneas*, sed ille. Et item hic, non *Philumena*, sed illa dixit. *Quid ais, Byrrhia?*] Miratur magis, quam interrogat, vel potius indignatur, *Sic est*.] Hoc cum indignatione stomachi dixit. Ergo non *Æneas*, sed ille.

2. *Qui scis?*] Non vult enim verum esse, *Qui?* quatenus? unde hoc scis? *Apud forum*.] De loco. De tempore, modo. De persona, de *Davo*. *Apud Forum de Davo audi vi*.] Plurima dixit ad confirmandum Byrrhia, quando interrogatus est, à loco, à tempore, à persona, *Va misero*.] Tandem aliquan doper-

dictus est ut crederet, *Va* interjectio in his rebus quas execramur.

3. *Vsque antehæc*.] Id est, antequam tua verba audirem. Et duas præpositiones posuit, ut dicitur: sed una est tantum, velut adverbium, non jam præpositio. Nulla præpositio præpositioni adjungi separatim potest. *Vsque*, ejusmodi est, ut sine aliqua præpositione raro inveniatur. *Attentus fuit*.] Ut *attentus audire* dicitur.

4. *Lassus, cura confectus, stupet*.] *Lassus* cura, ex præterita spe. nunc *confectus*, id est, sic vulneratus, aut percussus ut sanari non possit. *Lassus, cura confectus, stupet*.] *Lassus*, adempta attentione, *Cura confectus*; confirmato timore. *Stupet*, abjecta spe.

5. *Quæso ad eum*.] Objurgantis est *Quæso*, vel etiam rogantis. *Quoniam non potest*.] Consolatio ad id, quod fieri non potest, suadens.

6. *Id velis quod possit*.] Proverbiale. *Nihil aliud*.] Hoc magis gemitu amatorio, quam ut responderet Byrrhia, dicit: quasi magis Philumenam velit, quam vitam & lucem. Idem alibi, *In eo me oblecto: solum id est charum mihi*. Non enim dixit, Nullam volo aliam, quam Philumenam: sed nihil volo aliud, quod infinitum est.

7. *Qui istum*.] *Qui*, pro ut. *Ex animo dimoveas*.] Legitur, *ex corde ejicias*.

10. *Tu si hic sis*.] Hoc gestu scenice melius commendatur. Nam hæc magis spectatoribus, quam lectoribus scripta sunt. *Hic* ergo, se ipsum ostendens, dicit, & est *hic* pronomen. *Sed Pamphilum*.] *Sed*, inceptivum, pro atque eum Pamphilum: ut *Sallustius*, *Sed Metellus in vulnere*. Hoc non discretivum: ut si dicas, sapiens, sed miser: hic enim discretivum erit. *Sed Pamphilum video*.] Hæc per *δὲ τοσοῦτον* finguntur. *Age age ut lubet*.] Adversus hæc non habuit quid loqueretur, & est permissio reprobantis ea, quæ consentit.

11. *Omnia experiri*.] Idem alibi, *Omnia prius experiri, quam armis, sapientem decet*. *Virgilius* hanc posuit sententiam, *Ne quid inexpertum frustra mortua relinquat*.

12. *Ipsum hunc*.] Bene *ipsum*, quasi au-

thorem & principem, refertur etiam ad dignitatem. *Orabo: huic supplicabo*.] *Oramus* quæ bona sunt: *Supplicamus* in adversis magis, vel cum lachrymis. *Hunc orabo, huic supplicabo*.] Proemia sunt petitionis, quibus ostendit Poëta rationem, qua nova & improba res, tamen petitur. *Amorem huic narrabo meum*.] Non studium aut voluntatem: sed amorem. Nec petam, sed *narrabo* dixit: totum magnifice.

13. *Vi aliquot saltem prodatur dies*.] *Saltem*, desperatis rebus solum petentes salutem, hoc verbo utimur. *Prodatur* vero, proferat, prolatet, differat. *Lucilius* in quinto, *An porro prodenda dies sit?*

14. *Interea fiet aliquid*.] Tale est hoc, quale illud, *Interea aliquid accidet boni*. Sed nihil illum dixisse poëta per servum ostendit, dicendo; *Id aliquid nihil est*. *Fiet aliquid*.] Ut supra, *Impetrabo*.

15. *Ad eum ad eum*.] Consuetudine magis, quam ratione dicitur, unum enim *ad* abundat. *Quidni? si nihil impetres*.] Aut, *Quid, nisi nihil impetres, ut te, &c.* In utroque idem sensus est: sed superior per *εἰπωσίαν*, inferior per simplicem explicationem solvitur. Et si *quidni* legitur, subaudiendum, *adeas*: ut si, *Quidni adeas?* ut si nihil impetres, te arbitretur paratum in cœchum, si illam duxerit. *Si nihil impetres*.] *Impetres*, per *ὑπερολογίαν* dictum videtur, pro *petas*, quoniam petitionem sæpe impetratio sequitur.

18. *Charinum, &c.*] Non imperite Pamphilum priorem loqui fecit, sed ut fiduciam det Charino loquendi: quod & *Virgil*, eleganter, *Heus*, inquit, *juvenes monstrate, mearum Videtis si quam hæc errantem forte sororum* ut ad confessionem Charino minus clausa præ pudore sit via.

19. *Salutem, auxilium, consilium expetens*.] Ut in petitionibus fieri solet, beneficium petens, utitur partibus deliberativæ. *Consilium expetens*.] Eleganter, quoniam demens & improbum est quod petit, novissimum posuit consilium: ut si non possit concedi, vel consilium expetat ad sanandam dementiam. Cicero, *Tu da salutem, quibussem dedisti*.

20. Neque pol' consilii locum habeo, neque auxilii copiam.] Apud amantem neque consilii facultas: apud inopem neque copiam auxilii. His duobus offendit etiam sese amatorem. Neque pol' consilii locum habeo, quia amo: neque auxilii, quia sum miser.

21. Sed istud quidnam est?] Hoc si non adderet, locus confitendi amoris Charino nullus fuisset. Hodie uxorem ducis? Vide miram interrogationem ante confessionem. Ajunt.] De ea re dicimus quam volumus esse falsam.

22. Si id facis.] Nihil prius, quam se moriturum dixit, pudenda dicturus. Inde datum est, ut ille instantius quæreret causam. Hodie postremum.] Plus dixit, quam si dixisset. Morior hodie. Hodie postremum.] A necessario: quia vivere non potest. Et postremum, adverbium est.

24. Sponsam hic tuam.] Nulla cunctatione Byrrha, sed facete, παρρησία servili paratissime narrat. Sponsam hic tuam amat.] Callide & sponsam, & amat: hoc est, nec adhuc uxor tua est, neque aliquid admittit, quia amat tantum. Ne iste haud.] Ne, valde: ut & Cicero, Ne illi vehementer errant. Sensus hic est, Non id amat quod amo, nec id odio habet quod odi, hoc est, valde iste, inquit, non mecum sentit: id amat quod ego odi. Ne iste haud mecum sentit.] Ne, valde: aut ut quidam volunt, ὅ quam. Lucilius in x.

Ne in arce bovem discerni magnifice, inquit.

25. Nam quidnam amplius tibi cum illa fuit?] Artificiose personam expressit Terentius, nuptias recusantem: & simul ὁ ἀπὸ τῆς ἀνδρὸς virgini servavit.

26. Quam vellem!] Utique ut esset causa recusandæ. Per amicitiam.] Suam & Pamphili. Et per amorem.] Suum tantum circa virginem.

27. Vt ne ducas.] Sufficeret dixisse, ne ducas. Dabo equidem operam.] Plus illi promisit, quam ille poposcit. Dabo equidem operam.] Pronuntiatione levandum est. Plus enim dixit, dabo operam: quam si diceret, non ducam. Non potest.] Deest, fieri, & hoc ad patrem retulit.

28. Aut tibi nuptia hæ sunt cordi.] Hoc ad Pamphilum pertinet, non enim unum

& idem est, nam si idem esset: nuptia hæ sunt tibi cordi, supervacuum esset additum, Cordi. Cordi?] Animo, acute, Saltem aliquot dies profer.] Primo quæ majora sunt, petit: postremo quæ ex his videntur minima: & hoc arte: ut, Incute vim ventis, submersasque obrue puppes. Et ad postremum, Aut age diversas, & disjice corpora ponto.

29. Profer.] Prolata, produc, differ, Aliquo; ne videam.] Aliquo dixit, ut exilium esset incertum. Audi nunc jam.] Correptio impatientis, qui non sustineat audire de exilio.

30. Ego, Charine.] Sententiæ quæ ex pronomibus incipiunt, seria semper, sed vera promittunt. Virgilius:

Me natam nulli veterum sociare procerum

Fas erat

Ego, Charine, ne utiquam officium.] Sensus hic est, Non puto, inquit, hominem liberum, qui, cum nihil præstet, haberi gratiam sibi poscat. ergo cum tibi nihil præstem, nolo mihi gratias agas, non enim tui causa fugio, quod prius quam me peteres, magis nolebam ducere, quam tu cupis. Ne utiquam.] Una pars est orationis, pro nequaquam. Aut alio modo dicitur, cum is nihil promereat, id est, præstet, ut Virgilius:

Quis que sui memores alios fecere merendo,

Et, --- Nunquam regina negabo Promeritam.

E contrario lædit:

Quid commerui, aut peccavi, pater?

31. Cum is nihil promereat.] Mereri, est aliquid mercedis pro labore sumere, cum dicimus, Nihil meretur, hoc intelligitur, nihil mercedis dignus est accipere. Cum is nihil promereat.] Laboret, vel mereatur, vel mercedis petere debeat, ut, Quid meret machana? Plautus in Pseudolo. Id gratia apponi sibi.] Addi in gratiam suam, id est, sibi gratiam merere.

32. Nuptias effugere.] Interposita distinctione, vultuose hoc dicitur, hoc est, cum gestu.

33. Reddidisti animum.] Plus dici non potuit. Aut tu, aut hic Byrrha.] Hic δὲ ἀπὸ τῆς ἀνδρὸς quasi efficaciorē ostendit. ergo

ergo ad comparationem alterius referatur.

34. Facite, fingite, invenite, efficitte.] Fit, quod verum est. Fingitur quod falsum est. Invenitur, ne temere fiat. Invenite ergo, agite dicit post cogitationem. Efficitte.] Id est, in effectum perducite. Sallustius, Nam & prius quam incipias, consilio: & ubi consulueris, mature facto opus est. Facite, fingite, invenite.] Mire expressit Pamphili animum nuptias metuentis, cui quicquid dixerit, parum est.

35. Ego id agam, mihi qui ne detur.] Non dixit, ego non instabo ut ducam: sed quod est amplius. Et recte, utriusque opera opus. Non enim continuo ducet Charinus, si non duxerit Pamphilus. Qui detur.] Quis pro quemadmodum. Ne mihi.] Veteres frequenter ne pro non dicebant, Sat habeo.] Sic antiqui pro sufficit, Sat habeo dicebant, an vel abundat?

36. At tu hercle.] Deest, adfers, dicis, nuntias.

37. Nisica qua.] Hoc est, --- daturne illa hodie Pamphilo nuptum? BY sic est. CH. qui scis? BY. apud forum modo de Davo audivi. Quod memor est Charinus, se non libenter audisse. Fugin' hinc.] Comminantis est, & abigentis à se. Ego vero, ac lubens.] Nemo lubenter fugit, nisi coactus necessitate. Hic etiam lubens dixit, quod est lubenter.

IN SCENAM SECUNDAM

ACTVS SECVNDI.

Di boni.] Hæc scena consilium continet personarum, ad quas maxime perinet argumentum. Et hic est locus in quo, ut fieri solet, fortuna mixta rebus dispersis, magnas turbas dat.

1. Di boni, boni quid porto!] Non mirum quod insolentius Davus exultat, qui, ut Simo dicebat, timidus fuit, ut ipse Davus, etiam desperavit ex nuptiarum terrore, quas nunc falsas comperit. Di boni, boni quid porto!] Ex proximo repetit bis: sed tamen alterum nominativo plurali, alterum genitivo singulari dictum est. Quid porto.] Non solum corpore, sed etiam animo portamus tam bona, quam mala. Sic alibi, Ne quia Andria apponet mali.

2. Vt metum, in quo nunc est, adimamus

atque expleam animum gaudio.] Ordine locutus est, prius enim metum adimere, sic demum gaudio perfundere. Hic ordo etiam in laude servatur.

3. Nescio quid.] Deest propter: ut sit, propter nescio quid. Quid.] Adverbiale.

5. Exanimatum.] Perterritum, perturbatum.

6. Sed ubi quaram?] Nunc in omnes se partes versat, quarens quo dirigat cursum.

7. Abeo.] Videtur quasi constitisse, deinde quasi elegisse quo pergat. Habeo per h inveni, legitur & abeo: uti merito illi dicatur, Resiste. Quis homo est qui me? ὁ Pamphile.] Ante videt, quam compleat orationem.

8. Euge, Charine.] Euge, modo pro interjectione positum est. Opportune.] Deest, adestis: non, opportune vos volo.

9. Davo, perii.] Proprium est dolentibus, præfektinare ad indicanda quæ dolent. Απολέμεισα. Habet nonnullum affectum quod addidit, Davo. Quin tu.] Quin, modo pro imo; alias, cur non?

10. Mea quidem hercle.] Videtur Charinus plus dixisse, Perii, quam Pamphilus, Mea quidem hercle certe in dubio est vita. Sed non est hoc, plus enim Pamphilus dixit, Nam qui vivit, non potest interiisse: is autem qui vivit, vitam potest in dubio habere. Ideo & juravit hercle: & affirmans jusjurandum, certe addidit, Bene certe: quasi illud interii, falsum sit. Ita Pamphilus plus fecit, periturum se esse dicendo, quam Charinus interiisse. Et tu quid, scio.] Mira compendia, quæ contrahit Poëta longitudine fabulæ: nec tamen perdit affectus personarum. Et tu quid.] Deest timeas.

11. Et id scio.] Ἐν ὁμοίῳ, tanquam dicat, nihil est. Et id scio.] Legitur, Et si scio. Hodie.] Tempus addidit, tanquam rem sciens. Obrundis.] Sæpe repetendo dicere, obrundere est, translatio à fabris, qui sæpe repetunt tundendo aliquid malleo, & idem obrundunt & hebetant. Obrundis, tameis.] Potest esse ἀσπρόν: sed sincerius est & melius subdistingueret.

12. Id paves.] Deest ob, ut sit, ob id, hoc autem Pamphilo dicit. Tu autem, ut

ducas.] Pro; ne non, ut posuit. Hoc.] Charino.

13. *Atque istuc ipsum*] Ἐν ὑποκρίσει. Ille enim hoc idem dixerat cum exclamatione: quod quasi vanum contemnit. *Me vide.*] Utrum, lætus sum? an, me specta fidei datorem? ut dici solet, *me habe; me respice.*

14. *Obsecro te, quamprimum hoc me libera miserum metu.*] Cum precibus & tempus admisit. Et bene *libera.* perfecta enim securitas, *liberatio* nominatur. *Hem.*] Ecce demonstratio est facti.

15. *Vxorem tibi non dat jam Chremes.*] Oratorie à summa cœpit: cujus partes, multis dicuntur. *Iam non dat.*] Bene *jam.* quod si non dixisset, intelligeret Pamphilus, vel postea Chremetem filiam esse daturum. Sed addito *jam*, plena securitas est. *jam* enim renuntiatio est perpetuitatis. *Scio.*] Preparatio est auditoris ad eam narrationem, quæ ostendit argumenta falsarum nuptiarum.

16. *Me prehendit.*] Pro *prendit.* Ad data aspiratione geminavit syllabam. Et *prehendit* dixit, quasi vitantem ac fugientem. *Ait tibi.*] *Ait*, proprie: quia conremnenda dicuntur. *Ait tibi uxorem dare se.*] Conjecturam facit ex malis, quæ præcesserunt. *Ait tibi uxorem dare se.*] Dicitur primo crediderit veras, dicturus subinde cur falsas.

17. *Item alia multa.*] Bene distulit narrationem, ne si audirent Charinus & Byrrhia, definant dolos struere adversum vigilantissimum senem. *Item alia multa.*] Commoda narratio à necessariis tantum. Minas autem senis prætermisit, ne corumperet bona quæ nuntiabat. *Quæ nunc non est narrandi locus.*] Non vult dicere, quam minaciter secum egerit senex, quamque infert nuptiis, ne Charinum Byrrhiamque de spe dejiciat, quos vult secum admitti, ne uxorem Pamphilus ducat. *Quæ nunc.*] Argumentum est, quæxere potuisse eum qui sit territus, nam timor curam parit. *Narrandi locus.*] Modo tempus, spatium.

18. *Properans percurro.*] Vide quantum dixerit. *Properans & percurro*, ut continuationem cursus ostenderet.

19. *Vbi te non invenio.*] *Vbi*, modò non est adverbium loci, sed temporis,

pro postquam. Vbi te non invenio, ibi.] A summo ad imum divisiones, quibus dicta & facta continentur: sub quorum genere sunt species nunc dictorum, nunc factorum, cum consideratione rerum personarumque.

20. *Nusquam.*] *Deest, vidi. Video Byrrhiam.*] *Deest servum,* & recte, dixerat enim, *Apud forum modò de Davo adivi.*

21. *Rogo, negat vidisse.*] Mira brevitatis, & imitanda.

23. *Paululum obsonii.*] Hinc est quod ait, *Nimum parce facere sumptum. Ipsus tristis. de improvviso nuptiæ.*] Mire, & moraliter, ex his enim quæ facta non sunt, docet quid fecisse deberet, & de *improvviso nuptiæ*, pronuntiandum.

24. *Ego me continuo.*] Et bene, *continuo* ad Chremem: ut si ab utroque hoc fieret, esset vera suspicio Davi. *Ego me continuo.*] *Deest, duco.* Consuetudine dictum est. *ἐλλειπτικῶς.* *Ego met.*] Una pars orationis est. *Chremem.*] *Chremem & Chremetem*, ut *Darem & Daretem.*

25. *Solivudo ante osium.*] Signa ab his quæ sunt, quæ non esse deceret. *Iam id gaudeo.*] Quasi adversum, & non consentientem Pamphilum excitat ad gaudium lætitia sua. *Iam id gaudeo.*] Sic *Virgilius*,
Cum venit, aulais jam se regina superbis.

26. *Recte dictis, perge.*] Vultu enunciandum. Hoc dicit Pamphilus, *Maneo.*] At parum temporis fuit. *Inveva.*] Temporis longi significatio. *Inveva nimenem.*] A non factis.

27. *Exire neminem.*] Quid si intus erant? ideo ait, *exire neminem.*

28. *Nihil ornati.*] Ἀρχαϊσμός. Sic *Sallustius*, *Ergo Senati decreto servandume sit.*

29. *Signum.*] Proprie pro argumento. *Num videntur.*] A consequentibus argumentum.

30. *Non opinor.*] Ille opinionem accommodat tantum, hic multum tribuit conjecturis. *Non opinor.*] Quoniam argumenta sunt & conjecturæ, *opinor* dixit. Nam contra opinionem, certa res est, quæ autem opinamus, putamus: quæ putamus, incerta sunt. *Opinor, narras?*] Bene à prima ad secundam personam,

31. *Etiampuerum.*] *Etiamp* pro præterea. *Chremi.*] Sic *Chremi*, ut *Vlyssi & Achilli.*

32. *Olera & pisciculos minutos.*] Sufficeret diminutive *pisciculos* dixisse. Quod sic, *minutos* dixit: & pretium, obolo esse emptos: quæ est ultima nummorum significatio. Sunt enim genera minuto rum piscium, quæ magno vaneant. Hic ergo etiam ex pretio vilissimos pisces significavit. Et, quid si minutos, sed omnibus? *Seni* dixit, ut oblationis ostenderet causam. *Olera & pisciculos.*] Quod supra generaliter, *Paululum obsonii*: hic specialiter dixit. *In cœnam seni.*] Mire *seni*, cujus est major cura domi. *Nullus.*] Pro, *non*, ut alibi, *Nullus dixeris.*

34. *Quid ita?*] Una pars orationis. *Ridiculum caput.*] Pro toto homine, nemo enim ore contempto, ex aliis membris hominem velit significare, & est *αυθεντικῶς ἰσόμοις.*

35. *Quasi necesse sit. si huic non det, te illam uxorem ducere.*] Ostendit ἐνδύμνημα vitiosum hoc esse, in quo, altero sublato, non necessario alterum relinquatur.

36. *Nisi vides, nisi senis amicos oras, ambis.*] Hoc laborat Davus, quemadmodum Philumenam Charinus propriis laboribus promereatur uxorem. *Nisi vides, nisi senis amicos oras.*] Artificiose Davus Charinum excitat, ut si fieri possit adjuvetur negotium Pamphili, dum ille sibi provideret. *Nisi vides.*] Provides. *Ambis.*] Magnarum rerum desiderium & appetitus, *ambitio* dicitur. Confirmata reà factis & à personis, deliberativa nascitur.

IN SCENAM TERTIAM ACTVS SECVNDI.

*Q*uid igitur sibi vult pater.] *Hæc scena deliberationem continet Davi & Pamphili.*

1. *Igitur.*] Bene igitur. si enim falsæ sunt nuptiæ, quid cogitat? stomachosè etiam hoc dixit *sibi vult. Virgilius*,
Quid vult concursus ad amnem?

2. *Si id.*] *Id*, ob id, propter id.

3. *Neque id injuria.*] *Id* est, usque adeo injustus sibi videbitur, ut se injustiæ ipse condemnet.

4. *Perspexerit.*] *Perspiceret* est ad plenum & perfectum videre.

6. *Tum illa turba.*] *Tò illa* ad terrorem retulit. *Quid vis patiar?*] Hoc est, *patiarne uxorem ducere? Quid vis patiar?*] Sunt qui *quidvis*, pro, quicquid evenerit, intelligant: quia dixerat, *Adeo me ignavum putas?* Alii pronuntiant, ut sit sensus, *Quid me vis facere?* an ut hoc patiar, uxorem mihi dari? *Pater est, Pamphile.*] Hoc vultuosè pronuntiaandum est, & mire *pater* dixit: ut ipso nomine videatur habere autoritatem. & veluti dormitantem & oblitum potestatis paternæ, his tribus excitat; *Pater est, Pamphile, difficile est, hæc sola est mulier. Pater est.*] A necessario argumentum.

7. *Difficile est.*] Hoc est resistere, contradicere, Pamphilo difficile, perniciosum Glycerio. *Difficile est.*] Ἀποσιώμησις cum vultu. *Deest resistere. Sola.*] Sine auxilio, ac per hoc deserta. *Sola* autem, sine defensoribus propriis. & *sola & mulier* dixit. *Dictum ac factum.*] Proverbium celeritatis, id est, cito. *Invenit*, pro inveniet. Coniunctivo modo pro indicativo usus est: & est honesta locutio.

8. *Quamobrem ejiciat oppido.*] Callide ad ejus periculum se convertit, cui plus amator timet, quam sibi, ideo vincitur statim. Apparet autem Davum male suadere: qui tum caveat Pamphilo, cum maxime formidat senem. *Oppido.*] Ex civitate. *Ejiciat?*] Miratur, & stupet. *Cito.*] Illo admirante, hic etiam confirmavit, addidit & tempus celeritatis.

9. *Cedo.*] Singularis tantum numeri est: cætera pluralis, ut *Salve salvete. Dic te ducturum.*] Hoc est, quod ab initio nitentatur.

10. *Egone dicam.*] *Tò Ego*, ἐμφορὴν habet: hoc est, vel quem non oporteat dicere, vel quem non conveniat fallere, atque mentiri. *Cur non?*] Non interrogat, sed facilitatem rei ostendit. *Nunquam.*] Plus habet negationis, quam *non*.

11. *Ex ea re quid fiat vide.*] Ἄπο τῆς ἐμβόσεως.

12. *Vt ab illa excludar, hæc concludar.*] Mire hanc cum pronomine significat, dicens *ab illa*, Illi nec sexum servavit, ne

uxor esse videatur. Et ex ferarum translatione *concludar* dixit, ut alibi, *conclusam hic habeo uxorem servam. Vt ab illa excludat.* Ev *ἄποκρίσι*: nam aliud infert atque intelligit Davum dicere.

13. *Nempe hoc sic esse.* Conjectura atque divinatio, an hoc, an illud venturum sit. *Nempe hoc sic esse opinor.* Ab imitatione (*μίμησις* enim dicitur) deducitur. *Nempe hoc.* A possibili.

15. *Cedo.* Cedo singulariter tantum: cetera pluraliter. *Cedo, quid iurgabit?* Ab utili. *Hic reddes omnia.* Hic adverbium loci non est, sed adverbium temporis, ut *Virgilius*:

Hic annis gravis atque animi maturus Alethes.

Reddes. Facies, restitues.

16. *Incerta ut sent.* Hic est eventus. *Sine omni periculo.* Hoc est, sine ducenda Philumena.

18. *Nec tu ea causa minueris.* Hoc est quod supra, *Id mutavit, quoniam me immutatum videt. Nec tu ea causa.* Quia promiseris te esse ducturum.

19. *Ne is.* Chremes scilicet. *Ne is mutet.* Ad consilium redit, & conjungit eventum.

20. *Patri dic velle: ut, cum velit.* Scilicet ne securus, quod non sit Chremes daturus filiam suam, parvi faciat iram patris, & neget uxorem ducere, utpote fretus, neminem alium sibi commissurum conjugem.

21. *Nam quod tu speres.* Sunt qui pro *speres, timeas* habeant: ut sit, Nam quod tu timeas, scilicet aliam daturum. *Propulsabo.* Hoc est, causam inanem esse monstrabo, id est, ostendam nihilominus te esse ducturum aliam uxorem, etiam si hanc non duxeris. *Propulsabo.* Eleganter, pro eo quod est *repellam. Vxorem his moribus dabit nemo.* Ne alteram quærat, *His moribus.* Deest aliquid, ut sit, his moribus prædico.

22. *Inveniet inopem.* Ἰνπρόου, ἐφευκνός. Sed nec inopem quærat, *Inveniet.* Sunt qui *κατ' ἀνδραποδοειν* dicitur putant, *Inveniet inopem.*

23. *Negligentem feceris.* Hoc est, etiam in paratis nuptiis.

24. *Aliam otiosus.* Ex otio, hoc est, securus, *Interea aliquid boni acciderit.*

Scilicet ne quærendo inveniat. *Interea aliquid.* Mortem patris adolescenti in delicto pro bono servus ostentat. *Acciderit.* Et ad causam refertur: & certe quia mortem patris bonum denuntiat: *Acciderit.* Nota *acciderit* etiam pro bono & ab hoc, & apud veteres frequentatum.

25. *Haud dubium.* Plus intulit, quam est interrogatus. *Inducam.* In eadem translatione permanfit, quia supra dixit, *Huc concludar.* Bona *ἀνοροία*, ut mox iuste Davo succenseat Pamphilus. *Quin tacet? dicam.* Cur non securus es? significat jam nunc *tacere*, securum esse, ut in *Adelph. Tace, egomet conveniam Pamphilum.* Et ideo ille, ut consentire dicenti *Quin tacet, videretur: ait, dicam, ut scias illum, non silentium, sed securitatem imperasse. Quin tacet?* Correptio est silentium præcipientis, de eo duntaxat, ne timeat de nuptiis, id est, esto securus, nam tacere, securi est.

26. *Puerum autem.* Videtur hoc illi contrarium esse, quod dixit, *Quidquid peperisset decreverunt tollere.* Sic ergo solvitur; Quod ibi servus cum stomacho dixit, hic tantum, Pamphilum verecunde locutum accipimus. *Puerum autem resciscat.* Aut divinat, aut *puerum* pro quolibet sexu, sobolem, hoc est: factum: ut, *Quicquid peperisset, decreverunt tollere.* ut Græci *pueros πῖδας*, *Homerus, Πειλάδος Πειλάδιό τε πῖδες*, & *Horatius*:

Dicam & Alciden, puerosque Leda, Cautio est. Cautio opus est, hoc est, cavendum est.

27. *Nam pollicitus sum.* Promissio & pollicitatio eandem vim habent: sed pollicitatio majoris asseverationis est. *Hanc fidem.* Ordo est: ut hanc fidem sibi darem, me obsecravit, qui se sciret non deserturum.

29. *Curabitur.* Non *curabo*, sed impersonaliter, cum difficultate: quod quasi arduum esset, & grave, ostendit.

IN SCENAM QVARTAM

ACTVS SECVNDI.

Reviso. Hac scena nodum injicit erroris fabula, & periculum comi-

IN SCENAM QVINTAM
ACTVS SECVNDI.

cim. Facit etiam executionem consiliorum. 1. *Reviso quid agant, aut quid capient consilii.* Quid agant, auribus opus est.

Reviso quid capient consilii, prudentia & sagacitate. & quod supra dixit, non penituit idem repetere, *observes filium quid agat, quid consilii cum illo capret.* Quod enim prudenter dictum fuerit, non piget repetere. Actio tamen ex his tribus consistit, cogitatione, dicendo, gerendo. *Reviso.* Redeo ut videam. *Quid agant.* Quid respondeant, quid dicant.

2. *Hic nunc non dubitat.* Non dixit, senex, aut pater: sed *Hic*, cum odio, quoniam animo ad verso loquitur.

3. *Venit meditatus alicunde.* Terror objurgatur patris, hortatio est ad promittendum Pamphilo, quod jubetur. *Ex solo loco orationem sperat invenisse se.* Solo, deserto, ubi meditari facilius possit.

4. *Et orationem dixit, quod quasi ad plenum cogitari potuisset, quippe meditatatus ex solo loco.* *Menander, εὐγενῶν εἰνὸς φησι τῶν ἐρημῶν εἰ τὰς ὀφθαλμοὺς ἀπορτες.*

5. *Qua differat.* Disturbet, & in diversum ferat. *Virg. atque arida differt Nubila.* Et in *Adelphis, Miseram me! differor doloribus.* hoc est, in diversum rapit, dissipat. *Apud te ut sis.* Non, ne timeat, cavet Davus, sed ne amore a consilio suo alienetur Pamphilus. *Apud te sis.* Preparatus sis, cui contrarium est, *Non sum apud me.*

6. *Modo ut possim.* Vt, pro ne non. *Modo ut possim.* A possibili, Possim apud me esse.

7. *Nunquid hodie.* Ab utili eventu. *Nunquam,* plus asseverationis habet, quam non, ut *Virgilius,*

Nunquam omnes hodie moriemur inulti, Commutaturum patrem. Jurgium habiturum; hoc est enim *verba commutare, Commutaturum verbum.* Altercaturum.

Sic in Phormione, *Tria non commutabitur verba inter vos hodie.* hoc est, dabitur atque accipietis, id est, iurgabitur. Ego puto *commutare verba* hoc esse, pro bonis dictis mala ingerere; hoc est, iracundia in maledicta compelli.

*H*erus me relictiis v. bus. Vide quam mire, quum omnes a nullo consilio sibi agere vidantur, tamen omnes rerum exitu inopinato ludificantur, & Simo, & Davus, & Pamphilus, & Charinus, & ipse Byrrhia.

1. *Herus me relictiis.* Ad hoc venit Byrrhia, ut in errorem conciliet Charinum. & in hac scena quatuor personæ sine implicatione intellectus loquuntur. *Herus me relictiis rebus.* Imponitur manus rebus, cum perficitur id quod coeperit: ut *Virgilius,*

--- Imponit regina manum.

Relinquantur vero res, cum imperfectæ relinquantur. Item *Virgilius,*

Atque opere in medio difixa reliquit aratra.

Relictis rebus. Adeo præposuit hoc negotii rebus omnibus.

2. *Hodie observare.* Observatio duplex est, vel captionis, vel obsequii.

3. *Id propterea.* Necesse est aut alterum esse supervacuum, aut *propterea* post accipiendum.

4. *Hoc agam.* In gestu est: nam est figura corporis, observantis quid agatur.

5. *Vtrumque.* Et Davum & Pamphilum.

6. *Quasi de improviso respice.* Interest ejus qui repente aspexerit: nam videbitur nihil dolose locuturus: ut, *Magnam respexit ad urbem. De improviso.* Scilicet, ne meditata intelligat eum habuisse consilia.

7. *Hodie uxorem ducas, ut dixi volo.* Nolo & volo, nimis imperiosa & superba dictio est, ut alibi, *Piscis ceteros purga, Dromo. Congrum istum maxime in aqua finito ludere patrisser, ubi ego venero, exosabitur: Prius nolo.*

9. *Vsquam erit in me mora.* Recusantis est magis, quam non volentis, consensio ea legnis ac tepida, si penitus consideres. *Hem.* Percussus hoc dicto Byrrhia, interjectione magis, quam verbo exclamavit.

10. *Quid dixit?* Nota hic Byrrhiæ personam quartam, sed non admixtam.

11. *Quum istuc, quod postulo impetro.*

Nimis obsequenter locutus est pater. Et postulo. pro jubeo: & Impetro. pro extorqueo. Postulo. juste volo. Petimus enim precario: Postimus imperiose: Postulamus jure. Impetro. pro cum impetrem.

12. *Sic verus?* Id est, veridicus: ut falsus. pro falsidicus. *Vxore excidit.* Cadere sibi dicuntur, qui levati animo, a summo ad inferiora labuntur. *Vxore*, hoc est, matrimonio ac nuptiis. *Vxore excidit.* Quod Græci dicunt, *ἔμπεσεν*, ἢ ὑπερῆεν.

14. *Nullane in re est homini cuiquam fidem?* Non in nullis terris, sed neque in terris, neque in persona, ut *Virgil.*

Nusquam tanta fides. cum in amore fracta esset ab eo, *Quem subisse humeris confectum astate parentem audierat.* Alibi Terentius. *Cujus tu fidem in pecunia perseveris, verere et verba credere? ubi quid mihi lucri si Te fallere?*

15. *Illud verbum.* Id est proverbium & sententia. & sic veteres *verbum* pro sententia.

16. *Omnes sibi melius.* Sic alibi, *Proximus sum egemet mihi.*

17. *Ego illam vidi.* Hic corrigitur à Poëta, quod per iracundiam dixit Pamphilus, *Aliquid monstrum alunt. Forma, bona.* Distinguitur.

18. *Memini videre.* Aut memor sum me vidisse. Aut *memini videre* hoc est, intelligo, scio, aut memini quod viderim. *Memini videre*, pro, vidisse. *Ennius.* *Memini me tuum fieri parvum.* Alibi sic, *Memini videre*, non probare. *Quo aequior.* Hoc est, quare aequior Pamphilo, benevolentior, non iratus, vel minus iniquus.

19. *In somnis.* Per noctem, ait *Virg.* *Libra dies somnique pares ubi fecerit horas.* Plautus, *Miris modis ludos faciunt hominibus, mirisque exemplis omnia in somnis.* Alii *insomnis*, vigilans; sed melius per noctem. *Quam illum amplecti.* Dicit nunc quod vulgo dicitur, *cum illa manere, cum illa dormire.*

IN SCENAM SEXTAM ACTVS SECVNDI.

Hic nunc me credit. Hæc scena duos continet utriusque personæ, qui-

bus utraque capit, & capitur miro modo.
1. *Hic nunc me cre. ut aliquam sibi fallaciam.* Davus ita videtur loqui, ut nullus spectator audiat: sed hoc ait, ut velit audiri à senæ.

2. *Gratia.* Gratia veteres pro causa ponebant.

3. *Quid Davus narrat?* Videtur illi blandius locutus esse. *Æque quicquam nunc quidem!* Bene *nunc quidem:* similiter *nunc nihil*, ut paulo ante, cum dixit, *Id populus curat scilicet! Æque quicquam nunc quidem!* Hoc est, nihil.

4. *Nihilne? hem.* Hem interjectio est irati, adversum eum, qui neget se aliquid locutum esse. simul quid sit *Æque quicquam nunc quidem*, senex explicat, cum ait, *Nihil?* Et est *εὐρηστικός* antiquorum, pro nihil. *Nihil profusus.* Id est, neque profusus. *Nihil profusus* dicitur, in quo nulla est ambiguitas, & est confirmatio negantis. *Atqui expectabam quidem.* Expectamus tam bona, quam mala: *Speramus* bona.

5. *Præter spem evenit.* Præter, pro contra, ut, *Præter astatem tuam.* Hoc male habet *virum*] *Ἐξωκινῶς* *virum* dixit defessum senem. modo enim *virum* joculariter dixit. *Virum.* Ad vituperationem cum ironia: ad laudem vero sine ironia.

6. *Potius es verum.* Integrum, *potiusne*, id est, potes, ut *Virgilius*, *Nec potis Ionios fluctus æquare sequendo,* & deest illi *es*. Est enim nomen *potis*: & facit, *potis, potior, potissimus.*

7. *Num illi molestus quippiam.* Quippiam, significationem minimæ rei habet.

8. *Propter hospita hujusce consuetudinem.* Hæc omnia pronominiibus bene mollita sunt; etenim atrocita sunt, si cum suis nominibus nuda ponantur. Et *hujusce hospita*, non meretricis: & *consuetudinem*, non amorem dixit, ita omnia extenuat, ut Davus audeat confiteri.

9. *Aut si adeo: bidui est aut tridui.* Bene, *aut si adeo*: ne si omnino negaret, cur igitur tristis est ille? diceret.

10. *Sollicitudo.* Propter turbationem. *Nostri?* In significationem multorum, quæ compendio facimus, *Nostri* dicimus.

11. *Recta reputavit via.* Reputavit, retractavit: quia *putare*, purgare est, un-

de & arbores, & vites putare dicimus. *Via.* Confilio, ratione.

12. *Laudo.* Senex inducitur, & credit. *Dum licium est.* Deest, *per te*: hoc est, dum tu permisisti. Et mire hic utitur verbis senis, ipse enim supra dixit, *Dum tempus ad eam rem tulit, sibi, animum ut expleret suum.* *Dum licium est illi.* Sic veteres & *placuit* & *puclitum* dicebant: quæ nos, *placuit, puclit.* *Dumque atas tulit.* Dum esset ætas immatura nuptiis, *Tulit*, duo significatione: attulit, & abstulit; passus est, & pertulit.

13. *Tum id clam.* Bene clam, quia nunc liquidò apparet, Pamphilum voluntatem, propositumque mutasse. *Ca vit, ne unquam infamia ea res sibi esset.* Mire utitur senis verbis, ipse enim supra dixerat, *Dum tempus ad eam rem tulit, sibi, animum ut expleret suum.*

14. *Nunc uxore opusest.* Quasi denuntiatio est quadam necessitatis seni impositæ. *Animum ad uxorem appulit*] Et bene *appulit*, quasi ab jactatione fluctuum, & marini ætus, has enim tempestates habet amor. Et sic dixit, *Ad uxorem animum appulit*, ut supra, *Animum ad scribendum appulit.*

16. *Subtristis visus est.* Sub, temperamentum est plenæ pronunciationis: ut *subtristis, subridet*, non ad plenum tristis aut ridet: ut confessionem eliceret. *Subtristis visus est aliquantulum mihi.* Mire servatum est in adolescente libero *τὸ ἄσπρον*, & in amatore *τὸ πιδυρόν*. Nam & honesto juveni non congruebat versipellis vultus: & in amatore absurdum fuerat ingenuam cœlere tristitiam. Itaque nec ad plenum tristis fuit, quia dixit *Celandia reserat*: nec gaudium fuerat, quia ingenium & amoris necessitas in tristitiam retrahebat.

17. *Sed est quod tibi succenseat.* Quod ille à summo ad imum opposuit, hic causæ derivationem opposuit. *Quod succenseat tibi.* Succensere, potioris est. *Succensere*, in re gravi & iusta irasci.

18. *Puerile est.* Apparet Davum nunc querere quid respondeat: & ad quam causam derivet averfa suspensione tristitiam Pamphili, quam animadvertit senex. *Puerile est.* Utrum magis ideo suspenderit, ut senex audire desideret: an

quia necdum commentus est causam, contra rependendam propositioni senis? *Nihil est.* Videtur invenire non posse.

19. *Ait nimium parce facere sumpsum.* Mire ipsum dicere veluti fecit, & *nimium*, & *parce*. *Nimium parce facere.* Pepercit, ne diceret fordide. *Mene*] Perturbati indicium est, quia seipsum pronomine ostendit.

22. *Meorum equalium potissimum.* Equalium ætate, potissimum dignitate: etenim *potis, potior, potissimus* facit.

23. *Et quod dicendum hic fiet.* Bene hic, ubi non sit adolescens.

24. *Tu quoque perparce.* Bene quoque, quasi dicat, cum ille peccet, quod pueriliter succenseat: tu quoque peccas, perparce nimium faciendo sumpsum. *Tu quoque perparce nimium.* Et perparce & nimium, cum sufficeret unum, Et *nimium*, vituperatio est: ut, *Ne quid nimis.* *Non laudo.* Et quia perparce & quia nimium. Nam parce agere, laudis nimium, peccati. Et magna moderatione, non laudo, dixit potius, quam vitupero.

25. *Commovi.* Ideo commovi, quia argumenta dixit seni, quibus proditur non esse veras nuptias. *Commovi.* Supra *solicitavi* dixit, modo commovi. & commovi dicit apud se, ut spectator audiat, non senex.

26. *Quidnam hoc est rei?* Verba sunt secum cogitantis senis, aut de his quæ nunc locutus est Davus, aut de adventu mulierum, quæ in scenam veniunt. *Quidnam hoc est rei?* Pulsatus est senex argumento falsarum nuptiarum, paululum obsonii: tanquam se illuderet Davus. *Quidnam hic volit veterator sibi.* Veterator est vetus in astutia, & qui in omni re callidus est. Et hi duo versus ostendunt, pulsatum esse senem argumento falsarum nuptiarum: illo argumento quod ait, *paululum obsonii*: tanquam se illuderet Davus. Sunt ergo verba, ut diximus, secum cogitantis senis, aut de his quæ nunc Davus locutus est, aut de adventu mulierum, quæ in scenam veniunt modò.

27. *Nam si hic est mali quicquam.* Si promissa non compleverit Pamphilus, illic est huic rei caput. Caput est origo & summa uniuscujusque rei, ut *Virgil.*

O Latio caput horum, & causa malorum.

IN SCENAM PRIMAM
ACTVS TERTII.

Ita pol quidem res est.] In hac scena novo modo cessante Davo, fallitur Simo per nimiam sagacitatem suam. Simul in hac scena id agit poeta, ut ad nuptias faciendas magis accendatur Simo, & quaedam industria, quaedam velut casu eveniunt: ut nunc suspiciosus. In multis enim οἰκονομία comicorum poetarum ita se habet, ut casu putet spectator venisse, quod consilio scriptorum factum sit.

1. Ita pol quidem res est, ut dixi, Lesbica.] Ex hoc sermone, quem habent ingredientes, scenæ apparet principium, quod enim auditur, non quod incipitur, initium dicunt. Ita pol quidem.] Productio est narrativa, ad explendum modo potius iusjurandum. *Vt d. x. i.*] Et dixi, & dixisti legitur.

2. Fidelem haud ferme.] Fidelem maluit, quam fidum dicere. fidum enim honestius dixisset. Ferme pro facile posuit, & ferme, facilitatem significat, quia sunt adverbia extenuationis. Invenias.] Secundam pro tertia persona posuit, pro inveniat quis, vel invenire possit, ut Virgilius:

Migrantes cernas, totaque ex urbe ruentes.
3. Ab Andria est ancilla hec.] Simpli- citer dixit ab Andria est, pro Andriæ est: nam & usû sic dicere solemus. Ergo ab Andria est, hoc est, Andriæ favet, Andriæ est, ut cum dicimus, Ab illo est, hoc significamus, illi favet, illi accommodat suffragium.

4. Sed hic.] Semper sed contrariæ sententiæ significatio est. Et bene hic, ut ostendat de illo fuisse sermonem. Hem] Interjectio est accipientis verba, & admirantis.

5. Vinam aut hic surdus, aut hac muta facta sit.] Comice & facete. Aut hic surdus, qui audire non possit: aut hac muta facta sit, ne possit dicere. Aut hic surdus, aut hac muta facta sit.] Σύλλα τις per genera.

6. Iussit tolli.] Hæc est fides: suscipi filios legitimos faciunt parentes. Et sublatio matris est: patris tollere.

7. Quid ego audio.] Bene rursum adducitur ad desperationem senex Myfidis verbis. Actum est.] In summa re-

rum desperatione ponitur, Actum est, lucet, Peristi. Hæc res secundum jus civile dicitur: in quo cavetur, ne quis rem actam apud iudices repetat. Sic ipse in Phormione, Actum, ajunt, ne agas.

8. Bonum ingenium.] Ingenium, naturam.

10. Quid hoc?] Secum senex ἐλάττωσθε, deest enim, rei est.

11. Adeon' est demens ex peregrina.] Ἐλάττωσθε per ἀποστασίου, apta cogitanti, reliquum autem sic pronuntiat, quasi reperto consilio. Et bene adeo: quia tam demens est, quod amat ex peregrina, id est, ex meretrice. Mulieres enim peregrinæ, inhonestæ ac meretrices habebantur. Sic ipse alibi, Samia mihi mater fuit, ea habitabat Rhodi. Et servus, potest taceri hoc quidem. hoc est, meretricem habuisse te matrem verisimile est. Ex peregrina.] Ἀποστώπις, deest enim, ut filium suscipiat? aut aliquid tale.

12. Vix tandem sensi stolidus.] Pulchro colore inducto, poeta ostendit non minus falli suspiciosum, quam qui stultus est. huic enim veritas fallacia videtur, dum nimis est acutus, ac perspicax, & hoc est, quod ab eventu fingit poeta non enim in Davo est, sic errare nunc senem, Vix tandem sensi stolidus.] Quinque sunt sensus, quorum duos, vitium & auditum, magis sensibiles habemus, quam pecora. Unde Cicero, Non solum videam, sed etiam audiam, planeque sentiam, quasi ad tactum retulit, quo etiam pecora impelluntur ad sensum. Duabus ergo rebus scimus: aut ratiocinatione, aut sensu: quibus maxime præstamus cæteris animalibus. Ergo senex se non sensu, non ratiocinatione sensisse, sed veluti calcariibus & stimulis punctum.

13. Hæc primum.] Satis se sagacem senex ostendit, quando principia ipsa inceptionesque comprehendit. Hæc primum.] Bene prim' m: quasi ex multis, quas paraverat Davus contra Chremetem.

14. Quo.] Qua re.

15. Iuno Lucina fer opem: serva me.] Iuno Lucina Junonis filia, Græcè Εἰμένη Latina Nixos dicunt: Iuno à juvando dicta, Lucina ab eo quod in lucem producat. Et gemina vota sunt, ut

& partus, & pariens servetur, nam fer opem, propter partum: serva me, propter partientem dicitur. Iuno Lucina fer opem: serva me obsecro.] Nota, hoc versu totidem verbis uti omnes puerperas in Comediis, nec alias induci loqui in proscenio, nam hæc vox post scenam tollitur. Fer opem.] Propter quod Lucina est, inde obsecro, quod opem tulerit. Serva me obsecro.] Hoc extra etiam hanc potestatem Junoni attribuitur: quanquam illam Menander Dianam appelleret, & hoc sentiat in Bucolicis Virg.

16. Hui, tam cito?] Tam cito, ut facilitatem partus ostendat incredibilem. Tam cito, ad reprehensionem. Ridiculum.] Ad irrisionem, & inspicere, ridiculum adverbium sit, au nomen; ut sit, vide hominem ridiculum: sed adverbium est magis.

17. Non sat commode divisa sunt.] Confusa sunt tibi omnia, inquit: nec numquodque suo tempore geritur: quare proderis, Non sat.] Non satis. Divisa sunt.] Digesta & composita, & distributa. Temporibus.] Id est, per tempora.

18. Mihic?] Adhuc Davus non percipit, & bene, quasi dicat, cum ille loquatur, illæ agant.

19. Num immemores discipuli?] Discipuli Myfis, Lesbica, & Pamphilus, omnes per quos agitur fallacia. Bene ergo discipulos imperitos ostendit, & magistrum Davum, quia supra dixit, Tum si quis magistrum cepit ad eam rem improbum. Num immemores discipuli?] Alii hic Pamphilum significari putant discipulum: quia Davus magister. Nam nomina ad aliquid sunt, discipulus & magister, & tunc discipuli, genitivus est singularis casus. Alii nominativi pluralis putant: ut discipulos dixerit, omnes per quos agitur fallacia, secundum illud: Tum si quis magistrum cepit ad eam rem improbum. Num immemores discipuli?] Deest nunc. Et bene discipuli, quia ipsum magistrum supra fecit. Ego quid narres, nescio.] Quasi fabulam, ego quid narres, nescio.] Semper ita respondet Davus seni, tanquam non intelligat quid loquatur.

20. Hic me si imparatum.] Redit ad illam sententiam, Simul sceleratus Davus, si quid consilii habet, ut consumat

nunc, cum nihil obsint doli.

21. Adortus est.] Adortus dicitur, qui ex insidiis repente invadit. dictum ab eo, quod corpora agredientium exurgant subito atque increpant. Adortus.] Aggressus. Omnia hæc ex translatione maris dicta sunt μεταφορικῶς.

IN SCENAM SECUNDAM
ACTVS TERTII.

Adhuc, Archillis.] In hac scena spectata, quam scite expressa sit consuetudo medici, vel medica egredientis ex egri domo. Nam veniens, de negotiis ejus loquitur: abiens, de morbo. & hac sunt præter οἰκονομία, qua dicuntur εὐσηματῶ.

1. Adhuc, Archillis.] Sic veteres scribebant adhuc, quando incerti futurarum rerum, ex præsentibus firme nuntiabant: quod est genus certissimæ promissionis & cautæ. Adhuc, Archillis, qua ad solent, quaque oportet.] Medicina aut in ratione, aut in consuetudine, aut in exemplis. Ad solent ergo, consuetudinis est: oportet, rationis.

2. Signa ad salutem esse.] Deest hærentia aut pertinentia, sic in Heautontimor.

Atque hæc sunt ad virtutem omnia. Ergo absolute dixit, ut desit aliquid tale, unde & nos dicimus, Quid ad rem; vel, Quid ad me?

3. Nunc primum fac, istac ut lavet.] Imperitia notantes Menandrum, aut Terentium, ipsi ultro imperiti inveniuntur: nam λέσατε ἀπὸ λέσας, à consuetudine non recessit, cum lavisse, aut non lavisse dicimus, à parte totum significantes. Et Terentius propius ad significationem accessit, istac dicendo, ne pudenda nominaret. Et sunt qui adhuc Archillis correptionem esse nimium sollicitæ nutricis putent: quod ego non probo. Fac istac ut lavet.] Istac quæ ex puerperio sordebant. Quidam istac, ipsam puerperam dicunt, sic enim & Menander λέσατε ἀπὸ τῆς γαστῆς. sed imperitiæ accusantur, quod non continuo solent post puerperium lavare, sed diebus omittis.

4. Quod iussi ei dare bibere, & quantum imperavi, date.] Consuetudine magis, quam ratione dixit, pro, Dare ei.

H h h.

potionem. Lucilius in sexto: Date bibere summo. Nam duo verba activa nullam habent significationem sine nomine, aut pronomine: ut si dicas, *Dic facere. Quod iussi ei dare bibere, & quantum imperavi, date.*] Et qualitatem, & modum rei dixit.

5. *Mox ego huc.*] Vide ut auctoritatem & jactantiam medicorum imitetur, dicendo, quod iussi, & non sufficiebat: sed etiam, *imperavi* dixit, simul, hæc quæ solent medici promittere frequenter, *Mox ego huc revertar.*

6. *Per castor scitus puer natus est Pamphilo.*] Per Castorem & Pollucem ornativa sunt jurandi, apta foeminis, *Scitus.*] Elegans, pulcher, quem Græci *κόσμιος* dicunt. Quod enim quis scit, hoc scitum & pulchrum. Et est *δραίσις*, nam ordo est, *Per scitus castor*, ut in Hecyra: *Per pol quam paucos reperias meretricibus fideles evenire amatores.* ut sit, per quam paucos. Et, *natus est Pamphilo*, ut Virgilius:

--- *Quem Dardanio Anchisa*

Alma Venus Phrygii genuit Simoentis ad undam.

Scitus puer.] Satis obstetrici est, adhuc incertum ævi, & ut ita dicam, a matre sanguinolentum, non pulchrum (quod ipsum nimium videretur cito) dicere, sed scitum pronuntiat. Ideo subblanditur, ut operæ pretium majus accipiat.

7. *Deos queso ut sit superstes.*] *Superstes* nunc salvus, alias *superstites* sunt senes & anus: quia ætate multis superstites, jam delirant. Unde & *superstitiosi*, qui deos timent nimis, quod signum est deliramenti. *Quandoquidem ipse est.*] *Quando* & *Cum* interdum sunt conjunctiones causales. & *quando* pro *quoniam*, & pro *quia* intelligimus. *Quandoquidem ipse.*] Transit à puero ad ipsum Pamphilum.

9. *Vel hoc quis non credat?*] *Εἰς ὧνεία* est. *Vel*, modo est disjunctiva conjunctionis, sed pro *etiam* posita, ut apud Virgilium:

--- *Vel Priamo miseranda manus.*

Et,

Carmina vel cælo possunt deducere lunam.

Et bene, *vel hoc*: subaudias, exceptis

illis quæ reprehendit supra. *Abs te esse natum.*] Et *ortum* legitur, ut sit, instructum, commentum, & compositum.

10. *Non imperabat coram.*] *Coram*, ad certas personas refertur: *Palam* ad omnes. *Quid opus factu esset, puerpera.*] *Esset* impersonative dicitur. *Opus factu esset, puerpera.*] *Dativus* casus est, ut sit, ipsi puerperæ coram non imperabat, quid factu opus esset. Sic enim dicimus, *Quid vis tibi faciam? Puerpera.*] *Omnis* quæ peperit, *puerpera*: *αἰσχροτόκος*, quæ primum. Et non quod puerum, sed quod filium peperit, *puerpera dicta* est. Et apud veteres *puer puella, puera puella.*

11. *Illis qua sunt intus.*] Argumentum ex eo quod non factum est, cum fieri potuerit: & ex eo quod factum est, cum fieri non oportuerit. *Clamat de via.*] *Mire clamat*, quasi dicat, maluit clamare, quam sine labore intus imperare.

12. *Itane contemnor abs te?*] Hoc est, usque adeone contemnor? valde contemnor? *Temnor* autem, Græcum est, id est, *calor* & *rejicior*. τὸ *τίμωνου*, nam veteres *temno* dicebant sine præpositione. *Itane tandem idoneus.*] Indignatio est ad estimationem revocantis ejus dicta vel facta; à quo contemnitur quis. *Idoneus.*] *Aptus* & *ei rei natus.*

13. *Aperte fallere.*] *Ἄπο δὲ ἐνός*, & *fallere*, & *aperte.*

14. *Saltem accurate.*] *Mire saltem*: quod ponitur in desperatione rerum, primo enim fuerat hortatus Davum, ut non conaretur fallere. *Saltem accurate.*] *Ζεόγυμα* à superiore, *fallere incipias*, aut certe *ὀλλυμίς* *fallere incipias*. *Certe si resciverim.*] Et utrum pro *cum* resciverim: an quia stultum me putas?

15. *Certe hercle nunc hic se.*] Hoc ita dicitur, ut audiat spectator, non ut Simo. *Edixim' tibi?*] *Hic illud reddit,*

Edico tibi ne temere facias.

16. *Interminatus sum.*] *Pro*, minatus sum. *Plantus in Aulularia:*

--- *præterea tibicinam, qua mihi interbibere sola,*

Si vino scateat, Corinthiensem fontem,

& Pyrenaum potest.

Num veritus?] *Veretur* liber, *metuir* servus, & *deest es*: apta ellipsis irascenti.

Alibi, *Non simulatatem meam revereri? Quid retulit?*] *Retulit*, profuit, vel in terruit: & producit *re* syllabam. & est sensus; Sic contempisti, quasi tibi non comminatus sim.

18. *Teneo, quid erret.*] Hoc dixit, non ut Simo, sed ut spectator audiat, hoc denique senex probat, dicens *Davo, Quid taces? Et quid ego agam habeo.*] Et quid respondeam scio.

19. *Quid credas?*] Propter quid, aut propter quam rem, aut quo modo, aut propter quid. *Quid credas?*] Repetit verbum ejus quod ait, *Credon'*, quare adjuvandum pronuntiatione est. *Quasi non tibi renuntiata.*] *Nuntiata*, Compositum pro simplici.

20. *Mihin' quisquam?*] Favet sibi senex in eo, quod se vult perspicaciorem videri. *Eho! an tute.*] *Eho* modo interjectio est admirantis, aliàs ad se vocantis, *Ehōum ad me.*

21. *Nam qui.*] *Qui*, unde.

22. *Quasi tu dicas.*] *Dicas*, pro credas, non enim dicimus, nisi quod credimus: ab eo quod sequitur, in quo præcedit: figura *μετάληψις*, à posterioribus ad priora. Idem alibi, *Audacter dicit* Et alibi, *Fœneratum istud beneficium pulcherrimè dices*. Id est, credes, scies, senties.

23. *Etiā qualis.*] *Etiā* pro adhuc. ut Virgilius:

Idæumque etiam curvus, etiam arma tenentem.

24. *Egone te?*] Duobus istis pronomi- nibus ostendit se senex scire omnia. *Sed si quid narrare occipi.*] *Occipi* melius, quam *incepi*, dicitur ab *occipio*: est enim *occipi*, quasi caput rei institui.

25. *Falso.*] Potest & *εἰρωνιάς* *falso* pronuntiar: potest & *falso* loqueris dici, ut Sallustius, *Falso queritur de natura sua humanum genus*. Et vocalitatis causa sic dixit, ut *sedulo, optato, certo*: quasi *sedule, optate, certe*. *Nihil jam mutire audeo.*] *Ennius, Nec dico, nec facio*. Unde & *mutos* dicimus. Quod Græci *φθγγεδρα*.

26. *Neminem peperisse hic.*] *Neminem* dicendo, majorem confirmationem fecit, non solum Glycerium non peperisse, sed etiam neminem. Et *hic* dicendo, ostendit domum. Et est *neminem*, nulum hominem. Et nota in foeminino

genere etiam *neminem* positum.

27. *Mox deferent puerum.*] *Quasi* dicat, *nobis*.

28. *Id ego jam nunc tibi renuntio.*] *Fingit* se prodere, quod ipse facturus est: ut non credat senex ab eo fieri, quod prædixerit fore. *Id ego jam nunc tibi renuntio here futurum.*] *Re* syllaba, apud veteres interdum abundat: ut modo *renuntio*, pro *nuntio*. & *Cicero, Renunciatur mihi. Renuntio.*] *Quasi* secretum consilium: ut supra *Renuntiatum est*.

29. *Davi factum consilio aut dolis.*] *Commodius*, & magis cum invidia dixit, *Davi*, quam si *meo* dixisset: ut *Virgilius*: cum Turnus iucufaretur, dixit, *Nulla mora in Turno*.

30. *Prorsus à me.*] *Prorsus*, quasi porro versus: quod Græci *μακρόν* dicunt. *Prorsus à me.*] *Quidam prorsus*, pro quare positum putant. Ego pro eo quod est omnino. *Sunt* qui conjunctionem velint esse. *Opinionem hanc tuam.*] *Hanc tuam*, cum tædio dixit, hoc est, nimis molestantam, nimis suspicacem, nimis accusatricem. Sic dixit *hanc tuam*, ut ille de apibus, *Vere suo*. Et, *Solemaque suum, sua sidera norunt*. Et in *Adelphis*, *Iam vero omittite Demea tuam istam iracundiam*.

31. *Audivi, & credo.*] *Locus* communis, an famæ credendum sit. Et bene subjunxit, *credo*, non enim audisse, statim credere est. *Multa concurrunt simul.*] *Restat* enim, ut multis concurrentibus signis, una conjectura constetur.

32. *Iam primum hac se à Pamphilo gravidam dixit esse: inventum est falsum.*] *Secundum* quod credit senex. Et à summo ad imum, & ex factis, & ex dictis, & ex rebus atque personis sumit argumenta.

33. *Postquam videt nuptias domi apparari.*] *Eleganter* omisit, in cujus domo. *Missæ est ancilla illico.*] Quod Græci dicunt *ἀποτόδον ἐπιμαρτυρία*. Nam loci significatio est, etiam breviter temporis notans.

36. *Nihil morventur nuptiæ.*] *Non* perturbantur nuptiæ. *Morventur*, differuntur. *Quid ais? cum intellexeras id consilii capere.*] *Quaqua* se verteret Davus, obvium insectumque invenit senem: & tamen ita versute it obviam, ut etiam comprehensus elabatur.

39. *Quis igitur eum ab illa abstraxit?*] Non frigide intulit, dixisse se: sed cum magna asseveratione, & abstraxit proprie, ut supra, *Mea Glycerio miserum abstrahat?* & *Divellimur inde Iphitus & Pelias mecum. Quis igitur eum.*] Hoc sic audiendum est, quasi dicat, *Dixi.*

40. *Misere hanc.*] *Misere*, valde, nimis, *Nunc sibi uxorem expetit.*] Oratorie, pro eo quod est, non reculat, *expetit.*

41. *Id mihi da negotii.*] De projectione pueri pro foribus. *Id mihi da negotii.*] Ut caveatur ab appositione pueri ante ostium. *Tu tamen idem.*] *Idem* abundat. Apud veteres, *Tamen idem*, integrum fuit, unde apud nos, *tandem*, & *tamen* natum est, sic & *idem* & eorundem dictum. *Tu tamen idem.*] *Tamen idem*, aut pro *tamen* positum est, aut pro *tandem*: ut sit, *Tu tandem has nuptias perge facere, ita mi facis.*

43. *Quod parato opus est.*] Diserte & Latine dixit, *Quod parato opus est.*

44. *Non impulit me, hac nunc omnino ut crederem.*] *Non impulit*, non persuasit, non perfecit, ut crederem Glycerium peperisse. Et cum dixit *omnino*, ostendit quædam se credidisse, in quibusdam jam esse circumventum. Mire autem cautum capi inducit senem, ut crederet, quod Glycerium non peperisset.

45. *Qua dixit, sint vera omnia.*] *Quæ* postea dixit Davus. Et bene *omnia*: ut appareat senem multa credere vera esse, quæ Davus dixerit.

46. *Multo maximum.*] *Multo* etiam comparativis antiqui adjunxerunt.

47. *Quod mihi pollicitus est.*] *Pollicitatio*, multarum rerum promissio.

48. *Gnato uxorem.*] Subauditur, *ut det.*

49. *Quid alias.*] Pro cur alias, alio tempore.

52. *In ipso tempore.*] In ipsa oportunitate, in ipso articulo. *Eccum ipsum obviam Chremetem.*] Continuo mutavit declinationem: ut, *Iubeo Chremetem.*

IN SCENAM TERTIAM

ACTVS TERTII.

Iubeo Chremetem.] *Hæc congressio duorum senum ad tale periculum adigit fabulam, ut id non videatur consilio, sed*

eventu posse vitari: qui eventus est Critonis presentia, nam nunc ex falsis sient vera nuptia.

1. *Iubeo Chremetem.*] Firmè aliquid jubere, velle est. *Iubeo* ergo volo & deest, *salvere*: quod exprimitur ab alterius personæ interventu, ut *Virgilius*, *Reddique viro promissa jubebat.*

Et *ματληπικῶς*: quia qui dicit salve, jubet. *Volumus enim animo*: jubemus verbis. *O! te ipsum quærebam.*] *Placabilis* & lenis amicus per totam fabulam inducitur Chremes, ut cognitioni ad ultimum interesse possit. *Optato advenis.*] *Optato*, adverbium est. ut *Virgilius*, *Ac velut optato ventis.*

2. *Aliquot me adiere.*] *Aliquot*, hoc est nec multi, nec pauci. *Adiere*, non accesserunt: quia aditus arduus difficilisque est. Ergo *adiere*, quasi importune, & interpellantes adierunt. Sic alibi, *Byrrhia quid tibi videtur? adeon' ad eum? Ex te auditum.*] Ut est, *De Davo modo audivi. Ex te auditum.*] Ergo non rumor, sed veritas.

3. *Id viso.*] Ob id viso, deest te: ut viso, ad videndum venio. *Tuna, an illi insaniant.*] *Tu* insanis, si dixisti: illi insaniant, si non audita referunt.

4. *Paucis.*] Et *paucis*, & *paucis* legitur. *Et quid ego te velim.*] A docilitate.

6. *Per ego te deos oro.*] Ordo est, te per deos oro, ut *Virgil.* *Per ego te has lacrymas. Et nostram amicitiam Chremes.*] *Legitur & Chreme.*

7. *Qua incepta à parvis, cum atate adcrevit simul.*] Mire autem, *incepta à parvis cum atate*, ut ostendat, non nuper coitam amicitiam, sed antiquam, ut, *Veterem Anchisen agnovit amicum.* Idem alibi, *neque enim novus iste Diana venit amor. Adcrevit.*] Ut supra, *Adcurate. Ad præpositione utitur familiariter. Adcrevit.*] Hinc *Virgilius*,

--- *Crescent illa, crescentis amores.*

8. *Et gnatum meum.*] Ineptum est sic adjurare aliquem, *Per salutem filii mei, ut facias id quod te rogo.*] Sed huic etiam subjungit.

9. *Cujus tibi potestas summa servandi datur.*] In tua est inquit potestate, & tuus est, hæc ergo *obtestatio* dicitur, cum per eas res adjuramus aliquem, de quibus agitur causa. Ut, *Iliaci cineres.* &

flamma extrema meorum. Idem alibi, --- *per eversa genitor fumantia Troia Excidia, obtestor.*

10. *Vti nuptia fuerant futura, fiant.*] Breviter & Latine. Et hoc genus compositionis veteres mutabant. *Ne me obsecra.*] Pro, ne obsecres, * *πω ελην* ΜΗ ΛΙΤΑΝΕΚ ΕΜ Ν Μ Α C O R. [Fortasse à vero non abest, si legatur. *πω ελλητισμῶ. Μη λιτάνευε, μη μέγρου.*]

11. *Quasi hoc te orando à me impetrare oporteat.*] Hæc plena vox est, & charitatis & officii, quod enim amicus ab amico petit, justum esse debet: nec pro eo quod non est justum, supplicare oportet.

13. *Alium esse censes nunc me atque olim, cum dabam?*] Non personæ, sed rei conditio est commutata. *Olim, cum dabam?*] Nos dicimus, *cum darem.* *Virgilius, Tum decuit, cum sceptrâ dabas.*

Et *dextra fideque.* ---
Et nota *olim* pro nuper.

14. *Si in rem est utrique.*] *Τῷ δευτέρῳ συλλογισμῶ* prave proposuit, ut recte replicaret. Hic syllogismus negativus dicitur, nam in secundo *λήμματι* negat quod prius dixit. Sed si ex ea re plus mali est, quam commodi, *Si in rem est utrique.*] Ab utili argumentum. Uterque duobus constat. Bene *utrique*, mihi & tibi: non, alteri utile, alteri inutile.

15. *Sed si ex ea re.*] Id est, nuptiarum: mutavit numerum, ex plurali singulari, *Fiant.* & *Ex ea re.*

16. *In commune consule.*] Id est, ex equali provide.

17. *Quasi illa tua sit, Pamphilique ego simpatier.*] Nota suavissimam varietatem, non dicit, quasi tua sit, & ille meus.

18. *Imo ita volo.*] Quia utile est, quia in rem est, *Itaque postulo.*] *Itaque*, modo quæ partes orationis sunt: ut in *Hecyra*, *Itaque nos una inter nos atatem agere liceat.*

19. *Neque postulem.*] Quia postulo prætulit.

20. *Ira sunt inter Glycerium & gnatum.*] Hoc læto vultu pronuntiat Simo: & hoc à possibili est, loquitur enim apud eum, ex quo audiverat, Pamphilum pro

uxore habere hanc peregrinam. *Audio.*] *Εἰρωνεία. Fabula.*] Et hic paulo sapientior inducitur, & minus obnoxius dolis.

22. *Profecto sic est.*] *Profecto*, confirmatio est.

23. *Amantium ira amoris integratio est.*] Sententia *γνωμικῶ*, in qua à specie receditur, & in omnes aliquid dicitur: *παροιμία* est autem sine authore sententia. *Integratio.*] Instauratio.

24. *Id te oro.*] Deest ob id, ut *Virgil.* *Quod te per superos oro.*

26. *Prius quam harum.*] Invidiosius, *harum*, quum una sit, sic in *Eunucho*, *Non perpeti meretricum contumelias.*] Hoc ut supra, *Ipsum animum egrotum ad deteriore partem applicat.*

28. *Uxorem demus.*] *Ἡθικῶς*: ut in *Heautontim.* *Quo modo minimo pericula id demus adolescentulo.*

32. *Neque illum hanc perpetuo.*] *Ἀμφιβολία* de industria posuit, aut utrumque significat.

33. *Nisi periculum feceris?*] *Periculum*, tentamentum. *Cicero, Tute melius periculum feceris.* Idem Terentius, *Fac periculum in literis.*

34. *At istuc periculum in filia fieri, grave est.*] Memorabile dictum, & id quod merito in proverbium cesserit.

36. *Quod DI prohibeant.*] *Παρένθεσις* per *εὐφημισμῶν*.

37. *At si corrigitur.*] Alter est syllogismus per contraria *λήμματα*, & ipse negativus.

38. *Principio, amico filium.*] *Principio*, nec intulit, secundo, *Restitueris & filia invenies virum.*] Ergo *ἀνακόλιδον* duplex, *Amico filium.*] Ab honesto, *Amico filium.*

40. *Quid istuc.*] Concedentis, & veluti victi verbum: tanquam si diceret, *quid?* & abundat *istuc*. Vel potius, *quid istuc*, significat hominem de loco ac de sententia decedere, ut è contrario, *perstare ac resistere* dicitur, qui aliquid negat, *Si istuc animum induxi.*] Legitur & *animum induxisti*, sed illud plenum est: hoc per *μεταπλασμοῦ συκοπῶν* diminuitur.

44. *Ipsus mihi Davus dixit.*] *Conmendatio testis*: ut, *In foro modo de Davo.*

vo *audivi*. Ergo *ipsum*, quasi qui maxime sciat.

47. *Tute adeo*.] Παρέλκεται *adeo* modo, & abundat, ut *Virgilius*,
Tuque *adeo* quem mox *quasi sint* habitura deorum

Concilia, *incertum*. —

48. *Atque eccum*.] *Eccum*, quasi *ecce* eum, *Veteres* dixerunt, *eccum*, *eccujus*, *illum*; quod *apertius* significat *ecce illum*, & *obscurius illum*.

IN SCENAM QUARTAM ACTVS TERTII.

Ad te ibam.] *Davus* ut *recte* scribatur, *Davos* scribendum est: quia nulla *litera vocalis geminata unam facit syllabam*. Sed quia *ambiguitas vitanda est nominativi singularis & accusativi pluralis*, necessario pro hac *regula digamma utimur*, *Dafus*, *serFus*, *Fulgus*, *corFus*.

1. *Ad te ibam*.] *Locus est*, in quo *jam ad discrimen mali perducta comœdia*, in *meliozem partem jam incipit inclinare*.

3. *Ego dudum nonnihil veritus sum Dave abs te*.] *Semper* *gravis inceptio orationis*, quæ *exordium sumit à pronomine ego*: ut, *Ego te qua plurima fando*, & *Ego postquam te emi à parvulo*, *Ego dudum*.] *Adverbia temporis*, aut *certa sunt*, ut *hodie*, *cras*; aut *incerta*, ut *dudum*, *nuper*. Itaque *incertis certum additur tempus*: ut *jam dudum*, *nunc nuper*. *Nonnihil veritus sum Dave abs te*.] *Breviter*, pro, *veritus ne quid abs te fieret*, sic ut *supra*, *Heu metui à Chryside*. Et *Cicero*, *Quod precatus sum à diis immortalibus*, pro eo quod est, quæ à diis petii, *precatus eos*.

4. *Quod vulgus servorum solet*.] *Totum cum extenuatione protulit*, tanquam qui *satisfactum voluerit Davo*, ob *comprobatam fidem ejus*.

7. *Nam propemodum habeo jam tibi fidem*.] *Ridicula dilatio ejus rei*, quæ *jam dudum nota est auditori*. *Nam propemodum habeo jam*.] *Hoc est*, *propemodum*, *ejus accusativus est à modus*.

8. *Sed ea gratia*.] *Gratia*, pro *causa* posuit, *novè*.

9. *Sic est res*.] *Quod Græci dicunt*, εἰς τὸ εἶναι.

12. *Nummam*.] *Nam παρέλκεται*, ut in *quismam*.

13. *Quidnam audio?*] *Legitur & audiam*. *Menander* enim sic ait, πῶς ἀκούσω. *Occidi, optime*.] *Bene usus est παρομοίως*, *occidi & optime*, ut *similitudine falleret audientem*.

14. *Per hunc*.] *Chremetem scilicet*,
15. *Ibo: atque huc renuntio*.] *Varie, ibo & renuntio*.

16. *Nunc te oro, Dave*.] *Te*, id est, *per quem stat summa negotii*. Et *modo magis vere rogat*, quam *tunc cum ait*, *Dehinc postulo, sive aequum est, te oro, Dave*, *ibi enim iracundia latet*, cum *dixit, sive aequum est*. *Effecisti has nuptias*.] *Non fecisti*, est enim *efficere*, *perficere faciendum*. Et *bene haec*: quarum *causa laboro*.

17. *Ego vero solus*.] Διότι. Et hoc *ad increpationem dicit*, non *ad confirmationem*. *Solus*.] *Id est*, cui *non assentiebatur Pamphilus*. *Porro*.] *In futurum, deinceps*: *Futuri temporis adverbium*, vel *adhortantis*: ut, *Porro, Quirites, Emittete*.] *Labora*: quasi *difficile sit*, & *conatu sit opus*.

18. *Hercle sedulo*.] *Productiones sunt Comici styli*, ad *fucum orationis positæ*, *Potes nunc*.] *A possibili argumentum*, *Dum animus irritatus est*.] *Quia dixerat, Ira sunt inter Glycerium & gnatum, Irritatus est*, commotus, *ira provocatus*, ut in *Phormione*. *Ducitur autem verbum à canibus*, qui *restricis dentibus hanc literam r imitantur*.

19. *Quiescas*.] *Id est*, *conquiesce*, *imperativi modi*, ne *injuriousum videretur*. *Quiescas*.] *Pro quiesce*, aut *deest volo*, aut *facito*. *Age igitur*.] *Age*, *dic*: ut est, *Egi, atque oravi tecum*: aut *adverbium est hortandi*, *Mirum ni domi est*.] *Existimationem intulit*, *incertum fugiens*. *Mirum ni domi est*.] *Compositum est*, quasi, *hoc est mirum, ni domi est*. *Caute servus callidam interrogationem senis paratus excepit*. *Memor simularæ discordiæ cum amica*, *figit*, non *se alibi eum esse suspicari*, quam *domi*.

20. *Dicam eadem illi*.] *In aliis itidem scriptum est*: quod *si est*, pro *item accipiamus*. An *ergo idem pro item*? *Nullus sum*.] *Plus est nullum esse*, quam *perisse*, *nam qui perit*, vel *corpus habet reli-*

quum: qui vero nullus est, ita non est, ac si natus non sit.

11. *Hinc*.] *Id est*, *ex hoc loco*. *Recta proficiscar via?*] *Bene recta*, ut *corporis impulsionem lucrifaciam*, aut *recta*, ut *non eam ad precatorem*, aut *ad Pamphilum*. Et *bene proficiscar*. *Proficiscar enim in rem agram ac difficilem dicimus*, Et *recta via*, *plana dixit*, non *tantum recta*.

22. *Nihil est preci loci reliatum*.] *Subjungit ergo causas cur proficiscatur in pistrinum*. *Nihil est preci*.] *Quod prædixit senex: iam perturbavi omnia*.] *Allocutio*, in qua *quid metuat*, *quid velit*, *manifestum est*.

23. *Herum sefellis*.] *Hæc enumeratio causarum est*, qua *magnifice exaggeravit errores suos*. *Conjeci*.] *Nec immisi, sed conjeci*: quod *impetum & injuriam significat*. *Herilem filium*.] Τὸν τῷ φίλων.

24. *Feci hodie*.] *Nec solum feci*, *verum etiam addidit tempus*, *hodie*: ut *ne diecula quidem ejus sit*, quod *fecerat, mali*. *In sperante hoc, atque invito*.] *In sperante & invito*, *duplex offensio*.

25. *Hem astutias!*] *Bona εἰρωνεία*. *Pluraliter dixit astutias*, quasi *is qui abundet astutiis*, ut *ei una non sufficeret*.

27. *Vinam mihi esset aliquid*.] *Non dixit gladium*, aut *laqueum: ne esset tragicum*. Ergo *expressit bene*, *dicens Quo me nunc precipitem darem*.

IN SCENAM QUINTAM ACTVS TERTII.

Vbi illic est scelus.] *Hæc scena, cujus perturbationis esse debeat, etiam supra Poëta præstruxit, quum ad consensuendum Davi consilio tardum Pamphilum faceret*.

1. *Vbi illic scelus*.] *Accusatio*. *Vbi illic est scelus*.] *Nimium terribile est, sævire antequam videas eum*, contra quem *inaceris*. *Vbi illic est scelus, qui me perdidit?*] *Ad intellectum*, non *ad verba redegit*, & est *figura σύλληψις per genera*. *Virgilius*, *Pars in frustra secant*. Sed *hic figura est per numeros*: nam *quia scelus scelestus intelligitur*, modo *qui* *subjungit*, non *quod*.

2. *Tam iners*.] *Sine arte*, id est, *sine*

ἀρετῆς. *Tam nulli consilii*.] *Una pars orationis est, nunc consilii nos, nullius & solius*: recte autem *veteres, nullo nulli, solo soli*, *declinabant*.

3. *Me commississe*.] *Non commendasse*: sed, *Commississe*. *Committimus enim quæ cum magno periculo volumus esse servata*. *Futuri*.] *Levi*, nam *à vase*, quod *futile dicitur*, quod *non deponunt miniltri sacrorum*, quod *est acuto fundo*, & *patulo ore*, *coque instabile est*. *Virgil*.
Consilii habitus non futillis author.

4. *Ergo pretium ob stultitiam fero*.] *Ergo pretium & primum generaliter pro bene aut male facto redditur*. sed *discernitur ita*. nam *pretium pro stultitia*, est *pœna*: *pretium pro virtute*, *honor est & lucrum*. *Pretium ob stultitiam*.] *Sic Plantus locutus est*, *Pretium ob asinos*: pro, *asinorum pretium*. *Virgil*.

Rem magnam, pretiumque mora fore.
Et *alibi*,
Illum Tytides alio pro talibus ausis
Affecit pretio. —

& est *figura ἐκλήψις*, ut *apud Virgil*,
Invidisse deos patriis ut redditis oris.

5. *Posthac incolumem sat scio fore me*.] *Sic dicere solemus in magno periculo positi*: *nunquam nos periclitaturos*, si *illud periculum potuerimus evadere*. *Posthac*.] *Audacter se incolumem in futurum promittit fore*, cum *vita hominis tam variis multisque sit periculis conferta*, sed *hoc dicit*: *Sic*, *inquit*, *periclitator*; si *hoc evasero*, *scio me non postea periclitaturum*. *Menander* sic: ἂν θεὸς φέγγει οὐκ ἂν ἀπολαμπέ * (*Fortasse sic legendum*: ἔνθεν ἀπορεύων, ἐκ ἂν ἀπολοιμῶ ποτὲ) & est *sensus*, *Tam difficile est hinc evadere*, ut *qui hinc evaserit*, *videatur immortalis futurus*.

6. *Dicam patri*.] *Bene patri*, non *Simoni*: ut *de autoritate hujus nominis summus terror exurgat*. *Modo qui sum pollicitus*.] *Modo*, *mire*, *etenim majorem vim habent recentiora promissa*.

7. *Qui sum pollicitus*.] *Oratorie, melius pollicitus sum dixit*, quam *si promissu diceret*. *Qua fiducia*.] *Qua fiducia*, *ad personam suam retulit*. & *fiducia modo impudentiam significat*.

8. *Nec quid me nunc faciam, scio*.] *Nos*,

quid faciam, veteres autem me addebant. Et nota faciam, cum ablativo casu. Ablativus casus, me. Atque id ago sedulo.] Id quaero, hoc est, ut inveniam quid faciam.

9. Aliquam producam moram.] Produxiem legitur & producam. Significat autem differam, protendam, prolatam.

10. Ehdum bone vir.] Gravis interrogatio, & minantis cum iracundia. Et hoc εἰρωνεία protulit, cum omne genus contumeliæ leve in eum dicimus. in quem ferimur iracundia. Viden' me?] Hoc est, nunquid negare potes?

11. Impeditum esse?] Impeditus est proprie, qui ita pedes habet illigatos, ut progredi non possit. Sed hic ad negotium retulit. At jam expediam.] Non se defendit, sed emendaturum promittit. & bene ad impeditum, expediam retulit. duo promisit simul: & tempus cum celeritate, & effectum.

12. Imo melius spero.] Bene melius comparativo est usus, quasi hoc bonum sit, illud melius. Furcifer.] Furciferi dicebantur, qui ob leve delictum cogebantur à dominis, ignominia magis, quam supplicii causa, circa vicinos furcam in collo ferre, subligatis ad eam manibus, & prædicare peccatum suum, simulque summonere cæteros, ne quid simile admittant. Itaque & Cicero de servo, Quid inde furciferi quo progreditur?

13. Tu rem impeditam & perditam restituas?] Multum progressus est, impeditam dicere: modo perditam dixit. Sensus hic est, Integram perdidisti, & perditam restituas? Tu.] Hoc est, qui integram expeditamque turbasti. Quo fretus siem.] Est memor se ante dixisse, Davum video, cujus consilio fretus sum.

15. Hoc esse futurum.] Ut ab illa excludar. & vide quo me inducas. Crucem.] Plena satisfactio est, confessio peccati sine recusatione poenarum, nam mittiores eos reddimus, quibus vultu operæ pretium pro delictis nostris offerimus Virgilius.

Equidem merui, nec deprecor, inquit.

16. Ad me ut redeam.] Redire ad se dicitur, qui animum recipit, & sedem mentis. Virgilius. Vultus redit ad se. & hic de corpore dixit. Ad se autem redit, qui amens esse desistit. Dispiciam.] Di-

spicere, est disquirere consilium, Despicere, deorsum aspiciere.

17. Cur non habeo spatium.] Οἰκονομία.

18. Namque hoc tempus, præcavere.] Sic Virgilius.

Sed motos præstat componere fluctus. Et est ὁλλανψία. illud enim cogit, hoc finit.

IN SCENAM PRIMAM ACTVS QVARTI.

Hoccine credibile est.] Elegans per turbatio, in qua inter se Simo, Pamphilus, Davus, Charinus, Byrrhia, Chremes omnes omnibus redduntur offensus.

1. Hoccine credibile est.] Et incredibile est, inquit, & nefandum, è contrario enim ab interrogatione quadam incipiunt, qui nimis irascuntur, ut & illud, Hoccine humanum factum? Et totum hoc in pronuntiatione est, hoc enim genus interrogationis vim negandi exprimit. Hoccine credibile est.] A generalitate incipit, ut Cicero, Quam facile serpat injuria & peccandi consuetudo, quam non facile reprimatur, videte, iudices.

2. Cuiquam ut fiet.] Singulari & plurali numero respondet. Cuiquam ut fiet, ut malis gaudeat.] Cum dixisset cuiquam, intulit numerum pluralem, ut alibi,

Si quisquam est, qui placere se student bonis

Quam plurimis, & minime multos ledere:

In his poeta hic nomen profertur suum.

3. Ut malis gaudeant.] Legitur & gaudeat. Atque ex incommodis alterius, sua comparent ut commoda?] Hoc est, non intelligunt commoda sua, nisi ex alterius incommodis ea aestimaverint. Ex incommodis alterius.] Et hic gaudeant, subauditur.

4. Sua comparent.] Hoc est, acquirant, vel æstiment, metiantur.

5. Idne est verum? imo id genus.] Alii sic, Verum est, hoc genus hominum hominem se probavit esse, cum malus sit: & sic contra hoc, Imo non hominem, sed pessimum hominem se probavit, id ne est verum? imo id genus.] Parum accusaverat, dicens, Id ne est verum hominum.

num genus? & ideo addidit, Imo id genus hominum est pessimum, ut hoc facere, non hominis modo sit, sed pessimi hominis.

6. In denegando modo.] Modo, pro tantummodo. Quis pudor paululum adest.] Adest pudor, ne denegent: non adest, ut & præstent.

7. Post ubi tempus.] Deest est: ut sit, tempus est.

8. Necessario se aperiant.] Mire ait necessario, quia natura sunt tales: necessitas autem in natura est constituta. Aperiant.] Mire, aperiant: quoniam tunc cum promittebant, mali erant: sed latebat malitia intra pectoris altitudinem.

9. Et timent. & tamen res cogit denegare.] Bis numero subauditur denegare. Et melius timent, quam si diceret, pudet eos. nam timor est etiam malorum: pudor, tantum bonorum. Res.] Malitia scilicet, tanquam mali sint ad rem, quam præstare non possunt.

11. Quis tu es? quis mihi es?] Quis tu es, ad dignitatem refertur: quis mihi es, ad necessitudinem: id est, frater, aut cognatus. Et hæc verba, mollia sunt dictu, sed animo aspera. Cur meam tibi? Εἰλάψας.

12. Hæus proximus sum.] Hæus significatio est modo nominis, ad intentionem considerationemque revocandi. Proximus sum egomet mihi.] Id est, charior mihi me ipsi sum, quam quisquam alienus. Proximus.] Charus, benevolus, & hoc est quod ait supra, Quo æquior sum Pamphilo, si se illam in somnis, quam illum amplecti maluit. Inde proximi & proximi dicuntur, qui nobis chari esse debent.

13. Si roges.] Abundat, si roges: sed additum est, Nihil pudet.] Pudor est mali facti: verecundia recti & honesti. Ergo mire posuit. Hic ubi opus est.] Salvo pudore. Illic.] Ubi promiserant.

14. Illic, ubi nihil opus est, ibi.] Illic & ibi, aptum irascenti repetitionis genus, Illic.] Legitur & illi. Vbi nihil opus est.] Ubi nondum promiserunt, ibi veniunt, quod ait supra, In denegando modo quis pudor est paululum.

15. Ad eam ad eum.] Hic locus deli-

berationis est: an adeat ad Pamphilum. & unum ad abundat, & moraliter verba Charini sunt posita. Injuriam.] Pro, de injuria. Expostulem.] Expostulatio est adversus eum, quem incusamus, nam ex-postulare, est querelam apud eum ipsum deponere, de eo ipso qui fecit injuriam. Postulare autem, querelam dicere de altero apud alterum.

16. Ingeram mala multa.] Quasi tela, ita se dicit ingesturum mala. Atque aliquis dicat, Nihil promoveris.] Hoc dicit, Et si existat aliquis qui mihi dicat, Quid profeceris? respondebo, Multum.

17. Multum.] Non subjunxit, quo modo multum? sed, illud faciam, Multum.] Subauditur, promovero. Molestus certe ei fuero.] Transitum fecit dicendo, Molestus certe ei fuero, hoc est, si nihil aliud promovero, certe ei molestus fuero. Atque animo morem gesserō.] Erit fructus iracundia ex vindicta. Et per iracundiam atque turbationem non invenit quod sit multum: aliud ergo invenit; molestus certe ei fuero.

18. Charine, & me, & te.] Mire & artificiose fecit, Pamphilum priorem alloqui, ad perfringendam iracundiam Charini, alioquin si prior vociferari potuisset, tragica exclamatio usus fuisset, Imprudens.] Defensio ab imprudentia, etenim nisi bonæ esset conscientia, nunquam diceret, te perdidisti, purgaturus.

19. Itane imprudens.] Imprudens, distingue. & attende, hoc illum repetere, quod indignatur magis, quasi audierit imprudens, & non audierit reliqua. Itane imprudens.] Quia articulus omnis defensionis per concessivam qualitatem hoc dicto est constitutus: idcirco hoc ipsum Charinus per infirmationem repetit, hoc cupiens eripere Pamphilo, quo ille maxime nititur.

22. Qui tuum animum.] Legitur, & cum.

23. Falsus es.] Modo participium est, id est, falleris: si Pamphilus id dicit, Si vero conjungitur, pro fallax accipitur. Hoc solidum.] Solidum, plenum, idoneum, integrum.

24. Nisi me lactasses.] Produxisses, oblectasses, induxisses, quæ significatio frustrationem ostendit. Lactasse est inducere.

re in aliquam voluptatem, à lactando, unde & oblectare dicitur.

25. *Habeas.*] Permissio animi irati. *Habeam.*] Ut supra, *Aut scibi ha nuptia sunt cordi.* P. cordi! *Quantis in malis verser miser. Quantaque hic suis consiliis mihi confecit sollicitudines.* εἰσρωήα, ut supra, *Cujus consilio fretus sum.* Et cum verser protulerit, *conficiat* debuit inferre. est ergo, ἀπαλόλυσον, aut ut illud; *Principio, amico filium restitues, tibi generum firmum, & filia invenies virum.*

26. *Confecit.*] Legitur & *confiavit.* *Sollicitudines.*] Perturbationes.

27. *Meus carnifex.*] Id est, in me carnifex, qui me torserit, ut alibi, *Deo irato meo:* hoc est, in me irato deo. *Si de te exemplum capis?*] Utrum, si te imitatur: an si de te exigit poenas; ut ipse alibi, *Vterque exempla in te edent.* sed melius, te imitatur, accipimus.

28. *Haut istuc dicas, si cognoris.*] *Nosti enim:* sed si cognoris, non ita dicas.

29. *Cum patre altercasti.*] Ab iis quæ facta sunt, ad ea quæ facta non sunt. *Cum patre altercasti.*] Legitur & *altercatus es.* non enim alterco dicimus.

30. *Nec te qui vivit hodie cogere.*] Hoc argumentum attulit ex iis, quæ non sunt facta, cum fieri debuerint.

31. *Imo etiam.*] Propterea & amplius. *Imo etiam.*] Deest, *audi.* *Quo tu minus scis ærumnas meas: ha nuptia non apparabatur mihi.*] *Quo,* id est, quod, & deest, *audi,* vel *accipe:* ut sit, quod, vel quoniam minus scis. Vel *quo,* id est, ex quo, aut quare. Aut certe erit sensus, cum hujusmodi tamen subauditione, Imo etiam quo tu minus scis ærumnas meas, eo magis audi. Aut, Imo etiam hæ nuptiæ non parabantur mihi, quo ipso minus tu scis ærumnas meas, id est, falsæ nuptiæ erant: quæ res te fallit magis, irascique mihi cogit merito.

32. *Ha nuptia.*] Legitur & *hæc nuptia.* sic enim veteres dixerunt. *Non apparabantur.*] *Apparari* cum dativo casu semper cladem & perniciem significat. ut *Virgilius.*

Mihi sacra parari.

34. *Coactus tua voluntate.*] Hæc est accusatio, ille enim excusat per impru-

dentiam: hic arguit voluntatem, hoc ergo dixit; Eo gravius, quod nullo cogente peccasti.

36. *Cur me enecas?*] Excrucias.

37. *Instare, suadere, orare.*] Quia dixit, *instare, suadere, orare,* non plus dicere posset, quando nihil potest esse.

39. *Davus?*] *Davus,* cum admiratione pronuntiandum. *Interturbat.*] Deerat & hic, ut *Davus* diceret: sed plus intulit, *interturbat.* Et *inter,* modo non medio. *critter* significat: est enim adactiva particula: ut *interfectus, interemptus.* *Modo post.* ut;

*— hunc inter fluvio Tyberinus amans
Vorticibus rapidis. & multa flavus arena
In mare prorumpit.*

Nescio.] *Quia* irascitur *Davo,* dixit *Nescio:* alioquin scit.

40. *Nisi mihi deos satis scio fuisse iratos.*] Deest, *quia:* ut sit, *nisi quia.*

41. *Factum est hoc.*] Non quod non credat, interrogat: sed quod increper.

42. *At tibi DI.*] *At,* principium increpationi aptum, ut *Virgilius:*

At tibi pro scelere.

Et *Horatius:*

*At ô deorum quisquis in cælo regis
Terras, & humanum genus.*

43. *Eho, dic mihi.*] *Eho,* interjectio est intentionem audientis exposcens, *Dic mihi.*] Semper *Tò dic mihi,* injuriosum est: ut *Virgilius,*

Dic mihi Damoxa, cujum pecus?

44. *Quod, nisi hoc consilium, darent?*] Cum odio hoc pronuntiandum est, ideo *conjectum* dixit.

45. *Deceptus sum.*] *Concessio, Scio.*] *Tò Scio,* non ad deceptionem, sed ad defatigationem reddit, ergo cum *εἰ ποσείη,* sonandum.

46. *Hæc non successit.*] Deest, *quod conabamur:* & proprie de bono sic dicitur, *Alia aggrediemur via.*] Vel *adoriemur.* id est, enitemur. *Adoriri* proprie dicitur repente ex insidiis aliquem invadere.

51. *Hoc tibi pro servitio debeo.*] *Μεταλλικώς* vel *ματωνυμικώς,* *Servitium* pro servitute posuit: ut,

— Servitio enixe tulimus.

52. *Conari manibus, pedibus, noctesque & dies.*] Ad id intulit, quod ait supra, *Quem ego credo manibus, pedibusque omni-*

se omnia facturum. Et accusativo casu sine intermissione significat, *Noctes & dies. Manibus, pedibus.*] *Υπερβολικώς.*

54. *Præter spem evenit.*] *Evenit,* productum magis: quia hoc perpetuo non vult Pamphilo accidere. Ergo *evenit,* non autem *evenit* media correpta.

55. *Parum succedit quod ago.*] Si nostrum est, officia præbere: at nostrum non est, fortunam posse præstare. Et bene, *succedit,* ut quod agimus, ostendat successus esse fortunæ. *Parum succedit quod ago.*] Utilis sententia pro sapiente contra fortunam. *Sedulo.*] Id est, ex animo, & sine dolo. *Me missum face.*] Id est, noli uti opera mea.

57. *Restitue, in quem me accepisti, locum.*] Sensus hic est, Omnia mihi integra & salva redde, qualia tibi tradidi consulturo, vel quum nihil promississem patri.

58. *Hem! st, mane.*] Hoc quasi incipientis, demonstrantisque, aliquid novi se invenisse.

59. *Nihil ad te.*] Hæc enim ad cogitantem nihil pertinere oportuit. *Nuncine demum!*] Pro denique. *At jam hoc tibi inventum dabo.*] Consilium scilicet, quo in pristinum locum restituaris.

IN SCENAM SECVNDAM

ACTVS QVARTI.

Am, ubi ubi erit.] *In scena hæc, in-* *stauratio est adhortationis Pamphili per Myfidem. Opus est enim exhortari rursus adolescentem, ne sub patris oppressione frangatur.*

1. *Iam, ubi ubi erit.*] Opportune rursus æstuate Pamphilo, amicæ mentio objicitur per Myfidem, ne succumbat ad nuptias patri, quamvis promiserit patri se ducturum conjugem, adversus quam difficultatem, quia ipsius persona non sufficit, id agit, ut ad Glycerium modo adducat Pamphilum: cujus affectum excitat, non ex eo solum, quod eum puella vocat: sed etiam quod desiderat eum videre. *Vbi ubi erit.*] *Vbi ubi,* in prima parte vim suam tenet, in posteriore productionem: & est quemadmodum *ut ut, qua qua, unde unde:* pro ubicunque, utcunque, quacunque, undecunque. *Iam,*

ubi ubi erit, inventum tibi curabo.] Non solum se adducturam promisit, sed & tempus addidit. Et bene *tibi,* quasi amanti,

2. *Anime mi.*] Mollis oratio & fœminea, multis implicata blandimentis. Ait enim, *Tu modo, anime mi. Mi,* pro *meus.*

5. *Hoc malum.*] Amor meus, aut Glycerii sollicitudo, quam nescire oportuit nuptias, *Ingrascit.*] *Integratur,* quod ad integrum redit, quod repetitur, quod inflaturatur. *Virgilius,*

— ramoque sedens miserabile carmen

Integrat.

6. *Sollicitarier.*] Perturbari.

7. *Quod mihi apparari.*] *Apparari,* ad horrorem & timorem refertur: & dativo casui subjunctum, cladem & perniciem significat, ut *Virgilius,*

— Mihi sacra parari.

9. *Age, si hic non insanit satis.*] Hic excitus, comprimit Charinum, ne fomenta iracundiæ Pamphilo præberet. Aut, si poenitet te, quantum hic sua sponte insanit. *Si hic non insanit satis.*] *Εἰσρωήα* est, aut laus ad mitigandum Pamphilum.

10. *Ea res est.*] Id est, nuptias apparari sensit. *Myfis.*] *Asseveratio* est, si à nomine ejus incipias, cum quo loqueris.

11. *Per omnes tibi adjuro deos.*] *Ad,* activa particula est: ut *admirabiliter,* valde mirabiliter. *Adjuro.*] Et hoc superest, amissa fide ut adjurandum sit.

12. *Omnes homines.*] Mira verecundia: omnes homines maluit dicere, ut in his quoque parentes significaret, quam aperte dicere patrem, cujus metu promisit nuptias, & est contra illud, *Sed vim ut quæ as ferre.* *Omnes homines.*] Ita dixit de uno, hoc est, patre, *Omnes homines:* ut idem alibi, *O cælum, ô terra, ô maria Neptuni.* Nunquid & cælum Neptuni est? non utique: sed omnia hæc maria voluit esse, ut *Virgilius.*

Omnia vel medium fiant mare.

13. *Contigit.*] Quod vix evenit, *contigisse* dicitur. *Convenient mores.*] Recte: & id quod matrimonium firmat. *Valeant.*] Hoc est, abeant, recedant: quia & discendentibus & mortuis, *vale* dicitur, ut *Virgilius,*

— salve æternum mihi maxime Palla.

Æternumque vale. —
Vel potius τὸ ἐὸν μισθῶ, cum male optaturus esset, considerato patre, πατρὸς δὲ λέως locutus est: & non dixit, quod intenderat, pereant. Et attende quam moderate pluraliter dixerit, cum significaret patrem, *Valeant.*] Renuntiatio- nis & imprecationis est verbum.

14. *Hanc nisi mors, mihi adimet nemo.*] Et si valeant, hanc, nisi mors, nemo adimet. Concessio hic est, hoc enim per concessionem dicitur. *Hanc, nisi mors, mihi adimet nemo.*] Perseverat, ne dicat, pater: pro, Non adimet pater.

15. *Respisco.*] Spiritum revocat sensus, *Magis verum.*] Aut *magis verum*, aut *verius* dicimus.

16. *Vt ne pater.*] *Vt ne*, pro ne non. *Per me stetitse.*] *Stetitse*, hoc est, esse. ut *Virgil.* — *desertaque montis*

Stat domus. — Aliter, plenum est, ut idem,

Stant & juniperi, & castanea hirsuta. Aliter horret, ut,

— *Stant lumina flamma.*
Et *Lucilius*,

— *Stat sentibus fundus.*

Per me stetitse.] Hoc est, per me factum esse, ne fierent nuptiæ.

19. *Miser a que, atque ego.*] Bene, *atque ego*: quia hic amore vexatur, Et intulit παρὰ δόξων. Nam voiebat Pamphilus sibi dici, & fortis: quod illi tamen mox dicitur. Hic igitur aliter respondet, atque interrogat Pamphilus, ideo quod videat impossibile esse, palam resistere parenti.

20. *Scio quid conere.*] Sensus est. Scio quidem quid coneris: sed an efficere possis, nescio. *Scio quid conere.*] Si Pamphilus est persona, cum εἰς ποιεῖα dicitur: si Charini, simplex laudatio est, sed si Pamphilus est, hoc significat quod supra, *Ex unis geminas mihi conficies nuptias.* Sed non esse personam Pamphilus, ex subiectis ostenditur.

21. *Huic, non tibi habeo, ne erres.*] De- terret etiam nunc Charinum, ut & ipse adjuvet Davum, ne Pamphilus nubat Philumena. Et eodem sensu utitur Davus adversum Charinum, quo supra: quasi necesse sit, si huic non dat, te illam uxorem ducere. *Huic, non tibi habeo, ne er-*

res.] Velut etiam pro se Charinus sentiat, hoc dicit. Vel ut solent servi contumaciores adversum amicum domini, quia nuper à Charino accusatus est: vel quia, & quid dicat non habet, & videt tacendum non esse.

22. *Sat habeo.*] Quia dilatio facta est, *Vt sit satis.*] *Vt*, pro ne non,

23. *Ne vacuum esse me.*] *Ne*, pro ne- dum, aut adverbium est prohibentis: ut sit, *ne non.* *Sallustius* secundo libro, *Ne illa tauro paria sint*, pro nedum.

24. *Proinde hinc vos amolimini.*] *Amoliri* dicuntur ea, quæ cum magna difficultate & molimine summoventur & tolluntur è medio. sic dixit quasi odioso & molesto. *Discedere* dicitur, qui facile abire è medio: *Amolitur*, qui vix recedit. *Proinde hinc vos amolimini.*] Molestum impedimentum ex rei magnitudine jacentis in medio, & ideo impediens se dixit, *Amolimini hinc*, non, abire, *Proinde hinc vos amolimini.*] Spe injecta, etiam domino imperat servus callidus, *Nam mihi, &c.*] Utrum hoc vere dicit, an fingit, qui adhuc consilium non invenit quod narrare possit.

25. *Hanc.*] Glycerium scilicet, & cum miseratione puellæ, *hanc.*] *Quo hinc te agis?*] Ut tarditatem discedentis ostendat. *Agere se enim & tardi & tristes dicuntur.* Sic *Virgilius*,

Amisissis remis atque ordine debilis uno, Irrisam sine honore ratem Sergestus agebat.

Idem alibi:

Ecce gubernator sese Palinurus agebat. *Quo hinc te agis?*] Admonitio discedentis, ut solet, nam à quo discedere desideramus, admonemus eum quo vadat, vel quo eat. Id facere per interrogationem admonet Davus Charinum, ut ipse abscedat Charinus, qui nunc ultimus remanet. *Verum vis dicam.*] Pro initio sedulæ narrationis hoc sumimus. Ac sic respondet Charinus, tanquam qui intelligat, non dicere velle Davum quo eat: sed id agere, ut abscedat.

26. *Narrationis incipit mihi initium.*] Narrationis, scilicet, quo eat, quia, *Verum vis dicam*, velut proœmium narraturi est. *Quid me fiet.*] *Quid* igitur? inquit, quid de me fiet? Ab eo hoc, quasi à jocante, pronuntiandum est, nam sic illi

imprudens respondet. *Quid me fiet?*] De Philumena ducenda.

27. *Eho tu impudens.*] Proprie Charino dixit *impudens*, ac si insolita & multa poscenti. quippe qui & sponsam alienam petere ausus sit, & non satis habeat, per Davum sibi moram præstitam Pamphili nuptiarum. *Quod tibi dieculam addo.*] *Dieculam*, horam. & est τὸ οὐκ ἐπιπύμα. *Dieculam* hoc est, tempusculum: & sumitur ab eo, quod est *hæc dies*. *Diecula*, mora, & quasi parva dies. & *dieculam*, in qua scilicet ambias, quantum poteris, ad ducendam Philumenam. Vult enim se Davus adjuvari per Charinum & Byrrhianam.

28. *Promoveo.*] Differo. *Promoveo nuptias.*] Memoriter Davus, scit enim illum his verbis petisse, *Saltem aliquot dies profere, dum proficiscar aliquo, ne videam.* Cujus rei oblitus Charinus, etiam ut ducat uxorem, petit.

29. *Ridiculum.*] Deest, *hominem.*

30. *Age, veniam.*] Vix concedentis, vix consentientis est, *Age, veniam.*

31. *Dum exeo.*] A Glycerio scilicet.

IN SCENAM TERTIAM

ACTVS QVARTI.

Nihilne esse proprium cuiquam?] *Hæc scena administrationem doli habet quo fit ut deterreatur Chremes filiam suam Pamphilo dare. Et vide non minimas partes in hac comœdia Mysidi attribui, hoc est, persona fœminea: sive hæc personatis viris agitur, ut apud veteres, sive per mulierem, ut nunc videmus.*

1. *Nihilne.*] *Ne*, adverbium percunctantis. *Nihilne esse proprium cuiquam.*] Omne quod habemus, aut mutuum est, aut proprium. Ergo *proprium*, perpetuum: ut *Virgilius*,

Propria hæc si dona fuissent.
Ergo nihil nobis proprium esse potest, quod enim non fuit, nec esse quidem potest. aut quod eripi potest, non est nostrum: nisi illa quæ eripi non possunt, ut sapientia, justitia, prudentia: quæ fortuna neque dare, neque eripere cuiquam potest. Et simul hoc ipsum & à re, & à persona hic ostendit. A re, *Nihilne esse proprium?* A persona, *Cuiquam.*

Proprium, perpetuum, non temporale ac mutuuum. *DI vestram fidem!*] Admirantis adverbium cum exclamatione. *Fidem* dixit opem & auxilium: ut, *Tyrrenamque suam.*

2. *Summum bonum esse.*] Mire, pro pleno. Et neutro extulit, *summum bonum.*

3. *Amicum, amatorem, virum.*] *Amicus*, animi est: *Amator* vero, corporis, non enim continuo amator est, qui bene vult. ut, Dido amavit quidem Æneam: sed non & amica fuit, quæ ait,

Non potui avulsam divellere corpus, & undis spargere. —

Et item *Catullus*,

Cogit amare magis, sed bene velle mihi.

Et est hic officium & blandimentum. *Amatorem & virum* dixit ad discretionem: ut per ea quæ enumerat, maritum ostenderet.

4. *Paratum.*] *Paratum* dixit ad omnes affectus, quicumque de proximo esse possunt, & maxime ad *Homericam* sententiam respexit:

Ἐκτος ἀπᾶς, σὺ μοι εἶπ᾽ πατρὸς, ἔ
πότνια μήτηρ.

Ἡ δὲ ἑσθὴν ἰδὼς, σὺ δὲ μοι θαλασσὸς
παρρηκότης.

Verum ex eo.] Id est, Pamphilo. *Nunc misera quem capis dolorem?*] Cum admiratione pronuntiat quem, & cum exclamatione quadam.

5. *Dolorem.*] *Dolor* m distinxit probe: & post intulit separatim quod sequitur, *Facile hic plus mali est*, in dolore & metu scilicet amittendi, *quam illic boni* in voluntate retinendi. *Facile hic plus mali est, quam illic boni.*] *Facile*, adverbium confirmantis est, id est, liquido & manifesto. Veteres dicebant *facile*, pro certo. Ut *Cicero*, *Illius civitatis facile princeps.* *Facile hic plus mali est.*] *Plus mali*, in dolore & metu, ut diximus, *Quam illic boni.*] In summo bono. Dicit enim, ex bonis quæ bona existimamus, plus nos mali capere, cum aut amissuros nos credimus, aut amittimus: quam boni, cum habemus, *Quam illic boni.*] Id est, in amico, amatore, & viro.

6. *Mi homo, quid estud obsecro est?*] Ex Mysidis verbis, quid Davus faciat, demonstratur. *Quid istuc obsecro est?*] Involutum puerum portabat Davus: &

ideo dicit mulier, *Quid istuc obsecro est?* Tum ille evoluit puerum, & profert, quem postquam expedivit, tum illa dixit, *Quo portas puerum?*

7. *Myfif, nunc opus est.*] Hæc scena actiuosa est, magis enim in gestu, quam in oratione est constituta. *Myfif, nunc opus est.*] Properantis & impenſe agentis Davi verba monstrantur.

8. *Exprompra.*] In medium prolata. *Memoria atque astutia.*] *Memoria*, ut præcepta Davi retineat. *Astutia*, ad agendum strenue quæ imperet. *Memoria.*] Simpliciter magis, ut memor sit Davi præceptorum, et *memoria*, modo pro intelligentia, ut *Virgilius*,

Inſtamus tamen immemores.

11. *Ex ara hinc ſume verbenas tibi.*] *Ex ara*, ſcilicet Apollinis, quem *ἄλιος Menander* vocat, aut quod Apollini comœdia dicata est: in cujus honorem aram conſtituebant, comœdiam celebrantes Apollini ergo comœdia, Libero patri tragœdia, *ſume verbenas tibi.*] *Verbena* quaſi *herbena*, redimicula ſunt ararum. *Tibi.*] *Tibi*, quaſi geſtum quendam & motum ſtomachantis habet: ut alibi, *Quid vis tibi?* Et *tibi ſume*, dixit: non, *tibi ſubſterne.* *Ex ara ſume verbenas.*] *Verbena*, ſunt omnes herbæ frondeſque feſtæ ad aras coronandas vel omnes herbæ frondeſque ex aliquo loco puro decerptæ. *Verbena* autem dictæ, quaſi *herbena*. ſic *Menander* * ΚΟΔΕΞΙΑ C CΥΜΥΡΡΥΝΑC ΧΧΗCΔΙΕΤΕΙΝ*

12. *Quamobrem id tute non facis?*] *Tute* tunc dicitur, cum pronomen ad eam revocatur perſonam, à qua ſumitur. ut verbi gratia, cum dicimus, *Tu lege*: ille nobis respondeat, *Cur tute non legis?*

13. *Quia, ſi foris opus ſit ad herum jurandum mihi.*] Sic locutus eſt, ut explicari atque intelligi non poſſit, aut enim deest *ius*, ut ſit *jurandum* pro *juſjurandum*: aut (ut vulgo dicitur) *juramentum*. Et *opus ſt ill. m rem*: non opus eſt *ill. re*.

14. *Ut liquido poſſim.*] *Liquido*, pure & manifeſte. Nam quæ ſunt pura & deſecata, *liquida* ſunt.

15. *Nova nunc religio.*] Bene, *juſjurandum* metuere ſervum, monſtri ſimile eſt. *Nova religio.*] In ſeryo, & ſubita, *Nova nunc religio.*] *Servum* nolle

mentiri, nova religio eſt. *Cedo.*] Porrigentis eſt manum.

16. *Porro intelligas.*] *Porro*, modo adverbium eſt ordinis: aliàs temporis.

17. *Sponſa pater intervenit.*] *Mire* non dixit, *Chremes*: ne quum dixiſſet, quis *Chremes*? ruruſ hic reſponderet, ſponſa pater. & non temere hoc facit poëta; nam promiſerat ſe rediturum domum *Chremes*, *Domum modo ibo: ut apparentur, dicam: atque huc renuntio.*

18. *Quod primum intenderam.*] Verbum à venatoribus tranſlatum, qui retia intendunt ad feras captandas, *Quia* ergo parat *Chremem* & *Simonem* fallere, *intenderam* dixit. Vel à ſagittis atque arcu.

19. *Nefcio quid narres.*] Bene *narres*, *Narrare* enim aliena, & quæ nobis non ſunt neceſſaria, dicimus. *Ego quoque.*] Bene ait quoque: quia & *Chremes* veniebat.

20. *Tu ut ſubſervias.*] Recte, ut *ſubſervias*, dixit, non enim tantum loquitur *Myſif*, quantum *Davus*.

21. *Orationi, utcumque opus ſit verbis.*] *Tuis* verbis orationi meæ, plura enim loquetur *Davus*, inde *orationi* dixit, illa ſubſequetur, ideo *verbis*. *Vide.*] *Cauta* eſto, intellige, ſpecta.

23. *Aut tu plus vides.*] Si ſapis, intelligis.

24. *Remorer commodum.*] *Remorer*, retardem, retineam, *Remorari* à remora piſce minutifſimo, qui naves retinet, nam Græce *εὐρανὶς* vocatur.

IN SCENAM QUARTAM ACTVS QVARTI.

Revertor.] *Adeſt* nunc ipſe *Chremes*, cuius cauſa ſcena fraudibus inſtruta eſt, ne promiſſas compleat nuptias.

2. *Ut jubeam arceſſi.*] Recte jubeam: quia ſumma poteſtas nuptiarum in patre puellæ eſt. *Sed quid hoc?*] Non interrogantis, ſed mirantis & non intelligentis eſt. & apparet eum non oculis prius, quam corporis offenſu puerum ſenſiſſe latentem.

3. *Puer hercle eſt.*] Ornativa particula eſt *Heracle*. *Mulier.*] Magis quam *Myſif*, *Vbi illic eſt.*] *Davum* quaerit, qui nunc abſceſſit, ut & ipſe de foro venire videatur.

4. *Non mihi reſpondeſ?*] Bene, non reſpondeſ. Se enim memor eſt veritatem quidquam dicere, niſi ſubſerviat orationi Davi.

5. *Reliquit homo me.*] *Mire hominem*, non *Davum* dixit: ut etiamſi audiat *Chremes*, incertam perſonam hominis audiat, non *Davum*. *DI voſtram fidem!*] Adverbium admirantis cum exclamatione.

6. *Quid turba eſt apud forum?*] Hæc verba ſunt venientis de foro. *Quid illic hominum litigant?*] Legitur & *litigat*.

7. *Tum annona cara eſt.*] *Comminifcentis* eſt potius, quam alicui referentis. *Quid dicam aliud?*] Hoc poſt ſpectatores.

8. *Cur tu obsecro hic me ſolam?*] *Amοσπρωπος* tertia. *Fabula.*] *Fabulam* ſe dicit audire, qui rei principium, rationem que ignorat. *Eho.*] *Eho* interjectio eſt, vel principium animadverſionem in ſe poſcentis, aut repente cernentis.

11. *Hic neminem alium video.*] *Callide* affirmat non ſibi viſum *Chremem*, cum & præviderit venientem, & præſentem videat. *Miror unde ſit.*] *Miror* veteres cum *unde*, pro *neſcio* ponebant, nam admiratio ab ignorantia deſcendit. *Plaut.* *Ne quis miretur qui ſum, paucis eloquar.*

12. *Au.*] Interjectio conſternatæ mulieris. *Concede ad dexteram.*] Et bene *dexteram*, ſiniſtra enim venit *Chremes*: & non vult proximum ei *Chremetem*, ſed juxta. ſupra enim dixit, *Ego quoque hinc dextera venire me adſimulabo.*

13. *Deliras: non tute ipſe?*] Deeſt, eum mihi dediſti. Sed & ſupra, & nunc interturbat *Davus*, ne mulier totum dicat. *Non tute ipſe?*] *Submiſſa* voce. *Verbum ſi mihi unum.*] *Accommodate* comminatur *Davus*: pene enim *Myſif* univerſa narrabat.

14. *Præterquam quod te rogo.*] Hoc eſt, ſenſim, & ut ſenex ſentiat, pronuntiaripotelt. *Faxis, cave.*] Geſtu comminantis eſt & vultu: ut ſuſpenderet comminationem, deinde inferret geſtum. *Ordo, Cave faxis.*

15. *Male dicis.*] Cum contemptu loqueris, convitium facis. Apparet ergo, *Male dicis* lentius eſſe dictum, quum ſubjungit, *Dic clare. Male dicis.*] *Nove Male dicis*, pro comminatione poſuit,

quum pro convitio ſoleat poni, Niſi forte, quia contumeliæ genus eſt comminationo. *Quidam* putant eſſe unam perſonam, *Davi* ſcilicet, dictum ſuperius *Myſidis*, non ſatis manifeſtum *Chremi*, in maledicti ſimilitudinem derivantis. *Vnde eſt? dic clare.*] Hic expreſſius dixit, *A vobis.*] *Quia à vobis* parum intelligebatur, hic accidit morem meretricis, ut vel ſic intelligat ſenex.

16. *Mirum vero.*] Sæpe ad *εἰσωνείας* refertur. *Impudenter mulier ſi faci.*] *Bono* ordine locutus eſt primo enim, cauſa impudentiæ natura eſt, deinde conditio.

17. *Ab Andria eſt ancilla hæc.*] *Effecit* quod volebat *Davus*. nam intellexit *Chremes*, ex qua ſit *Pamphilo* natus puer.

18. *Adeone videmur vobis eſſe idonei.*] *Ideonus* eſt aptus ad omnia, & bona, & mala. *Adeon.*] *Adeone*, an *adeone* ad eum?

19. *In quibus ſic illudatis?*] *Et illudo in te*, ſeptimo caſu: & *illudo te* accuſativo dicimus, ſed in primo ſupervacuum eſt: ut ſit, quibus illudatis. *Veni in tempore.*] Cum proviſus ſit, interveniſſe putat. *Veni in tempore.*] *Opportune*, nos ſine præpoſitione dicimus, *tempore & tempori.*

20. *Propera adeo puerum toll. re.*] Hic verſus clare dicitur: ſequens, ne ſenex audiat, preſſe.

21. *Cave quoquam eſt iſtoc exceſſis loco.*] *Necceſſario* *Davus* retinet *Myſidem*, nondum enim omnia audivit *Chremes*, nondum comperit unde ſit mulier, & puer de quo ſuſcepſus ſit. *Exceſſis*, pro *excedas*: ut *faxis*, pro *facias*.

23. *At etiam rogas?*] *Ruruſum* *jurgium* repetit, & turbulentam orationem.

24. *Cedo.*] *Cedo* idem ſignificat quod *dic*, & da mihi. Ergo repetitionem ſignificat, non ſupervacuum orationem, & eſt dictum cum quadam fiducia, & contemptu ejus, cum quo ſermo eſt, interrogantis aliquid.

25. *Mitte id quod ſcio.*] Hoc lentius & ſummiſſe.

26. *Hem! quid? Pamphili?*] Apparet mulierem *veſtri* & *Pamphili* lentius pronuntiaſſe, quam *Davus* vellet: & ideo nunc repetiſſe nomen *noſtri* & *Pamphili*.

Hem! quid? Pamphili?] Duas res operatur Davus simul, & ut ignarissimum se ostendat, & ut Pamphilus nominetur. Et argute repetit nomen Pamphili: quasi per indignationem, ut foci auribus adolescentis nomen inculcet. metuit enim ne non audiat velut senex.

27. *Recte ego semper fugi has nuptias.*] Et hic efficit quod voluit Davus, ut Pamphili Chremes puerum esse cognoscat, & recuset generum. *Has.*] Id est, huiusmodi.

28. *O facinus animadvertendum.*] Ἀποσώμασιs quarta. *Quid clamitas?*] Clamavit enim Davus, ut puerum audiret Chremes.

29. *Quemne ego heri vidi ad vos adferri vesperi?*] Vult negando irritare mulierem ad confirmanda quæ vult.

30. *O hominum auaricem!*] Exclamatio Myfidis, testimonium veritatis est. *Verum vidi Cantharam suffarcinatam.*] Vide infirmum argumentum, prius, *vidi puerum afferr*, dixit: post, non puerum, sed *Cantharam suffarcinatam*: *Canthara*, nomen est anus. Et hoc dicit, ut leviter redarguat Myfidem, non ut vincatur. hoc enim vidisse se innuit, *Cantharam suffarcinatam*, non puerum portantem, *Suffarcinatam*.] Proprium est anibus suffarcinatas esse, ut *Persius*, *Pannucia Baucis*, Et *Plautus*, *Doliarem, claudam, crassam*.

32. *Cum in parivando aliquot adfuerunt libera.*] Indicium secuta confirmatio est, quam expressit Davi refutatio. Superest etiam ut concludatur effectus doli, negante Chremete se daturum filiam: quod subinde efficit Davus dolo. *Aliquot libera.*] Nec pauca, nec multa. *Libera.*] Testimonia libera contra servum. Et hoc proprium *Terentij* est, nam de Romano more hoc dixit.

33. *Ne illa illum.*] Ne, valde. *Cicero*, *Ne illi vehementer errant. Ne illa illum.*] Chremetem scilicet.

34. *Chremes si posuim puerum.*] Ἐν ἁποσώμασιs. Et est ἰμιμισιs, transit enim à mixto ad imitativum characterem. *Chremes, si posuim puerum*] Μιμισιs, quando aliqua verba sic pronunciamus, ut vana videantur.

36. *Non hercle faciet.*] Bene enim de se

tertiam personam fecit, ut supra, *At nunc faciet. Ut tu sis sciens.*] Eloquenter, sic enim veteres pro *scias* dixere.

37. *In mediam viam provolvam.*] Bene in *mediam viam*: quia ante fores positus jacebat.

38. *Teque ibidem provolvam in luto.*] De proximo παρόμοιον repetit. Et quando nomina sunt, παρομοιασιs: quando verba, παρόμοιον dicitur. *Provovlam.*] Id est, porro volvam, & dolo quidem minatur, quod facturus non est: verum sedulo id agit, ut jam puer tollatur è medio, simul cum servat Chremeti, ut ipse recuset generum, non ut à quocumque passus videatur injuriam.

39. *Tu pol homo non es sobrius.*] Sobrius, est sanæ mentis, quasi *sebrus*, hoc est, ab ebrio separatus, secretus, separatus ab iis qui discernuntur.

40. *Fallacia alia aliam trudit.*] Proverbium, cui subjacet, *memorem mendacem esse oportere*.

41. *Crvem Atticam esse hanc.*] Transit ad imitationem. *Eho.*] Interjectio est conturbata mulieris.

43. *Iocularium in malum.*] E contrario pro gravi, & molesto, ac nimio, *Iocularium* igitur κατ' ἀντίθεσιν.

44. *Quis hic loquitur? ô Chreme, per tempus advenis.*] Principium loquendi Davus Chremeti dat, perfecturus quæ ipse conatus est. *Per tempus advenis.*] Idem est *per tempus*, quod in tempore, aut certe *per tempus*, tempestive. *O Chreme, per tempus advenis.*] Astute, quasi eum nunc primum viderit.

45. *Ah, ne tu omnia.*] Aut ne pro non legitur, aut *ne tu omnia*, ut ne producat, & accipiatur pro non, *Tu omnia.*] Audisti, subauditur.

46. *Audistin' obsecro? hem.*] Exultans Davus infert, & inculcat, frequenter repetendo. *Audistin' obsecro? hem.*] Difficile credendo, affirmat se non scivisse præsentem Chremetem, ut hac confirmatione nihil illum de se faciat suspicari.

47. *In cruciatum.*] Non in crucem, sed cruciatum.

48. *Hic ille est.*] Cum ἐμῶδοσιs, quasi vir magnus, sed hoc, Chremetem ostendens,

dens, dicit cum εἰρωνείῃ. *Non te credas Davum ludere.*] *Virgilius*:

Non Diomedem equos, non currus cernis Achilles?

49. *Mi senex.*] Bene *senex*, quia quasi alienior est, & ignotus Myfidi. *Mi.*] Suppalpatio muliebri.

51. *Ne me attingas.*] Quædam ostenduntur aperte in comædiis: quædam ex aliis personis intelliguntur. *Si pol Glycero non omnia hac.*] Ἀποσώμασιs tertia, quod alienæ personæ inventu reticetur. Fiunt autem ἀποσώμασιs, id est, reticentiæ, tribus modis. Aut enim tacet per se ipsum, & ad alium transit: & est prima, aut tacet, nec ultra aliquid dicit: & est secunda, aut alterius inventu personæ silet: & est tertia.

52. *Nescis quid sit actum?*] *Nescis*, plerumque dicitur ei, non quem volumus redarguere imperitia aut ignorantia, sed quem facere volumus ut velit libenter audire.

55. *Paulum interesse.*] Nove, pro multum. Et est ταπεινωσιs ἤμα. *Ex animo omnia, ut fert natura, facias.*] Figura ἐπέκεινθισιs. Nam quid est *ex animo*, nisi, ut fert natura? Et ex sententia à *Terentio ἐπισηματικῶσιs* prolata est, quam *Menander ἐπισηματικῶσιs* posuit.

56. *Ut fert natura.*] Hoc est, naturalis & ingenua actio. *An de industria?*] Id est, scientia & providentia. ea enim quæ discimus & scimus, operatione genita & industria quadam scimus, ut *Virg.*

Et cui putre solum (namque hoc imitamur arando.)

IN SCENAM QUINTAM ACTVS QVARTI.

IN hac habitasse platea.] *In hoc loco* persona ad catastrophem machinata, nunc loquitur. Nam hic *Crito* nihil arguendo debet, nisi *absolutionem erroris* ejus: simul ex verbis suis quam gravis, quam modestus, quamque justus sit, ostendit.

1. *In hac habitasse.*] Non *habitare*: sed quia mortua est, *habitasse* dicit. *Platea.*] Græci πλατῆιδαν dixerunt, quam nos *plateam* dicimus. Secundum formam

ejusmodi, *Μυδῆιδαν & Medeam*, *ωνομασῆιδαν & spondeum* scribimus.

2. *Qua sese inhoneste optavit.*] *Optare*, est unum de duobus eligere. *Virgilius*,

Pars optare locum tecto. — *Parare hic divitias potius.*] Animo heredis dixit *parare divitias*.

3. *Quam in patria.*] Primum dolet *Crito*, quod meretrix fuit *Chrysis*, secundo progressus, queritur quod mortua est. Et nota quod tria dixit *Crito* contempsisse *Chrysidem*: patriam, honestatem & paupertatem. Τὸ ἀρέπον etiam servatum est gravi viro, quum illum sobrina pudet, simul hic ostenditur ejus generis fuisse *Chrysidem*, ut quæ probe vivere potuerit: nisi, ut ait, necessitas cogeret. *Quam in patria honeste.*] Ἀντίθετον primum. *In patria honeste pauper vivere.*] His verbis à poëta jam honestus inducitur *Crito*, & dignus cui credi oporteat. *Pauper vivere.*] Ad illud reddidit, *Sed inopia & cognatorum negligentia coacta.*

4. *Ea ad me lege redierunt bona.*] Hic jus tractavit dicendo *Redierunt*: quia in familiam rediit, si non est heres de proximo, aut ex testamento.

5. *Percontet.*] Interrogatio est, cui necessario respondetur, aut *etiam* aut *non*. *Percontatio*, cui nihil horum. Ut si quis dicat, ubi habitabat *Chrysis*, dicatur, *Ecce hic*. *Percontatio*, ut si quis dicat, *Cur adulterium commisisti?* Simul etiam modeste & mature, & de se nihil interrogaturus, cœpit à blandimentis.

6. *Est ne hic Crito sobrinus Chrysidis?*] *Sobrini* sunt consobrinorum filii: nam sic dicit *Menander*, verum ut alii putant, de sororibus nati, ut sint *sobrini*, quasi sororini.

7. *Salvus sis, Crito.*] *Salvus*, asseveratio salutantis est, non quasi responsio.

8. *Itane Chrysis? hem.*] Non nunc interrogat, sed commiseratur: & ita sequebatur ut diceret, *perit*, sed magis gemitus significat, quod minus dixerat. *Nos quidem pol miseram perdidit.*] Hic intelligitur; supra subaudiendum *perit*.

Nam *pro perit*, hæc reposuit, *perdidit*.

9. *Quid vos? quo pacto hic?*] Progressio loquentis ad interrogandum. Id est, *puto*, inquit, quod illa perit: vos autem

quo modo? *Quo pacto hic?*] Significatio est peregrinantis.

10. *Nosne sic ut quimus, aiunt, quando ut volumus, non licet.*] Et ad praesentis, & ad praeteritae vitae excusationem pertinet ista responsio, qua purgatur voluntas Chrysidis in quaestu meretricio. *Cacilius* in *Plocio* :

Vivas ut possis, quando nequis ut velis.

11. *Quid Glycerium? jam hic suos.*] Convenit hereditatem petenti, convenit iudici futuro, de pluribus indagare. Ergo recte & ordine quaesivit, *Quid Chrysis? quid vos? quid Glycerium?*

12. *Vtinam.*] Novo genere exoptationem pro negatione intulit. *Haud auspicio huc me appuli.*] Id est, inauspicatus, quod non esset auspiciatus, & usitatum veteribus sic dicere, si quid aliquando aliter evenisset, quam vellent.

13. *Nunquam huc tetulisset pedem.*] *Virgilius,*

Mene efferre pedem genitor te posse relicto Sperasti? —

Et,

Ferte simul Faunique pedem, Dryadesque puella.

Sed Critici adnotant, alienius esse à characterè comico, *tetulisset pedem.*

14. *Semper enim ejus dicta est hac atque habita est soror.*] Aut veris credendum est, aut etiam falsis, quae tamen in veteraverint. Hinc *Cicero, Ita habeantur, itaque dicantur. Habita* ergo plus est, quam *credita. Semper ejus.*] A possibili & utili.

15. *Nunc me hospitem lites sequi.*] Mire dicit *me*, cum *ἐμφοσει*, id est, senem & remotum à litibus. *Hospitem*, id est, peregrinum. *Lites sequi*, id est, pauperem, totum per *ἐμφοσει*.

16. *Quam hic mihi sit facile atque utile.*] Id est, difficile & inutile, & est comicum.

19. *Grandiufcula jam.*] Ad partem atatis refertur grandis, id est, grandis natus est. Major autem, generaliter, & ad summam aetatis refertur, & ad comparationem atatis pariter positum est.

20. *Sycophantam.*] Hoc est, quum in me conveniunt lites. *Sycophantam.*] Bene, *sycophantam*: quia bonam causam habet, nihil aliud timet quam convi-

tia. Et *sycophantam* subdistingue: & sic infer sequentia.

21. *Tum ipsam despoliare non licet.*] Ab honesto, & bene, quia nihil suum habet, nisi Chrysidis.

22. *Antiquum obtines.*] *Antiquum* ab solute dixit: ut *aquum* aut *bonum*, quod antiqui solebant: aut certe per *ἐλαφύτην*, id est, morem & ingenium.

23. *Duc me ad eam, quando huc veni, ut videam.*] Vel hoc inquit, ut videam, cur autem ut videam? quia timet, & est ordo, *Duc me ad eam, ut videam, quando huc veni.*

24. *Videat senex.*] Bene *senex*. Simo enim cum Chremete est, propter hoc videri non vult, ne ejus utatur apud soecrum testimonio, rem esse Pamphilo adversus Glycerium: & rursus nuptiae confirmantur.

IN SCENAM PRIMAM ACTVS QVINTI.

Satis jam, satis, Simo.] Hac scena officiorum disceptationem continet, patrum inter se de officio amicorum, & paternae pietate tractantium.

1. *Satis jam, satis.*] Hac veluti quaedam controversia est: namque injuriam reus sit Simo, contradicitur per conjecturam, falsum esse quod intendit: cum Pamphilus neque amet, neque ex eo natus sit filius: & adhibetur derivatio causae, qua dicitur meretricem ista omnia esse molitam, ad disturbandas nuptias. *Satis jam, satis.*] Bene, negaturus filiam, purgat prius officium suum de fide promissi: & ultro accusat ipsum. *Spectata.*] Probata, ut *Virgilius* ait, *Rebus spectata juventus.* —

4. *Imo enim nunc quam maxime abs te postulo.*] Renunciare affinitati Chremetem, aut parum adhuc intelligit Simo, aut subtiliter dissimulat, ut ad fidem promissi hominem compellat *Imo enim.*] Enim *παρέλκειον* est figura.

5. *Initum.*] Coeptum, ab *ineundo*: unde & *initia* quoque dicta.

6. *Quod cupis.*] Quod velis. Legitur &, quod *jubes.*

7. *Neque modum benignitatis, neque quid me ores, cogitas.*] Id est, non cogi-

tas, aut quantum de benignitate amoris exigendum, aut praesumendum sit: aut quam sit impossibile, quod petis.

8. *Remittas jam.*] *Remittas*, pro mittas.

9. *Perpulsisti me, ut homini adolescentulo.*] Haec est tota accusatio. *Homini adolescentulo.*] Sic *Sallustius, Occultans serurgio mulieris ancilla.*

11. *Filiam darem.*] Invidiose; non, promitterem, inquit, sed darem quantum in te est.

13. *Dum res tetulit.*] Compositum pro simplici est *tetulit*, & altius quam decet comicum characterem, dictum videtur.

15. *Per ego te deos oro.*] Defensio per conjecturam, & est ordo, *Per deos te oro ego.*

16. *Quibus id maxime utile est.*] Argumentum à persona, *Quibus id maxime utile est.* A causa ratiocinativa.

18. *Vbi ea causa, quamobrem hac faciunt.*] *Ἀνακλονδου*, nam non intulit, ob quam causam: cum supra dixerit *ea causa*: sed quasi dixerit, *Ubi ea res: intulit, quamobrem hac faciunt.*] Aut rem abundat, aut *causa*.

20. *Vero vultu.*] Quasi dixerit Simo, *simulabat ancilla. Cum ibi me adesse neuterum praesenserat.*] Credit, aut etiam visus à Mylide erat, tamen ignorabatur esse Chremes; donec diceret Davus, *Hic ille est, non te credas Davum ludere. Cum ibi me adesse.*] Tum deest, ut sit integrum, *Tum, cum.*

21. *Davus dudum praedixit mihi.*] Hic ostenditur quod vidit callidus Davus, ut praediceret futurum seni id, quod ipse erat facturus.

22. *Nescio quid.*] Deest *Propter*: ut sit, *Propter nescio quid*, aut *nescio pro qua re*: ut sit adverbiale. *Ac volui.*] *Ac*, pro contra quam.

IN SCENAM SECUNDAM ACTVS QVINTI.

Nimo jam nunc otioso esse impero.] Haec scena, principium indicii, & iracundiam senis continet: atque in ea vehementer exprimitur consuetudo patris ac domini offensis, & indignantis.

1. *Animo jam nunc otioso.*] Exultans

egreditur Davus, nuntians prona esse omnia ad securitatem. Et *otioso*, securo: quia negotium, sollicitudo est. *Impero.*] Pro volo. An ut statim fiat, tanquam illud quod imperatur? Et *impero* superbe dixit. summum enim indicium securitatis est superbia.

2. *Vnde egreditur?*] Hic non interrogat: sed cum admiratione, vel magis cum indignatione dicit, *Meo praesidio atque hospitii.*] Id est, Animo jam nunc otioso esse impero. *Atque hospitii.*] Scilicet Critonis.

3. *Ego commodiorem hominem.*] Hic Davus admiratur, quod in ipso articulo periculi supervenerit Crito. *Ego commodiorem hominem, adventum, tempus non vidi.*] Potest enim & commodus esse quis, & alieno tempore supervenire potest: & commodum in homine est, sed & opportunus malum etiam adventum habere potest. Nam *commodum*, in homine est: *adventus*, in facto ejus: *tempus* in! opportunitate facti, *Commodiorem hominem, adventum, tempus, σὺλληψις.*

4. *Scelus, quemnam hic laudat?*] Non est hic solœcismus: ad sensum enim, non ad verba respexit, etenim propter sensum, verba sunt: non propter verba sensus. *Omnis res est jam in vado.*] In vado, in securitate, nam ut in profundo periculum est: ita in vado securitas est. Proverbiale, *In vado*, in tuto.

5. *Quid agam?*] Plus est dicere, *quid agam*, quam cogitare de fuga. *Salvo bone vir.*] *Εἰς ὧνεία* major est quam increpatio, quum enim omne genus criminis aliquis superaverit: tunc exclusi, *εἰς ὧνεία* laudamus. *Hem.*] Interjectio perturbati est. *Onoster Chreme.*] *Noster* dicendo, latenter significat Glycerium: filiam Chremetis esse inventam.

6. *Omnia apparatus jam sunt intus.*] Quia infecta sunt de paratis. *Curasti probe.*] *Probe*, memoriter, ut solet, supra enim dixerat senex, *Imo abi intro; ibi me operire*: & quod parato opus est, *para.*

7. *Vbi vales, adcersse.*] *Vbi*, pro vado; non est enim loci, sed temporis adverbium. *Bene sane.*] Valide: quia qui sanus est, idem & validus. *Abest.*] *Pro deest.*

8. *Etiā tu hoc respondes?*] Deest, *an non. Etiā tu hoc respondes?*] *Etiā*, aut hortatio est, aut conjunctio. Et vide quanta dixerit, & *quid & istic*, & *tibi. Mihine?*] Quando non fumus parati ad respondendum, ducendo tempus eludimus. *Mihine?*] Apparet ita turbari Davum modo, consilio poetæ, ut omnes amittat fallacias: & oppressus prodatur Pamphilum, dum malum cominus perhorrescit: totumque hoc ex argumento est. Vult enim jam poetæ catastropham fieri.

9. *Modo introii.*] Hoc signum, perturbatum induci ob conscientiam Davum.

10. *Cum tuo gnato una.*] Servi excusatio, filii acculatio est. & hoc quasi à perturbato dicitur sermo: sed consilio poetæ ad exitum festinantis & resolutionem fabulæ. *Anne est intus Pamphilus?*] Causa iræ vehementior inventa est.

11. *Sunt.*] Nulla ratione dicit, *sunt*: sed ne nihil respondeat, nam turbatus est, utpote oppressus. *Quid illum censet?*] Deest, *propter*: ut sit, propter quid illum esse censet? *Cum illa litigat.*] Chremeti convenit hic sermo: hic enim irridet: qui & supra dixit, *Amantium ira, amoris integratio est.* & sic hoc dicit, ut alibi, *Credo, ut sit, misera præ amore exclusit hunc foras. Cum illa litigat.*] Irridet Simonem Chremes, quia dixerat: *Ira sunt inter Glycerium & gnatum.*

13. *Imo vero indignum, Chreme.*] Bene ad eum loquitur, qui est à nuptiis deterrendus: vel qui non inturbet orationem suam, vel quem etiam sibi precatorem destinat. Ita loquitur quasi hæc sit causa, cur sit Pamphilus ingressus: quod quasi ei lis intendatur à Critone hospite ducendæ uxoris, quam civem Atticam vitaverit.

14. *Nescio quis senex modo venit.*] Bene, *nescio quis*, etenim si notus esset, videretur gratificari, id est, gratiofus esse testis & minus verus. *Ellum.*] Veteres quod nos *illum* dicimus, vel *ellum*, vel *ollum* dicebant, quamvis *ellum*, quidam *ecco illum*, velint intelligi: tanquam pro ipso donum Glycerii ostendat Davus, dicens, *Ellum*, quasi *en illum*, est enim, ut alii volunt, pronomen: ut alii ad-

verbium demonstrantis: nam pronomen hujusmodi veteres sic proferebant, *ille, ellus, ollus*, sed (ut diximus) adverbium compositum ex pronomine videri potest: ut sit, *en*, vel *ecco illum*. *Confidens.*] *Confidentem* hic pro constanti non mala significatione posuit. *Catus.*] Callidus, doctus, ardens, *παρὰ τὸ καίδη*, unde, *Cato* dictus, ingeniorum etenim igneus vigor esse videtur.

15. *Quantivis pretii.*] Ad magnitudinem referretur *quantivis*, non ad parvitatem pretii. Et totum oratorie, scite enim locutus est. Sed interest inter *quamvis* & *quantivis*, nam alterum contemptio, nis, alterum laudis.

16. *Tristis.*] Ad laudem interdum sumitur, non ad amaritudinem, *tristis, Cicero, Index tristis & integer.*

18. *Glycerium se scire civem esse Atticam.*] Bene: constanter & ea quæ locutus est, *scire* se dixit.

19. *Dromo, Dromo.*] Commotus ira & dolore nihil dixit: nisi quod lorarium repetendo sæpius vocat. *Verbum si addideris.*] Bene, qui omnia præsentem socero contra nuptias loquitur.

20. *Audi, obsecro.*] Plerumque à verberandis, vel indulgentia loquitur, vel mora. *Sublimem.*] Id est, in sublime, per altum. *Quantum potes.*] Hoc est, celerrime: quia segniores se ostendunt servi ad puniendos colibertos, scilicet, mora veniam captantes indignantium dominorum.

21. *Quia lubet.*] Hoc sensu & supra dictum est. *Aut si libitum fuerit, causam ceperit, quo jure, quaque injuria. Quia lubet.*] Davo dicit, *Rape inquam.*] Hoc Dromoni.

22. *Si quidquam mentitum invenies, occidito.*] Hic plus dixit, ubi enim verbera supra dixit: nunc *occidito*.

23. *Commotum.*] Citum, celerem.

24. *Quadrupedem.*] Utrum ligaturæ genus sic dicitur, *quadrupes*? an quadrupedem, ut feram? an quadrupedem, id est, cum pedibus & manibus? an quadrupedem, pro sermo & fugitivo posuit? Sic *Virgilius*,

Saucius at quadrupes nota intra tectum refugit.

Constringito.] Mire, ne quid fiat tragi-

cum in comœdia, usque ad vincula ira progreditur: nec quicquam tentat ultercius.

25. *Si vivo.*] Qui certa minari volunt, incertam faciunt vitam suam.

26. *Herum quid sit periculi fallere.*] Herum & patrem cum ingenti pronuntiatione dixit. Et alibi,

Nam qui mentiri, aut fallere insuerit patrem, aut

Audebit, tanto magis audebit ceteros.

27. *Ne savi tantopere.*] *Ne*, imperativo magis quam conjunctivo adiungitur, ut *Virgilius*,

Ne savi magna sacerdos. —

28. *Pietatem gnati.*] Ἐλλήψας. deest enim *videt*, aut quid tale. Et est *εἰρωνεία*, pro impietate. Et vide invidiam, quasi partitiam accusantis, non enim pudorem dixit, sed pietatem.

29. *Tantum laborem capere.*] Σύλληψας. assumendum est enim extrinsecus *me*. *Labor*, pro molestia.

IN SCENAM TERTIAM ACTVS QVINTI.

Qvis me volt? perii.] Hic accusatio est: quæ solvitur defensione, in eo quod ad amorem pertinet, per concessionem: in eo quod ad Critonis personam, per conjecturam.

1. *Quid ais omnium?*] Ἀποσιώπις tertii: & est ad deformationem personæ. Et est irati familiaris ἀποσιώπις, quum pro dignitate peccati, non inveniat convitium. *Quid ais.*] Non interrogantis, sed invenientis, & est ἔλλειψις, multa significans, in eo quod ait, *omnem*.

3. *Quasi quidquam in hunc jam gravius dici possiet.*] Quam quod fecit, quam quod peccavit.

4. *Ain tandem?*] Quærit Probus, *ain'* quæ pars orationis sit: & an una sit, est autem *ain'* quasi *aisne*. Et mire, quasi ipse dicat, quod Davus dixerit. Ergo *ain'*, percontativum verbum est. *Tandem.*] Pro tamen. *Prædicant.*] Artificiose pro dicunt posuit, adeo in hac re vehementer commotus senex hoc ipsum reperit, Ita prædicant, per iracundiam. Et ita est ἐν ἡμῖν, ut repetantur verba, in quibus

arguitur impudentia.

5. *O ingentem confidentiam!*] Et *confidentiam* modo pro audacia est cum improbitate, ut in Phormione, *Homo confidens*. Aliter hic supra *confidens* pro constanti & gravi. Ergo confidentia interdum in bona significatione, interdum in mala ponitur: sed fiducia semper in bona.

6. *Num cogitat quid dicat? num facti piget?*] Amens est qui nesciat quid dicat: amentior, quem non poeniteat facti sui. *Num cogitat quid dicat?*] Quia injuriarum se alligat. *Num facti piget?*] Quia dicit, prædicant: non dicunt & ut solent irascientes, avertit orationem à secunda ad tertiam personam: ab ea cum qua loquebatur, ad aliam.

7. *Num ejus color pudoris signum usquam indicat?*] *Signum*, est parva quædam significatio, indicans totius rei qualitatem. *Num ejus color pudoris signum usquam indicat?*] Paterno animo dicit. Namque patribus velle erubescere filios, pudentesque esse, familiare est: cui contrarium est, *Erubuit, salva res est*. Hoc ergo dicit: Nec timet, inquit, nec enim poenitet, nec pudet.

8. *Impotentem.*] Nimis potenti, vel certe debili & devicto.

9. *Civium morem atque legem, & sui voluntatem patris.*] *Tria* contempta sunt, mos, lex, imperium patris. *Præter civium morem.*] *Præter*, contra nunc significat.

10. *Tamen.*] Quum non dixerit *quantivis*, subjecit *tamen*: & figura est ἀνακέντησις.

11. *Me miserum.*] Initium defensionis, & deploratio calamitatis & miseriæ: quia in amorem culpam removel à voluntate sua, quum pater, quod amat filius, vitium mentis dicat esse, non impulsus Dei. *Modone id demum sensi, Pamphile?*] Comprobatione ostendit eum esse miserum. *Demum* autem, signum est tarditatis. Et *senti* e dicitur, qui vix colligit se, vixque animadvertit: ut alibi,

Vix tandem sensi stolidus.

12. *Olim istuc, olim.*] Objurgatio est, quod dictum est *olim*. confirmationem autem per repetitionem ostendit. Ut *Virgilius*:

— *divum, inclementia divum*
Has evertit opes.

13. *Aliquo pacto.*] Quoquo modo.

14. *Accidit.*] Evenit, fuit.

15. *Sed quid ego?*] Proprium est parentibus, indignatione velut abjicere curam filiorum, quum destomachati fuerint. *Sed quid ego?*] Ἐλλὰ τίς per ἐπιώπιον, scilicet promoveo.

16. *Sollicito.*] Sollicitam reddo, id est, contristo & perturbo. *Cur meam senectutem.*] Non me, sed meam senectutem: quod plus est & miserabilis, dicit.

18. *Imo habeat, valeat.*] Non irascitur ut pater, sed dissimulat ut alienus: quia vehementer dolet. Et *habeat*, subauditur *illam*. *Mi pater.*] *Mi*, meus, & principium factum à conciliatione personarum.

19. *Quasi tu hujus indigeas patris.*] *Hujus*, ostendens se dixit, ut *Virgilius*, *Est hic, est animus lucis contemptor.*

20. *Domus, uxor, liberi inventi.*] Mira gravitate sensus elatus est, nec de *Menandro*, sed proprium *Terentii*. Et *liberi inventi* dicit, quum unus esset: sed invidiosus *liberi*. Et *inventi*, nongeniti: secundum illud, *Hoc ego scio, neminem peperisse hic*. *Domus* addidit, non lupanar. Et oratoriè de uno pluraliter loquimur.

21. *Viceris.*] Verbum est ejus, qui vix sibi extorquet, ut abjiciat curam. Et proprium patribus, ac familiare iratis.

22. *Pater, licetne pauca?*] *Titubans* & balbutiens oratio pudore & conscientia.

24. *Age dicat: sino.*] Hoc totum non ex animo permittentis, sed cum stomacho patientis est.

25. *Ego me amare hanc, fateor.*] Ἀποκατά τ' ἐπαρώσας. *Hanc fateor.*] Et bene *hanc* dicit, non *Glycerium*, cujus nomine offenditur senex: nec peregrinam, ignominiam scilicet vitans. *Si id peccare est, fateor id quoque.*] Noli, inquit, me accusare quia amo, amantem enim nemo accusat, ut febricitantem nemo accusare potest cur febricitet. Sed amare, inquit, si putas esse peccatum, fateor etiam me hoc peccasse. Mire igitur, & subdefendit culpam: & assensus irato est, *Si id peccare est.*] *Peccare* dicit:

quia amor Deus est, non voluntas, *Fateor quoque.*] *Peccare* me scilicet.

26. *Tibi, pater, me dedo.*] Bene *dedo*, quasi hostilia & contraria volenti, nam deditio in hoste fieri solet. *Quidvis oneris impone: impera.*] *Executus* est translationem oneris, dicendo, *imponere*, ut *potero feram*.

27. *Vis me uxorem ducere? hanc vis amittere?*] Et quod unum est, duo fecit: ut ostendat se non posse ferre. *Ut potero, feram.*] *Obsequium* sine voluntate ostendit: & multum valet sub *Chremetis* presentia hæc confessio, ad recufandas nuptias.

28. *Vi ne.*] Pro ut non, *Allegatum.*] *Adhibitum.* *Hunc senem.*] *Critonem* scilicet. Et non *Critonem*, sed *senem* dicit: ut de hac appellatione pondus adjiceret testimonio.

30. *Æquum postulat, da veniam.*] *Artificiose* interponit loquentem *Chremetem*: quem volens usque ad cognitionem filiarum suarum retinere, non facit irasci *Pamphilo* ob contemptum filiarum suarum, & post hoc abire de medio. *Da veniam.*] *Concede*, indulge. *Sine te hoc exorem.*] Id est, ut me purgem, non, adducam.

31. *Ab hoc me falli comperiar.*] O paterna pietas! ipse accusator est, & redargui se cupit.

32. *Paulum supplicii.*] *Supplicium* dicit ipsam accusationem.

IN SCENAM QUARTAM

ACTVS QVINTI.

Mitte orare.] *Hic in scenam* progreditur *Crito*: in cuius verbis non modo quod ipse promittit, sed etiam quod & *Pamphilus* dixerit, demonstratur. Et *hic omnis error aperietur fabula.*

1. *Mitte orare, una harum quavis causa.*] *Pamphilo* dicit, & dicendo *una harum*, ostendit multas esse causas: etiam pares magnitudine esse, dicendo *quavis*.

3. *Andrium ego Critonem video?*] *Bonum* initium agnitioni filiam. Itaque compendii causa, non laborat de agnitione personarum *Critonis*, ut ab eo facile doceri possit. *Salvus sis, Chreme.*] Ne laboret ad persuadendum: miro com-

pendio *Poëta*, jam *Crito* notus est *Chremi*.

4. *Quid tu Athenas, insolens?*] *Insolens*, insolitus, infaetus. *Cicero*, *Moveor etiam loci insolentia*. *Sallustius*, *Insolens vera accipiendi*. *Insolens* & arrogans intelligitur. Qui præter legem agit humanam & naturalem, *insolens* dicitur. *Cicero*, *In victoria, qua natura insolens est superba est*. *Evenit.*] *Pudet* fateri propter hereditatem venisse. Et vide ipsum esse, qui dixerit supra, *Clamitent me sycophantiam, hereditates persequi*.

6. *Paratus advenis?*] Hoc est, subornatus, & compositus dolo.

7. *Tunc impune hoc facias?*] *Mire*, acriter *Critonem* aggressus, dilatavit inculationem, & generale fecit virtute oratoria, quæ *δύωμις* dicitur. *Tunc hic.*] Id est, *Athenas*, ubi delicta vindicantur.

8. *In fraudem illicis?*] *Illigas*, unde *Virgilius*,

Terna tibi hac primum triplici circumdata filo

Licia circundo. — *Licia* enim dicta sunt, quasi ligia.

9. *Eorum animos lactas?*] *Hinc etiam oblectatio* dicitur. *Lactas?*] Quasi teneros animos, *Lactare*, est dulcissime aliqua tenere, ad persuasionem inducere: unde & *delectare* & *oblectare* dicimus.

10. *Ac meretricios amores nuptiis conglutinas?*] Vide oratorie agi, ut gravius *Critonem* accuset *Simo*, nunc defendit filium, quem dudum increpaverat. *Ac meretricios amores.*] Pejus lenocinio crimen ingessit: non amicam facere demeretricie, sed conjugem. *Nuptiis conglutinas.*] Hoc gravius est lenocinio. *Metuo ut subter hospes.*] *Vt*, ne non, *Lucil*, *Tuam ut memoriam retineas*. Et bene *hospes* ait, non *homo*, vel *Crito*, est enim ipso nomine causa diffidentiarum.

12. *Non ita arbitrare.*] Id est, non arbitris. *Bonus hic vir est.*] Cum pondere & distinctione inferendum. *Hic vir sit bonus?*] *Hic*, per ἐξωσέων, nec virum nec bonum esse dixit. *Hic vir sit bonus?*] *Mire* poëta, cum oportuerit *Critonem* inimiciorem *Chremi* esse quam *Simoni*, sic rem inducit, ut notior ei sit contra quem maxime venerat, atque ab eo defendatur, magis ut res progredi ad cattatrophem possit.

13. *In ipsis nuptiis.*] In ipso articulo nuptiarum.

14. *Vt veniret antehac nunquam?*] Plerumque casus imitatur industriam: & hoc sæpe fit, ut etiam sedulo facta, sint suspecta.

16. *Sycophanta.*] Hoc est, quod minime voluit sibi dici *Crito*, nam ita loquutus est supra, *Clamitent me sycophantiam, hereditates persequi*. *Hem.*] Principium iracundiæ, audivit enim quod maxime vitabat: nam ut supra, *Clamitent me sycophantiam*. *Sic, Crito, est hic: mitte.*] *Hic* *Chremes* traducit illum ab iracundia, dicendo sic esse eum. *Menander*: Ἰπὸς αὐτὸς ἔστιν * Et recte: quia naturæ ignoscitur, voluntati non item.

17. *Si mihi pergat, qua vult dicere.*] *Graviter*, mature.

18. *Ego istac moveo, aut curo?*] Est enim *sycophanta* perturbare rem bonam, & curare malam. Hoc igitur dicit cum ἄσκησται. *Ego hæc turbo*, aut cogito, quemadmodum tu dicis, *Simo?* *Non tu tuum malum a quo animo feres?*] *Non filium*, sed amorem in filium significat. An quia iratus est? Et queritur, an convenient hæc verba *Pamphilo* veniente. Imo enim conveniunt: nam quanto magis dissimulat favorem, tanto plus acquirit fidei ad ea quæ loquitur.

19. *Iam scripoteff.*] Addidit & temporis celeritatem & magna maturitate dixit.

20. *Atticus quidam olim.*] Hæc pars argumenti est: quæ est supra jam dicta.

21. *Fortè applicat.*] *Applicat*, proprie de naufrago in litus ejecto atque egenti.

22. *Primum ad Chrysidis patrem.*] *Quid est primum?* an quia postea mortuus est? *Fabulam inceprat.*] Aut ad comœdiam retulit *fabulam*: quia *fabula* comœdia: & quia argumentum quasi *fabulæ* narratur, aut certe ad irrisionem narrationis dicit, etenim *olim* *fabulæ* proprium, ut *Horatius*:

— olim
Rusticus urbanum murem mus paupere fertur
Accepisse cavo, veterem vetus hospes amicum.

23. *Itane vero? obturbat.*] Si subdittinguit, *interstrepit* accipere: si non distin-

guit, *everit* intelligas, *Itane vero obturbat* ? Potest, *irane vero*, subdistingui: & sic cum comminatione inferri, *obturbat*.

24. *Ibi ego audivi ex illo*.] Magna confirmatio veritatis est

25. *Nomen tam cito tibi* ?] Non negantis est, sed difficile se dicturum ostendit. *Phania*.] Hoc ita dicit Crito, ut nemo audiret: scilicet adhuc dubitans, an ipse sit.

26. *Hem*.] Sunt qui putant, Simonem dicere, irascentem filio, Critonem submonti. *Perii*.] Hoc Pamphilus post iracundiam patris. An Chremis est dolentis, vel ad ejus mentionem, vel quod in filiam pene peccarat? *Verum hercle, opinor*.] Hoc adhuc cunctanter est dictum: & ideo indiget confirmatione.

27. *Rhamusium se*.] Piræus & Rhamnus, & cetera hujuscemodi, maritima Atticæ oppida intelligenda sunt. *Rhamnus*, pagus Atticæ est.

28. *Multis alii in Andro*.] Hoc testimonium *cacum* dicitur. Testimoniorum enim modus duplex est: *manifestus* & *cacus*. *Manifestus* est, qui certos testes, & præsentis habet. *Cacus*, in quo multitudinem, aut civitatem dicimus scire, ut *Cicero*. *Testis est tota Sicilia*. quod tamen audientem consternat. Est etiam in cæco jusjurandum, tabulæ, absentisque personæ. *Cujam igitur* ?] *Vetuste, cujam*. quod omnibus generibus & casibus servit.

30. *Arrige aureis, Pamphile*.] Translatio à pecudibus, quibus verbis intendit, accipiendam esse vocem. *Arrige aureis, Pamphile*.] Hoc Simo videtur dicere. Ut alii putant, ipse sibi Pamphilus.

31. *Noram, & scio*.] *Noram* Phanium, scio fratrem fuisse. Ergo & ad personam & ad rem retulit.

32. *Meque in Asiam persequens, proficiscitur*.] Bene in *Asiam*, ubi bellum non erat, sed in Græcia. Et *persequens* dicit, perseverationem sequentis ostendens. *Persequitur* enim qui non desinit sequi. *Virgilius*,

Qua re sola puer, multis à matribus, ausa Persequitur.

34. *Vix sum apud me*.] Hoc est argumentum, sapientibus lætitiā vehementem in bonis moderandam: cum unuf-

quisque gaudens ita perturbetur, ut apud se ipsum jam non sit. *Vix sum apud me*.] *Non sum apud me*, magis consuetudine quam ratione dicitur. Aut forte sic dicit, quasi abierit animus, & rursus redierit. *Ita animus commotus est metu*.] Duo carnifices futurarum rerum sunt, spes & metus. Dolor enim & gaudium præsentium rerum sunt. *Virgil*.

Hinc metuunt, cupiuntque: dolent, gaudentque, nec auras

Respiciunt.

Sed dolorem hic in lætitiā non posuit, & mire ordinem servavit, sic enim se hæc invicem sequuntur. Et *ἀσυνέτως* distinguendum est, spe, gaudio: ut separatum inferantur.

35. *Mirando*.] *Mirando*, dum miror, & est participium.

36. *Ne istam multis modis tuam*.] Non, multis modis in veniri gaudeo: sed, tuam inveniri. Alii, *multis modis tuam inveniri gaudeo*: non, *inveniri gaudeo*. Hic jam redit in gratiam Simo cum filio: nisi forte patrem focerum appellat, ut Turnus apud *Virgilium*,

Et nos tela, pater, ferrumque haud debile dextra

Spargimus.

Sed quomodo infra dicit, *Quid restat, pater*? an *restat* ideo, quia hæc jam major pars reconciliationis est? *Ne istam*.] *Ne*, nimis. *Cicero*, *Ne isti vehementer errant*, *Sallustius*, *Ne ista nobis mansuetudo & misericordia*. *Gaudeo*.] *Gaudemus* nostris: *gratulamur* alienis. Ut *Sallustius*, *Et ei voce magna vehementer gratulabantur*. *Credo, pater*.] Incertum, utrum, cui gratulatur, Simo sit, quamvis Pamphilus respondeat, potest enim Chremes & pater videri. *Credo, pater*.] Sic responderi solet dicenti, gaudeo.

37. *At mihi unus scrupulus etiam restat*.] *At*, discretivum est superiorum dictorum. *Scrupulus* à scrupo lapide dictus, lapillus minimus, nam nimis molestæ sunt pedibus scrupulosæ viæ. ut *Virgilius*,

Scrupea tuta lacu nigro, nemorumque tenebris.

Etiā.] Pro adhuc.

38. *Dignus es cum tua religione odium*.] Aut accusatus pro ablativo casu est positus, pro odio, aut separatim *odium* legendum

gendum est, ut sit, dignus qui male habeatis. *Nodum in scirpo quaris*.] *Scirpus*, palustris res, & levissima. *Lucilius* in primo, *Nodum in scirpo insane facere vulgus*. Est autem *scirpus*, sine nodo, & levius junci species. Alibi ipse, *Reddunt curaturæ juncem*. *Plautus*, *Scirpea inducitur raris*.

40. *Id quæro*.] Rursus Crito obliviosus est, utpote alienarum rerum.

41. *Voluptati obstare*.] Nunc lætitiæ & gaudio.

42. *Hæus Chreme*.] *Hæus* dicendum erat, quia Chremes Critonem intuebatur.

43. *Ex ipsa audivi millies*.] Duas res ostendit Pamphilus, & quod verum sit quod ex ipsa sape audivit, & quod sit Glycerium. *Omnes nos ga: dere hoc, Chreme*.] Aut hoc correpte, aut hoc producite: ut sit, hac re gaudere. Et gaudere, nostris est, ut supra annotavimus: alienis vero, *gratulari*. *Sallustius*, *Et ei voce magna vehementer gratulabantur*. Plus est ergo gaudere, quam lætari.

44. *Quid restat, pater* ?] Hoc est, ne irascaris.

45. *O lepidum patrem* !] In quo leporis est plurimum, *l. pidus* dicitur. Nam *lepos* est venustas.

47. *Nempe, scilicet*.] *Nempe* & *scilicet* dicentes, manu vel vultu dotem significant, quod mox intelligit Chremes. Alii *deus* & *scilicet*, Chremetis personam faciunt. *Dos Pamphile est*.] Id est, Pamphilo pro uxore dabantur decem talenta.

48. *Accipio*.] Ille nisi dixisset, *accipio*, dos non esset. datio enim ab acceptione confirmatur: nec potest videri datum id, quod non sit acceptum. *Eho*.] *Eho* hic admiratio est intentionis, ad id quod dicturi sumus.

50. *Dedam jam*.] Addidit & temporis celeritatem.

51. *Qui* ?] *Quamobrem*.

52. *Non recte vincetus est*.] Id est, non iuste. Sed hic ad causam retulit, *non recte*: senex vero, ad rem retulit. *Haud ita iuste*.] Quia quadrupedem stringi iusserat, quasi recte ac diligenter. Et hoc ipsum non vacat, nam jam joculariter loqui, & minus irascentis est, & placabilis

animi. *Haud ita iuste*.] Eleganter ludit ad *ἀνεύκολον*, & simul ostendit, quam propitius sit Pamphilo pater, & quam facile veniam Davo impetrare possit ab eo, quippe qui jam etiam jocetur. Pamphilus autem dixerat non iuste: ille sic respondit, quasi dixerit, non diligenter vincetus est. Et *haud ita iuste*: sic enim præceperat, *Quadrupedem constringito*.

IN SCENAM QUINTAM

ACTVS QVINTI.

*P*roviso quid agat Pamphilus.] *Hæc scena alterum generum Chremeti comparat: ne aut Charinus tristis recedat, aut non provisum videretur Philumena.*

1. *Proviso quid agat*.] Hoc colloquium post compendium fabulæ inducitur: ut una narratione etiam negotium Charini transigi possit. *Proviso quid agat*.] Dupliciter res ab oculis spectatorum movetur: aut enim futura promittuntur, aut facta narrantur. *Proviso*, duo significat: & provideo & procedo.

2. *At mihi nunc sic esse hoc verum lubet*.] *Sic* delicate pronuntiandum est, & separatim distinguendum. *At mihi nunc sic esse hoc verum lubet*.] Sentus hic est, alii putent, ut volunt: ego autem verum esse confirmo, quod mihi lubet verum credere.

3. *Ego Deorum vitam propterea sempiternam esse arbitror*.] Omne quod habemus aut mutuum est, aut proprium. Mutuum est quicquid ad tempus habemus, nec postmodum nostrum futurum est, ut uxor, domus, villa, servi, & cætera in hunc modum: Proprium, ut virtus animi, & bonum sempiternum, quod proprie de Diis dicitur, non enim aliunde venerunt, sed apud se ipsos sunt semper. Et Epicurum secutus hoc dixit: Proprie ergo de Diis sempiternum dicitur. Nam inter *sempiternum* & *perpetuum* hoc interest: quod *sempiternum* ad Deos, *perpetuum* proprie ad homines pertinet. *Ego Deorum vitam propterea*.] Hanc sententiam totam *Menandri* de Eunucho transtulit. & hoc est quod dicitur, *Contaminari non decere fabulas. Ego deorum vitam*.] Non dixit, quod

icit: sed quod verum putet. Et est *δύσ-
μα* Ἐπιούριον, quod a cæteris philoso-
phis repudiatur, de otio Deorum ac pe-
renni voluptate.

4. *Propria sunt.*] Perpetuæ, sempiter-
næ, quæ non sunt accommodatæ ad
tempus, ac mutæ, sic & supra, *Nihilne
esse proprium cuiquam.*

5. *Sinulla ægritudo huic gaudio.*] Sci-
licet secundum supradictam sententiam,
Si propria, inquit, hæc fuerit voluptas,
Deus sum.

7. *Quid illud gaudii est?*] In aliis, Da-
vi persona inferitur.

8. *Nam hunc scio mea solide solum ga-
visuram gaudia.*] Ἀσχεῖς μὲν. *Solide so-
lum.*] Figura πρὸς μίαν.

IN SCENAM SEXTAM ACTVS QVINTI.

P Amphilus ubinam hic est?] In hoc
actû mira arte ea qua restant de Co-
mœdia breviter explicantur, & designan-
tur duorum sciorum bina nuptia.

1. *Pamphilus ubinam hic est? P. Dave.
D. quisnam homo est?*] In affectu gauden-
tis Pamphili, & Davi gratulatione, co-
gnitionem rerum Charino præbuit: cu-
jus persona parce utitur post compen-
dium,

2. *Sed quid mihi contigerit scio.*] Scio,
id est, persensit.

3. *More hominum.*] *Hominum* abun-
dat. *More hominum* venit, ut id quod sim-
nactus mali.] Quia fama mali celerior,
quam boni: id est, ut facilius mala,
quam bona nuntientur. Ad hoc ergo
dixit, quod ille prior scierit quod esset
vincetus, quam ipse cognitam Glyce-
rium cognosceret.

5. *Mea Glycerium suos parentes repe-
rit.*] Hæc ita narratur Davo, ut eadem
opera etiam Charinus audiat.

6. *Pater amicus summus.*] Hæc om-
nia, ut diximus, propter Charinum di-
cuntur, ut audiat. *Amicus summus.*]
Deest ejus.

7. *Num ille somniat ea, qua vigilans vo-
luit?*] Hinc Virgilius,

*Credimus? an qui amant ipsi sibi somnia
sunt?*

8. *Disi.c.*] Compendium attulit.

11. *Bene factum.*] A gratulatione cœ-
pit. *Omnia.*] Compendium. *Age, me in
tuis secundis rebus respice.*] Hæc sunt quæ
absolute dicuntur: & est communitio.
Sunt enim qui felicitate elati, ne respi-
cere quidem velint amicos. Et *respicere*,
est proprie retro aspicere. Id est, quem
præcedis felicitate, non obliviscaris.

12. *Tuus est nunc Chremes.*] Lucilius
in secundo, *Nunc prator tuus est, meus
si discesserit homo Gentilis.*

13. *Atque adeo longum est nos illum ex-
pectare.*] Quia & audacter & artificiose
binos amores duorum adolescentium,
& binas nuptias in una fabula machina-
tus est: & id extra præscriptum *Menan-
dri*, cujus Comœdiam transferebat:
idcirco aliud in proscenio, aliud post
scenam retulit: ne vel iusto longior fie-
ret, vel in eandem propter rerum simi-
litudinem cogerentur.

14. *Sequere ac me intus: ad Glyce-
rium.*] Jam post scenam itur: quia ul-
terius in proscenio nihil agitur. *Tu
Dave abi domum.*] Hi versus, usque ad
illum, *Gnatam tibi meam Philomenam
uxorem*, negantur Terentii esse: adeo
ut in pluribus exemplaribus bonis non
inferantur.

16. *Ne expectetis.*] Mire dicit, latenter
se laudans: quo verbo avidum adhuc
audiendi populum, adeoque cupidum
& intentum ostendit, ut finem Comœ-
diæ evenisse non senserit.

17. *Intus transigetur, si quid est quod
restet.*] Artificiose poëta hereditatis ju-
stam petitionem ex Critonis persona
prætermisit, quæ ei Glycerio cognita
jure tribuebatur: ne vel parvo rei Cri-
tonis tractatu, aut defraudatione Glyce-
rii infulcicaretur finis fabulæ ad lætum
exitum spectans. *Si quid est quod restat.*]
Quia narratione dignum non est, quod
Charinus rogat.

ÆLII DONATI V. C. ORATORIS VR-
BIS ROMÆ, COMMENT. IN TERENCE
ANDRIAM EXPLICIT.

ÆLII DONATI,

V. C. ORATORIS URBIS ROMÆ,

PRÆFATIO IN EUNUCHVM TERENCE.

Hæc masculini generis nomine nuncupata Fabula est, Eunuchus:
& est Palliata Menandri vetus: quam ille author de facto ado-
lescentis, qui se pro Eunuchō deduci ad meretricem passus est, nomi-
navit. Itaque ex magna parte motoria est. Atque in hac comœdia qui
personam Parmenonis actor sustinet, primas habet. Secundæ sunt
Chæreæ. Tertiæ ad Phædriam spectant. Hujus prologus sanè est con-
citator. Nam & objicit crimina adversantibus; & accuatorie narrat
injuriam Terentio factam: & ad ultimum tumultuose, & comminatur
in posterum: cum magna invidia defendit poetam. Hæc & *πρὸς τὸν* &
ἐπιτομὴν, & *ἐπιτομὴν* ita æquales habet, ut nusquam dicas longitudi-
ne operis Terentium delassatum dormitasse. Actus sane implicatiores
sunt in ea, & qui non facile à parum doctis distingui possint: ideo quia
tenendi spectatoris causa vult poetæ noster omnes quinque actus velus
unum fieri, ne respiret quodammodo: atque distincta alicubi conti-
nuatione succedentium rerum, ante aulæa sublata fastidiosus spectator
exurgat. Acta plane est Ludis Megalensibus, L. Posthumio, I. Cor-
nelio Ædilibus Curulibus: curam ædium habentibus: etiam tunc perso-
natis L. Numidio Posthumio, L. Ambivio Turpione: item modulante
Flacco Claudio tibiis dextra & sinistra ob jocularia, multa permixta
gravitate. Et acta est tanto successu ac plausu atque suffragio, ut rur-
sus esset vendita, & ageretur iterum pro nova: proque ea pretium,
quod nulli ante ipsam fabulam contigit, octo millibus sestertiūm nu-
merarent poetæ. Diverbia multa sæpe pronuntiata, & cantica sæpe
mutatis modis exhibita sunt. (Τροπὴ τῶν ἀποστοτῶν) nusquam habet: sed
suis tantum personis utitur. In hac Terentius delectat facetiis, prodest
exemplis: & vitia hominum paulo mordacius, quam in cæteris carpit.
Exempla autem morum hic tria præcipua proponuntur, urbani scilicet,
parasiti, & militaris. Hæc edita tertium est, & pronuntiata, Teren-
ti Eunuchus: quippe jam adulta commendatione poetæ, ac meritis in-
genii notioribus populo. Facta autem ex duabus Græcis una est Latina.
Nam ex Eunuchō & Colace Manandri fabulis, hæc Eunuchus Teren-
tiana scripta est, non sine crimine, quod multa in hanc translata sint
ex multis poetis Latinis, quod totum, per Prologum purgat atque de-
fendit.

ARGUMENTUM.

Rapta quaedam ex Attica virgo nobilis, atque adducta est Rhodum: ibique matri Thaidis meretricis ab amico dono data est, & educata velut soror, unâ cum filia Thaide. Sed Thais relicta matre Rhodo, cum amatore quodam Athenas se contulit: ab eoque heres instituta mortuo, mox à milite Thrasone diligebatur nimis. Qui cum Athenis profectus matrem Thaidis mortuam Rhodi comperisset, & eam virginem, quam diximus, ab heredibus mortua animadvertisset venum esse propositam: quamvis ignarus rerum omnium, emit tamen: & dono amata Thaidi vexit Athenas. Verum postquam adveniens rivalem Phædriam apud amicam reperit, quem per ejus absentiam sibi meretrix conciliavit: affirmavit se non ante daturum promissam virginem, quam Thais foras amulum pepulisset. Illa igitur, etsi amaret Phædriam, cupiditate tamen recuperande virginis & civis Attica, & quam à parvulo ut sororem dilexerat, excludit Phædriam. Hinc ille primò irascitur: post accepta facti ratione, à Thaide leniter: & invidui spatium sponte concedens militi, rus proficiscitur: statimque ne ab amulo muneribus superaretur, Eunuchum & puellam Parmenoni jubet abiens ad Thaidem deducere. Verum Cherea frater Phædriae tunc ephebus, visa in via virgine inflammatur amore ejus; atque eo evasit vehementi ardore, ut pro Eunucho ipse deduceretur ad Thaidem. Hac occasione vitiata virgo, & mox civis, & nobilis cognita, datur uxor Cherea. Phædria verò & miles rivales, ambo concordēs per parasitum redditi, communi amica sine certamine potiuntur. In primo actu Phædria exclusus à Thaide, & secum primo, & mox cum Parmenone, conqueritur fortunas suas: & ad postremum coram accusat Thaidem. Rursus permulcetur ab eadem, & voluntate digrediens, rus sese concessurum in spatium bidui esse promittit. Secundus actus, profectio nem Phædriae continet, delegantis servo deductionem Eunuchi & puella ad Thaidem. Tum parasitum loquentem, per quem virgo à milite dono amica missa est. Tum interventum Cherea, amantis virginem, ejusdemque cum Parmenone consilium de eadem potianda per fallaciam: quia pro Eunucho ipse supponitur Thaidi. Tertius actus characterem exprimit militis & parasiti per ridiculum colloquium. Tum invitationem ad cenam Thaidis. Tum oblationem velut Eunuchi Cherea & puella ex Ethiopia per Parmenonem factam. Tum verba Chremetis ad Thaidem venientis, perductique ad militem. Antiphonis Chereaque colloquium de vitiata per dolum virgine. In quarto actu Doryas nuntiat iurgium inter militem & Thaidem: tum reditum habet ex villa Phædria, & querelam Pythia de vitiata virgine apud Phædriam: & eundem stupentem quod audiebat. Errorem ebrii Chremetis: & verba petulantia Thaidis adversum militem, & militis adversum Thaidem: parata praelia, ridiculeque deposita. Quintus actus hoc continet, querelam Thai-

dis de vitiata virgine, primò cum Pythia, postea cum ipso Cherea: tum interventum Chremetis atque nutricis: tum perturbationem Parmenonis per dolum Pythia; atque ejus indicio per senem, qui rure tunc advenerat, confirmatas nuptias, & ad ultimum reditum in gratiam militis cum Phædria & Cherea.

IN PROLOGVM.

SI quisquam est, qui placere, &c.] Attendenda poetæ copia, quod in tot prologis de eadem causa iisdem fere sententiis, variis verbis utitur. Bonis quam plurimis.] Commendat personam.

2. Et minime multos ledere.] Αντίθετον αεξου.

3. In his Poëta hic nomen proficitur sum.] Cum dixisset, quisquam, intulit, in his, & alibi, Cujus mos maxime est consimilis vestrum: hi se ad vos applicant.

4. Tum si quis.] Bene, si quis: cum Lavinium significet, ne vel ipsum à se latum esse fateretur, Et Tum, præterea: ut, Tum canit Hesperidum, Inclementius.] Pro inclementer, ut, Iam senior, sed cruda Deo, viridisque senectus.

5. Existimet.] Pro existimavit.

6. Responsum, non dictum esse.] Deest ei, ut in Phormione, Si quis quid reddi, magna habenda est gratia. Non dictum esse.] Superius dictum, participium est: inferius, nomen. A quo etiam dicaces dicuntur, qui jocosis salibus maledicunt, Responsum, non dictum esse.] Figura πλοκῆ, nam dictum modo bis numero positum, supra nomen significat, infra participium, ut in Heautont. In quem quidvis harum rerum convenit, quæ sunt dicta in stultum.

7. Qui bene vertendo.] Bene, pro valde. Et Vertendo, in linguam Latinam transferendo. Plautus. Vertit barbare. Aut vertendo, corrumpendo.

9. Idem Menandri Phasma nunc nuper dedit.] Το αὐτὸ apparet pronuntiatum, quasi hoc ipso admonerit spectatorem, quam turpiter & imperite hæc fabula scripta sit. Et bene, nunc nuper: ut ex vicinitate facti ostendat, nihil esse dicendum, quam displicuerit hæc comœdia L. Lavinii: propterea quod res recens

fit, & omnes meminerint. Phasma autem, nomen est fabulæ Menandri: in qua noverca superducta adolescenti, virginem, quam ex vicino quodam conceperat, furtim eductam, cum haberet in latebris apud vicinum proximum, hoc modo secum habebat assidue nullo conficio. Parietem, qui medius inter domum mariti ac vicini fuerat, ita perforavit, ut in ipso transitu sacrum locum esse simularet. Cumque transitum intenderet fertis ac fronde felici, rem divinam saepe faciens, evocabat ad se virginem. Quod cum animadvertisset adolescens, primum aspectu pulchræ virginis, velut numinis visu percussus exhorruit: unde Phasma est nomen fabulæ. deinde paulatim re cognita, exarsit in amorem puellæ: ita ut remedium tantæ cupiditatis, nisi ex nuptiis, non reperiretur. Ita ex commodo matris ac virginis, & ex voto amatoris, consensuque patris, nuptiarum celebratione finem accipit fabula. Utrum ergo hoc dicat, quod totam fabulam transferendo, læserit L. Lavinium: an hoc tantum, de quo reprehendat, sed his signis velit ostendere, quem dicat vitiole Thesauri m composuisse; ut in Thesaurio sit culpa, non in Phasmate? Nunc nuper dedi.] N: per, ex illis verbis est, quæ veteres propter ambiguitatem cum adjectione proferebant, nam nisi adderet: nunc: hoc nuper, olim, pridem, & jam significasset. Idem Menandri Phasma nunc nuper dedi.] Hanc fabulam totam damnat, ut apparet, silentio: Thesaurum vero, non totum, sed ex uno loco.

20. Atque in Thesaurio scripsit, causam dicere.] Thesaurum Latini veteres secundum Græcos, sine n litera proferebant. Atque in Thesaurio scripsit causam dicere.] Arguit Terentius quod Luscius

contra consuetudinem litigantium, defensionem ante accusationem induxerit. Huiusmodi enim est *Lusci* argumentum. Adolefcens, qui rem familiarem ad nequitiam prodegerat, servum mittit ad patris monumentum, quod tenex sibi vivus magnis opibus apparaverat, ut id aperiret, illaturus epulas, quas pater post annum decimum caverat sibi inferri. Sed eum agrum in quo monumentum erat, senex quidam avarus ab adolefcente emerat. Servus ad aperendum monumentum auxilio usus senis, thesaurum cum epistola ibidem reperit. Senex thesaurum tanquam à se per multum hostilem illic defossum retinet, & sibi vendicat. Adolefcens iudicem capit: apud quem prior senex, qui aurum retinet, causam suam sic agit: Athenienses, bellum cum Rhodiensibus quod fuerit, quid ego hic prædicem? & cætera, quæ contra naturam jurisque consuetudinem posita argumenta notat *Terentius*: quod ille ordo potior erat, ut adolefcens prior proponeret causam, qui petitor inducitur.

11. *Prius, unde petitur aurum.*] *Vnde* à quo. *Virgilius*, *Genus unde Latinum*. Nam possessorem fecit priorem agere, quam petitor: quod adhorret à consuetudine & juris & litium.

12. *Quam ille qui petit.*] *Deest dicat, qui petit.*] Id est, petitor. *Quam ille qui petit.*] Esset recta locutio si diceret, *quam petitor*: aut *quam illum qui petit*. Sed *quam ille*, maluit: ut subaudiamus *causam dicat*, per *ἔδωκα* à superiore figuratum.

14. *Dehinc.*] Si loquatur. *Ne frustratur ipse se.*] *Παρεῖ μεσοβενίας* dicitur: sed post addit. *Aut sic cogitet.*] Si taceat.

15. *Defunctus jam sum.*] *Ἐχθρὰ ἔγνωσας, ἠδὲ πῆλα*, id est, omni labore liberatus sum, autoritate jam confirmata & inviolabili. *Defunctus jam sum.*] Id est, jam egi fabulas meas: aut jam destitit periclitari in edendis comædiis: aut certe, jam edidi quam tu reprehendis fabulam. *Defunctus jam sum: nihil est quod dicat mihi.* Non sit, inquit, de suis vitiis securus propter vetustatem, nihilominus enim à me reprehendetur.

16. *Is ne erret, moneo.*] *Ἐχθρὰ, ὄνειδι.*

17. *Qua nunc condonabitur.*] Sic in *Phormione*, *Argentum quod habes, condonamus te.* Nam & dono, ablativo casui iungebant veteres, *condono* vero accusativo.

19. *Nunc quam acturi sumus.*] Obliqua narratio facti est, secundum casum accusativum.

20. *Postquam adiles emerunt.*] *Mire*, cum ordo melior videretur, si sic diceret: *Postquam adiles emerunt, quam nunc acturi sumus, perfecit sibi ut inspicundi esset copia.* *Emerunt* autem, mediam corripit, ut, *Matri longa ducem tulerunt fastidia menses.*

21. *Perfecit.*] *Mire*, quasi difficile & illicitum.

23. *Exclamat, furem, non Poëtam.*] *Mire* reprehendit ante vitium, quam de causa maledicti dicat. *Exclamat, furem, non Poëtam.*] Auhuc nulla reprehensio est: si quidem licet transferre de Græco in Latinum.

24. *Et nihil dedisse verborum tamen.*] Aut, neminem fefellisse: aut, nihil apposuisse de suo. *Et nihil dedisse verborum tamen.*] Aut neminem fefellisse: dare enim *verba*, decipere est. *Quia* qui rem expectat, & nihil præter verba invenit, deceptus est, unde alibi, *Verba istæ sunt, & è contrario, Rem cum videas, cenſas.* Aut aliter: si nihil addidisse de stylo suo *Terentium*.

26. *Parasiti personam inde ablatam.*] Et hoc *mire*: non versus objicit, sed personam esse translata. quid stultius, aut calumniosius dici potest?

27. *Peccatum imprudentia est.*] Id est, ignorantia: ut imprudens harum rerum, non enim stultitia. *Si id est peccatum, peccatum imprudentia est Poëta.*] Primo negat peccatum, deinde concedit & purgat. *Imprudentia.*] Ignorantia, non imperitia. *Si id est peccatum.*] *Πρόκω.* Nam peccatum superius, nomen est: & sequens, participium. Et primo negat, peccatum. deinde si peccatum est, purgat id ipsum veniali qualitate ab imprudentiæ partibus.

32. *In Eunuchum suam.*] Ad fabulam

non ad hominem retulit. ut *Virgilius*, *Centauro invehitur magna.*

37. *Bonas matronas.*] Ut *Nausistratam*, *Meretrices malas.*] Ut *Thaidem* atque *Bacchidem*. Sic est in *Heautont*, *Scortari crebro nolunt, nolunt crebro convivare.* Et artificiose ostendit omnem materiam comicorum.

38. *Parasitum.*] Ut *Gnatonem*. *Gloriosum militem.*] Ut *Thraſonem*. *Gloriosum militem.*] *Facere* subauditur.

39. *Falli per servum senem.*] Ut *Demeam* & *Simonem*.

40. *Amare, odisse, suspicari?*] *Mire* à personis ad gesta cum varietate transitum fecit. Omne enim quod in orationem venit, vel persona, vel factum est. *Odisse.*] *Quia odere*, non est Latinum.

41. *Nullum est jam dictum, quod non dictum sit.*] *Ἐχθρὰ λόγου, πλοῦ.* Nam *dictum*, bis positum: ut superius peccatum diversa significat.

42. *Vos cognoscere, atque ignoscere.*] *Ἐχθρὰ λόγου, παρῳμωσόν.*

43. *Qua veteres factitarunt, si faciunt novi.*] Et varie dixit, *factitarunt* & *faciunt*, & cum magna defensione *Terentii*, semel facientis id quod sæpe veteres.

44. *Animadvertite.*] *Nos ἐν ἀπικῶς* dicimus *advertite*, quod veteres plene, *animum advertite*.

44. *Quid sibi Eunuchus velit.*] *Ἀρχειμῶς, velit sibi.* ut alibi, *Nam prob Deum atque hominum fidem, quid vis tibi, aut quid quaris?*

IN SCENAM PRIMAM

ACTVS PRIMI.

Quid igitur faciam?] In hac *ὑπόθεσι* exemplum proponitur, quam non sua potestatis sit, qui amat: quam sapiat, qui non amat, neque aliter affectus est.

1. *Quid igitur faciam?*] *Διαλογισμὸς, ὅτι ἡ ἔγνωσας.* Apparet & multa tacitum cogitasse adolescentem, & tandem in hæc verba prorupisse. *Igitur*, pro deinde. Ut *Plautus* in *Amphitryone*:

Sin aliter sent animati, neque dent quæ petat,

Sese igitur summa vi, virisque, eorum oppidum expugnascere.

Quid igitur faciam?] *Menander*, *εἴ τι τί πῶνισσῃ*; Sic *Virgilius*, *Heu quidagam?*

Et est *ἔξαλογισμὸς* perditæ mentis, post multam frustra cogitationem. *Non eam, ne nunc quidem.*] Hoc videtur non esse contrarium: sed est. Nam dubitat utrum meretricis satisfactionem expectet: an illam omnino non querat. *Non eam, ne nunc quidem.*] *Non eam*, *probus* distinguit. *Jungunt* qui secundum *Menandri* exemplum legunt.

2. *Comparem.*] *Constitutam*, ut, *Quam inique comparatum est.*

3. *Non perpeti meretricum contumelias?*] Sic in *Andria*, *Priusquam harum scelera & lacruma consistat adolis.* Cum uni sit iratus, de omnibus queritur.

4. *Excluit: revocat.*] Utrumque injuriam fecit ex verbo, dicendo, *Excl sit potius, quam, non admisti.* &, *revocat* potius, quam, *petit ut redeam*, quod erat moderatius. *Redeam? non si me obsecret.*] Vides ergo superiorem partem dubitationis in eo fuisse, ut rogatus rediret: inferiorem, ut ne rogatus quidem. *Non, si me obsecret.*] Bene de ea, quæ totum proterve agens, *excluit* & *revocat*: non petat, nec roget, nec oret, sed obsecret, inquit: quod horum omnium in majorem partem est ultimum.

5. *Si quidem hercle passis.*] *Διαλογισμὸς* quasi ad alterum: ut,

— nescis heu perditæ, necdum Laomedontea sentis perjuriam gentis, Nihil prius, neque fortius.] *Deest, est*, ut, *Multum ille & terris jactatus & alto.* Et prius modò ad laudem, non ad ordinem pertinet, ut *Sallustius*, *quæ prima mortales ducunt.* Et ipse in *Heautont*, *Et sua via quæ essent, prima habere.*

6. *Navitur.*] A navi ductum, à qua in alto nullum diverforium est.

8. *Infecta pace.*] *Ἐμφρασις* per *μεταφορᾶν*.

9. *Indicans te amare.*] Non verbis indicans, ut alibi, *Ibi tum exanimatus Pamphilus bene distimulatum amorem, & calatum indicat. Actum est! ilice! peristi!*] De jure translatum. *Actum est*, ad *Vitio* ad eam venies, relatum est: *licet*, ad *In-*

dicans te amare: Peristi, ad Ferre non posse. Ilicet.] Semper in fine transactæ rei ponitur, *Peristi.*] Ἰπερολον. *Ilicet.*] De iudicio, *Peristi.*] De supplicio.

10. *Eludet.*] *Eludere* proprie gladiatorum est, cum vicerint. *Cicero, Quam diu etiam furor iste tuus eludet? Eludere, est finem ludo imponere.*

11. *Proin tu.*] Ut *exin* & *exinda*, sic *proin* & *proinde* dicitur.

12. *Here, qua res, &c.*] Concessum est in Palliata poetis comicis, servos dominis sapientiores fingere: quod idem in Togata non ferre licet. *Eam consilio regeri non potes.*] Nunc domino servus est sapientior: quia nec amator, nec amans. Ut idem in *Andria*,

Facile omnes cum valemus, recta consilia agrotis damus.

14. *In amore hac omnia insunt vitia.*] Duæ præpositiones, *in amore insunt.*

15. *Inducia.*] *Inducia*, sunt pax in paucos dies, vel quod in diem dentur, vel quod in dies otium præbeant.

16. *Pax rursum*] Bene, ut consolaretur, ultimam partem posuit. *Hæc si tu postules.*] Id est, si velis, vel coneris.

17. *Nihiloplus agas.*] Id est, nihil agas.

19. *Et quod nunc.*] Pro, *quæ*: ut sit consequens, *hæc verba*, sic in *Andria*, *Quæ plerique omnes faciunt adolescentuli.*

Horum ille nihil egregie.—

20. *Egone illam? qua illum? qua me?*] Familiaris ἑλλας irascentibus, nam singula sic complentur, *egone illam non ulciscar? quæ illum recepit? quæ exclusit me? quæ non admisit?* Etenim necesse habet, nec potest complere orationem, qui & secum loquitur, & dolore vexatur. Nam amat ἀποπομπῆν nimia indignatio, ut *Virgilius*,

Quos ego, sed motos præstat componere fluctus.

22. *Hæc verba.*] *Verba ἐμφοτικὰς* dixit, quæ scilicet nihil effectura sint. *Me hercle una falsa lacrymula, quam oculos terendo misere, vix vi expresserit.*] Expressio ad αὐξήσιν ducens, & non vera, sed falsa: & non *lacryma*, sed *vi*: & non, *ex illa venit*, sed expresserit, sic *Virgilius*.

Captique dolus lacrymisque coactis.

23. *Quam oculos terendo misere, vix vi expresserit.*] Totum senium verbis significantibus protulit: ut, *stridentem miserrimum stipula disperdere carmen.*

Et:

Vna dolo divum si femina vitæ dorum est.

25. *Nunc ego & illam.*] *Nunc*, id est, fero, ut *Virgil.* *Nunc scio quid sit amor.* Et, *Nunc augur Apollo nunc Lycia sortes.*

27. *Et prudens, sciens.*] *Prudens* est, qui intelligentia sua aliquid sentit, *Sciens*, qui alicujus indicio rem cognoscit. Ergo *prudens*, per sese: *sciens*, per alios. *Vivus, vidensque pereo.*] *Mire & nove, vivus pereo*: & propterea sic dixit, ut intelligamus, occidit: & *vivus*, quasi sapiens & sentiens. *Vivus vidensque pereo.*] Bene addidit *videns*, nam *vivus* perit, qui etiam dormiens opprimatur: *videns* autem, qui vigilans vim patitur & perit. Nam *videre*, pro vigilare posuit, ut etiam *Virgilius*, quum de silentio dicit,

— *jamque videnti sanguineis frontem moris & tempora pingit.*

Ergo *vivus*, non mortuus: *videns*, non dormiens.

29. *Captum.*] *Sallustius*, *Sin captus pravus cupidinibus. Quam queas minimo.*] Perseveravit in translatione, quam jamdudum sumpsit à bello.

31. *Si sapias.*] Id est, si sapias, ad inferiora jungendum est: nam aliter non intelligitur. *Nostri fundi calamitas.*] *Proprie calamitatem* rustici grandinem dicunt, quod comminuat calamum, hoc est, culmum ac legetem.

35. *Intercepit.*] *Proprie*, quasi totum capit. *Plantus* in *Aulularia*,

Quæ mihi interbibere sola, si vino sca-teat.

Corinthiensem fontem & Pyrenaum potest.

IN SCENAM SECUNDAM

ACTVS PRIMI.

1. *Miseram me, &c. neve aliorum.*] *Aliorsum*, in aliam partem:

partem: ut *seorsum, retrorsum*, dicitur. 3. *Quod heri intramisus non est.*] *Hæc levius*, ut de facto suo loquens. At *Phædria*, *Exclusit, revocat*, inquit, *redeam? non, si me obsecret.*

4. *Tremo horreoque.*] Ex amore nimio. *Nimius ignis effectum frigoris reddit: & ex frigore nimio effectus ignis existit: secundum illud quod physici ajunt, hinc & Virgilius.*

Aut Boreæ penetrabile frigus adurat. *Tremo horreoque, postquam aspexi hanc.*] *Natura magni caloris etiam horrorem incutit*, ut nimia febris.

5. *Accede ad ignem hunc.*] Potius ignem meretricem accipimus, quam aram Apollinis: vel quia amator uritur. Ut *Virgilius*,

At mihi sese offert ultro meus ignis Amyntas.

Vel quia avida & avara est, ut ignis alimentorum. *Iam calesces plus satis.*] *Nove*, sed intelligitur *quæ*, id est, plus æquo, ut alibi,

Quam ne quid in illum iratus plus satis faxit pater.

Hoc quidam putant, at mihi de his videtur esse, quæ à veteribus geminabantur: ut, *plerique omnes*, hoc est, omnes: &, *pleraque omnia*, id est, omnia, sic &, *plus satis*, pro satis.

6. *Quis hic loquitur?*] Non imperite intelligunt, qui existimant meretricem etiam hoc simulare, quod non providetur Phædriam. Nam & personæ, & dictis ejus cæteris hoc convenit, & tunc erunt gratiora omnia, quæ supra dixit.

7. *Cur non recta introibas?*] Quasi parum fuerit *introibas*: satis mire additum *recta*.

8. *De exclusione verbum nullum.*] Plus admirationis est, nec accusationi, nec satisfactioni locum reliquisse meretricem, callide dissimulata injuria. *Quid taces?*] Et hoc callide: quasi innocens ne suspicetur quidem, quid succenseat adolescentens.

9. *Sane, quia vero semper, &c.*] *Tolle, sane & vero*, & pronuntiandi adjumenta vultumque dicentis: & in verbis non negatio, sed confessio esse credatur. Nam vero, ironiæ convenit, ut *Virgilius* *Egregram vero laudem & spolia ampla refertis.*

10. *Aut quia sum apud te primus.*] Duo dixit quæ doleat: & quia clausæ fores, & quia posterior habetur, prælato milite. *Aut quia sum apud te primus.*] Subauditur, *Non recta introivi. Missa istac face.*] Alia dissimulatio, & durior post admonitionem, sed bene intelligit, qui hoc à meretrice ridente molli-ter, & osculum porrigente dici accipit.

11. *Quid missa?*] Magna virtus poetæ est, non sententias solum de consuetudine ac de medio tollere, & ponere in comœdia: verumetiam verba quædam ex communi sermone, quale est quod ait nunc, *Quid! missa? Utinam esset mihi pars aquæ amoris tecum.*] Vel amandi, vel non amandi scilicet.

12. *Ac pariter fieret.*] *Pariter*, similiter. *Sallustius*, *Cui nisi pariter obviam iretur.*

13. *Ut aut hoc tibi doleat, itidem ut mihi dolet.*] Si ambo amaremus.

15. *Ne crucia te; obsecro! anime mi.*] *Mi* vocativus est, ab eo quod est *meus*. Vide quam familiariter hoc idem repetit blandimentum. Vult enim *Terentius* velut peculiare verbum hoc esse *Thaidis*, ideo totiens dictum est, *Tunc hic eras, mi Phædria? Ne crucia te, obsecro, anime mi, mi Phædria. Ne crucia te.*] *Hæc nisi amplectens adolescentem mulier dixerit, videbitur ne crucia*, sine affectu dicere. Sed sic dicet, *ne crucia te*, eo gestu quasi in eo etiam ipsa crucietur: nam ideo subjicit, *anime mi*, hoc est animus meus.

16. *Non pot quo quemquam plus amem.*] Hoc totum nimis blande, & cum contrectatione adolescentis, dicit meretrix.

17. *Faciendum fuit.*] Legendum, faciendum, scribendum, totum hoc semper necessitati adjungitur. *Virgilius*,

Aut pacem Trojano ab rege petendum.

Et alibi,

Arma acri facienda viro.

18. *Crudo, ut sit, misera præ amore exclusit hunc foras.*] *Oratorie ac facete additum, misera.* Et cum illa à derivatione causæ argumentetur, mire à *Parmenone* correpta est, verisimile non esse, ut quis, quem amet, eundem possit excludere. *Exclusit hunc foras.*] *Παρά τῆς δονίας* intulit, intuens puellam, & ei

ostendens Phædriam : ut ostendat quam falsa & repugnantia loquatur meretrix. *Age.*] Corripientis est modo *age*, non hortantis adverbium.

20. *Te accersisti.*] Hoc est, quod supra ait, *Non eam, ne nunc quidem, cum accerseris uliro? Dic mihi.*] Meretricia caliditate commendat, quæ dictura est.

21. *Egone? optime.*] Bene, non expectavit servus, ut pro se dominus responderet Thaidi.

22. *Verum heus tu.*] Astute servus reponit Thaidi vicem. Nam illa ut magnum voluit expectari, quod dictura est, iste ut falsum contemnit. *Meam astringo fidem.*] Fidem promitto : quia vincula fidei dicuntur.

23. *Qua vera audivi, taceo.*] Mire vicem Parmeno reddidit meretrici. Nam ut servum difficile est tacere commissa : ita meretricem rarum est vera dicere. *Qua vera audivi.*] Figura *παρασκευή*. *Contineo optime.*] Proprie à metaphora vasorum transtulit verba.

24. *Sin falsum, aut vanum, aut fictum est, continuo palam est.*] Falsum est, quo regitur quod factum est. *Vanum*, quod fieri non potest. *Fictum*, quod non est factum, & fieri potuit. Vel *falsum*, est fictum mendacium simile veritati. *Vanum*, nec possibile nec verisimile. *Fictum* torum sine vero, sed verisimile. Falsum loqui, mendacis est : Fictum, callidi : Vanum, stulti. Falsum loqui, culpæ est, Fictum, virtutis. Vanum, vecordiæ. Falsis decipimur : Fictis delectamur. *Vana* contempnimus.

25. *Plenus rimarum sum.*] Vilis atque abjecta translatio, & apta apud meretricem loquenti : translata autem est ab aquario vase fictili. *Hac atque illac perfluo.*] Contra, *Contineo optime.*

26. *Proin tu, taceri si vis, vera dicito.*] Utrum te taceri, aut tuum dictum? an impersonaliter, & infinito modo?

27. *Samia mihi mater fuit.*] Puduit dicere Thaidem, *Meretrix mihi mater fuit.* quod tamen significavit, dicendo aliunde civem alibi habitasse. Nam ideo meretrices, peregrinae dictæ sunt in comœdiis, ut in Andria,

Adeone est demens ex peregrina.

28. *Potest taceri hoc.*] Id est, verisimile

est. *Nec hoc* ad laudem proficit, sed ad dedecus meretricis. *Po. est taceri hoc.*] *Hoc*, peregrinam nasci meretricem, Et ideo potest verum videri.

29. *Puellam dono quidam.*] Etas & sexus amoris causa sunt, cur eam Thais puellam diligit. *Puellam dono quidam mercator dedit.*] Propter hoc ostendit meretricem fuisse matrem : & dono idco accipere puellam potuisse.

30. *Ex Attica hinc abreptam.*] Quia Athenis est constituta scena. *Arbitror.*] Bene *arbitror*, & nihil certi, quando enim ausurus esset Parmeno adornare Chæream ad vitiandum hanc virginem, si præscisset civem esse?

31. *Marris nomen & patris dicebat ipsa.*] Quæ infantis memoriæ proxima sunt. Nam quid prius etas illa, quam patrem matremque cognoscit?

32. *Et signa cætera neque sciebat.*] Id est, domum patris, regionemque ejus.

33. *Neque per atatem etiam potuerat.*] Hoc ideo addidit, ne esset minus elegans, quæ nesciret.

34. *Hoc addebat.*] Ad matris scilicet nomen & patris, quod puella dicebat.

35. *Vnde.*] Id est, à quibus, ut *Virg.*] --- *Genus unde Latinum.*

Et, *Causam dicere prius, unde petit aurum.*

E Sunio.] *Sunium*, promontorium est Atheniense : & in eo forum rerum venalium, *ἑμπορίον*.

36. *Mater ubi accepit.*] Hæc figura in narrationibus βάρσις dicitur, cum omnia pederentim dicuntur insinuandi gratia, ut nunc, *Matri mercator dono dedit. Mater ubi accepit.*] Et simul convenit mulieri loquenti hujuscemodi mora. *Mater ubi accepit.*] *Accipit*, simpliciter, aut audivit ingenuam : ut, *Capiendi & c. a. t.* Sed melius prius. *Cæpit studiose omnia docere.*] Mire : nam non docuit, sed *cæpit docere.* τῷ μελλισμῷ. Et vide quam satis muliebriter.

37. *Ita ut sisset filia.*] Ergo velut soror habenda est Thaidi : & ideo sequitur, *Sororem plerique esse credebant meam.* Et oratorie cumulat dignitatem & amorem puellæ : ut ejus comparatio

ne leniatur injuria facta Phædriæ.

39. *Ego cum illo, quo cum uno tunc rem habebam hospite.*] Totum dixit, & quod hospitem, & quod rem habebat. Et bene *tunc*, & non *nunc*. Nam nunc, cum duobus. *Quo cum uno tunc rem habebam.*] Id est, consuetudinem, amorem. *Hospite.*] Id est, Attico. *Abi huc.*] Rhodo Athenas scilicet. *Qui mihi reliquit hæc, que habeo, omnia.*] Hoc ideo, ne tantundem obsequii exigat Phædria. Ideo contra Parmeno.

41. *Virumque hoc falsum est : effluet.*] Ipse exponit *hoc virumque* quid dicat, & contradicendum est, quia præsens amator gravatur hoc dicto.

42. *Neque tu uno eras contenta.*] Quippe qui admiseris militem. *Neque solus dedit.*] Quippe quia non omnia tua illius fuere mortui.

43. *Nam hic quoque.*] Διπλωδός, non Phædria, sed *hic* dixit, tangens illum, & quasi invito illo hoc exprobrat. *Bonam magnamque partem ad te attulit.*]

Hæc dicuntur *ἰσοδωραμῶντα* : ut *Abi te petere & poscere.* An potius bonam specie, magnam quantitate : & nunc discrete dictum est : nam alias bonam, pro magna & multa accipimus.

44. *Ita est.*] Non erat negandum, quod dixit Parmeno meretrici latifacere cupienti, & non tacenti culpam in conscientia esse.

46. *Te inireæ loci cognovi.*] Oratorie priorem amatorem facit militem, quam Phædriam. Nam posterius dicit hunc cognitum per absentiam militis. Ergo cum militi Phædria rivalis superductus sit, consequens est ut miles queri debuerit, non Phædria : & propterea nihil peccatum, si ordine servato miles antepositus fuerit amatori postmodum cognito. & hoc sine puella, & munerum causa, multum pro milite contra Phædriam valet. Sed vide meretricem, quia rem dixit perurentem, quor & qualia blandimenta subjicit, dicendo, *Tu scis post illa, quam inimicum habeam te.* &c.

47. *Cognovi.*] Proprie *cognovi*. *Tu scis post illa, &c.*] *Ἐπιπλοχή* figura : nam hoc ad narrationem non pertinet.

48. *Et mea consilia ut tibi credam*

omnia.] Ex præsentia actu sump sit argumentum, quod cum nunc tanquam consultorem adhibuerit. Et bene *Credam* secundum illud, *Proin est hic tacere?*

49. *Ne hoc quidem.*] Id est, hoc quoque falsum est. *Dubiumne id est?*] Me non taciturnum scilicet.

50. *Hoc agite.*] Pro adverbio corripientis est positum : aut certe pro adhortatione audientia præbendæ. Sic *Plautus, Hoc agite subis spectatores.* Et convenit velut nutu audientiam significantis, & gestu hoc ipsum adjuvari. *Hoc agite*, id est, illud definite, & hoc attendite.

51. *Nuper.*] Ut adhuc amore flagrare videatur, addidit *nuper*. *Aliquantum ad rem est avidior.*] Vultu accommodato ad reprehensionem pronuntiandum est. *Ad rem avidior.*] Proprie *avidior*. Et rem pecuniam modo dicit.

52. *Is ubi hanc formam.*] Ex aliena persona vult ostendere præter affectum, quanti sibi æstimandæ sit : & quanto munere miles Phædriæ meruerat anteponi.

53. *Et fidibus scire.*] *Verusta* ἐλάφιδος. *Pretium sperans.*] Deest *magnum*, ut, & *stabulo frenos audire sonantes.*

54. *Producit : vendit.*] Proprie. Nam *produci* res venales dicuntur. *Producit : vendit.*] Hæc celeritas vendibilem indicat mercem. *Forte fortuna.*] Id est, bona fortuna.

55. *Hic meus amicus.*] Quia locus est meritorum, non jam miles, sed meus amicus. Vide enim quid sequatur. *Emit*, inquit, *eam dono mihi, imprudens harum rerum.* Hic ostenditur quam avidus id faceret, si rem penitus nosset. Simul etiam ostenditur quanta secreta dicat Phædriæ : ut pote quæ rivalis nesciat.

56. *Imprudens harum rerum, ignarusque omnium.*] *Prudentia*, naturalis est : *gnaritas*, extrinsecus venit. *Imprudens*, per se : *Ignarus*, per alios. Hoc est, qui nec suspicatus sit, neque ex aliquo audierit.

57. *Postquam sensit me tecum quoque rem habere.*] Non dictum, sed quasi cœlatum. *Sensit me tunc quoque rem habere.*] Magno pondere dixit, *tecum quoque* : tanquam irascendi iusta magis sit causa militi, quam Phædriæ. Nam *sensit*, & *tecum*, & *quoque* ; hoc significat. *Rem*

habere.] Sic dixit, ut honeste res impura dicatur.

58. *Ne det, sedulo.*] *Sedulo*, sine dolo, hoc est, impense.

59. *Ait.*] Semper *ait* dicimus, quum vel invisā nobis & audientibus, vel vana dicta narramus alicujus. *Si fidem habeat.*] Hoc est si faciam aliqua, unde credat se tibi præponi. *Si fidem habeat.*] Si credere cogatur, id est, si credat: unde *fidejussor* dicitur, hoc est, author credendi. *Se iri præpositum tibi apud me.*] Ἀναστροφή in verbo, *præpositum iri*, ac necessaria implicatio in his, quæ dura dictu sunt.

62. *Sed ego quantum suspicor.*] Alta & acuta inventio. Scit meretrix hoc solo amatores inimicos esse, quod idem diligunt. Magnifice igitur, ut rivalis odium deliniret, vult persuadere Phædræ non se amari, sed virginem. *Ad virginem animum adjecit.*] Cur hoc inferat? ut vel lædendi militis causa, Phædræ patiatur, eum, quam amet, & nolit, virginem dono dare.

63. *Etiāne amplius?*] Mundat Terentius, ut solet, res hujusmodi per ἑλλείψιν suam.

64. *Nihil: nam quæsvi nunc ego eam mi Phædræ.*] Optime purgavit Terentius, quod mox liberalibus nuptiis fuerat obfuturum, si vitiatam virginem duceret Chærea. Necessario ergo defenditur, tanquam quæ honeste nuptura est.

65. *Multa sunt causæ.*] Non indiligenter consideraverunt hanc meretricis orationem, qui illam instar controversiæ retulerunt. Nam & principium est, *Me miseram, vereor ne illud gravius Phædræ tulerit.* Et narratio, *Samia mihi mater fuit* Et partitio cum confirmatione, ut, *Nunc ego eam, mi Phædræ, multa sunt causæ quamobrem cupio abducere: primum quod soror est dicta*, & cætera. Reprehensio quoque, *Egone id timeo?* & *Egone non ex animo misera dico?* Et conclusio per conquestionem: ut, *Quam joco rem voluisti à me tandem, quin perfeceris? Ego impetrare nequeo hoc abs te, biduum saltem ut concedas solum.* *Quamobrem cupio abducere.*] Etiam hoc verbo gratificatur Phædræ: non enim *accipere*, ut ab amico remunerante: sed *abducere*, ut ab stulto, & experte,

76. *Ut suis restituam, ac reddam.*] *Restituimus* iis, quibus nos volumus: *Reddimur* iis, qui nos volunt. Ergo restituimus volentem, reddimus volentibus. Sed in hac utrumque est. *Sola sum: habeo hic neminem.*] *Sola sum*, ad familiarium refertur absentiam. *Habeo hic neminem*, ad alienorum amicitiam. Potest enim sola domi esse, habere tamen aliquem foris. Et, *Habeo hic neminem*, plus sonat: quam, *Neminem hic habeo*. Et, *Sola sum*, ab iis quos natura conciliat per se. *Habeo neminem*, eorum qui voluntate junguntur.

63. *Neque amicium.*] Bene hoc apud amatorem: quia est aliud *amator*, aliud *amicus*. *Amator*, qui ad tempus: *Amicus*, qui perpetuo amat. An quia in patris potestate est Phædræ? *Quamobrem, Phædræ.*] In necessariis interponi nomen licet audientis.

69. *Cupio aliquos parare amicos beneficio meo.*] Hic ostendit specialiter, cuiusmodi amicos quærat, ne Phædræ contemnere videatur. *Parare amicos beneficio meo*] Quia parantur, & suo, sed minus diligunt.

70. *Id, amabo! adjuta me, quo id fiat facilius.*] Παράκλησον. bis id posuit, *Adjuta me.*] Mira coactio, pro patere excludi, *adjuta me*, dixit.

71. *Sine illum.*] Blande *sine illum*, tanquam in manu ejus sit injuriam non patitur, & excludi militem. Non enim dixit *fer*, aut *patere*, sed *sine*. *Priores partes honeste aliquot dies.*] Honestè circum loquitur, & oratorie, nedicat, Abi foras, atque excludi te patere.

72. *Nihil respondes?*] Jam silentium accusat, quia scit nihil responsurum contrarium. Et satis blande, *Nihil respondes* dixit: tanquam qui debeas amoris vicem.

73. *Ego quidquam.*] Facete exprimitur illud, *Amantium ira amoris integratio est.*

74. *Tandem perdoluit.*] Nimis doluit, id est, perferens dolorem. Et *tandem*, quasi qui nimis patiens fuit. *Tandem perdoluit: vir es.*] Eleganter variavit personam secundam, & tertiam. *Vir es.*] Non puer, sed jam vir, qui meretricem contemnis.

75. *Parvula hinc est abrepta: eduxit mater pro sua.*] Vide μίμωσαν cum odio inductam, & depravatam pronuntiatione: ita ut & ὁμοιότιστα non vitarentur de indultia, *Parvula hinc est abrepta*, *eduxit mater pro sua*, *soror est dicta.*

78. *Hæc nunc verba.*] Id est, falsa dicta. *Hæc redeunt.*] Ut excludar.

80. *Nisi illum plus amas, quam me.*] Repudiat causis, quas illa attulerat, per derivationem causæ: hic aliud dicit esse cur repellatur. *Et istam nunc times quæ advecta est.*] Adeo, inquit, amas militem, ut etiam invidias si quam amaverit.

81. *Talem præripiat tibi.*] Εἰς ὀνεία stomachantis amatoris.

82. *Quid te ergo aliud sollicitat?*] *Quid est*, inquit, si hoc non est?

83. *Num solus ille dona dat?*] Jam quasi quæstiones tractantur: sed ille munus advenit. *Nunc ubi meam benignitatem.*] Possunt enim dona dari, sed exigua, aut minus liberaliter: & ideo mentionem benignitatis adjecit. *Nunc ubi meam benignitatem.*] Sed ille benignus est. *Nunc ubi*, numquid alicubi. Aut si, *nunc ubi*, legimus, erit adverbium temporis: ut sit ubi, quo in loco, qua in re. *Nunc ubi meam benignitatem.*] Intelligit se & dona obtulisse, & id benigne sæpe fecisse. nam plerumque ingrata dona sunt, in quibus benignitas non apparet: quæ aut in quantitate rerum est, aut in facilitate præstantis.

84. *Claudier?*] *Claudi*, aut claudicare. *Salustius*, *Neque enim ignorantia claudieres*, & *Nihil socordia claudiebat.*

85. *Nonne ubi mihi dixisti cupere te.*] Plus dixit, *ubi dixisti cupere te*: quam si diceret, fecisti ut emerem. Plus est enim id præstitisse, quod qui acceperit, non ausus fuerit postulare. *Cupere te.*] Vult rem parvi pretii, ex illius cupiditate & suo labore perpendi. *Ex Æthiopia.*] Non Æthiopiā: sed honestius *ex Æthiopia.*

86. *Relictis rebus omnibus, quæsvi?*] Hæc jam omnia in beneficiis considerata solent.

87. *Quæsvi?*] Vide quemadmodum

exhibeat, atque ærumnas sibi difficultium munerum dicat imposuisse meretricem. *Ex Æthiopia ancillulam, inquit, dixi te cupere.* Quid ego feci in re cœli, & solis, ac pene orbis alterius? quæsvi non enim in promptu erat. Deinde, non petisti, sed dixisti: nec velle te, sed cupere: non nigram, sed ex Æthiopia: nec dedi, sed relictis rebus omnibus quæsvi. Quid hic non exquisitum? quid non ita expressum, ut nihil addi possit? *Eunuchum porro velle.*] Eunuchos à Persis institutos putant ex captivis. A Babylo-niis enim Hellenicis author est id habuisse. *Eunuchum porro dixi velle te.*] Vide quemadmodum ut majus faciat quod præstitit, non semel imputat duo mancipia: sed primo puellam, deinde Eunuchum. *Eunuchum.*] Εὐνοχὸς εἰρηναῖος ὡς εὐνοῦ ἔχων, τὸ τ' ἔστ, φιλάνθρωπος. *OCOCeIN ryNeN KeCANΔPOC.* Porro.] Deinde, vel postea, vel multo post.

88. *Quia sola utuntur his regina.*] Illam, quia hæc Æthiopia. hunc, quia sola his reginæ utuntur. *Quid tale Thaidi rivalis dedit?* *Quia sola utuntur his regina.*] Varie Eunuchum dixit, & intulit *His*, ut,

Si quisquam est, qui placere se studeat bonis

Quam plurimis, & minime multos ladere:

In his poeta hic nomen profiteretur suum. *Regina.*] Id est, divites. sed εὐνοχὸς est *Quia sola utuntur his regina.*] Nota, quum Eunuchum in singulari numero præposuerit, *his* subjunxisse, sed *his* non ad Eunuchum retulit, sed ad delicias, aut quid tale: quia sola utuntur hujusmodi deliciis servitiisque reginæ. Et oratorie hic subdidit, quod in ancillula prætermisit, quia nulla Æthiopiā honesta dici potuit. *Et reginas modo divites dicit, ut in Phormione, Regem me esse oportuit. Repperi.*] Plus est quam *emi*. Et vide quam propriis & amplissimis verbis usus est, quia & ancillam ex Æthiopia, & Eunuchum: quo sola utuntur reginæ, illam quæsvi, & hunc repperi: neutrum enim horum facile positum erat.

89. *Hæri minas viginti pro ambobus dedi.*] Recentiora beneficia graviora ad verum ingratos sunt. Ergo à tempore inducitur exprobratio. *Pro ambobus dedi.*] Melius amborum pretium dixit, quam ut separatim diceret, quanto emerit ancillulam nigram : de qua mox dicitur, *Hic sunt tres mina.* Nam constat Eunuchum solum emptum esse minis viginti, ut ipse Parmeno confitebitur leni.

90. *Tamen contemptus abs te.*] Et hoc servatur in beneficiis. Nam majora sunt cessantibus meritis eorum, quibus præstantur.

91. *Ob hæc facta abs te spernor.*] Sic Virgilius,

— nos munera templis

Quippe tuis serimus, famamque fovemus inanem.

Et *Vel quas tulit*, cum interrogatione aut cum increpatione proferri potest. *Ob hæc facta abs te spernor.*] Hic duplex est pronuntiatio : vel per invidiosam prolationem, vel per interrogativam. Et melius hoc modo, quam interrogative profertur : hic enim est multo gravior illo. *Quid istuc?*] Hoc adverbium consentire incipientis est, & est ἔλαττις : deest enim *remoramur*, aut quid tale.

92. *Cupio abducere.*] *Abducere* dixit, tanquam ab stulto : nec per verum meritum, sed per fraudem. Cicero. *Per vim atque dolum abducta ab Rhodio ibicine.* *Atque hæc re arbitror.*] Non dicit qua, hoc est, ex te. Veruntamen scit meretrix, contentione quædam negari. Ergo fingit se vinci, ut adolescentem molliat : & ipsa cedit, ut & ille remittat pertinaciam.

94. *Potius quam te inimicum habeam, faciam ut jusseris.*] Hoc totum loquitur, tanquam magis ipsa amet Phædriam, quam ab illo ametur. *Te inimicum habeam.*] Huic contrarium est, *Virte amicum habeam.* *Faciam ut jusseris.*] Nec voluntate, nec vultu consentientis hoc meretrix agit : sed callide tentat omnia. Nam quia persistendo non perficit quod expectabat, docet Phædriam etiam ipsum negligentius negare quod poscitur, & adeo hoc subtile est, ut statim impe-

traverit. Pervulgatum est enim, Quod summa vi defenderis, quum extorqueretur, hoc idem postmodum remittit remittenti.

95. *Vinam istuc verbum.*] Et istuc verbum, pro tota sententia. *Verbum* pro dicto. Sed proprie ἄξιωμα, id est, sententia vel enuntiatio, quæ uno ligatur & attingitur verbo, *verbum* à veteribus dicebatur. *Ex animo, ac vere dices.*] Certe, quia est qui ex animo dicat, fallat tamen.

96. *Potius quam te inimicum habeam.*] Tantum in animum Phædriæ hoc descendit, ut etiam repetat quod amica dixerat adulando.

97. *Sincere dici, quidvis possem perperit.*] *Sincerum*, purum, sine fuce, & simplex : ut mel sine cera. Bene ergo, ut mel, blandimentum meretricis dulcere fateretur, sed negat esse sincerum.

98. *Labascit.*] Omnia inchoativa trisyllaba, fere media producta enuntiantur. *Victus uno verbo quam cito?*] *Quam cito* ait, qui illum falsa lacrymula vinci crediderat posse. Plus factum est : uno victus est verbo, & cito. *Victus uno verbo.*] *Vinam istuc verbum.* Et uno verbo, ut diximus, sic accipitur : ut verbum dictum intelligas, quod verbo complectitur, & completæ sententiæ pronuntiationem, quod ἄξιωμα nominabatur.

99. *Ego non ex animo misera dico?*] Quod sensit multum valuisse, hoc Thais inculcat animo amici sui. Et ego, vide quanta significet. Convenit hoc pronomen blande multa exprobranti : ut Virgilius, *Mene fugis?* *Quam joco rim voluisti?*] Contra illud refertur, quod ait Phædria, *Nonne, ubi mihi dixisti cupere te ex Æthiopia ancillulam, relictis rebus omnibus quasvi?* Sed hoc vehementius & disertius, *Quam joco rim voluisti.* Non munus, inquit, sed quod plus est, rem, & non serio, sed joco. A facilitate præstantis. Et *voluisti*, non etiam *dixisti*, Mirandum obsequium, ex voto animi pendens. Non expectat imperium : ne voluptati mora sit, dum jubetur. Tum illud quod ait, *perfecit* : nonne pondus hoc verbi & potentiam Phædriæ circa amicam, & illius obsequium vehementius, & rerum difficultatem quæ ex-

tortæ sint, monstrat, atque omnem obterit querelam Phædriæ :

101. *Ego impetrare nequeo hoc abs te.*] Tu & joco, & non petiti, cum pecceris tamen, at ego hoc impetrare non possum.

102. *Saltem ut concedas solum.*] Argute additum *saltem* & *solum*. Et bene, *concedas*, ut voluntatis sit : sic enim dixit supra, *Sine illum priores partes hosce aliquot dies apud me obtinere.*

103. *Verum ne fiant isti viginti dies.*] Facete biduum decuplavit : & simul quia ex eadem ratione sunt viginti, ex qua duo ; & ex qua viginti, ducenti : duo millia, & sic deinceps.

104. *Profecto non plus biduum, aut.*] Ἀποσπασίς secunda.

105. *Hoc modo sine te exorem.*] Nove nunc, non *De te exorem* : sed *te exorem*. Hoc absolute.

106. *Facinoratum est quod vis.*] Non quod oportet, sed quod vis dicendo, multum addidit obsequio suo. *Merito amo te.*] Bene amoris mentionem ad auferendam suspicionem contemptus Phædriæ fecit. *Bene facis.*] In consuetudinem venit, *Bene facis*, & bene fecisti, non judicantis esse, sed gratias agentis.

107. *Rus ibo.*] Et hoc amatorium est, odisse urbem sine amica. Nec dixit, *Ibi ero* : sed, *Ibi hoc me macerabo biduum*. Pronuntiandum est *biduum*, ac si dixisset biennio.

108. *Ita faceve certum est.*] Ex his apparet verbis, quam sibi amator hoc agere imperet, *Mos gerendus est Thaidi.*] Cum pronuntiatione & gestu : ut ostendat, quæ vis amoris sit, ut Thaidi mos geratur.

109. *Huc fac illi adducantur.*] Eunuchus & ancilla, figurate illi : sed prævaler genus masculinum. *Adducantur*, pro adducito eos. Et bene adjectum est, ne dilatis ob retentionem muneribus, non procederet actus fabulæ, & simul quia absentia Phædriæ opus est, dum per Chæream ludificatur meretrix.

110. *In hoc biduum Thais vale.*] Nunc *vale* abscessum significat, non salutationem : nam si mera salutatio est, biduo solum amicam valere optat. Sed præscribere conatur, quanto tempore

abfuturus sit & simul ostendit, quam invitus abscedat. *In hoc biduum Thais vale.*] Accusativo utens casu expressit amatoris impatientiam : *Biduum* dicens, præscripsit de tempore. Et *vale*, majorem vim habet ex dolore discedentis, quam obsequio salutantis.

111. *Et tu, numquid vis aliud?*] *Vale* subaudiendum saluatorium. Et subintelligendum est post osculum dici, *Numquid vis aliud?* quasi recte factum.

112. *Cum milite isto.*] *Isto* bene additum, quasi odioso ; ut alibi, *Iam vero mitte Demea, tuam istam iracundiam.* Et *Virgil.* *Aut quid petis istis?* Hæc enim pronomina, spernentis sunt, odiumque monstrantis. *Præsens, absens.*] Κακός, ζήλον.

113. *Me desideres.*] Αὐξήσις, quia plus est amore desiderium.

114. *Me somnias, me expectos.*] Ἐπαινέσεις prima. Cum amare & desiderare sit voluntatis, atque etiamnum obsequii : somnias, satis amatorie dictum est.

115. *Me speres.*] Cum *me expectes*, jam dixerit : quid sibi vult iterum *me speres?* Inter spem & expectationem hoc interest : quia *expectatio*, certorum est : *spes* vero, incertorum. Et *expectatio*, propinquarum rerum : *spes*, longinquarum. Et *Expectatio*, destinat tempus : *Spes*, non destinat. An ? *me speres idem facere*, id est, de te cogitare. ut sit *speres*, credas : ut statim in subditis invenies : *Nam ejus fratrem spero jam propemodum reperisse. Me te oblectes.*] Septimus casus *me. Mecum tota sis.*] Toto animo. Nam illam nunc animum vult esse, non corpus, & simul quod ipse ab ejus corpore patitur : id vult militi ejus mente contingere, tanquam penitus excluso ab amica.

116. *Quando ego sum tuus.*] Animus scilicet.

117. *Me miseram!*] *forstian hic mihi.*] Recte Thais nunc partem argumenti exequitur tacitam apud Phædriam, propter præsentiam servi : quem poeta vult ita nescire, ut audeat ad vitandam virginem subornare Chæream.

118. *Atque ex aliarum ingeniiis nunc me judicet.*] Hic Terentius ostendit virtutis suæ hoc esse, ut pervulgatas perso-

nas nove inducat : & tamen à consuetudine non recedat : ut puta meretricem bonam cum facit , capiat tamen & deleat animum spectatoris.

120. *Neque me finxisse falsi quidquam.*] Aut , dixisse debuit dicere , aut abundat falsi , aut ideo , quia & vanum aliquid fingi potuit , ut supra , *Si vanum , aut falsum , aut fictum est.*

121. *Esse quemquam chariorem.*] Melius , *quemquam* , quasi si dixisset , *miliem quemquam chariorem. Quemquam chariorem.*] Quasi meretrix non charum alterum , sed chariorem negat.

122. *Et quidquid huius feci.*] *Huius* absolute ; aut per ἡλλήλων , ut desit rei.

In Hecyra , *Ne quid sit huius oro.*

In Heautontimoromeno ;

Nihil me istius facturum patri.

Virgilius ,

— aut quid petis istis ?

Quidquid huius.] Rei subaudiendum est quod eum exclusi foras.

123. *Spero propemodum.*] Nove spero , pro credo vel confido. *Propemodum* ideo , quia hominem quidem novit , sed fratrem esse virginis nondum probavit.

124. *Adeo nobilem.*] *Adeo* , pro nimis positum est , aut pro expletiva particula.

126. *Atque expectabo dum venit.*] Futurum actum promittere voluit : non quo aliquis gestus sit expectantis.

IN SCENAM PRIMAM

ACTVS SECVNDI.

1. *Ac itant jussi.*] Jam amatorium multiloquium & vaniloquium continet ista actio : nam & repetit quod jam dictum est : & id facit magis & odiose nimis

3. *Ah , rogitare ? quasi difficile sit.*] *Deest vis* , vel *pergis* : ut sit , rogitare pergis ? Vel *te* , si ipsum respicit : vel *hunc* si adversus hoc dicit : ut sit , Ah , rogitare te ? aut , rogitare hunc ? Et distinctione interposita , inferendum vultuose , quasi difficile sit id quod mandatur . Ita & ineptiam nimiam circa hoc solliciti amatoris expressit : & ostendit , nihil esse facilius , quam deducere ad meretricem munera : cum contra illud sit difficillimum , poscenti aliquid non dare. *Rogi-*

tare ?] Subauditur *te*. Ut sit , mirum esse te rogitare ; quasi sit difficile complere quod jubes.

4. *Aliquid invenire facile possis.*] *Invenire* , acquirere . Sic Heautontim. *Non quaris patri quo modo obsequare :* & *ut serves quod labore invenerit.* Nam ideo à precedenti etiam *quastus* dicitur.

5. *Quam hoc peribit.*] *Deest facile* : ut sit , Facile hoc peribit. *Quod mihi est carius.*] Pro , qui mihi sum carior . Sed ego dixit absolute , occurrens huic pronomini quod.

6. *Quin effectum dabo.*] *Quin* pro imo , ut in Heautontim. *Quin nolo mentari.* *Sed numquid aliud imperas ?*] In his servus nihil vult , nisi coactus facere , propter majorem dominum : sic & alibi , *Iubescne inquit ?* responderet ei Chærea , *Cogo atque impero.*

8. *Munus nostrum ornato verbis.*] *Ἡδρακας* non dixit *meum* , quasi & Parmenonis sit. *Et istum.*] Id est , molestum & odiosum : nam hoc significat *istum*.

9. *Ab ea pellito.*] *Ab ea* , ab ejus animo : & non , *pellito facito* : sed , *pellito*.

10. *Tamesi nullus moneas.*] *Properat* servus carere vaniloquium domini . Et *nullus* , pro non , sic in Hecyra , *Nullus dixeris.* *Plautus* in Trinummio , *Nullum credas.* *Ego rus ibo.*] Et hoc jam dictum est : sed ostendit , quam moleste id incipiat Phædria.

11. *Censen posse me obfirmare.* & *perpeti.*] *Arbitraris* : ut *Censores* , qui morum alienorum habent summum arbitrium . Et ideo hunc putant non censere , quia ipsa desiderat fieri . *Posse obfirmare.* & *perpeti.*] Verba sunt desperantis . non firmare , sed obfirmare : non pati , sed perpeti.

12. *Te ne ?*] *Te* quod ait , hanc vim habet , ut significet perditum amore Phædria esse.

13. *Nam aut jam revertere.*] *Modo jam* , pro statim . *Te adigent horum.*] Hoc est , ad urbem agent . *Insomnia.*] *Vigiliae.* Legitur & *adiget* , ut sit *insomnia* numeri singularis.

14. *Vt d' fatiger usque.*] *Ordo* est , usque ut defatiger . *Ingratius ut dormiam.*] Id est , etiam invitatus & coactus . Nam *ingratius* , non ultro significat : quia ultro-

tronea grata sunt : ingrata , quæ ab inimicis sunt , ac recusantibus.

16. *Nimis me indulgeo.*] *Me* sic veteres , quod nos *mibi* dicimus . Alibi , *Te indulgebant* , tibi dabant.

17. *Tandem non ego illa caream* , si sit opus , vel totum triduum ?] Sic cœpit tanquam aliquid foret : dicitur magnificum : non autem est *πρωτὸς ἡγεσθησθαι* : sed vere amator magnum hoc putat . *Vel totum triduum ?*] Magna professio virtutis , cum biduo sit opus , triduo posse durare . Et *totum triduum* , dicit universum triduum , *εὐπωλιός* : quasi sit triduum in multo numero.

18. *Vide quid agas.*] Sic dicitur magna agredientibus . *Stat sententia.*] Et vultu & gestu magis spectabile quod dixit , *stat sententia* : vel maxime eo , quod tanto sonitu hæc de se promittat Phædria continuo rediturus : vel potius non accessurus ad villam : tantum autem aberit , quantum temporis opus est ad vitandam virginem.

19. *Quid hoc morbi est ?*] *Excusatio* amoris , quando non culpa , sed morbus est . *Adeo homines immutaverit ex amore* , ut non cognoscas eundem esse ?] *More suo à plurali numero ad singularem se convertit.*

20. *Vt non cognoscas eundem esse ?*] Non solent stulti induci adolentes : & ideo ad amorem retulit stultitiam Phædriae.

21. *Minus ineptus magis severus.*] Nisi enim hoc esset , quid esset quod illum mulier præferret militi ? aut quid relinqueretur proprium personæ militis , si & hic stolidus est ? *Magis severus quisquam* , nec magis continens .] *Animadvertit* ut amet *Terentius magis* addere positivo , potius quam comparativum facere . Nam neque *severior* , neque *continentior* , tam valuit dicere , quam *magis severus* , & *magis continens*.

22. *Hic quidem est parasitus Gnatho.*] Hæc apud Menandrum in *Eunucho* non sunt , ut ipse professus est , parasiti persona & militis : sed de *Colace* translata sunt.

24. *Facie honesta.*] *Οἰκονομία* , qua ostenditur amaturus Chærea : siquidem hanc Parmeno ipse miratur . *Facie honesta.*] Sic *Virgilius* :

IN TERENCEM.

Et latos oculis afflavat honores.

Et mox idem : *Ira me dii ament honestus.* *Ni ego me turpiter hodie hic dabo.*] *Ni dabo* , pro dedero . *Virgilius* ,

Quamvis solus avem cælo deiecit ab alto.

25. *Cum meo decrepito hoc Eunucho.*] *Facete meo* , ad parasitum retulit , cum pulchro munere venientem . Et præparatio est ad ducendum Chæream potius , quam deformem Eunucho . *Decrepito hoc Eunucho.*] *Decrepiti* sunt dicti , quorum crepitu & plangore familiæ , fuerant jam conclamata funera . *Hæc superat ipsam Thaidem.*] Hoc sic accipias , non vituperari Thaidem , sed tanquam

ἡδρακας dici . Ideo addidit *ipsam* , quasi nimiam pulchritudinis . Et bene *ipsam* , propter quam datur.

IN SCENAM SECVNDAM

ACTVS SECVNDI.

DI immortales ! homini homo quid præstat ?] In hac scena non stans , sed quasi ambulans persona inducitur . Constitit tamen aliquantulum intuens spectatores . dum secum loquitur . *Exprimit autem parasitum* , & sub ejus verbis corruptos mores in assentationem ostendit : prorsus ut honesta quoque persona in hujusmodi culpa inventa sint : ut alibi , *Obsequium amicos* , *veritas odium parit.*

1. *DI immortales.*] Hoc jam mire , & pro seculi ac temporum reprehensione satyricæ Terentius , quod apud eum *stultum* vocat simplicem parasitum , & *intelligentem* malum . *DI immortales.*] Admirantis exclamatio est , cum parasiti gestulatione . *DI immortales ! homini homo quid præstat ?*] Morata narratio à sententia incipi solet : quæ dicitur *ἡγεσθησθαι* . *Homini homo quid præstat ?*] Alii distinguunt , *Quid præstat stulto intelligenti* , quia sic veteres loquebantur.

2. *Quid interest ?*] Hoc admirantis est , & ideo sic pronuntiandum .

3. *Conveni hominem.*] *Convenisse* , non vidisse tantum , sed etiam collocutum fuisse significat .

4. *Hominem haud impurum.*] Non dixit prodigum , quia hoc ipsum probat : sed non avarum , non improbum . Et sic laudamus eos , in quibus nihil est quod

NON

magnopere effectamus. *Mei loci atque ordinis.*] Loci, ingenuum: ordinis, pauperem. Illud natalium, hoc fortunæ est. *Itidem patria qui abligurierat bona.*] Hoc joculari vultu dicitur. Et eleganter ex persona parasiti non culpatur quod comederit bona. *Abligurierat.*] Suavibus escis consumplerat. Nam *δοτὸ τῶ λιγυρεῖ*, est *ligurire*. & *λιγυρεῖν* Græci suave appellant.

5. *Video sentum.*] Quam bene *video*, postquam dixit *conveni*. & tempus mutavit & verbum. *Sentum.*] Horridum. *Sentum.*] Ad horrorem retulit. *Squalidum.*] Ad sordes. *Ægrum.*] Ad maciem. *Pannis annisque obsitum.*] Ad vestitum & ad tristitiam. Sed *pannis & annis*, *μωρολογίαι* parasitorum sunt. *Pannis annisque obsitum.*] Vel parasitica vernilitate καὶ ὁμοιοτέλευτον dictum: vel quia Homerus dixit, *αἰψὰ γὰρ ἐν καλοπυπυροῖ κατὰ γαστέρα σκουοῖ*, & est miseræ senium deditum. Unde huic magis tristitia gravitasque displicuit, aliena semper ab omnibus parasitis. *Annisque obsitum.*] Ut *sentum*, dixit *obsitum*. μεταφορῶς ab agro.

6. *Quid istuc ornati, inquam?*] Scire nos convenit, cum recto casu profertur interrogatio, non esse contumeliosum. Ut si dicas, *Quis hic homo est?* Si autem in obliquo, contemptum significari. ut, *Quid hoc est hominis? quid mulieris? quid ornatus? quid istuc ornati, inquam?*] *Ornatus*, τὸ μέγαν est, ad dedecus & ad turpitudinem. Vel simpliciter, hoc accipe, vel *εἰρωνικῶς*. Et *ornati*, ut *senati*, antiquus genitivus. *Quod habui, perdidit.*] Non dixit, id quod erat, comedi, aut consumpsi.

7. *Hem, quo redactus sum?*] Vel habitum suum, vel corpus ostendens, hoc dicit. Nec quicquam hic, nisi ex media consuetudine collocatum est. *Omnes noti me, atque amici deserunt.*] Sententiose atque mordaciter in mores.

8. *Hic ego illum contempsi pro me.*] Hoc est illud, *Homo homini quid præstat? stulto intelligens?*

9. *Ita ne te parasiti.*] Quam objurganter! tanquam in illo sit, quod miser est. Et alibi,

Nam nemo illorum quisquam, scito, ad te venit.

Quin ita paret se, abs te ut blanditiis suis.

Quam minimo precio, suam voluptatem expleat.

Et hoc proprie verbum ad exprimendam inhumanitatem & ignaviam factum est. *Vt spes nulla reliqua in te fiet tibi?*] Sententiose, ad illud quod & Virgilius ait, *Ponite spes sibi quisque. Vt spes nulla reliqua in te fiet tibi.*] Bene quasi qui rem à fortuna acceperit.

10. *Simul consilium cum te amisti?*] Virgilius,

--- nec si miserum fortuna Sinonem
Finxit; vanum etiam, mendacemque
improba finget.

Et Sallustius, *Neque fortuna eget: quippe qua probitatem, industriam, aliasque bonas artes neque dano, neque eripere cuiquam potest.* Ergo hæc interrogatio, increpantis est: nec desiderat responsonem. Nam consilium in bonis animi; res in potestate fortunæ. *Ex eodem ortum loco?*] Ex eadem fortuna.

11. *Qui color, nitor, vestitus, qua habitudo est corporis?*] Hoc contra illud, *Video sentum, squalidum, ægrum, pannis annisque obsitum.* Color ergo ad *sentum*; *Nitor* ad *squalidum*: *Vestitus* ad *pannis annisque obsitum*: *Habitudo* corporis, ad *ægrum* refertur. *Qua habitudo est corporis?*] *Plautus* in *Epidico*, *Corpulentior hercle, atque habitior.*

12. *Omnia habeo.*] Ad quod habui, perdidit. *Neque quidquam habeo.*] Ad mei loci atque ordinis hominem. *Omnia habeo*, ad industriam retulit. *Neque quidquam habeo*, ad fortunæ culpam. Et item denuo, fortunæ crimen, *Cum nihil est*, ad suam laudem, *Nihil desit tamen. Omnia habeo, neque quidquam habeo.* Alterum horum, neutrumve potest cuius accidere: utrumque nulli. *Nihil cum est, nihil desit tamen.*] Figura ὁξύμορον. Ut apud Virgilium,

Sequiturque sequentem.

Et Cicero, *Cum tacent, clamant.*

23. *At ego infelix.*] Jam transit ἀπὸ τῶ μυντικῶδ ὡς τὸ παρρηκῶν. *At ego infelix neque ridiculus.*] Vehementer invehctus est in tempora & mores poëta.

ut hac persona: in qua hominem ita inducit poenitere probitatis suæ, ut se infelicem, non honestum dicat. Et, non volo sed, non possum.

14. *Quid tu his rebus credis fieri?*] Dum quis ridetur, aut vapulat. *Tota erras via.*] Παρόμοιον per μεταφορῶν.

15. *Apud seculum prius.*] Scilicet cum essent tempora meliora.

16. *Hoc novum est aucupium.*] Vide quid intersit, cum illud *quæstum* dicat, hoc *aucupium*: illud de sapientibus, hoc de stultis, *Inveni viam.*] Adeo novum est aucupium.

17. *Est genus hominum.*] Quia multi sunt hujusmodi, non dixit, *homines sunt*, sed, *est genus hominum.*

18. *Hic ego non paro me ut rideant.*] Quia ille dixerat, *Ego infelix neque ridiculus esse, neque plagas pati possum.*

19. *Sed his ultro arrideo.*] Quid est, *his arrideo?* aut veluti pareo, id est, obsequor: aut veluti dictis delector. Atque *arrideo*, non sicut in parasitis fieri solet, ut his arrideatur à regibus, quum potius ipsi dictis factisque rideant alienis, hic esse intelligendum, etiam res ipsa indicat ex contrario. Nam quod ait supra, *Hic ego non paro me ut rideant*: hoc è contrario ostendit, quod subjiciatur ex dictis. *Sed his ultro arrideo.*] *Ultro*, versa vice, an prior? an etiam insuper, hoc est, ultra, *Admiror simul.*] Plus intulit, quam si laudo dixisset.

20. *Quidquid dicunt.*] Non, quod dicunt: sed, quidquid dicunt, id est, bene vel male, ne vel si interclusa fuisset assentatio, se impediatur, quod contrarium laudaverit. *Id rursum si negant, laudo id quoque.*] Præclare Terentius, quod à Sarrico de aliis diceretur, id hic de se dicentem inducit, facetius multo, quam si aliter fecisset: scilicet κατὰ πόρον mores temporum jam tum vitiatos per assentationem, quod fere in plerisque fabulis, monstrat. Ut etiam in *Audria*: *Nam hoc tempore obsequium amicos, veritas odium parit.*

Et in *Adelphis*:

--- quod te isti facilem & festivum putant.

Id non fieri ex vera vita: neque adeo ex aquo & bono:

Sed ex assentando, indulgendo, & largiendo.

21. *Negat quis, nego.*] Bene sic dixit: *negat & ait* contraria sunt. Ut *Plautus* in *Rudente*, *Vel tu ais, vel tu negas.*

22. *Is quæstus nunc est multo uberrius.*] Quam ille apud seculum prius fuerat. Et vide quemadmodum illiberalem vitam honestiore nomine primo *aucupium*, post etiam *quæstum* nominaverit. ΠΟΠΟΚΑΡΗC hic inducens,

23. *Scitum hercle hominem.*] Mire Terentius longæ orationi interloquia quædam adhibet, ut fastidium prolixitatis evitet; velut nunc Parmeno procul audiens Gnathonem, hæc loquitur.

24. *Interea loci.*] Duæ partes orationis, cum conjunctæ unam fecerint, mutant accentum.

25. *Concurrunt lati mi obviam.*] Et multos, & properos uno verbo ostendit, & ex adverso ad se festinantem. *Cupedinarii.*] Varro humanarum rerum: *Numerius Equitius Cupes*, inquit, & *Aomanus Macellus*, singulari latrocinio multa loca habuerunt infesta. *His in exilium actis publicata sunt bona, & ades ubi habitabant diruta: eque ea pecunia scala Deum Penarium adificata sunt. ubi habitabant, locus, ubi venirent, ea qua vescenti causa in urbem erant allata. Itaque ab altero Macellum, ab altero forum Cupedinis appellatum est. Cupedinarii.*] Omnes qui esculenta & poculenta vendunt, à rebus Cupedinis ob alimentum *cupedinarii* appellantur. Et ipse subjecit, qui accipiendi sunt *cupedinarii*.

26. *Lanii.*] Qui laniant pecora: unde & *lanista* dicti, qui laniantis præfunt gladiatoribus. Sic est *Macellum* à martandis pecoribus dictum. *Piscatores.*] Qui recentem piscem præbent. *Fartores.*] Qui infitia & farcina faciunt. *Cetarii.*] Qui cete, id est, magnos pisces vendunt, & bolonas exercent. *Cetarii, Lanii, Coqui, Fartores.*] Αμαρτία comicum: in Palliata Romanas res loquitur.

27. *Quibus & re salva.*] Cum de meo impenderem. *Et perditam profueram.*] Cum de alieno nanciscor & expendo. *Sape.*] Expletivæ significationis est.

28. *Ad cenam vocant.*] Utrum ad

emendam cœnam? an ad convivium? *Advenum gratulantur.*] Accusativum calum pro daivo, pro *adventus gratulantur.* Et *adventus* proprie expectatorum, necessariorumque dicitur.

29. *Ille ubi miser famelicus videt me.*] Hic ostendit, quæ res coegerit ad discendum: & simul vide secundum vulgi opinionem loqui parasitum, miserum & famelicum, hominem honestis moribus præditum. *Ille ubi miser famelicus videt me.*] Vide ut sententiose demonstraret malos ex bonis contagione fieri, exemplis in pravum prævalentibus. Videt mihi hoc prodesse, & discere optat, quod negabat se posse. *Tanto honore.*] Quia concurrunt, salutant. *Famelicus* à fame & edendo dictus est, quasi famelicus.

30. *Tam facile victum quarere.*] Quia ad cœnam vocant. *Ibi.*] Pro tunc. *Homo*] Mire addidit *homo.* aut additum supervacue *homo.* Ut, *Donat habere viro decus, & tutamen in armis.*

31. *Ut sibi liceret discere.*] Quasi disciplinam, aut artem: tantum autoritatis criminum felicitas sumpsit. *Discere id de me.*] Magis, *de illo,* & *de me,* veteres dicebant: quam ut nos dicimus à *me,* aut *ab illo.* *Sectari just.*] Proprie, nam & *secta* philosophorum ab eo dicta sunt.

32. *Ex ipsis.*] Philosophis scilicet. *Ex ipsis vocabula.*] Ut Pythagorica, Platonica. Hoc igitur non est consequens ad illud, quod vult dicere; nisi forte *disciplinam* pro discipulis posuerit.

33. *Parasiti item ut Gnathonici vocentur.*] Non hoc intulit, quod coeperat dicere: nisi forte *disciplinam* pro discipulis accipimus.

34. *Videmus, otium & cibus quid faciat alienus?*] Rursus Parmeno & facetias dicit, & distinguit longiloquium parasiti. *Quid faciat.*] Legitur &, *quid facit:* ut sit figura per modos, pro, *quid faciat.*

35. *Hanc deducere.*] Proprie. Nam dicitur quis ad supplicium: *Deducitur ad lætitiã.* Et *rogitare ad cœnam.*] Vide parasitum magis optare ad cœnam Thaidem vocari, quam munus capere.

36. *Thaidis.*] Legitur & *Thais.*

37. *Salva res est.*] Quia & ante ostium,

& tristem video, *salva res est.* Nec hoc valet ad lætitiã, quod Parmeno est, sed quod rivalis servus. *Salva res est.*] Proverbialiter.

38. *Nebulonem.*] Vel furem, quia nebulas objiciat: vel mollem, ut nebulam: vel inanem & vanum, ut nebula est. *Hic.*] Pro *hi,* vetuste. *Virgilius,*

His certe neque amor causa est, vix offibus hærent.

quia *hiscæ* debet dicere. *Hicæ* hoc munere arbitrantur. Non immerito Gnathonem deridet Parmeno, qui penitus noverit meretricis consilium.

40. *Summum suum.*] Ἐλλογις *Summum suum imperit Gnatho.*] Hæc tota locutio, parasiticæ elegantia, & simul *ειρωνείας* plena est. Nam & plurimam dicit ei salutem, quem ne exiguam quidem velit continere: & summum dicit eum, qui nec levis amicus sit sibi: & Parmenonem Gnatho, non ego te, *Summum suum.*] Quam venuste, quod summum amicum non resaluret Parmeno.

Quid agitur?] Pro blandimento, non pro interrogatione nunc ponitur, ut *O noster, quid sit? Quid agitur? statur.*] Pro, *quid agis? sto.* Et facete: nam stat, cui ingredi non licet.

41. *At numquid aliud?*] Cum jurgio hic de illo respondit, & ideo repetit dictum Gnatho.

42. *Quid dicit?*] Interrogat interrogantem, ne ipse respondeat. *Nihil equidem.*] Dicens nihil, mutavit vultum Parmeno in lætitiã. Ideo illi facete Gnatho agenti hoc ipsam, *ne sis,* dixit: ut probaret tristem fuisse. *Nihil equidem.*] Pro non, & infra, *Nihil dixit ut sequeretur se.*

43. *Hoc tibi mancipium?*] Ταπεινωσις. *mancipium* dicit puellam, aut virginem, *Non malum hercle.*] Inimica laudatio, *Pro hominem.*] Sibi hoc gestu & vultu parasitico dicit, & pro eo quod est, dolere cogo. *Vt falsus animi est?*] Similiter & Parmeno secum gestu servili, & animi pro animo, *απεινωσις* veterum: qui, *ingens es virium,* &, *dives es opum,* amabant dicere. *Vt falsus animi est?*] Ex hoc falsus animi est, quod putat hujusmodi munere capi posse Thaidem.

44. *Quam hoc munus gratum Thaidi?*] Mire insultat Gnatho. Quanto enim

magis munus gratum fuerit, tanto erit rivalis exclusior.

45. *Omniū rerum heus vicissitudo est.*] Vide locum in quo erumpere dolor Parmenonis potuit, nisi commissa servaret, & coelaret Thaidis consilium.

46. *Sex ego te rotos, &c.*] Quid est rotos? an diebus & noctibus? utpote amatoris servum: ac per hoc sine ulla cessatione & intermissione. *Hos menses.*] Hos, qui nunc aguntur, id est, hoc tempore. *Quietum reddam.*] Facete: quasi hoc ipse fecerit, & hoc est quod ait, *Plurima salute Parmenonem summum suum imperit Gnatho:* tanquam amico consulat.

47. *Ne sursum, deorsum cursites.*] Quod est laboris. *Neve usque ad lucem vigiles.*] Quod est exitii.

48. *Sic soleo amicos.*] Hoc *ειρωνείας.*

49. *Detineo te.*] Valde teneo. *Fortasse tu profecturus alio fueras.*] Vult exprimere confessionem, quod ad Thaidem venit, sed intrare non possit.

50. *Paululum da mihi opera.*] Hoc quasi supplicantis vultu ad irrisionem dicitur. *Paululum da mihi opera.*] Proprie sic dicitur, adjuva me. Sic in Adelphis, *Hæc opera ut data sit. Nunc tibi parent fores ha.*] Ex eo quantum licere oportuit ostendit, quam miserè nihil liceat Parmenoni.

51. *Quia istam ducis.*] Hoc quasi ad Gnathonem: sed lente, ac sub lingua murmurat.

52. *Num quem evocari hinc vis foras?*] Quia ipse intrare non potest. *Sine, biduum hoc pratereat.*] Et hoc lentius, nam si aliter pronuntiaveris, secreta produntur.

53. *Qui mihi.*] Mihi, *πρὸς ἀπλομοῦ* dictum est. *Fortunatus.*] Ut ipse videris tibi.

54. *Na tu.*] Na, valde. *Na tu istas faxo calcibus.*] Mira eloquentia, in qua utraque *ἄπολλον* expressissima est. Nam neque uno digitulo minus aliquid dici potest: neque calcibus saepe insultabis, aut amplius, aut ingentius. *Insultabis fores.*] *Sallustius,* multos tamen ab adolescentia bonos insultavit.

55. *Numnam.*] Hic nam abundat: ut *quidnam.* *Relictus custos.*] Bene reli-

ctus: quasi ab excluso.

56. *Nequis forte internuntius.*] Proprie, *internuntius.* *Ne quis forte internuntius.*] Ex his verbis datur intelligi, parasitum è domo meretricia egredi. *Ne quis forte internuntius clam à milite ad istam cursuet?*] Et hoc facete: quasi ipse sibi Thaidem totam vindicaverit, quod miles facit.

57. *Facete dictum.*] Εἰρωνείας, quia inficete. *Mira vero militi qua placeant.*] *Mira,* pro mirum. *Virgilius,* *Nota tibi,* & est *ειρωνεία.* Quid mirum est, inquit, facete loqui eum, qui militi placeat? Potest tamen & pluraliter intelligi.

58. *Sed video herilem filium.*] Non potest Terentius *τὸς υἱοῦ* proprie dicere: & ideo *herilem filium* dicit.

59. *Miror quid ex Piræo abierit.*] Hic causa ostenditur, cur potest ignotus esse vicinis, & pro Eunucho fingi. *Miror.*] Pro nescio. *Miror quid ex Piræo abierit.*] Ut ex Piræo discederet, symbola amicorum: ut huc perveniret omisso negotio, aspectus virginis fecit. *Nam ibi custos publice.*] Adversus prædonum incurfus illic excubabat juvenus Attica. *Piræum,* ut *Sunium,* est maritima & accessu litoris pars clementior. *Publice est nunc.*] *Nunc* ambigua distinctione positum est.

60. *Non temere est.*] Ut *Virg.* *Haud temere est visum. Et properans venit.*] Mire locuturum ante formavit, ut gestus verba præcedant, verba habitum consequantur.

IN SCENAM TERTIAM

ACTVS SECUNDI.

Occidi.] In hac scena novus amor ad huc ephebi, & consilium potiunda virginis demonstratur: tanta viriute poeta comici, ut hoc commentum non quasi sum esse, sed occurrisse sua sponte videatur.

1. *Occidi: neque virgo est usquam.*] Non habuit quid dicere debeat aliud, properans, & circumspiciens, nisi *occuldi.* *Occidi.*] Produc mediam syllabam verbi hujus, & contrarium significat.

2. *Neque ego, qui illam è conspectu amisit meo.*] Amatorie, dum illam non invenit, & se perdidit.

3. *Vbi quarum?*] Hoc circumspicientis est. *Vbi investigem?*] Plus intulit. *Quem percontem?*] Hoc tertium plus intulit: nam ubi nec vestigia reperiuntur, superest interrogatio. *Quam insistam viam?*] Si nec, qui interrogetur apparet. *Quam insistam viam?* Et *qua via*, legitur.

4. *Vbi ubi est, diu colari non potest.*] Ob nimiam scilicet formæ gratiam.

5. *O faciem pulchram!*] Faciem modo, non partem corporis dicit, sed totam speciem quæ apparet & cernitur. *Virgilius, Quibus aspera quondam Visa maris facies. Doleo omnes dehinc ex animo mulieres.*] Πρὸς τὸ μᾶλλον argumentatus est, ut ostenderet hunc grandem jam ephebum, etiam amoris expertem non fuisse. Sic & alibi, *Cum me ipsum noris, quam elegans formarum spectator siem, In hac commotus sum.*

6. *Coridianarum.*] Hoc est, levium & usitatarum: est quippe huic contrarium. *Nova figura oris, papa! Ecce autem alterum.*] Sic dicimus, cum propter alterum de altero venit in mentem.

7. *Nescio quid de amore loquitur.*] Ut jam dudum Phædria loquebatur. *O infortunatum senem!*] Hoc dictum præstruxit ad exitum fabulæ ac Catastrophen. Nam perturbatus ad Thaidem ingreditur hic senex, per fallaciam Pythiæ, & indicium Parmenonis: atque ita firmabuntur nuptiæ virginis, quam ducet Chærea.

8. *Hic vero est.*] Utrum senex: an Chærea? sed senex potius. Hic vero est senex. *Qui,*] Scilicet Chærea.

9. *Præut hujus rabies qua dabit.*] Præ, ex comparatione significat. Ergo proprie, & est integra locutio, & ordo est, Præut illa sunt, quæ hujus rabies dabit. Et bene dabit, quasi de re violenta. Ut, --- dabit ille ruinam Arboribus. ---

Præut hujus rabies qua dabit.] Hic ex parte characteris infcius quidem est personæ Chæreæ, quem moribus conjicit servus ardentior in amore ferri posse, simul ac cæperit. *Præut hujus rabies qua dabit.*] Et hic ostenditur jam pridem motum in res Venereas Chæream, Et magna poetæ cura est, ne incredibile videatur, adolescentulum qui pro Eun-

cho deduci potuerit, tam expeditè virginem vitasse. Quocirca artifex summus, quod ætati non potest, naturæ attribuit Chæreæ: ut calidior ingenio, & ante annos amator, non libidinem in sese, sed quandam rabiem designaverit in Venereos appetitus.

10. *Vt illum.*] Pro utinam. *DI Deaque senium perdant.*] Plus dixit *senium*, quam *senem*. Nec mireris, post *senium*, qui additum: ideo quia declinationem ad intellectum retulit: ut alibi. *In Eunuchum suam.* Et *senex*: ad ætatem refertur: *Senium*, ad convitium. Sic *Lucilius ait, At quidem te senium, atque insulse sophista. Remoratus est.*] A remora pisciculo, qui & ἐχρυνίς vocatur, *remoratio* & *remoratus* dicitur.

11. *Tum autem, qui illum non floccifecim.*] *Tum autem,* pro, &. Duas vult enim causas esse, cur se ipsum DI perdant: unam, quod restiterit: alteram, quod senem perveritus diu remaneret à persequenda virgine. Et nota *floccifecim*, & contemnere, & non contemnere significare: ut nunc, *Qui illum floccifecim* deest vel: ut sit, vel floccifecerim.

12. *Quid tu es tristis? quidve es alacris?*] Proverbiale est, in hominem perturbatum & incerti vultus. Aut lætus es, nam *alacris*. L littera pro D posita, non tristis, id est & δακρυς intelligitur. *Quidve es alacris?*] Et *alacer* & *alacris* dicitur, ut habes apud *Virgilium*:

Ergo alacris, cunctosque putans excedere pugna.

Quidve es alacris?] *Alacritas* est mutatio quædam vultus gestientis in spem aliquam.

13. *Vnde is?*] Modo, ad quid venis, significat. sed eo, de loco ad locum veteres dicebant: quod mox in subjectis probabitur. *Quorsum eam.*] Bene: quia proxime dixerat, *ubi quarum? ubi investigem: quem percontem? quam insistam viam? incertus sum. Quorsum eam.*] Hinc ut diximus, manifestum est, ire & adventum significare.

14. *Ita prorsum oblitus sum mei.*] Huic contrarium,

Dum memor ipse mei. —

Ergo oblitus mei, insanus. *Ita prorsum oblitus mei.*] *Prorsum*, recta, id est, omni-

no: nam *prorsum*, est porro versum, id est, ante versum. Hinc & *prorsa oratio*, quam non inflexit cantilena.

15. *Hem.*] Si cum h, Parmeno: si le niter, Chærea. *Ostendes qui vir fies.*] Non, si *vir fies*: sed, *qui vir fies*: quod est ἐπαπιδότερον. Si quæssisset quidem, qui vir fies, an debeat præstare, qui virum se sic monstraturus est? Et *vir* modo, non ad sexum, nec ad ætatem dicitur, sed ad laudem. *Qui vir fies.*] In veteribus invenitur.

16. *Sape pollicitum esse.*] *Pollicitum*, quod promittentem ultro significat, dixit, & saepe pollicitum se, an necesse sit præstare eum, qui promiserit? *Chærea, aliquid inveni.*] Induxit μύμονον pragmaticè, more suo, non contentus dicere qui pollicitus sit tantum, sed quo modo etiam, & quibus verbis.

17. *Modo quod ames.*] Tantummodo, quasi hæc mora sit promissis complendis. *In ea re utilitatem ego faciam ut cognoscas meam.*] An possit, qui posse se affirmavit? plus est promiserit, quam ostendere quod possit.

18. *Cum in cellulam.*] Sic dicit anus * quæ & acceperit beneficium. *Patris penum omnem.*] Ipsum penum: non ex eo aliquid, ἑπεροληνός. Et hoc *penus*, & hic *penus*, & hæc *penus*, veteres dixerunt. Ergo & *omnem* & *omne* legitur. *Congerebam clanculum.*] Δάξεν ἢ κρύψα.

19. *Age, inepte!*] Qui dabit de promissis: an, qui exprobes te multa esse largitura. *Hoc hercle factum est.*] Inveni quod amem: hoc quod dicebas, inquit, moræ esse: jam factum est; amo. *Promissa appareant.*] Utilitatem ut cognoscam tuam.

20. *Sive adeo digna res est.*] Si persona Parmenonis est, sive abundat: & proplexiva conjunctione modo est in quibusdam omnino non legitur. *Adeo* autem abundat, aut nimis significat, vel satis. Si Chærea dicit, hic ordo & sensus est, Fac, si vis nunc, sive adeo digna res est, ubi tu nervos intendas tuos, ut promissa appareant, ut sit sis, si vis: & addatur, ut, quod deest. Fac ut promissa appareant, *Vbi tu nervos intendas tuos.*]

Utrum obscenè hoc, ut servus? an μεταφορενός, ubi laborare ac periclitari debeas? Sed melius legunt, qui hoc totum ad personam applicant Chæreæ: & melius, quam, qui Parmenonem hoc putant loqui, *Sive adeo digna res est ubi tu nervos intendas tuos.*

21. *Haud similis virgo est virginum nostrarum.*] Civium scilicet, id est, terræ ac patriæ nostræ, ut *Virgilius*,

Non eadem arboribus pendet vindemia nostris.

Et *Sallustius*, *Nostri sædæ fuga, &c. Quas matres student.*] Hoc verbo ostendit cultum industriæ, non pulchritudinem naturalem.

22. *Demissis humeris esse, vincto pectore.*] Antiqui enim Græci etiam virginibus suis præbebant palæstram, ad componenda corpora. Vel, *demissis humeris esse*, liquide & molliter deductis, neque extantibus, alæ in modum. *Demissis humeris esse, vincto pectore.*] Non accipiendum est quasi hoc dicat, Ad hoc illas student matres demissis humeris esse, & vincto pectore, ut graciles fient: quasi hæc duo propter unum illud fiant, sed varie tria dixit, ne diceret * aut student illas demissis humeris, & vinctum pectus, ut graciles fient. *Vincto pectore.*] Castigato ac tenui, & velut vincto. Deest ergo *velut*. *Vt graciles fient.*] A singulari *gracilis* venit hæc declinatio.

23. *Si qua est habitior paulo.*] Unde & *habitudo* dicitur: ut, *Qua habitudo est corporis?* nam *habilior*, aptior intelligitur, ut,

Namque humeris de more habilem suspenderat arcum.

Ergo *habitor* legendum est. *Pugilem esse ajunt.*] Laus in Virginem. *Deducunt cibum.*] Mire vituperavit formam, quam accuraverit fames, Et proprie *deducunt*.

24. *Tametsi bona est natura.*] *Bona*, id est, plena, magna, & pinguis. *Reddunt.*] Exhibent, perficiunt. *Curatura.*] *Cura*, mentis est: *Curatio*, medicinæ: *Curatura*, diligentia. *Iunceas.*] Tenues & palidas.

25. *Itaque ergo amantur.*] Itaque, inquit, nemo illas amat. *εἰσωνεία* est. Aut vere amantur: ut eo magis hæc amanda sit, quæ naturæ beneficio, non factis

comptibus, aut industria, est pulchra. *Iraque ergo amantur.*] Atque ita fit, ut amentur: non naturæ merito, sed industria. *Quid tua istac?*] Rectè: sic enim ipse dicet, *At nihil ad nostram hanc. Quid tua istac?*] Deest, *qualis est, dic.* *Nova figura oris.*] Laudis genus est, *nova*, quia dixerat, *Tadet coridianarum harum formarum. Papa!*] Interjectio mira subitò accipientis.

26. *Color verus.*] Quia non de cura est ac de fuce, id est, naturalis, non fucatus. *Corpus solidum.*] Quia non vitiatum. *Corpus solidum.*] Plenum & forte, id est, non flaccidum. *Succi plenum.*] Quia nemo deduxit cibum. nam fucus est humor in corpore, quo abundant bene valentes. *Virgilius:*

Et succus pecori, & lac subducitur agnis. *Succus* proprie, quasi *sugus*: quem sibi ex alimentis membra sugunt, ut se repleant. *Succi plenum.*] *Succus*, est interior pinguedo membrorum. *Anni sexdecim.*] Vide quemadmodum ætatem virginis naturæ Poëta ex occasione demonstraverit.

27. *Hanc tu mihi vel vi, vel clam, vel precario.*] Hæc tria sunt, quibus non ritè res agitur, vel vi, vel clam, vel precario: sine pretii mentione, vel quia virgo, non meretrix: vel quia nulla Ephebo spes est fallendi Senis. *Hanc tu mihi vel vi, vel clam, vel precario fac tradas.*] Secundum jus locutus est. Nam his tribus mala fide aliquid possideret: vi, clam, precario. *Vi*, quia virgo: *clam*, quia custoditur: *precario*, quia pretium non habet Chærea.

28. *Mea nihil refert, dum potiar modo.*] Non hoc personæ attribuendum est, sed affectui, non enim quia Chærea est, sed quia amator, de se cupit facere quemadmodum potiarur.

29. *Quid? Virgo, cuja est?*] Utrum serva, an filia?

30. *Ne id quidem.*] Pulchra varietas, *Nescio. Tantumdem. Ne id quidem. Qua ratione amisti?*] Figura *οὐκ οὐκ*, pro *amisti*. *Qua ratione amisti?*] Si non remansisset Chærea, sed consecutus virginem vidisset, quo deducta esset prius, quam Parmenonem conveniret: non ita procederet fabula, ut nunc procedit. Ir-

ruisset enim in cognitionem meretricis importunè Chærea, nec pro Eunuchò adduceretur ulterius.

31. *Id equidem.*] Deest *ob*, aut *propter*: ut sit, *ob id*, aut *propter id*. *Mecum stomachabar.*] Bene *mecum*: quia acriorem dolorem sustinet, qui ipse sibi ita faci cogitur. *Mecum* ergo, pro *apud me*, vel *mihi*.

32. *Hominem esse arbitror.*] Deest *quam me. Cui magis bona felicitates.*] *Bona*, magnæ. Novè autem dixit, magnas felicitates sibi adversari, eo quod virginem tantæ pulchritudinis ex oculis amiserit. Nam vidisse eam, felicitatis iudicat: sed amississe, adversæ felicitatis. Et quod *bona* dixit, vel magnæ, vel nimæ intelliguntur. Vel *ὀμνέτω* est proprium & perpetuum felicitatum. *Felicitates.*] *Felicitas* adversa est, cum ex prosperitate, quod lædat nascitur. *Bona felicitates.*] *Ἐμφορας* est, eo quod *felicitates* pluraliter posuit. *Ἐμπερι* autem de tribus causis nominibus adduntur: discretionis, proprietatis, ornatus. *Discretionis*: ut,

— *Phrygia molimur montibus Ida.* *Proprietatis*: ut, *Terribili impexum seta & dentibus atris.* *Ornatus*: ut, *Alma Venus Phrygiæ genuit Simoëntis ad undam.*

34. *Quid hoc est sceleris?*] Propter hoc quod patior, inquit, nunc enim scelus dicit à sene commissum.

35. *Archidemidem nostin?*] Hoc sic pronuntiandum est, ut appareat ex ipso nomine statim, odiosum nescio quem occurrisse ac permolestum. *Quidni?*] Correptio est ab se manifesta inquirentis. Est enim sensus, *Quid nisi*, aut *cur non noverim?* est enim *quidni*, aut *quid nisi*, aut *cur non*. Quia veteres *ni* pro *ne* ponebant, & *ne* pro *non*, ut *Plantus*, *Ni stulta sis*, pro *ne*, & *ne vult*, pro *non vult*.

37. *Imo enim vero infeliciter.*] Bene hoc interponit, quod incredibile est, tardio rem futurum amatorem incessu virginis.

38. *Nam incommoda alia sunt dicenda.*] Quæ minora sunt scilicet, aut similia.

39. *Illum*

38. *Illum liquet mihi dejerare.*] Liquidum est, constans & manifestum, & certum. Et sic *liquet*, pro liquidum est: ut *claudit*, pro clausum est. Ut apud *Salustium*, *Nihil socordia claudēba.* Et est *liquet* verbum juris, quo utebantur iudices, quum *amplius* pronuntiabant, obfcuritate commoti causæ magis, quam negotii simplicitate. *Dejerare*, valde jurare: ut *demiror*, & *deamo te Syre*, si de producta legeris. si correpta, Deos jurare intelligitur.

40. *Proximum non vidisse proximis.*] Quia non vidisse dixit *proximis*, præteritis intelligimus. *Proxima* enim nobis aut præterita, aut futura sunt: nam præsentia ea sunt, in quibus nunc sumus.

41. *Nisi nunc quum minime vellem.*] Quia semper nolui, ideo nunc minime, utpote adolescens senem. *Minimeque opus fuit.*] Sæpe enim nolumus tantum, nunc etiam opus non est.

43. *Quam longe quidem.*] Bene longe dixit: quia à longe non potuit dicere, an subauditur *erat*, ut sit, quam longe erat?

44. *Incurvus, tremulus, labiis demissis, gemens.*] Ut omnia ostendat in contrarium sibi versa esse, etiam cursum attribuit seni. *Labra*, sunt superiora: *labia*, inferiora. *Labra* asinorum proprie dicuntur. *Gemens* autem, ob continuam tussim. Sic *Lucilius*:

Ante fores autem, & tritclini limina quidam
Perditus Tiresia tussi gradævus gemebat.

Incurvus.] Valde curvus. Sic *Virgilius*, *Turnus ut infractos adverso Marte Latinos*

Defecisse videt. ---

Infractos enim valde fractos significat, nam in præpositio nunc auget, nunc minuit dictionem. Rectè etiam deformitatem describit senis, qui præter ætatem post pulchram virginem foedior videbatur. Et quam importune omnia? pro puella, senex occurrit: pro virgine, incurvus, tremulus: pro pulchra, labiis demissis, gemens: & cum amator sit, inaniter adolescenti ipse iudicium loquitur: dum festinandum sit, remoratur. *Labiis demissis.*] Majora labra, un-

de labeones. Alii *labia* inferiora, & *labra* superiora.

45. *Heus, heus, tibi dico, Chærea.*] *Tibi dico, Chærea*, non adderet, nisi videret Chæream dissimulantem præterire. *Inquit.*] Aliter *inquit* pronuntian-dum est, hoc est, concitate, nam senis verba aliter proferenda sunt.

46. *Scin' quid ego te volebam?*] Hic ostenditur odiosa tarditas senis, apud festinantem Chæream, nam non dicit, sed promittit se dicturum. *Cras est mihi iudicium.*] Huic moræ etiam illud additum, quod quum debeat dicere quid velit, prius dicit quod non est necessarium, quare velit.

47. *Ve diligenter nunties.*] *Diligenter*, nihil tam abundanter, nihil tam moraliter dici potuit.

48. *Esse ut meminerit.*] Non ut sit: sed, ut esse meminerit. O prolixitas!

49. *Dum hæc dicit.*] Dat tempus verbis: quæ non potuit, quamvis imitaretur, exprimere. *Rogo num quid velit.*] Hoc est, significo me abire. Nam abiturum, ne id dure facerent, *Num quid vis*, dicebant his, quibuscum constiterent. *Quid est ergo? Rogo num quid velit?* hoc est, dico quod abeuntes solent.

50. *Rectè; inquit.*] Pro eo quod est nihil: & moraliter τὸ ἀπίστον. *Cum hæc respicio ad virginem, illa sese, &c.*] In hanc partem scilicet, qua meretrix habitabat.

51. *Interea commodum.*] Tantum quod, vel ipso eodemque tempore. *Interea commodum.*] Una. Et hoc significat: ut si dicas, Eodem tempore quo hoc agebatur. Nam *interea*, nunc conjunctio accipienda est: non, ut aliàs, pro adverbio ponitur.

52. *In hanc nostram plateam.*] Rectè quia vicina est illis Thais, ad quam deducitur. *Nulla erat.*] Etenim ingressa jam fuerat.

54. *Comites secuti scilicet sunt virginem?*] Interrogative quidem: sed sic, ut scire videatur id quod querit, sed ad hoc querere, ut quod scit, confirmet.

55. *Verum: parasitus.*] *Verum*, modo inceptiva est, non relativa particula, ut

○ ○ ○

in Andria, *Verum vidi Cantharam suffarminatam.*

56. *Iam conclamatum est.*] Transactum ac finitum. Ut conclamata corpora nihil reliqui jam habent ad vitæ officia. *Conclamatum est.*] Manifestum significat, ipsam eandem esse, vel pulchram esse, quia & ipsa dixerat, *Hæc superat ipsam Thaidem.* ut in conclamatis funebribus nulla dilatio est doloris & luctus, unde *Lucanus* ait :

--- corpora nondum

Conclamata jacent. ---

Aut *conclamatum*, satis deploratum, satisque vociferatum est : quia dixerat, *O infortunatum senem : si & hic amare cœperit.* Tanquam dicat, Jam occisum patrem tandem scimus, jamque deflemus. *Alias res agis.*] Recte, quia dixit ille, *Iam conclamatum est. Alias res agis.*] Aut, *non attendis ad id quod dico,* significat, ut nulla sit in eo attentio, nam hinc natum est : *Agite, amabo.* Aut, *nugatorias res agis,* hoc est, jocularis : quasi dicat, vanas res agis.

58. *Scio quod abducta sit.*] Plus dixit, quam interrogabatur : credo tædio interrogantis ; nam properat, ut dicturus est, ad deducendum Eunuchum ad Thaidem cum ancilla ex Æthiopia. *Scio quo abducta sit.*] Secunda ἀποσιώμοις.

59. *Eho Parmeno mi, nostin' ? & scis ubi sit ?*] Amatoriè satis repetuntur quæ semel dicta suffecerant.

60. *Huc deducta est ad meretrixem.*] Et hoc confundit semel, quum acervatim dicit, velut odio interrogantis læpius, & festinatione ad mandata Phædræ peragenda.

62. *Phædræ rivalis.*] Cum pronuntiatione addendum, quo magis doleat Phædræ rivalis. *Duras fratris partes prædicat.*] Scilicet contra æmulum & divitem & largissimum. Et *partes duras, μεταφορικῶς* ab actoribus scenicis.

63. *Comparet.*] Hic jam ostenditur miles, illustrior per rivalis dona, quam per sua. Et est qualitas comparativa. *Comparet* pro *emat*, aut, comparandum putet.

64. *Tum magis id dicas.*] *Duras partes fratris esse. Quodnam quæso hercle ?*]

Curiositatem addidit, *παρελκόντων. Quæso & Hercle.* Et vide quam molliter, & sine intellectu spectatoris ad argumenti spectati ordinem Poëta perveniat : ut de Eunuchō facta mentione consilium nascatur supponendi Chæreæ. *Eunuchum.*] *Mire Terentius* primo simpliciter Eunuchō nomen posuit, huic quoque detracturus.

65. *Inhonestum.*] *Fœdum* : ut contra, *facie honesta,* ut apud *Virgilium,*

Et latos oculos afflarat honores.

Hominem.] *Opportune hominem* dixit, tanquam incerti sexus. *Senem, mulierem ?*] Non communi genere dixit *senem* : quippe qui alibi separaverit, dicendo, *senex atque anus* : sed subdistinguentium est : ut sit duplex vituperatio : una ab ætate, quod ait *senex* : altera à membrorum mollitie, quod ait *mulierem.*

66. *Quætiatur certe cum dono foras.*] *Mire cum dono* : tanquam illi repulsæ causa donum futurum sit. Tum deinde non rejicietur, sed *quætiatur.* Vide quam contumeliosius dictum sit, *quætiatur foras* : vel verberibus impelleretur foras, non expulsione, sed detrusione. Vel sic dixit, *foras quætiatur* : ut desit, *versum* : ut sit, foras versus verberabitur, ut verberetur & fugetur foras. Nam & perulgatæ consuetudinis dictum est, *Feri canem foras,* hoc est, feriendo canem foras ejice.

67. *Sed istam Thaidem non scivi nobis vicinam.*] *Quomodo enim pro Eunuchō veniet, si aut novit, aut notus est ?* Est mulierem adolescens ne novit quidem, ipse multo maxime nesciatur. *Sed istam Thaidem non scivi nobis vicinam.*] *Oinoποιῶν* contra illud, quod meretrix vicina erat. *Haud diu est.*] Vicina scilicet. Et est causa, an verisimile sit nescire potuisse vicinam. Et nota, apud *Terentium* vicinas poni sæpius adolescentibus meretrices, ut hæc sit prima amoris illecebra.

68. *Numquamne etiam me illam vidisse ?*] *Artificiose inculcat poëta τὸ μὲν εὐνοῦν.*

69. *Estne, ut fertur, forma ?*] Hoc pro-

pter illud, quod supra diximus. Sed nimio lepore Terentiano, jam illud agitur : Nam hic ostenditur, verisimile esse pro Eunuchō creditum apud vicinam meretricem Chæream, qui adeo ignotus sit mulieri, ut nec ipse eam noverit : quod erat facilius & promptius. Et additur color, quod & illa non diu vicina est, & quod adolescens plurimum in pira commoratus est. *Nihil ad nostram hanc.*] *Moraliter nostram* dixit, pro *meam.* *Alia res est.*] Non potuit melius suam utrique gratiam reservare ; nam & illa & hæc amantur.

70. *Faciam sedulo.*] *Mire in promissis posterioribus difficultas rei ostenditur : quum primo faciam dixerit.*

71. *Numquid me aliud vis ?*] Hoc dicere abeuntes solent. Et bene, *Numquid me aliud vis ?* quia festinat, & simul quia hinc noscitur dolus fallendæ meretricis.

72. *Ut mancipia hæc, ita ut jussit frater, deducam ad Thaidem.*] Vide *Terentium* ut non quæsitæ esse hæc fallacia, sed ipsa se obtulisse videatur.

73. *O fortunatum istum Eunuchum.*] *Istum, sæpe annotavimus, aut ad contemptum, aut ad odium referri, ut Virgilius, Aut quid petis istis ? Et,*

Ista quidem quia nota mihi tua magna voluntas, Iuppiter. ---

Qui quidem in hanc deitur domum.] *Quid facilius quem imitari velle, quod laudes ? nec quisquam, nisi qui cupit, eligitur pro Eunuchō, qui Eunuchum putat esse beatum. Vide, quam molli desensu ad hoc consilium pervenitur. Res enim hoc suggerit potius, quam Parmeno : ideo quia servum hoc suadere Chæreæ, nimis temerarium fuit.*

74. *Quid ita ?*] Potuit intelligere statim servus : sed ad hoc interrogat, ut doceatur spectator.

75. *Videbit : colloquetur : aderit una. &c.*] *Amatorie nimis, quinque lineas amoris executus est : adeoque diligenter, ut etiam ordinem custodierit. Videbit : colloquetur : aderit una in unis adibus.*] *Mire amator non simul effudit hoc bonum, sed particulatim digessit : ut major voluptas futura esse noscatur. Videbit : colloquetur : aderit, &c.*] *Istæ enim sunt*

amoris lineæ : est eas non omnes est persecutus.

77. *Quid si nunc ante fortunatus fias ?*] *Sic videtur Parmeno dicere, potius ut jocetur, quam ut fieri credat posse.*

78. *Capias tu illius vestem.*] *Non semel ostenditur, quod futurum sit : quia particulatim potest etiam quod turpe est, tamen mitti ad persuasionem : Simul in gestum respicitur. Ergo non dixit, ibis pro Eunuchō : sed primo, Capias illius vestem : tum deinde, hoc ipsum non aspernante domino, pergit servus ad cætera, quæ audaciora sunt. Vestem.*] *Quam libenter audiat, repetitio dictorum per interrogationem ostendit.*

79. *Audio.*] *Id est, libenter hoc admitto, & consentio. Ut in Phormione, Audio, & fateor. & contra ; Non audio. Intellego.*] *Audio & intellego vim modo non usitatam exprimunt, scilicet consentientis immodicum affectum.*

81. *Cibum una capias.*] *Bene servus inturbavit supradictas amandi lineas, & ordinem voluptatum : quippe qui amare non noverit. Cibum una capias, adsis, tangas, ludas, propter dormias.*] *Esti satis erat superior versus, tamen incentiva sunt amoris, etiam sigillatim hæc enumerata, quæ una sententia superior versus ostenderat.*

82. *Quandoquidem illarum quisquam.*] *Pro, ex illis. Quisquam.*] *Quia quæquam dicere, absurdum est. Illarum quisquam.*] *Quisquam, multis exemplis probatur etiam fœminino genere veteres protulisse : ita ut in numeris & generibus hæc pronomina infinita sint. Neque scit quisquis.*] *Hoc est, quod supra callide poëta præstruxit.*

83. *Forma, & ætas ipsa est.*] *Deest, in te. Facile ut pro Eunuchō probes.*] *Formam, scilicet & ætatem. Formam, quia pulcher es : ætatem, quia ephēbus. Facile ut pro Eunuchō probes.*] *Probes, fingas, atque persuadeas : Ut in consuetudine dicimus, Homo sacrilegus pro innocente se probavit. Et Cicero. Hoc tu his probabis ? Itaque deest te, quod subaudiamus. ut sit, pro Eunuchō te probes. Probes.*] *Ut, Migrantes cernas, aut probes, persuadeas. Et simul honeste non dixit, quod erat rectum, ut Eunuchum probes, sed pro Eunuchō ne esset contumeliosum in Chæream.*

85. *Nunc jam orna me.*] Hortative orna dixit: non despolia, aut exue me. *Abduc.*] Abducimur unde volumus: Ducimur quo volumus. *Quantum potes.*] Deest, cito.

86. *Quid agis?*] Callide servus non vult se authorem videri tanti facinoris.

87. *Quo trudas?*] Comici semper ea ostendunt fieri ab altero verbis alterius personæ, quæ ostendi per se ipsa non poterant: ut nunc manu agere Chæream Parmenone ipso dicente cognoscimus. *Quo trudas?*] Præbet se vicogendum domino, quem compulit dictis. *Perculeris jam tu me?*] Perverteris, unde proverbium, *Bene plaustrum percudit. Tibi equidem dico, mane.*] Sigillatim ista pronuntianda sunt: ex quibus intelligatur, non cessare Chæream, quin adhuc impellat & trulat.

88. *Pergin'*] Quasi vero joco dixerit, non serio. *Ne nimium calidum.*] Periculosum, sed melius *callidum* legitur. *Nimium.*] Adverbiale: quia *nimium* propria vox est.

89. *At enim istac in me cuderet faba.*] Id est, in me hoc malum recidet, in me hæc vindicabitur culpa: ut laborat solum, in quo cuditur, id est, baruitur faba, quum siliquis exuitur tunsa fultibus: ut in areis more rusticorum fit. Vel quod quidam male coctam fabam, & quæ non maduerit, sed dura permanserit, supra caput coqui, velut ipsi fabæ irati, saxo comminuunt, tum univertum malum, & omnis dolor ad coquum pervenit. Simile & alibi à pulmento proverbium est:

Tunc hoc intristi, tibi hoc est exedendum: accingere.

90. *Flagitium facimus.*] *Flagitium* mox militari dicitur, res flagitatione, hoc est, increpatione digna. Nam *flagitatio*, à strepitu dicitur: unde *flamma*, & *flagella*, & *flagitare*, id est, personare intelligimus dici. Nam hæc omnia sine sonitu crepituque non sunt. *An id flagitium est?*] An liceat? an deceat? Et prius, quia licet. *An id flagitium est?*] Terentius laudat argumentum hujus fabulæ: in quo exemplum promitur, quod proffit parentibus, obicit meretricibus: & simul deliberationibus tractans id facien-

dum. *Si in domum meretriciam deducor.*] Hoc tale est: nulla lex prohibeat, & defendatur ut licitum.

91. *Et illis crucibus.*] Hoc jam ad illud pertinet, ut ostendatur decere, & primo à persona ejus fit.

92. *Habent despiciatam.*] Contemptam atque despectam. & ita est *ἰπένησις* & *ματιπλοσιός*. Vel certe alterius verbi declinatio, ab eo quod est *despico*, ut *conspicor*. *Sallustius*, *Quum interea Metellus monte digrediens cum exercitu conspiciatur, primo dubius quidnam insolita facies ostenderet.*

93. *Nunc referam gratiam.*] Non eas, inquit, lacessam: sed quod iustum est, vicem reddam: quasi ipse in aliis laesus sit. *Vt ab illis fallimur?*] Non dixit, *alii falluntur.*

94. *An potius hæc pati, æquum est fieri.*] Illic vicissitudo extat in *Pari dolo*. *Vt à me ludatur dolis.*] *Σύλλησις*: subauditur *pati*.

95. *Quod qui rescierint.*] Ex consequentibus argumentum: nam illud factum vituperatio sequitur, hoc approbatio. *Illud merito factum omnes putent.*] Bene, non *judicent*: quia & hoc ipsum non satis probum est, vel meretricem fallere.

96. *Quid istuc?*] Adverbium est agre concedentis. *Facias.*] Pro facito. *Verum, ne post conferas.*] Si ne prohibentis est, nihil deest: si percontantis, ut sit *ne forte*: deest, *timeo*. *Verum ne post conferam culpam in me.*] In hoc negotio non autor vult interesse, sed servus. *Verum.*] Deest, *vide*.

97. *Cogo atque impero.*] Evidenter ostendit plus esse imperare quam jubere.

98. *Numquam defugiam auctoritatem.*] Non, inquit, recusabo facere, dum tu autor sis facti.

IN SCENAM PRIMAM

ACTVS TERTII.

1. *Magnas vero agere gratias.*] Hic sermo sic prodit, ut post scenam inchoatus esse videatur. Continet autem assentationem parasiticam, & stultitiam gloriosi militis. *Agere.*]

Plus sonat infinitus modus, finito.

2. *Ingenteis.*] Vide quantum adjiciat parasitus. Ille, *magnas* dixit, hic respondit, *ingenteis*: ille, *lata est*: hic, *triumphat*.

3. *Quam abs te datum esse.*] Majoris est gratiæ, tantum potuisse amorem militis, ut meretrix minus lataretur ob lucrum. *Id vero serio.*] *Id*, ob id: ut, *Id amabo adjuta me*. Alias *παρέλκεται*, id est, productionis locus est.

4. *Triumphat.*] Ut militaribus dictis tangit Militem Parasitus. *Huc proviso.*] Tertia persona venit in scenam: sed separatim loquitur, & secum.

5. *Sed eccum militem.*] Injuriose Militem, honorifice proprio nomine dicitur: ut in subjectis, *Audire vocem visa sum modo militis. Est istuc datum.*] Fato decretoque concessum: ut, *Non dabitur regnis, esto, prohibere Latinis.*

6. *Vt grata mihi sint, quæ facio, omnia.*] Grata nobis sunt aut res, aut personæ: sed nunc res dicit. *Quæ facio omnia.*] *ἄλλῃσις* vel *σύλλησις*.

7. *Advoorti hercle animum.*] Approbat dictum & hoc, *Ait, aio, Vel rex semper maximas Mibi agebat.*] Quam intempestive miles ad regem transitum fecit, cum de meretrice agatur. *Vel rex.*] Ut in Hecyra,

Vel hic Pamphilus jurabat quoties Bacchide, quam sancte?

Vel rex semper maximas.] Subauditur gratias: ab eo quod supra dixit, *Magnas vero agere gratias Thas mihi.*

9. *Partam gloriam.*] Id est, quæ paritur, ut, *Veetus equo spumante Sages.*

10. *Verbis in se sæpe transmovet, qui habet salem.*] Mire adulator hoc attribuit militi, quod minime habet, vel verba, vel salem. *Qui habet salem.*] *Sal* neutraliter, condimentum est: masculini, sapientia.

11. *Qui in te est.*] Quem tu habes.

Habes.] Intelligis. *Quod enim tenemus corpore, habemus animo: quodque item animo habemus, intelligimus. Habes.*] Pro intelligis. Sic dicitur *accipe, & da. Habes etiam, id est, dicis*, ut *Sallustius: Tartessum Hispaniæ civitatem, quam nunc Tyrii mutato nomine Gadivum habent. Rex te ergo in oculis, scilicet, gestare, verum.*] Vide inconditam prope-

rationem laudari se cupientis adeo, ut non sinat verba impleri, quin præfestinet, *scilicet & verum dicere.*

12. *Crede omnem exercitum.*] Magis ridebis, si consideres militem notum esse, qui ** Crede omnem exercitum consilia.*] Sub obtentu militis, ea stultitia, descripsit breviter comitem regium, acceptumque imperatori. Nam qui nunc credit exercitum, credit & consilia.

Virgilius:
*Nulla meis sine te quæretur gloria rebus,
Seu pacem, seu bella geram: tibi maxima rerum,
Verborumque fides.* —

13. *Consilia.*] *Αὐξήσις*. plus enim est consilia, quam totus exercitus. *Mirum.*] Melius per *εἰσώπειαν* pronuntiamus *mirum*, quasi dicat, *Quis non crederet tali viro? sed potest etiam simpliciter pro admirantis gestu accipi. Vbi satiætas hominum, aut negoti si quando odium caperat.*] Reipubl. princeps duas res patitur, homines & negotia, id est, personas & res hominum. *Satiætas hominum, aut negoti si quando odium caperat.*] Proprie reddidit & decenter, hominum satiætas, negotii odium. Non enim par erat Reip. principem hominum odio laborare.

15. *Requiescere ubi volebat.*] Bono verbo usus est. Nam *cessat* desidiosus: *requiescit* defessus. *Quasi: nostin'?*] Grate expressit stulti infantiam militis, qui ante vult intelligi quod sentit, quam ipse dicat. Et proprie hoc morale est stolidi, sive ruditer loquentis. *Quasi: nostin'?*] *Ἀποσιώμοις*, pro, habes hoc? hoc est, quod supra, *Intelligis?*

16. *Quasi ubi illam expueret miseriam.*] *Vbi* pro quando, & in his, & supra. *Expueret.*] *Expuere* est cum fastidio aliquid rejicere & expellere. Nam *expuere* est extra pus mittere, id est, foras. Nam *pus* est omnis humor corpori onerosus.

17. *Tum me convivam solum abducebat sibi.*] Hoc supererat, ut, qui esset minister magnarum rerum, id est, consiliarius, voluptatum quoque regis particeps esset. Et vide quo significato dicatur, *Me & Convivam, & Solum, & Abducebat*: nam non vocabat, Et *Sibi*, quasi non propter me, sed ut sibi bene esset *Tum me convivam.*] Id est, quum satiætas homi-

num esset, cum odisset negotia, *Convivium solum abducebat.*] Ut,

— *solum nam perfidus ille Te colere.* —
Significat autem, sapiufulc factum.

18. *Regem elegantem narras.*] Qui eligere sciat, aut qui ipse sit eligendus.

19. *Per paucorum hominum.*] Aut qui paucis utitur: aut qui de paucis est, aut qui paucis placet: hoc est, bonis & sapientibus, qui fere pauci sunt. *Imo nullorum arbitror, si tecum vivit.*] Hoc aversus, ne miles audiat. Potest tamen & aliter intelligi, maxime cum milite,

20. *Invidere omnes mihi.*] Plus potest ad significandum infinitum tempus, quam finitum.

21. *Ego non flocci pendere.*] Quod morderet clanculum, vel quod inviderent.

22. *Illi invidere misere.*] *Miser* enim est, cui animæ miseria inest. *Verum unus.*] *Proprie unus.* nam *unus* ex multis dicitur. Et mire est facta nullius ponderis repetitio, ad inertiam loquentis exprimendam, Nam postquam dixit, *Invidere omnes mihi* repetit, *Illi invidere misere.* *Quin & impense & misere* idem significant: & mox tamen sine ullo auctu addidit, *Verum unus tamen impense.* Aut plus est *misere*, quam *impense*.

23. *Elephantis quem Ind. cis præfecerat.*] Et hoc stulte: cum hoc ad dignitatem sumit, & sic pronuntiat, ut magna esse præfectura videatur hæc ipsa. Et hoc à stolido milite sic profertur, tanquam magnum hominem velit esse, qui sibi invideret. Et *Indicis* *αἰὲς εὐπείθεσσι* Maurorum, qui & mitiores sunt.

24. *Is ubi molestus magis est.*] *More suo magis* addidit, ne diceret *molestior.* *Quaso, inquam, Strato.*] *Strato*, nomen accommodatum militiæ.

25. *Eone es ferox.*] *Causale* est, *ideone* significans. *Quia habes imperium in belluas.*] *Mire* extulit, *Imperium in belluas.* Sic *Virgilius*:

— *illa se jactet in aula*

Aolus, & clauso ventorum carcere regne.

26. *Pulchre me hercle dictum.*] Immodica laudatione vertit, etiam si quid faceret dictum est. Sufficienter enim, *pulchre*, quod est *sapienter*. Quod & *jugularas hominem*: *pulchre* tangit militem, *In-*

jugularas dicendo, non occideras: quasi gladio, non verbo usus sit.

27. *Mutus ilico.*] Tam hoc stultum est, quam si diceret, statim nihil. Rectè autem diceret: *Ex illo mutus fuit.* Tale est & illud, *Tacere festinat.*

28. *Quidni esset?*] *Host* est, ut posset esse *jugularas*. *Hominem perditum.*] *Deest*, ò: ut sit, ò hominem perditum: sed sic melius sonat: majoris enim stuporis est, hoc modo pronuntiatum. *Hominem perditum miserumque*, & *sacrilegum.*] Vide quantum addiderit, qui non hominem simpliciter, sed perditum, & miserum illum: nec malum, sed sacrilegum dixerit.

30. *Tetigerim.*] *Luserim*, fatigaverim, nam *Tangere*, cum multa, tum etiam hoc significat.

31. *Numquam: sed narra, obsecro.*] Callide parasitus intelligit ad hoc se interrogatum, ut audire postulet.

32. *Plus millies jam audivi.*] *Ἴπερολί*, aut superfuturum * ut æquatur: aut subjacet, ut tantum non millies convenit stultum eundem & immemorem esse, qua & intelligentia est.

34. *Forte habui scortum.*] Vide quemadmodum miles, dum multa ad dictum suum pervenire fateatur, interim quam contemptus sit atque derisus. Abdomen in corpore foeminarum, patiens injuriæ coitus, *scortum* dicitur: ideo quia *scortum* sunt dura coria. A parte ergo sui meretrices *scorta* dicuntur: vel *δοτὶ τῶ σκώφῃ*, quod Græce palpitare intelligitur: quod illæ faciunt saltando assidue: vel potius crissando, ut *Lucretius* ait, lib. 4. ob eam causam, ut concinniore Venerem exhibeant viris: aut sibi abigant conceptum, quod in vulvam foeminae, in ipso coitu non se moventis, incidit.

36. *Lepus tute es, & pulpamentum quaris.*] *Lepus* pro infamia multa ponitur: vel quod magis à posteriori parte, hoc est, armis, pulpamentum de se præbeat, cum in convivio carpitur appositus, ut *Horatius* ait,

Fœcundi leporis sapiens sectabitur armos. Vel quod venantur illum, & perfectantur canes: quos pro amatoribus *ἀνὰ ποταμῶς*, intelligimus: ut ipse *Terentius* ait, *Cervam videre fugere, sectari canes.*

Vel quod illum sic fugiant omnes, constituat ut hunc libido effœminata. Vel quod à physicis dicatur incerti sexus, ac esse modo mas, modo foemina. *Lepus tute es, & pulpamentum quaris.*] Quod in te habes, hoc quaris in altero & est *αἰετος ἀλληγορία*. *Ha, ha, he.*] Parasitus hic interjectionem risus addidit: quo magis, nunc primum hoc audisse, credatur.

37. *Quid est?*] Hæc interrogatio gestum vultumque continet cujusdam alacris, & certi, quod laudandus sit. *Facete.*] *Facetus* est, qui facit verbis quod vult. *Lepide*] *Lepidus*, qui politus est, ut *λεπτός*, id est, lamina. *Lante.*] *Lantus* qui mundus & splendidus est.

38. *Tuum obsecrone hoc dictum erat.*] Et dicta, & proverbialia, & adagiones, quod rem agant, facietis hominibus aleribantur: & hoc laudis genus est, ad posteriores referre, quod alter probatur dixisse. *Vetus credidi.*] Quia omnia vetera, magna sunt.

39. *Sape.*] Non ex ipso: nam esset contrarium superiori. *Meum est.*] Non sensu tantummodo, sed verbis quoque ipsis agreste est, quod nunc dicit *Meum est.*

40. *Dolet dictum imprudenti adolescenti & libero.*] *Deest mihi*, ut sit, *Dolet mihi.* Et *dictum*, participium est, id est, quod dixisti, addidit enim parasitus, quo gravius sit dictum, commiserationem ejus in quem dictum est, utpote imprudentem adolescentem & liberum. Scit enim homines stultos, malos videri velle. Et vide parasitum in iisdem versari, cum ait supra, *Jugularas*, hæc, *Dolet dictum. Imprudenti.*] Scilicet qui minime crederet, tali se percuti posse convitio: aut cum tali viro sibi rem futuram. & sic laudat militem, ut miseratione jam dignus sit adolescens. Tam festive * ut etiam misereri inimicorum vacet.

41. *At te Dii perdant.*] Nove Parmeno, non ipsi, sed de ipso loquitur, non audiente eo. *Εἰρωνικός*. Parmeno hic male facit; *At te Dii perdant*, inquit.

42. *Risu omnes qui aderant, emoriri.*] Disciplina est comicis, ut stultas sententias, ita etiam vitiosa verba, ascribere ridiculis imperitisque personis, ut

Plautus, *Latronibus ego denumerem stipendium*, inquit ex persona militis. Itaque hic *Emoriri* dixit. At vero *Atticus* adolescens in *Heautont*, *Emori cupio*. Vide igitur Poëtam, pro loco ac tempore scire quid dicat.

43. *Metuebant omnes jam me.*] Ne, cui dicerem, *Lepus tute es, & pulpamentum quaris*. Aut, *Eone es ferox, quia habes imperium in belluas? Non injuria.*] Hoc sic pronuntia, quemadmodum illud supra, *Quidni esset?*

44. *Purgo ego me de istac Thaidi.*] *Οἰκονομία* ad licem futuram inter militem & Thaidem.

45. *Quod eam me amare suspicatur.*] Quia apparet illam militi quoque *τὸ σεσωπηκόον* ostendisse, quod dixit *Phædriæ*.

49. *Imo auge magis suspicionem.*] Hæc erit causa rejiciendi militis.

47. *Scin?*] *Monentis* est dicere *scin?* vel *sciro*. *Si quando illa mentionem.*] *Si quando* & prima syllaba acui potest, & media, tamen variat sententiam.

49. *Id ut ne fiat.*] *Modo Ne*, non, significat. *Hæc res sola est remedio.*] *Si te suspicetur amare Pamphilam.*

50. *Vbi nominabat.*] Et locum & tempus significat *Vbi*. *Tu Pamphilam continuo.*] Hic magna *οἰκονομία* est, qua *Terentius* præparat, quemadmodum jurgium inter Thaidem militemque, & *Gnathonem*, per duas partes serpat fabulæ. Et bene *continuo*: ut intelligat metretix, non tam *Pamphilam* amari, quam sibi vicem dari.

51. *Pamphilam cantatum provocemus.*] *Eleganter*, quia ille foris est, hæc intuse illum intromittamus, illam provocemus. Hæc est in verbis Poëtarum germana proprietas.

54. *Tu hujus contra.*] Hic *contra*, vicem significat.

55. *Quod eam mordeat.*] *Quod par.* Aut absolute *Quod*, quæ res.

56. *Si quidem me amaret: tum istud prodesse Gnatho.*] His versiculis personam militis & *Gnathonis* continentibus, *οἰκονομία* inducitur, quod verisimile sit, facile militem ferre posse, antequam sibi *Phædriam*, qui se semper intellexerit non amari, Nam si hoc tollas,

aut excludendus est Phædria, aut ex dolore militis in hac fabula fit exitus tragicus. Et hoc miles, ut sapiens, locutus est. Ergo meminisse convenit ridiculas personas non omnino stultas & excordes induci à Poëtis comicis. Nam nulla delectatio est, ubi omnino, qui deluduntur, nihil sapit. Stultitia autem est in his quatuor modis: aut non venire in mentem, quod oportet: aut si venerit, non tenere: aut bonum consilium amittere, aut malum admittere. Vide ergo, ut hoc quod commode miles viderat, non tenuerit, totumque amiserit. Hoc autem idcirco interpoluit Poëta, ut ostenderet, quid veneni haberet assentatio: per quam non modo errantes decipiuntur, ac præcipites eunt: verum etiam sapientes interdum, sanique everruntur.

57. *Quando illud quod tu dicit, expectat.*] Hac sententia tollitur militi, quod recte senserat: nec persuadetur tamen, quod ametur ab amica.

58. *Iamdudum te amat.*] Vel nimium & valde, vel jam pridem.

59. *Quod doleat.*] Hoc ad illud refertur, quod supra dixit, *Par pari referto, quod eam mordeat.*

60. *Ne quando iratus tu aliud conferas.*] Et hic locum pro persona, posuit: ut ne diceret, *ad aliam.*

61. *Ut mihi istuc non in mentem venerat.*] Sic pronuntiandum est, quasi militi monstri simile videatur, sapiens dictum alii prius venisse in mentem, quam sibi.

62. *Ridiculum.*] Vel hominem, vel dictum significamus. *Cæterum hoc tute melius quanto invenisses, Thraso!*] Scilicet, si cogitasses.

IN SCENAM SECUNDAM

ACTVS TERTII.

Vide vocem visa sum modo militis.] Hic indicitur multiplex concursus dissimilium personarum, & tamen virtute & consilio Poëta discretarum, ut confusio nulla sit facta sermonis: simul etiam pro se cuique accommodata mire representatur oratio.

3. *Audire vocem visa sum modo militis.*]

Omnes sensus *visa* dicuntur, ab eo quod est certissimum oculorum: Ergo *visa sum*: sensu, ut *Virgilius*:

— *visaque canes ululare per umbram, Adventante Dea.* —

2. *Salve mi Thraso.*] Quia secum, *Miluis*: quia apud illum, *Thraso*. Est quædam actio cuius nomen honestum est: sicut orator, philosophus, est quædam, cuius nomen offensum est, ut miles, lanarius.

3. *Meum Suavium.*] Tria sunt osculandi genera, *osculum* scilicet, *basium*, & *suavium*. *Oscula* officiorum sunt: *Basia*, pudicorum affectuum: *Suavia*, libidinum vel amorum, *Meum Suavium*. Cum oscularetur, dixit. *Quid agitur?*] Et hoc blandimenti genus est post osculum, sed duri est & agrestitis: infert enim, *Ecquid nos amas?* Et *Ecquid*, aliquantumne significat: & ideo illa plurimum, recitat. *Cicero* in *Catilinam*, *Quid est, Catilina? ecquid attendis? ecquid animadvertis horum silentium?*

4. *De fidicina istac?*] *De*, propter: ut sit, propter fidicinam. Et vide non puellam, sed *fidicinam*, quasi ab amatore dictam, & eo amatore, qui quasi memor sit artis, qua delectatur: & quia puella sit æmula meretricis: nam meretricum est fidicinam esse. *Quam venuste quod dedit principium adveniens!*] Bene reprehendit Parmeno, nam in beneficiis debet oblivisci qui dedit, & meminisse qui accepit. Et est gravis *εἰσρωεῖα* *Quam venuste!*

5. *Plurimum merito tuo.*] Facete meretrix amorem suum non ad avaritiam retulit, sed ad officium. Et cum de fidicina, inquit, te amem præcipue merito tuo. Alii sic respondere intelligunt, ut ipsa de fidicina gratias agat, nam cum ille dixerit, *Ecquid nos amas?* illa respondit, *Plurimum*. Quod autem de fidicina hac dixit ille, subiecit hæc, *Merito tuo* id est, quoniam mereris, dando eam. Sed melius est, ut præter munus *Meritum* dixerit, quamquam multi *munus meritum* intelligant, ut est illud *Virgilio*:

Quique sui memores alios fecere merendo: id est, gratos sibi reddidere munerando.

6. *Eamus ergo ad cœnam.*] Decuit parasitum

parasitum de cœna etiam importune admonere, cum quadam *εὐφροσύνη*, velut magnæ rei, *Hem alterum*.] Bene *alterum*, quia duo sunt, *Hem alterum*.] Si hic reprehendatur miles, *alterum dictum*: si parasitus, *alterum hominem*. Vult enim Parmeno & parasito esse versutior, & debet esse, cum peioris conditionis sit, *Hem alterum*.] *Alerum*, non respectively, sed absolute, ac si dixisset, aliud dictum, vel alterum stultum.

7. *Ex homine hunc natum dicas.*] Recte reprehendit Parmeno duos, quorum unus beneficium Thaidi exprobrat, alter pro beneficio cœnam ostendit, tanquam ad eam currendum sit: nam hoc significat, *Quid stas?* quasi sit causa properandi. *Vbi vis, non moror.*] Ad, *Eamus ad cœnam*, *Vbi vis* retulit: Ad *Quid stas, Non moror.*

8. *Quasi nunc exeam.*] Mire, *Nunc exeam*, quippe qui jam dudum procul steterit.

9. *Iturane Thais quopiam es?*] Ut exprimitur Thaidis animum, fingit nescire quo eat. *Hem! Parmeno.*] Vide deprehensam meretricem velle blandimentis satisfacere Parmenoni.

10. *Bene fecisti.*] Quid bene fecit Parmeno? An quasi perturbata hæc loquitur, etiam de nihilo blandiens, utpote meretrix & faceta? An quod illuserit convitio? *Hodie.*] Dulciter additum *hodie*, quasi cum exceptione: quo se significat non perpetuo obsecuturam militi & ut quæ promiserit, biduum tantum abfuturum Phædriam. *Quid? hunc non vides?*] Si dixerit militem, lædit præsentem: si amicum, lædit Parmenonem. Mire igitur pronomen invenit.

11. *Video. & me tadet.*] Opportune Parmeno fatetur odium militis, ut retundat ab eo amorem Thaidis. *Vbi vis, dona adsunt tibi à Phædria.*] Nil potuit extiosius militi contingere, quam ut continuo rivalis mitteret munus, & posterior, & coram ipso. *Dona adsunt tibi à Phædria.*] Cum illa sub pronomine celeraverit nomen militis, ex arte Parmeno pronuntiavit, *A Phædria.*

12. *Quid stamus?*] *Quid stamus?* ad moram refertur. *Quid stamus?*] His verbis miles insulsus dolere se indicat. *Cur*

non imus hinc?] Ubi servus rivalis est Parmeno.

12. *Pace quod fiat tua.*] *Pace*, aut gratia, aut voluntate: & deest *cum*, & sic locutus est, quasi bellum his verbis omnibus indixerit. *Pace quod fiat tua, dare huic qua volumus, convenire & colloqui.*] Proprie: quia *pax*, *datio*, *deditio*, *conventio*, *colloquium*, militiæ verba sunt: & invidiose sic ait, quasi per eum non accipere liceat dona Thaidem, Et sic pronuntiandum, ut subaudiatur *vel*: ut sit, vel dare, vel convenire, & colloqui: ut inter hostes solet. *Sallustius*: *Qua pacta in conventionem non præstitissent.* Et alibi, *Cujus ad verba voluntate, colloquio militibus promisso, corruptio facta paucorum, & exercitus Sylla datus est.*

14. *Dare huic qua volumus.*] Hæc singula cum invidia pronuntianda sunt. *Convenire & colloqui.*] Sic pronuntiandum est, ut quasi dicat, liceat per te miles, quod etiam inter hostes, & in bello licet.

15. *Perpulchra credo dona.*] *Εἰσρωεῖα* de fiducia pulchræ virginis, *Nostris similia.*] Et *his similia*, & *horum similia*, dicimus.

16. *Res indicabit.*] Scit Eunuchi nomen posse contemni: & ideo videri vult potius, quam sperari munera sua, id est, Chæream, *Inbete istos foras exire, quos iussi, ocius*] Cum fiducia & alto vultu pronuntiat: & festinat, ne occupet miles prius abire, quam videat. Et est ordo, *ocius exire.*

17. *Procede tu huc.*] Bene *procede* dixit, non *accede*, aut *veni*: ut appareat dignitas in incessu. Et callide ab inferiore incipit munere, hoc est, à puella ad Chæream venturus, simul ut à vero mancipio incipiens, ad falsum sine suspitione transfret.

18. *Ex Æthiopia est usque hac.*] Quod Thais cupiebat, nam supra, *Nonne ubi dixi cupere te ex Æthiopia ancillulam.* *Vsque* additum, ut longinquitas monstraretur, & hoc est quod factum, *Munus nostrum ornato verbis, quod poteris.* *Ex Æthiopia est usque.*] Hic ostendit quid sit ex Æthiopia, addendo *usque*: ut ex longinquitate dignitas muneris ponderetur, & quid erit jam criminis in colo-

re, quando ipse dicere gloriatur unde sit? Et mire ab inferiore coepit, ut αὐξῆσθαι doni faceret in Chærea: & turpi præcedente, lenocinium comparat secuturo pulchro. *Vsq̄ue*, modo adverbium de loco est: ut, *Siculo prospexit abusque Pachino. Hic sunt tres mina.* Callide munus ad pretium revocavit, ut ad avaritiam converteret meretricem: ne officio donantis & gratia leniretur, & ideo non dixit, tribus minis valet, sed, *hic sunt tres mina*: quasi jam vendenda sit.

19. *Vix.* Aut difficile significat, aut non: ut sit, *ne hoc, Lucilius: Carcer vix carcere dignus. Vbi tu es, Dore?* Tanquam quærat eum, ut nomen indicet: quo audito magis dissimulet Chæream. *Accede huc.* Vultu eo dicitur quo debuit dicere, & dicto æmulorum læsus, & confidentia destitutus, velut in eo duntaxat conspectu Chæreæ confidens. *Hem! Eunuchum tibi.* Mire: postquam dixit,

— *Eunuchum porro dixi velle te, Quia sola utuntur his regina; repperi.*

20. *Quam liberali facie.* Non narrative laudat, sed per interrogationem, quæ major fiducia est, *Quam atate integra.* Id est, qua florent puberes, ut *Virgil. atque integer ævi Ascanius.*

21. *Ita me DI ament.* Juravit ideo, ut non amore Phædræ, sed veritate cogi ad laudandum videatur coram milite. *Honestus.* Pulcher, *Virgilius.*

Et latos oculos afflarat honores.

Honestus. Hic subdidit, quod in ancilla prætermisit, quia Æthiopiis honesta dici non potuit.

22. *Numquid habes.* *Habes* pro invenisti. *Quod contemnas.* Plus est contemnas, quam vituperes: & deest, in hoc: ut sit, numquid habes quod in hoc contemnas?

23. *Tacent: satis laudant.* Taciturnitas confessionis genus est, præsertim contra adversarii interrogationem. Ideo tacere hoc, vel quasi laudis argumentum est: quia supra tacere vituperavit: ideo & ipse sic ait, *Quid tu ais, Gnatho? numquid habes quod contemnas? Tacent: satis laudant.* Et, *Quid tu, Thraso?* quia supra contemplerat puellam. *Fac periculum in literis, fac in palastra, in musi-*

cis. Si totum singulariter diceret, effect *ὁμοιοτέλευτον*, *Litera, palastra, musica.*

24. *Qua liberum Scire æquum est.* Quoniam liberi pueri his artibus erudiebantur. Et est figura ἑλλειψις: deest enim, *His.*

25. *Sollertem.* Id est, disertum. Utrum hæc sollertem, ut *Horatius, Docte sermones utriusque linguae.* An assumendum est *Hu extrinsecus? Sollertem.* Deest, *His, Solers*, quasi totus ex arte consistens, ut ὁλος ἀρετῆς, quod Latinis verbis, quasi solus in arte sit. Huic *iners* contrarium. Nam *solers*, quasi ὁλος ἀρετῆς dicitur. Ὀλον solum, ut ἔξ̄ sex, & ὅς̄ sus dicimus.

26. *Ego illum Eunuchum, si fiet opus, vel sobrius.* Hoc ut militare est: ita importunum præsertim Thaidæ: extra quam, miles si saperet, nihil amatorie contempleri debuit. Sed & hoc accedit ad ejus odium, præterquam quod jam in suspitione est amicæ suæ, quod fiduciam magis diligit. Et hoc mire, quod nemo prior Eunuchum esse Chæream, quam Miles, credidit: adeo stultus etiam nomine ipso appellavit. Sed statim stulte Miles, primo quidem convitium ipsi Eunuchus facit: in quo potest jam lædere amicam, deinde attestatur hoc dicto pulchritudinem hujus muneris. Quid igitur proficit? Satis autem jocularis est, si cogites Chæream esse, qui hæc de se audiat, & tacere cogatur. *Vel sobrius.*

Honestus ἑλλειψις, propter mulieris præsentiam, ut *Virgilius, Novimus & qui te.* Et ipse in Heautont.

Qui se vidente amicam pariat suam. Hoc tamen miles coactus à Parmenone dicit, quia reprehensus est tacuisse.

27. *Atque hæc qui misit.* Id est, tanta munera, hoc enim hæc significat. *Non sibi soli postulat.* Hoc est, *Isium amulum, quod potes, ab ipsa pellito.*

28. *Sua causa excludi ceteros.* Nihil potuit dici invidiosius. Non enim dixit Phædræ, sed ceteros, quasi futuri amatores fuissent, nisi metueretur exemplum Phædræ.

29. *Neque pugnas narrat.* Descriptio militis, tantum excepto nomine. *Neque cicatrices.* Insigne fœditatis, Nam apud meretricem quid aliud cicatrices valent?

Nam cicatrices et si semper gloriosæ sint, non tamen etiam apud meretrices, quibus post precium forma placet, ut *Sallustius* quoque fateretur, *Hæc sunt virtutis insignia: dishonestamenta tamen esse corpori, maxime latantur.*

30. *Neque tibi obstat.* Qui à te repellat amatores tuos. *Quod quidam facit.* Quidam recte, nam & figuratum & aptum sententiæ est, & contemptum indicat hoc verbum.

31. *Vbi molestum non erit.* Ad superiora retulit, quod nunc dicit: Scilicet ad *Non sibi soli postulat te vivere.* & *Sua causa excludi ceteros: neque pugnas narrat.* &c. *Vbi molestum non erit, ubi tu voles.* Ad *Neque tibi obstat: Vbi tempus tibi erit.* Et mire occupat animum meretricis, cum illam hujus impulsu inducit facere, quidquid dure fecit excludendo Phædræ. Hic igitur qui scit præcepta de beneficiis æstimandis, intelligit oratorie in utramque partem dicta omnia, *Verum ubi molestum.* Utrum tibi molestum, an aliis? sed aliis, quia illaturus est.

32. *Vbi tempus tibi erit.* Non amatori. Et ubi tu voles: non ut nunc in Milite pateris, *Vbi tempus tibi erit, sat habet, si tum recipitur.* His dictis & Militem repulit ab animo Meretricis, & commendavit Adolescentem: & perfecit ne injuria videatur apud Thaidem, quod sponte susceperit Phædræ.

33. *Apparet servum hunc esse domini pauperis.* Tristiores enim sunt servi pauperum, & ob hoc ipsum nequiores. & hoc melius erat: quamvis illud aliter Parasitus exponat. *Domini pauperis miserique.* Bene additum *miseri*: quia non continuo pauper etiam miser est.

34. *Nam hercle nemo posset.* Secundum illud, *Ait, aio,* approbat parasitus quod Miles dixit. Et est ordo, Nam hercle satis scio, nemo posset hunc perpeti, qui haberet qui pararet alium servum. *Nam hercle nemo posset.* Aliam causam subtiliorem assignat Parasitus, quam quam dixerat Miles.

35. *Qui haberet qui pararet.* Prius *Qui*, pronomen: sequens adverbium est.

36. *Quem ego esse puto infra omnes infi-*

mos homines. Multum dixit, *infra infimos omnes homines.* nam hac sententia vult, illum hominem servis etiam esse pejorem: quia & servus, homo, ut in Phormione,

Servum hominem causam orare leges non sinunt.

37. *Qui huic animum assentari induxeris.* Propriè: nam animus inducitur adversum objectas difficultates.

38. *E flamma te petere cibum posse arborum.* Unde sine damno aut malo nihil potest auferri. *E flamma.* Hoc intelligit, non ex foco, sed ex medio ignis, vel incendio flammæ. Nam antiquum verbum est, *Petere cibum è flamma*, mordetque utrumque simul: ut nescias quem pejus vituperaverit, hujusne famem, an illius immanitatem, vel voraginem. Et simul vide convitium redditum, unde conjectum est: id est, de paupertate & egestate.

39. *Iamne imus?* Odium Parmenonis, & itomachum militis ista indicat festinatio. & *Iam*, increpatio moræ est.

40. *Post huc continuo exeo.* Legitur & *postea*, & post, ut sit post pro *postea*. *ΑΠΟΡΩΤΗΔΕ* * quomodo pro *postremo post*.

41. *Ego hinc abeo.* Consequens erat ut offenderetur miles, tam diligenter rivalis munus suscipiente meretrice.

42. *Vna ire cum amica imperatorem in via.* Vide *αἰσχρολογία* futuræ litis inter Thaidem & militem. *Cum amica.* Mirifice *amicam* dixit, non meretricem. *Imperatorem in via.* Congruè in militem: quasi ipse sit, sub quo est. & hic servat Parmeno, quod sibi mandatum est, *Et istum amulum, quod poteris, ab ea pellito.* Et bene mutat nomina, hinc ad honorem, hinc ad invidiam. Hanc, non Meretricem, sed Amicam dixit: hunc, non Militem, sed Imperatorem.

43. *Quid tibi ego multa dicam?* Non habuit aliud miles stultus: & redit ad illa quæ supra dixit, *Domini pauperis miserique. Domini similis es.* Ineptus jocus, in quo servus injuriæ vice domino comparatur.

44. *Quid rides?* Et hoc eo vultu dicitur, quasi sibi concius sit miles facete dicti convitii, nam non quod nesciat

causam risus, eo interrogat quid riserit: sed ideo, ut denuo laudetur.

45. *Et illud de Rhodio dictum.*] Hoc est illud, *Eorum ingenia admiror simul.* Et huic, ut apparet, fit amior: ideo facilius ab amica, quam à parasito separabitur.

46. *Abi praere, curre, ut sint domi parata omnia.*] Non dixit *qua*: quia intelligitur. *Domus ut sint parata omnia.*] Ἐλλήεις ἡδύνα, in qua plus vultu significatur, quam verbis.

47. *Fiat.*] *Faciam*, vel *fiat*, diceret servus: liber vero, *fiat*: tanquam & ipse jubeat sibi.

48. *Si Chremes huc forte ad me venerit.*] Οἰκονομία ad litem futuram, & exitum fabulae. Et hoc non audit miles: nam si audiret, nimis irasceret.

50. *Ad me adducito.*] *Modo ubi sum* significat.

51. *Quid? quid aliud volui dicere?*] *Pro, quid aliud?* hinc est illud Ciceronis, *Quem, quemnam? recte admones; Polyctetum esse dicebant.*

52. *Curate istam diligenter Virginem.*] *Hæc res est, quæ faciet Virginem claudi, in lectulo collocari, & obdormire. Curate istam diligenter Virginem.*] *Ridiculum, quum contra eventurum sit.*

53. *Vos me sequimini.*] Καὶ ἐπὶ ὄπισθεν sunt puellæ, quæ sequuntur.

IN SCENAM TERTIAM

ACTVS TERTII.

1. *Profecto quanto magis magisque cogito.*] *Hæc persona apud Menandrum adolescentis rustici est, & inconsequens oratio est. Sed conceditur secum loquentibus multa transcendere, quæ taciti intelligunt: est enim integrum hoc modo, Profecto quanto magis magisque cogito, nimirum intelligo vel invenio, quod dabit hæc Thais mihi magnum malum. Potest autem nimirum & pro confirmatione accipi, ut nihil desit: ut sit nimirum, sine dubio, pro certo.*

2. *Nimirum dabit hæc Thais mihi magnum malum.*] *Solve nimirum, & fac, non est mirum: & statim consequens*

erit per ἀσώδητον tota sententia, quasi dixerit, non est mirum: & subdistingtione interposita mox intulerit, *dabit hæc Thais mihi magnum malum.* Nam *Ni*, ne significat: & *Ne non*, *Ni* pro ne: *Virgilius*,

— *Lati discrimine parvo*

Ni teneant. —

Ne pro non: Plautus, Ne vult, inquit, pro non vult. Nimirum dabit hæc Thais mihi magnum malum.] His verbis intelligitur se sentire paulatim labi in amorem meretricis, quamvis invitum, & adhuc retinentem mentem.

5. *Roget quis quid tibi cum illa.*] Prius intulit, quam interrogavit.

6. *Vt tibi manerem.*] *Manerem*, modo, non dormirem, sed remanerem significat.

7. *Et rem seriam velle agere mecum.*] *Scilicet, quæ non posset nunc agi, cum operetur. An rem seriam magis agendam tunc putabat, cum rem divinam fecisset?*

9. *Dolo malo hæc fieri omnia.*] *Dolus à lædendo dictus, id est, à dolando, id est, minuendo: nam & δόλος Græce læsio dicitur: & dolones, tela quædam bellica: & dolare fabri, lignum est alia cædere. Quod autem addidit malo: aut ἀρὰς ἄσως est, quia sic in duodecim tabulis à veteribus scriptum est: aut ἀσώδητον doli est perpetuum: aut diastole est, quia est & bonus, quo à medentibus falli ægros, non tamen decipi, Lucretius Poëta testatur initio lib. 4. *Accumbere mecum.*] *Mecum*, penes me significat.*

10. *Mihi sese dare.*] *Non potest magis significari profusa petulantia. Sermonem quarere.*] *Sermonem quarimus.*] quando non solum quod dicamus querimus, verum etiam quomodo alter nobis respondeat & obloquatur: puta cum deficientibus sermocinandi causis, *quota sit hora, & satis recte quis valuerit, percontamur.*

11. *Hæc evasit.*] *Tanquam impudenter contenderit ad hanc inquisitionem. Quam pridem pater mihi & mater mortui essent.*] *Hoc propter ætatem puellæ inquisitum est.*

12. *Iamdiu.*] *Jam olim.*

13. *Et quam longe à mari.*] *Hoc ideo meretrix inquisivit, ut sciret, utrum rapina prædonibus fuisset: quippe ad mediterraneum locum, qui accessus esse potuit Piratis, Sed tamen non abhorret à suspitione hujus meretricis, quod & scire vellet cujus pretii fundum habeat Chremes: hoc est, quam amœnum, vel quam maritimum.*

14. *Sperat se à me avellere.*] *Bono usus est verbo avellere, tanquam à pertinaciter retinente.*

16. *Quid habuisset, cum perit.*] *Cum, pro quando: aut cum periret.*

17. *Hæc cur quaritet.*] *In gestu ac vultu id quod restat ostenditur. Nam deest, nescio.*

19. *Hanc se intendit esse.*] *Proprie intendere, est crimen in adversarium jacere.*

21. *Majuscula est.*] *Diminutive dixit, ut ostenderet utramque esse primævam.*

22. *Misit porro orare.*] *Porro, pro potest. Vt venirem serio.*] *Utrum, ut venire serio, an orare serio?*

23. *Aut dicat quid volt.*] *Pro quid velit. In Hecyra, Ac vide quam immerito agritudo hæc oritur mihi abs te Sofrata. Aut molesta ne fiet.*] *Aut hoc moraliter (nam cui hoc imperat?) aut cum quo hoc agit.*

24. *Hæc heus, PY, hic quis est.*] *Hæc separatim pronuntianda sunt, nam apparet inter hæc verba pulsata janua personare.*

25. *Ego sum Chremes.*] *Vide quantum distet, ac varia sit hujus rusticitas, Ego sum Chremes: à faceta Meretricis disciplina. O capitulum lepidissimum.*] *Nam rusticum esse statim magis apparebit, ubi dixerit, Rus eo: & ῥωκείσματα σὺ ΠΟΝΙΚΜΩ.*

26. *Dico ego mihi insidias fieri.*] *Blandimentum rusticum insidias putat.*

27. *Rus eo.*] *Pro potiore negotio rus posuit, & major negatio est, quam si diceret, Non huc venio.*

28. *Non possum, inquam.*] *Plus est, quam nolo.*

29. *Dum redeat ipsa.*] *Ipsa, vel domina, vel ipsa de qua agitur. Nihil minus. Deest faciam,*

30. *Malam rem! hinc abis.*] *Hoc adverbialiter dixit: quemadmodum dicimus, Domum ibis. Et apparet illum manu tactum esse, qui sic irascitur, quia dixit Pythias, Cur, mi Chremes? quasi dicat, Cur meus sic indignatus est adolescentens? nam ab eo quod est meus, vocativus mi facit.*

31. *Amabo, ut illuc transeas ubi illa est.*] *Vide non esse otiosum, quod omnia prætentata sunt potius, quam res importuna fieret, ut ad Militis domum Chremes deduceretur. neque enim hoc conveniebat personæ Bacchiali: quoniam aut infacetum, & præter usum, aut importunum: ideo hoc ipsum Doricæ præcepit. Vt illuc transeas ubi illa est.] Ut brevem viam demonstraret, non eas, sed transeas, dixit. Amabo.] Interjectio est amantis: sic verbum sonat.*

IN SCENAM QUARTAM

ACTVS TERTII.

Hæc aliquot adolescentuli coimus in Piræo.] *In hoc proloquio insinuat persona ejus est, cui narraturus est Chærea, quæ à se post scenam facta sunt. Fit autem hoc populi causa, ut spectator auribus accipiat, quod subjicere oculis Poëtæ non potuit.*

1. *Hæc aliquot adolescentuli.*] *Bene inventa persona est, cui narret Chærea, ne unus diu loquatur: ut apud Menandrum. Coimus.] Coimus, consensus, ac pepigimus: ne sit solœcismus. In Piræo.] *Pro in Piræum.**

2. *Vt de symbolis essemus.*] *Plautus in Menæchmis, Minore numquam fui dispendio. Sed melius Essemus, producta (e) litera.*

3. *Præfecimus.*] *Id est, οὐκ οὐραρχῶ fecimus. Dati annuli.] Nihil interim de scorto, apparet enim ephēbos esse.*

4. *Præterit t. mpus.] Quia tempus constitutum est. Quo in loco.] Quia locus constitutus est.*

5. *Homo ipse.] Quia Chæream ei rei præfecimus.*

6. *Ceteri dedere.] Ceteri, exceptis me atque illo.*

7. *Quisnam hinc à Thaidè.] Causa sciscitandi est admiratio de habitu*

commutato, & vix agnitus Chærea.

8. *Is est, an non est? ipse est.*] Vide an potuerit meretricem ignotam hoc habitu atque ornatu fallere, qui ab Antiphone vix agnoscitur. *Quid hoc hominis?*] Vide an longam narrationem possit audire, qui nondum amico narrat, & jam affectus pendet. *Quid hoc hominis?*] Quod à Thaide ephèbus exit. *Quid hic orna. us est?*] Quia Eunuchi veste indutus est.

9. *Quid illud mali est?*] Quod timidus egreatur.

10. *Quid sit sciscitari.*] Sciscitari, est occulta magis & secretiora rimari, ac velle cognoscere, ut,

Suspensi Euriphilum scitatum aracula Phœbi

Mittimus. —

IN SCENAM QUINTAM

ACTVS TERTII.

*N*um quis hic est? nemo est.] In hac scena, verba gestum vultumque indicant exeuntis: cui obvia persona objicitur, sub cuius occasione spectatoribus gesta narrabuntur.

1. *Num quis hic est? nemo est. Num quis hinc me sequitur.*] Duo metuit, ne quis obuius comprehensor occurrat: & ne quis sui persecutor existat. Nemo homo est.] Quamvis per nemo, homo intelligatur: tamen addidit homo, ut veteres solent, τὸ ἀρχαϊκῶς.

2. *Iamne erumpere hoc licet mihi gaudium?*] Erumpere, quasi activum verbum posuit, pro neutrali: ut sit, Licetne mihi erumpere hoc gaudium? Aut erumpere quasi exire. *Mihi*, pro à me. *Erumpere.*] Utrumne erumpere, pro emittere posuit? An erumpere pro exclamare? ut erumpere vocem dicitur, qui exclamat. nam, Pro Iuppiter dicitur est.

3. *Nunc est profecto.*] Ordo & sensus hic est, Nunc est profecto tempus, cum perperam me possum interfici. Hoc autem cur ipse dixerit, statim subjicit causam. *Cum perperam me possum.*] Animadvertendum est, quod si cum conjuncte legeris, quando significat: si separatim, dum significat, *Nunc est profecto.*] Figurate,

ac conjuncte lege sine disjunctione;

4. *Contaminet vita agritudine aliqua.*] Mire vitæ crimen ostendit: velut ipsa sit campus, possessioque fortunæ instabilis variorum.

5. *Sed neminem curiosum, &c.*] Apparatus ad intentionem futuræ narrationis dicitur.

6. *Qui me sequatur.*] Id cupit gaudens, quod tristibus molestum est, nam contra *Menedemus* gravatur narrare quæ dolet, *Obiundat.*] Odiose instet ac repetat, molestus & odiosus sit. *Enecet.*] Εὐφρονέτερον quam enicet.

7. *Quid gestiam.*] Deest *quærens*: ut sit, rogitando obtundat & enecet, quærens quid gestiam. *Gestire*, est motu corporis monstrare quid sentias. Constat autem, à pecudibus ad homines esse translatum. *Quid gestiam.*] *Gestire* proprie est, sensum corporis gestu indicare: quid magis brutorum est animalium, *Virgilius*, *Et studio in cassum videas gestire lavandi.* Aut *quid latus sim.*] Propter quid. *Vnde emergam.*] Proprie dixit *Emergam*, ut ex lustris atque inhonestis locis, utpote meretricis domo. *Cicero*, *At ne tum quidem emerisisti lustrante Caspini!* ex miserimis natura tua sordibus.

8. *Vestitum hunc natus.*] Bene *Natus* dixit: ut qui non sumeret, nisi suassisset hæc occasio.

9. *Adibo: atque ab eo gratiam, &c.*] Sensus & ordo hic est, *Adibo*, atque ab eo gratiam hanc inibo. *Gratiam inire*, est dare beneficium, ac per hoc alicujus inire gratiam, id est, amicitiam. sed hæc est elocutio, *Gratiam ab eo inibo*, pro, ejus gratiam merebor. Nam ab eo, amat *Terentius* pro ejus ponere: ut in *Andria*, *Hæc primum animadvertenda ab eo injuria est.*

Id est, ejus injuria. *Inire autem gratiam*, est mereri gratiam. *Plautus.*

Iniertamen solidam & grandem gratiam,

10. *Quid est quod sic gestis?*] Facete repetit verba ejus interrogationis, ut sciat se jam pridem esse præsentem. *Quid sibi hic vestitus quærit?*] Facete & figurate dictum est, sic & alibi,

Vt pernoscatis quid sibi Eunuchus velit,

11. *Quid est quod latus sis?*] Vide aliud esse *gestire*, aliud *latus esse*. *Quid*

sibi vis?] Πρὸς τὸ, *Quid mihi velim.* *Sanus sanus?*] Πρὸς τὸ, *Sanus sim, an insaniam?* *Quid me aspectas? quid taces?*] His duabus interrogatiunculis descripsit vultum dicturi.

12. *O festus dies hominis! Amice! salve.*] Decet à salutatione incipere luculente dicturum. Illud autem verisimile est, & percussum re nova, & audiendi cupidum, immemorem extitisse salutandi. *O festus dies.*] Utrum quia causa est festi ac læti diei? an quia ipse tantus sit quantus est festus dies? *O festus dies hominis.*] Pro, *homo festi diei*. Sic dicitur etiam *scelus homo*. *Ennius*, *O pietas mihi.*

13. *Quem ego magis nunc.*] Bene additum *Magis*, ut his amicis se antepositum intelligat, quos cum optet videre *Chærea*, tamen eum magis, adeo ut aliis amicis antepositum neminem cupiat.

14. *Imo ego te obsecro hercle ut audias.*] Bonum compendium, ne multa diceret ad commendandum, ut solet, narrationem futuram. *Imo te obsecro hercle ut audias.*] Bene contulit verba: ut ex his appareat, quid agere velit. Ille dixit *Quæso*, hic *Obsecro*.

15. *Nostin' hanc, quam amat frater?*] Queritur an verisimile sit Antiphoni notam esse Thaidem, quam frater ipse nesciverit. Sed intelligere debemus, modo notitiam non vultus, sed famæ positam esse: quam famam potuit ex Phædria & Antipho scire. At vero aliam notitiam negaverat *Chærea* sibi fuisse cum Thaidè, hoc est, visus, vultus, oris, & corporis. *Novi; nempe opinor, Thaidem.*] Verisimile est hæc scire Antiphonem, qui adeo sit familiaris *Chærea*. Et est ordo hic; *Novi, nempe, opinor Thaidem.*] Optime & ab illo tacitum, & ab hoc nomen ablatum est; ut appareat quam noverit, & quam possit assequi quæ dicentur.

17. *Faciem prædicem, aut laudem.*] *Prædicamus*, ut res sunt: *Laudamus* extollendo. Vel *prædicamus* voce: *Laudamus* argumentis. *Quid ego ejus tibi.*] Ordo hic esse debet, *Quid ego ejus tibi nunc faciem prædicem, aut laudem, Antipho? in hac commotus sum: cum me ipsum noris, quam elegans formarum spectator siem.* ut sit sen-

sus; In hac commotus sum: ille scilicet, qui, ut scis, formas solet eligere, ac fastidire pro merito.

18. *Quam elegans formarum spectator siem?*] Elegans spectator est, qui sit cunctantis & fastidiosi judicii: cui non quid placet facile. *Spectator.*] Probator: ut *pecunia spectatores* dicuntur.

19. *In hac commotus sum.*] Non est consequens: esset autem, si diceretur, In hac commotum me scias. Erit ergo ordo, & sensus qui supra. *Primam dicces, scio.*] O fiduciam elegantiae, & de alienis oculis judicare.

20. *Quid multa verba! amare coepi.*] Ordine egit, nam prius est, commoveri: inde amare. Et bene non ante dicit, quid aggressus fuerit, nisi amoris mentione prælata: quo cogente nihil est infectum cupientibus.

22. *Submonuit.*] Leviter monuit & recte, quia *arripui* dicturus est. Et totum optime: nam ut non erat boni adolescentis, hanc technam reperire: sic ab illo repertam, fuit plane veri amatoris arripere.

23. *Tacitus citius audies.*] In oratione solemus corripere extra ordinem percontantes. Et bene celeritatem promissit, quia facile tenetur auditor. Et mire, tanquam sola interrogatio moræ sit.

24. *Et pro illo jubeam me illuc ducier.*] *Jubeam* amico dixit, tanquam inter honesta sit, quod utile sit, & turpe factum plerumque perseverante impudentia relevatur.

25. *Quidnam ex ea re tandem.*] Transit à reprehensione facti, ad causam ipsius facti.

27. *Num parva causa, aut parva ratio est.*] Sic illata interrogatio est, quasi ad hanc annuere, & vultu consentire Antipho sit coactus.

28. *Lata vero ad se adducit domum, commendat virginem.*] Omnia mire, quod læta, quod adducit, quod domum, quod commendat virginem. Specta singula, & mirare virtutem Poëtæ. hic enim commendandum est locus, erroris initium continens, apud Thaidem convitium.

29. *Tibi ne?*] Non interrogat, sed miratur. *Satis tuto tamen?*] *Quid hic fa-*

cit tamen? Utrum hoc? etsi meretrix, tamen satis tuto agit An? etsi Chærea, satis tuto tamen: quia nullus accedet alius.

30. *Edicit.*] *Edicimus*, jubemus: vel jure dicimus, *Edicta* enim Imperatoris sunt. *Et mihi, ne abscedam, imperat.*] Cerse nullus vir accedit.

31. *Maneam solus.*] *Remaneam*, perseveremque in loco, ac per hoc sim miser, utpote dono datus, & serviens meretrici, & est εἰς ὄψεσιν.

32. *Ego, inquit, ad cenam hinc eo.*] *Μίμνους*, ad imprudentiam mulieris exprimentam, quæ hoc die erit secura de custode Eunucho.

33. *Abducit secum ancillas.*] *Memoriter*: nam dixerat abiens, *Vos me sequimini. Paucæ, quæ circa illam essent.*] *Relictæ* nonnullæ, ut lavari possit ea virgo, quæ sub vitii hujus occasione nuptura est. Hoc enim totum sic inducit Poëta, ut non abhorreat à legitimis nuptiis, in ea præsertim quæ uxor futura est. *Manent.*] *Pro remanent.* ἀπέχεις.

34. *Novitia puella.*] *Ἀνεπίστως*, *Novitia*, & *puella*. Continuo hæc adornant ut lavet.] *Hæc pluraliter*, pro hæc. ut in Phormione, *Hæc illa erant stiones. Adornant autem, ex medio significatu, pro apparant*

35. *Dum apparatus, virgo in conclavi seder.*] *Impersonaliter* dixit. & *dum apparatus*, pro *dum apparatus*: & *seder*, pro *sedebat*. *Virgo in conclavi seder.*] *Conclavæ*, est separatio locus in interioribus tectis: vel quod intra eum loca multa & cubicula clausa sint ad hærentia triclinio.

36. *Suspectans tabulam quandam pictam.*] *Bene*, accedit repente pictura ad hortamenta aggradiendæ virginis: ideo quia non ad hoc venerat Chærea, ut continuo vitaret puellam, sed ut videret, audiret, essetque una: cum nihil amplius cogitaret, ausus, incitatusque dum picturam cereret. *Jovem quo pacto.*] *Mira inventio*, qua hæc pictura domui tribuitur meretricis, adversus omnium pudicitiam amorum, contra parsimoniam, contra dignitatem, contra pudicitiam.

37. *Misse aiunt.*] *Bene aiunt*: &

quia fabula est, & quia tam turpis Jovi, quam apta meretrici. *Quo pacto Danaamisse aiunt quondam in gremium imbrems aureum.*] *Quæ aptior pictura domui meretricis ad amatorum illecebras, quam hæc, quæ exemplum continet amoris, & amoris puellæ, & amoris ad Jovem pertinentis: & amoris non gratuiti, nec parvi propositi, sed auro in gremium fluente venalis. Tum quod in gremium Danaæ etiam ipse Jupiter, ut splendidus imber illabitur: nonne videtur meretrix dicere adolescentulis, illam corporis partem auctore Jove velut inauratam fuisse? Imbrems aureum.*] *Non rorem vel pluviam, sed Imbrems addiderat. ô avaritiam meretricis:*

38. *Egomet quoque id spectare cepi.*] *Moris est ad id oculos vertere, quod videmus: & cum quem aspiciamus, intueri.*

39. *Iam olim ille ludum.*] *Bene*, non scelus, sed *ludum* dixit. *Impendo.*] *Id est, magis, magisque luserat. Et luserat ludum, ut, Hunc oro sine me furere ante furorem.* figura ἀπ' αὐτοῦ.

40. *Deum sese in hominem convertisse.*] *Philosophice nunc Terentius demonstravit, quam cladem moribus hominum, & civitatibus afferant signenta Poëtarum, cum exempla scelerum afferant peccaturis. Deum sese in hominem convertisse.*] *Utrum quia Jupiter humana forma aurum infundens pictus erat in tabulis, non pro Jove aurum? an in hominem, id est, hominis audaciam atque flagitia? Atque per alienas tegulas.*] *Hic apparet Jovem separatim, separatim aurum fuisse pictum. In alienas tegulas.*] *Satis comico caractere locutus est, & pressio stylo.*

41. *Venisse clanculum per impluvium.*] *Hæc omnia non ut difficilia factu, sed ut humilia, & Jove indigna proferuntur, ut merito sequatur, Ego homuncio hoc non facerem, quod non solum non Jovi, sed ne homini quidem, nisi furi, aptum erat? Fucum factum mulieri.*] *Id est, ut fucum faceret, hoc est, insidias & fraudem. Fucum, astutam fraudem: & mulieri, pro, foemina.*

42. *Qui templum caeli summa sonitu concutit.*] *Ab autoritate personæ, ut sit in exemplis. Sonitu concutit.*] *Περίστασις.*

De Ennio. Templum caeli.] *Sententia tragica: sed de industria, non errore.*

43. *Ego homuncio hoc non facerem?*] *Oratorie, ut Jovem extulit, ita, detraxit sibi: ut puta, Ille est Deus, & magnus: ego non homo, sed homuncio.*

44. *Dum hæc mecum reputo, accersitur lavatum.*] *Servavit ordinem nuptiarum: & proprio verbo, quasi de nuptura dixit. Accersitur.*] *Ut alibi,*

Quam mox virginem accersant. *Nam ipse illam est habiturus uxorem. Dum hæc mecum reputo.*] *Hic ostendit, non sibi primum hæc nunc in mentem venisse, sed tunc etiam cogitata, cum nondum esset in domo meretricis.*

45. *It, lavit, redit.*] *Συμπύσια*, qua solet, utitur. *Deinde illam in lecto illa collocarunt.*] *Vide an aliquid deest legitimis nuptiis: nam & ipsum verbum collocant proprium est, & adscribitur pronubis.*

46. *Sto expectans, si quid mihi impertent.*] *Ἐπέσπασα.* *Non enim dixit stabam. Expectans, desiderans. Et mire omne tempus executus est salva veritate, in qua Virgilius negligens invenitur: cum post occisum Mezentium, non facta notis mentione, statim intulit,*

Oceanum interea surgens aurora reliquit.

47. *Cape hoc flabellum.*] *Præclare non sensum, sed verba ipsa per μίμνους induxit, per quam puellaris error exprimitur. Cape hoc flabellum, & ventulum huic sic facito.*] *Quam particulatim, cum qua diligentia & δεικνύσας jubet, quasi novitio & imperito? Ventulum huic sic facito, dum lavamur.*] *Demonstrativum, & gestu explicandum.*

48. *Vbi nos laverimus.*] *Vide usum verbi tam cito variatum, Dum lavamur: & Vbi laverimus. Accipio tristis.*] *Id est, tristi similis: ut, Namque ut conspectu in medio turbatus inermis Constitit. Accipio tristis.*] *Bene Tristis, tanquam aliud magis veller, hoc est, lavare, aut ludere: metuit enim ne quod cupit, prodatur gaudio. Si voles, lavato.*] *Quasi satisfaciens est, cum solum illum relinquunt cum virgine.*

49. *Os tuum impudens.*] *Licet jocanti*

& amico convitium jocunde facere.

50. *Quis esset status.*] *Statura corpori adscribitur: Status ad habitum refertur. Ergo status est ὄψις: Statura, longitudo corporis. Te asinum tantum.*] *Quia hoc ministerium delicatorum servorum est.*

51. *Omnes prorum se.*] *Verbo neutrali quasi activo usus est.*

52. *Vbi absunt.*] *Vbi, & temporis & loci potest esse.*

53. *Interea somnus virginem opprimit.*] *Utpote compressam somno, & oblectatam flabello, atque ab Eunucho nihil metuentem. Ego limus spectro.*] *Limis, si nominativus singularis est, transversus significat: si septimus pluralis, deest oculis. Nam limis, est transversus: unde limen dicitur quoque, quod ingredientibus exeuntibusque transversum est. Quam igitur dissimulant homines se videre quod vident, & non recta facie, sed transversa intuentur, limis dicuntur aspicere.*

54. *Sic per flabellum clanculum.*] *Sic δεικνύσας est, & necessario additum, nam & limis & per flabellum, sine demonstratione parum intelligitur. Limis aspecto.*] *Cum limi dicantur obliqui generaliter, hoc tamen de oculis dicitur.*

55. *Pessulum ostio obdo.*] *Scilicet ut amoveret arceretque auxilium Virginis,*

56. *Quid tum Fatue?*] *Quid enim præter vitium superest, ubi amator est adolescens, & virgo dormiens & inelusa? Grate explicata narratio est, quam audientis curiositas finit, & cujus in extrema parte major attentio est. Fateor.*] *Me fatuum qui hoc quaesierim, subauditur. An ego occasionem mihi ostentatam tantam, tam brevem, tam optatam, tam insperatam, amitterem?*] *Vide quanta dixerit: non voluntatem, sed occasionem: non animadvertam, sed ostentatam: non hanc, sed tantam: non angustam, sed brevem: non appetitam, sed optatam: non repentinam, sed insperatam. Et bene insperatam: aliud enim sibi promiserat; ut supra diximus, non quod pictura occasioque persuasit.*

57. *Tu pol ego is, &c.*] *Eunuchus scil.*

59. *Sane hercle ut dicis.*] *Deest, ita est.*

Sed interim de symbolis quid actum est?] Bene memor est persona, quam induxit Poëta, per hanc interrogationem. *Sed interim de symbolis.*] Παροισμῶδες, ἀγὰ ἀπὸ τοῦ ἁποειδίου.

60. *Frugi es.*] Utilis & necessarius: ut fruges humano generi. *Frugi* est ergo, in quo est aliquid quo fruamur, id est, utamur. *Discum.*] Nomen est proprium *Discum*.

61. *Sed tanto citius properemus.*] *Properemus* dixit, pro ambulemus. *Muta vestem.*] Hæc οἰκονομία est ad id, quod in domum Thaidis rediturus est Chærea.

62. *Vbi mutem?*] Vultu ostendit, quod subaudiatur *nescio. Nam domo exulo.*] Deest *Prope*, aut *Veluti*: ut sit, *Prope* jam exulo. *Exulo* duobus modis dicitur: & de loco in quo exul est, & de loco ex quo eiectus est. *Nunc metuo fratrem.*] Causas ostendit, cur domo penitus veluti exulet.

63. *Pater ne rure redierit.*] Præparatur jam interventus senis: & est *sed sua* ad superiora, nam & hic *metuo* est subaudiendum.

64. *Ibi proximum est.*] Hoc est domus mea. *Recte dicis. Eamus.*] Ipsa verba quodammodo festinationem sonant.

65. *Quo pacto porro.*] Porro, postea, deinceps.

IN SCENAM PRIMAM ACTVS QVARTI.

Ita me DI bene ament.] Ea persona *quasita* est, qua terribilem credat militem: & eo magis in experiendo vanus ac ridiculus esse possit.

1. *Ita me DI bene ament.*] Hoc loco quid post scenam gestum sit, hoc est, in convivio militis, ancilla demonstrat: ut jam quæ in proscenio agantur, ex his possimus agnoscere.

2. *Ne quam ille hodie insanus.*] *Illum.* & *Ille insanus.* sic effertur, ut omnibus insuavis miles esse noscatur.

3. *Nam postquam iste advenit.*] Instante admonet, qui scilicet sit Chremes.

4. *Militem rogat.*] Et hoc quasi de pido *Militem* dixit, non *Thraconem*. *Continuo irasci.*] Ut rivali,

5. *Neque negare audent.*] Ut amicæ potestati. *Instare ut hominem invitet.*] Vide impudentiam Meretricis. primum petit ut jubeat eum admitti: postea ut invitet, quod est majus.

6. *Id faciebat retinendi illius causa.*] Admonet spectatorem, ne existimet alteri rivali injuriam fieri Phædræ. Et simul est hic *οὐρανοειδὴ* Virginis agnoscenda.

8. *Invoitat tristis.*] *Tristis*, invitatus, non libenter. Ut è contrario *Virgilius*,

— *Vobis*

Latus ego hunc candentem in littore taurum

Constituam ante aras, voti reus. —

Et, *Accipio tristis*, eodem modo. *Mansit ibi.*] Adolescens scilicet. Et *Mansit* pro remoratus est. id est, accubuit, nec recessit, *mansit* significat. Simile est, *Mansit*, passus est. Sic, *Chremes mansit*, immoratus est, conviva necessitate recessit, accipiendus est. *Sermonem occipit.*] *Sermonem*, colloquium dicit.

9. *Adductum emulum.*] Plus dixit *Adductum*, quam *Admissum*: & simul quia videbat furibundum Chremem, & totum crimen revocat ad Thaidem. Et hæc est causa, cur à Milite in ejus domo nullam rixam patiatur Chremes.

10. *Huic agre.*] Huic Thaidi, non adducto. *Heus, inquit, puer.*] Hic ostenditur, quod supra apparatus est. *Pamphilam accersere.*] Non *provoca*, sed *accersere*: quia non est aptum militi.

11. *Vt delectet hic nos.*] Quasi dicat, quod hæc non facit. Sed delectare, fidicinæ est: quia supra de illa dixerat, *Et fidibus scire*. Et bene *hic*, quasi insuaviter nunc tractemur. *Ille exclamat.*] Non respondit, inquit: sed exclamat. *Minime gentium.*] Hoc magis mirum, *minime gentium*, quam *nusquam gentium*.

12. *In convivium illam?*] *Ἐμῶν τῶνδε.* ut, *Cantando tu illum?* *Illam?*] Deest, *accersas*: & est figura *ἀπὸ τῶν ποσῶν*, *Miles tendere.*] Proprie dixit *tendere*, quod significat pertinacem contentionem, *Virgilius*,

— *Vasto certamine tendunt,*

Inde ad jurgium.] Subauditur, *ventum est.*

13. *Interea aurum sibi clam mulier demit.*] Ne aurum pro virgine, quod re-

linebat, amitteret, vel *aurum demit*, ut esset ad fugam expeditior, vel ad rixam. Et opportune mulierem dixit, non *Thaidem*: ut ostenderet malitiam sexus.

14. *Hoc est signi, ubi primum poterit.*] Ad quam rem signi? Utrum hoc est signi, *Quamobrem metuum ne quam ille hodie insanus turbam faciat, aut vim Thaidi?* An hoc est signi, *Vnde scio quod ubi primum poterit, se illinc subducat?* Erit igitur subaudiendum sic, *unde & quod: ut sit.* Unde scio, quod ubi primum poterit.

IN SCENAM SECUNDAM ACTVS QVARTI.

Dum rus eo, cepti egomet.] Hic nunc causa narratur, cur statim in urbem redeat Phædræ, qui discesserat absurdum biduum, ad tollendum jurgium militis, & importune redit.

1. *Dum rus eo.*] Jam tempus est revocandi in scenam Phædræ, postquam acta sunt omnia, quæ illius absentiam desiderabant. *Cepti egomet mecum.*] Ordo, cepti aliam rem, ex alia re cogitare. *Inter vias.*] Figurata & nove *inter vias*.

2. *Et ea omnia in pejorem partem.*] Utrum subaudiatur, cogitare? an, ibant, aut vergebant, aut quid tale?

4. *Dum hæc puto.*] Id est, existimo. ut *Virgilius*,

Multa putans, sortemque animi miseratus iniquam.

Et est *ἀφαιρέσις* pro reputo. *Putamus* enim instantia: *Reputamus* præterita.

7. *Vbi ad ipsum veni diverticulum.*] *Diverticulum* est, ubi iter de via flectitur, & proprie *diverticula* dicuntur in via domicilia, ad quæ de itinere divertendum sit. *Constiti.*] Plus est nunc scientem stetit, quam præterisse nescientem.

8. *Hem! biduum hic manendum est.*] Interjectio laborantis animi. *Biduum* sic pronuntia, ut longum nimiumque tempus. Tum deinde *hic*, tanquam in loco solo atque tristi.

9. *Soli sine illa?*] Aut sine alio oblectamento. *Sine illa?*] Satis amatorie. *Sine illa?*] Jam causa est, cur biduum

gravetur loco tristi, cur solatium conquirendum. Sunt autem qui idem putent, *soli esse*, & *sine illa*: ut *sine illa ἔξήγησις* ejus sit, quod dixerat, *Soli*.

10. *Nihil est: quid nihil?*] Amantiana disputationes intermicent quædam consilia sanæ mentis, quæ tamen statim refurgentis amoris savitia devincuntur.

11. *Eho, ne videndi quidem erit?*] *Eho*, ridicule additum: tanquam omnino non secum loquatur, sed cum altero. *Si illud non licet, saltem hoc licebit.*] Bene bis dictum *licet, licebit*: quasi de re magna loquatur, totum ergo amatorie.

12. *Certe extrema linea.*] Et hoc recte: quia quinque lineæ perfectæ sunt ad amorem, prima visus, secunda loqui, tertia tactus, quarta olculari, quinta coitus. An sic dixit *extrema linea*, quemadmodum dicitur *longis lineis quid fieri?* Id est, de longinquo.

13. *Amare haud nihil est.*] *Amare* modo frui amore dicit. *Plautus*, in *Bacchidibus*,

Prius hic adero, quam te amare desinam. Et, *Sine te amem. Villam prætereo sciens.*] *Sciens* quidem, sed non minus amator, quam prius.

14. *Sed quid hoc, quod timida subito egreditur Pythias?*] Ex his verbis persona in scenam veniens, & locutura describitur, & *Timida*, modo ægra, turbata, commota, *Plautus*,

Manum ex mari, timide.

Et hic ipse, *Vxorem inquit Philumenam parvitate nescio quid dixerunt.* *Timidum* aliud naturale, aliud eventum est: ut,

Addit se sociam, timidisque supervenit Ægle.

IN SCENAM TERTIAM ACTVS QVARTI.

Ubi ego illum.] In hac scena operæ pretium delectationis est spectatoribus ex querela ancilla Thaidis, atque erroris Phædræ.

1. *Vbi ego illum.*] Hoc initio ostenditur, tanquam persequentem fugientem, progressam esse personam. *Scelerosum.*] *Scelerosus*, est multorum: *Scelerosus*.

lestus, vel unius, *Scelerosus*, proprie auctor est sceleris: *Sceleratus*, in quo scelus sit constitutum vel commidum, *Scelerosum atque impium*.] *Scelerosum* in Thaidem, *Impium* in virginem,

2. *Audax facinus facere*.] *Facinus facere*, figura ἀρχαϊσμός. Hoc quid sit? vereor.] Pro duobus unum dixit, scilicet vereor, pro, & nescio, & vereor.

3. *Quinattiam insuper*.] Accusatio facti, *Scelus*.] Ἀσχημία. Plus enim est scelus, quam scelus. Ut *Lucilius*, *Carcer, vix carcere dignus*. Postquam ludificatus est virginem.] Argumentum ab his quæ sunt post negotium gesta. Et mire, *Postquam ludificatus est*, *D. Scidit* dixit: cum ille videlicet, dum virgo reluctatur, hoc fecerit. Et mire expressit vitium illatum virgini ab eo quidem, qui vitiare jam posset: sed tamen ejusmodi adolescentulo, cujus propter teneras adhuc vires ad explendam venerem, longiore noxa advertius virginem utendum fuit. Nam ideo præter occasionem familiaris discendentis, tempus, locus, & cætera attributa negotio, etiam somnus virginem opprimens, adjuvat Chæream. Et mire *Ludificatus* potius, quam complexus est, aut tale aliquid, quod amorem indicaret.

4. *Vestem omnem misera discidit*.] Ad eo ut non amore fecerit, sed injuria. Et vide, ut ex his appareat multum virginem reluctatam esse. *Tum ipsam capillo conscidit*.] Multo melius, quam si diceret, *Capillum illi conscidit*.

6. *Vri ego unguibus facile illi in oculos involem*.] Nonne credis Pythiam id comminari, quod à virgine manus factum sit? quod, quia puella, non potuit. *Vri unguibus*.] Quibus armatur hic sexus. *In oculos*.] Quasi amatori. *Venefico*.] Mutanti homines, & ex virginibus mulieres facienti. An *venefico*, amatori? quia amor, venenum occultum est, ut *Virgil*. *Occultum inspire ignem, fallasque veneno*. Et, *Longumque bibebat amorem*.

7. *Absente nobis turbatum est domi*.] Aut subdistinguedum est, & subaudiendum, *me*, aut ἀρχαϊσμός figura est, *absente nobis*, pro nobis absentibus. *omponius*, *Sine ergo istuc, presente amicis inter*

cœnam. *Varro* in *Marcellum*, *Id presente legatis omnibus, exercitu, pronuntiat. Absente nobis*.] Cum sic dicit, pro præpositione ponit *Absente*: ac si diceret, *Coram amicis*.

8. *Quid festinas?*] *Properas*, *turbatis* & *trepidatis*? *Sallustius*, *Festinantibus in summa inopia pauperibus*. *Egon* quem *quararam*?] *Deest rogas*.

11. *Eunuchum quæ em dedisti nobis quas turbas dedit*!] Aut ἀπαιθωσας: ut, *Vrbem quam statuo, vestra est*. Aut *quem cum interrogatione pronuntiandum, ut sit, qualem Eunuchum quem dedisti*.] *Quidam* volunt *quem* distinguere: *quam* dicat *qualem* sed nesciunt, hæc figura multum veteres usos esse. *Eunuchum* enim ad *dedisti* verbum retulit. Nunc ergo addit propter aliud ἀσχημία assumendum extrinsecus, *is Eunuchus*. Nam quoties uno nomine, aut pronomine diversæ declinationis enuntiationes comprehenduntur, necesse est quod alteri accommodatum fuerit, ab altero discrepare. *Quem dedisti, quas turbas*.] Et *quem* & *quas* sic accipe, quasi dixerit, *qualem Eunuchum, & quales turbas*.

12. *Quid ais?*] Hoc admirantis est magis, quam interrogantis.

13. *Temulenta es*.] *Ebria*, à *temeto*, quo nomine antiqui grave vinum appellabant, eo quod tentaret mentem, id est, labefactaret, *Virgil*.

— *Tennisque Lagaos*
Tentatura pedes olim, vincitura quelinquam.

Vtinam sic sint, qui mihi male volunt.] Bene, non ebriam esse, in maledictum vertit: quasi vero temulentam esse, felicitatis sit. An non negat se esse ebriam, sed non vino, verum malo ebriam vult intelligi?

14. *Mea Pythias*.] *Mea*, & *mea tu*, *Et amabo*, & alia hujuscemodi, mulieribus apta sunt blandimenta. *Quid istucnam monstrum fuit?*] Quippe monstrum est omne contra naturam. Si igitur Eunuchus est, & vitavit virginem, contra rerum naturam factum est, & recte monstrum est. Et ordo est, *Quid istucnam monstrum fuit?*

15. *Qui istuc facere Eunuchus potuit?* *Istuc facere*, honestius apud puellam,

quam si *Vitiare* dixisset: & potest videri aliquid nutu significare, *Ego illum nescio quid fuerit*.] Σύλλανσις. Bene vitavit Eunuchi nomen, ut vitialis Virginem obtinere possit.

17. *Virgo ipsa lacrumat*.] Nunc ostendit quid fecerit, & ostendit argumentis. *Neque cum rogitares, quid sit, audes dicere*.] *Quid* si verberata esset? sed non puderet queri. Hæc autem injuria apud Virginem non habet nomen.

18. *Bonus vir*.] Εἰρωνικῶς. non enim jam Eunuchus. Bene igitur *vir*: quia hoc illum esse contendit. *Nusquam apparet*.] Nescias utrum fuga ejus queratur, an culpa, sed constat, hæc argumenta esse, quod ipse virginem vitaverit. *Etiam hoc misera suspicor*.] Bene etiam: quia & hoc suspicatur, virginem vitiatam.

19. *Nequeo mirari satis*.] Bene hic omnes suspiciones ad Eunuchum, quem novit, revocat: nescit Chæream liquidem hunc esse. Et mira locutio, pro eo quod est, *nescio*.

21. *Vise amabo num sit*.] *Domi* subaudiendum est: aut, *Num si quod dicit*.

24. *Sed nihil posse*.] Ut voluntatis rei sint, non etiam facti. *Verum misera non in mentem venerat*.] Non, nihil posse eos, sed amatores esse maximos. Ad partem enim sententiæ pertinet quod dicit, *Non in mentem venerat*: non ad totum quod audivisse se dudum. Etiam nisi penitus negative consideraveris, controvertenda erit. Si enim nihil posse audieras, quid est quod in mentem non venerit ut vitares? utrum igitur amatores mulierum esse maximos audieras? quod ipsum vitandum fuit. Neque enim hoc satis est ad pudicitiam, ituprum vitasse, cum impudica fieri vel solo osculo possit, quam omnino integram & illibatam velis. An *Verum* non erit conjunctio, sed nomen? ut illud quasi falsum audierit: hoc autem, quod verum inventum est, non ipsa suspicata sit. Nam *in mentem venire*, non remissum tantum, sed etiam cogitare significat. Sic *Cicero*, *In mentem tibi non venit, causam publicam sustinere*, id est non cogitas, non suspicaris, *Verum misera*.] Si *verum* pro conjunctione accipimus, *subaudiendum* erit, *amatores*

mulierum eos esse maximos. *In mentem non venerat*.] Non quod audieram: sed, quod hic fecit. An non aliud in mentem venerat? non scilicet facturum fuisse quod fecit. *Non in mentem venerat*.] Aut non erat cogitatum: aut non eram recordata.

25. *Nam illum aliquo conclusissem*.] *Mite Conclusissem* dixit, ut sævam feram, sic alibi: *Conclusam hic habeo uxorem sævam*. *Neque illi commississem virginem*.] Si vel amatorem tantum meminisset.

IN SCENAM QUARTAM

ACTVS QVARTI.

1. *Exi foras sceleste*.] *Jocundus error*, in quo non dubitet Phædria ipsum esse qui queritur: verum insuper sic aggreditur, tanquam sit ipse. *Sceleste*.] *Quale est scelestum appellari, qui nihil sciat? Restitias?*] Necessario restitat, qui miratur se protrahi.

2. *Fugitive*.] Et scelestum & fugitivum increpat, in hunc crimen transfrens Chæreæ. *Male conciliate*.] *Oportune* adolescens hic exprobrat munus magno emptum. *Male*, magno significat, ut *Plautus* in *Amphitryone*, *Hæc nox scita est exercendo scorto conducto male*.

Ergo *Male conciliate*, magno empte significat, nam omnis conventio, *conciliatio* nominatur. *Conciliatum* ergo, magno emptum: *Os ut sibi distortis*.] Et hic memor adolescens insinuandi muneris, dicit illum sibi os distortis, qui natura sit pulcher. *Os* autem dicimus illi *distortis*, quem natura pulchrum deturpamus.

4. *Quid huc reditio est?*] *Eleganter* ei reditio objicitur, qui revera loco se non moverit. *Quid vestis mutatio est?*] Sic veteres. *Plautus* in *Trinummio*, *Quid tibi interpellatio, aut in consilium huc accessio est?*

Cacilius ἀπαλοδύη, *Quid tibi aucupatio est argumentum, aut de meo amor, verbi significatio est patri?* *Quid vestis, &c.*] Nam liberi vestem habebat, utpote Chæreæ: servi vero atque Eunuchi deposuerat.

5. *Paulum si cessassem, Pythias*.] *Fa-*

miliare est iratis, avertere se ad aliam personam ab ea, in quam commoveantur.

6. Ita jam adornabat fugam.] Ut supra, Adornant ut lavet.

7. Habesne hominem amabo?] Hæc omnia Pythias, cernens Eunuchum, loquitur, id enim erit jocundum, ut querat illum quem videt. Quid tu habeam? Quid ni, quid nisi? hoc est, cur non habeam?

8. Vbi est?] Dorum contemplata, dicit vbi est? quia non ipsum, sed alterum novit. Rogatus? non vides?] Stomachatur uterque errans mirifice: illa, quod Eunuchum credidit, Chaream videns: hic, quod Eunucho objecit, quod commisit Chærea.

9. Hunc scilicet.] Hoc jam, tangens Eunuchum, dicit Phædria.

10. Hunc oculis suis nostrarum numquam quisquam vidit.] Ἀρχαῖος est figura, pro nostrum, vel nostrarum, id est, quæ familiaris nostræ sunt: ut parum sit non vidisse Thaidem, nisi addatur, ne familiarium quidem ullam esse, quæ hunc vidit.

11. Quisquam.] Antiqua locutio est.

12. Non vidit?] Totidem, isdemque verbis repetit. Et interrogatio stuporem admirantis ostendit, & jam veluti contentientis.

13. Numque alium habui neminem.] Bene ad illud quod ait, An tu hunc: quasi ex multis.

14. Au! nec comparandus hic quidem est.] Au, interjectio est conturbatæ sceminae, nec constantis sibi. Ille erat honesta facie & liberali.] Τὸ ἰδιωτισμῶ, erat, quasi de mortuo, aut qui non est, scilicet Thaidi, quia fugit.

15. Honestam facie & liberali.] Commode descriptus est Chærea.

17. Nunc eo tibi videtur fœdus.] Facete, fœdus videtur, non est enim.

18. Tace obscuro.] Apte dictum est Tace, scemineo stomacho, quasi impudenter assidentem formæ improbæ, & argumenta inaniter pertinaciterque invocanti. Tace obscuro.] De consuetudine dictum est Tace, & bene additur Obscuro, ne Tace ipsum, videatur injuria.

19. Quem tu vero videre velles, Phæ-

dria.] Commota adversus Phædriam, cogitur eum laudare, cui irata est: & ideo totum callide. Quem tu vero videre.] Facete, quasi nec hunc, nec ipsum qui misit, conspectum velit. Quem tu.] Quem, talem, & breviter ejus fortuna laudata est: cum prolixius illius sit describenda deformitas. Quem tu vero videre.] Vero, Pulchrè. Pulcher enim est, cujus forma nec odium, nec convitium commeruit. Lucilius in Satyra Athymnidis ex facie florem delegeris. Quem tu videre.] Quare tu, an quia ille jam non velit videre, iratus scilicet ob vitiatam virginem? An tu? quasi spectator elegans formarum, & qui amator sis Thaidis?

21. Hic est vetus, vietus, veterosus, senex.] Sic hoc totum pronuntiandum, quasi irascatur huic, propter quem laudaverit Chæream. Vietus.] Mollis, flacidusque, & flexibilis corpore, unde & vimina, & vites, & vietores dicuntur, & viere, religare dicitur: quia vietis virgis magis religare possumus quidlibet. Lucretius aranea dixit vietam vestem, id est, putri mollitia præditam. Vetus, ad vituperationem modo, non ad laudem ponitur: ut,

Veteris Poëta male dicitis respondeat. Vetus est, cujus diminutivum est vetulus, Veterosus.] Morbo vetere confectus, id est, vetero: quales sunt qui hydropem patiuntur. Et recte. Nam sæpe Eunuchi in senecta veterosi sunt, & cito hoc laborant morbo, Senex.] Ex morbo ægritudineque rugosus, Senex.] Utrum senex, an quia ita videtur ob deformitatem?

22. Colore mustellino.] Erravit Terentius, non intelligens Menandricum illud, οὐ τὸς ἔστιν γαλεώτης γέρων. Ait autem stellationem, animal quod lacerta non dissimile est, maculoso corio: nempe ad id genus coloris facies exprimitur Eunuchorum corporis, quia plerique lentiginosi sunt. Hinc ergo erravit ideo, quia γαλῆ Mustella dicitur, γαλεώτης Stellia. Ὡς παρ' Ἀεριστοράνη ἐν νεφέλαις. ἠσθίω. γαλεώτη κατὰ χροῶσι Σωκράτους. Ego Adefionem sequor, qui recte intellexit, Terentium scientem, mustellino

colore Eunuchum dixisse coloratum, velut sublivido: quia vere Eunuchi, aut ex candidissimis lentiginosi fiunt, ut ex Gallis, & hujusmodi occidentalibus: aut ex fuscis, sublividi, ut ex Armeniis, & aliis Orientalibus.

23. Ut quid egerim, Egomet nesciam.] Pro non meminerim, vel non agnoscam,

24. Eho tu, emin ego te?] Miro stomacho quod ipse fecit, id ex alio conatur audire: & donec hæc audiat, an hoc fecerit, dubitat. Iube mihi denuo respondeat.] Hoc est, quod in rhetoricis Cicero ait, Contra firmam argumentationem, aliam æque firmam aut firmiorem opponimus. hæc est autem æque firma, Denuo autem, ad respondeat pertinet, non ad iube. Denuo respondeat.] Iube vero, mihi denuo respondeat, intelligendum est.

25. Rogas.] Mire utriusque fiducia confertur, & apud utrumque est veritas, cum uterque fallatur.

26. At ille aliter venit.] Bene instat, quasi ex parte jam obtinuerit Pythias.

27. Age dum, hoc mihi expedi.] Hæc Plautina sunt, cum in iisdem longa sit disputatio: sed mire à Terentio proferuntur ad ejus exemplum, &, quod est plus, carent Plaurinis nugis. Age dum.] Dum, παρέλκειν est, & adjuvat ex animo loquentem.

28. Taces?] Et recte tacet: quia metuit Chæream.

29. Monstrum hominis.] Bene Eunuchus dictum est Monstrum hominis: hoc est, nec mas, nec scemina existens. Sic & supra, senem mulierem dixit.

30. Modo.] Nota modo aperte pro præterito tempore dictum esse, id est, jam dudum, nam qui vitiaverat virginem, non modo, sed longe ante vestem mutavit cum Eunucho Phædria.

31. Quicum.] Præpositio cum, his dictionibus supponitur, quicum, nobiscum, vobiscum. Cæteris vero, ita ut ipsum nomen præstitit, praponitur: ut, Cum amicis, cum exercitu, cum advocatis.

33. Vnde igitur fratrem meum esse sciebam?] Utpote novitius: & eum qui ex Piræo raro discesserit: & longo intervallo eis τὸ ἄστυ venerit. Et hæc sunt oblique interrogationes, quibus uti

oratores videmus, cum derivare testimonium nituntur. Et ideo sic ait Phædria, ut frustretur omnia, quæ confusus est Dorus, vult enim fratri esse consultum. Parmeno dicebat eum esse.] Prope infirmatum testimonium est, quod enim sic ait, Parmeno dicebat eum esse: falsum esse potest. Et mire sic ait: ut, Solæ mihi tales casus Cassandra canebat. Sic autem dicimus, quando non semel quod factum fuerit, sed sapius demonstramus.

36. Iam satis credis me esse sobriam.] Quia supra dixit, Temulentæ es: & quasi gravem injuriam hoc dicto passa sit, memoriter dictum retulit, ut, En ego vitæ suæ? &, Pulsus ego?

37. Iam satis certum est virginem vitiatam esse?] Ordine ait, quum primum de se, tum de adversario loquitur.

38. Credis huic quod dicat?] A personæ qualitate derogat fidem, nam quid credendum est servo Eunucho fugitivo? Quid isti credam? res ipsa indicat.] Hic à persona quæ convincebatur, oratorie ad factum se retulit.

39. Concedo istuc paululum.] Ad se verum dicit istuc: ut longe sit à Pythia, Eunuchus enim dicit Phædria.

42. O scelestum, atque audacem hominem!] Chæream scilicet vel Parmenonem, sed sic pronuntiandum est, ut putet Ancilla de Eunucho dici, hoc ipso quod præsto est, ideo illa infert, — Va mihi, etiam nunc credis, indignis nos esse irrisas modis?

Va mihi.] Hoc totum, Va mihi, quidam à Pythia, usque ad irrisas modis, dici existimant.

44. Mirum ni tu credas, quod isto dicat.] Utrum an serva, quod servus? an stulta, quod stultus? an scemina, quod Eunuchus? Mirum ni tu?] Clare dicit, quidam pressius putant.

45. Heus tu, negato rursum?] Rursum, non ad negationem pertinet, sed ad interrogationem: ut sit, rursum interrogatus, Rursum, retro, id est, è contrario: ac per hoc contrarium superioribus dicit.

46. Non potest sine maiore fatari video.] Ampliatio & dilatio quæstionis, argumento est, nihil constituisse. Adde quod poenam minatur, non tanquam jam incerto, sed falso testi, Deinde ipsum fa-

teri consideremus quale sit. Non est testis fateri, sed rei. Hic igitur ut in illum culpam transferat universam, fateri dixit, non indicare: ut ipse reus, non alieni facti testis esse, dicatur. *Non potest sine malo.* Quasi nec hæc fuerit, nec illa confessio, in quibus nulla veritas sit.

47. *Sequere hac.* Quasi ad tormenta. *Modo ait, modo negat.* Testis aut ab adversario vincitur falsitatis: aut à se ipso, si variaverit dicta. Ergo priora quia non potuerunt convinci, ab instantia testis præsidium defensionis inquisitum est.

48. *Ora me.* Hoc lentius: ut sit causa non læviendi, *Obsecro te vero, Phædria.* Bene vero, nam quia ille dixerat, ut simularet preces: hic annixus vero addidit, ostendens, serio se rogare, & ex animo: non ut ille jubebat, dolo. *Intro.* Terribiliter, dummodo eum summoveat. *Intro.* Utrum intro domum ad Phædriam? an ad Thaidem? Sed non oportet ad Thaidem intelligi, ne celandarum rerum index teneatur. *Oi, ei.* Bene *oi ei* ἁλιώτην rusticum posuit, utpote & servi & novitii, & est deploratio ab eis sic dicta.

49. *Alio pacto honeste.* Contra officium fuit, mentiri decuisse servum, & adfuisse mendacio liberalem adolescentulum. Sed vide quemadmodum defendatur, dum se mentiri coactum dicit, dum consulit honestati. Hanc autem causam longæ fermocinationis, ad hoc induxit artifex Poëta, ut apud omnes jam certum sit, à Chærea vitiatam virginem, ne ullo errore impediatur ulterius nuptiæ, vel finis fabulæ differatur. *Alio pacto honeste.* Nullo alio scilicet, nisi per hanc fallaciam.

50. *Actum est siquidem.* Hoc rursus clare, & sic dicit tanquam adhuc iratus Eunuchus suo.

51. *Quam me vivere.* Deest magis: ut sit, *Magis scio, quam me vivere.*

52. *Inveniam hodie pol.* Hæc est ὀικονομία ad futurum exitum fabulæ, nam dum se ulciscitur Pythias, fit indicium patri Chæreæ, & confirmantur nuptiæ.

54. *Verum taceamne, an prædicem?*

Tertium παρὲλλον: abundat enim aut urrum, aut, ne: aut certe hoc fit, ut sit figura τῶναις.

55. *Tu pol, si sapis, quod scis, nescis.* Non possumus nescire quod scimus, sed ita, ut *Concordia discors.* & *Virgilius, Sequiturque sequentem.* *Tu pol, si sapis, quod scis, nescis.* Videamus, cur nolit Poëta de vitio virginis continuo scire Thaidem: utrum ne improviso malo vehementius commoveatur, ac doleat? an ut ex ejusdem Virginis habitu, vultuque isto cognoscat? quod est actuosius, an, quod proximum vero est, ut illam & Thais, & Frater, ignorantes vitiatam, animosius adversus Militem defendant, repetitum eam venientem, cum tanto strepitu ac minis? Nam quo ore præterea diceret Thais Chremeti, de fororis pudore sollicito, *Educta est ita uti teque illaque dignum est.* si sciret eam virginem non esse? *Quod scis, nescis?* Unde in Heautont. *Nescias quod scis, si sapis.* Et hoc est quod ἄνοηλον dicitur. *Quod scis, nescis.* Proverbiale est, & multum apud dialecticos tractatum: ut *Facio, & non facio: & Amicus sum, & non sum: & Audio, & non audio: & cætera hujusmodi.* De Eunuchus. *De vitio virginis.* Quod jam mulier facta sit.

56. *Hæc te omni turba evolvet.* Causa quaesita, cur ante jurgium cum milite Thais nesciat vitiatam virginem, Et illi gratum feceris. Cui, nisi virginis? cuius crimen, ut supra, silentio texeris, præsertim tacentis injuriam suam, & sic dolentis amissam virginitatem, ut nec confessionem suæ calamitatis subire possit.

57. *Id modo dic.* Id pro hoc, subjunctivum pro præpositivo.

58. *Thais jam aderit.* Bene dixit, *Aderit,* huic enim aderit Thais. *Quia cum inde abeo.* Aliam causam ex alia suppositum: quasi diceret, *Video causam.*

IN SCENAM QUINTAM

ACTVS QVARTI.

A Tat! data hercle verba mihi sunt. Hæc semigravis inducitur vino Chremes

mes priorum memor, titubans in presentibus, ut fere ad poti solent.

1. *At at!* Interjectio est paulatim percepti atque intellecti mali. *Data verba.* Fraus facta. *Data hercle verba.* Amilite, an à meretrice, cujus jam pridem dolum malum in omni re suspicatus est: an magis à vino, quasi captioso aliquo, data verba sunt? quia bibere, dulce est: ebrium fieri, turpissimum, adeo his quæ sequuntur, quasi subtilem fraudem ebrietatis inducit. *Plautus de vino, Pedes captat primo, luctator dolosus.* *Virgilius de uva, Tentatura pedes olim, vincituraque linguam.*

2. *Ac dum accubabam.* Hic verba data sunt. *Quam videbar mihi esse pulchre sobrius!* Nihil elegantius, non dixit, videbar mihi tunc esse sobrius: sed ut hoc ipsum jam erroris esset, ac vinolentia accumulatio, *Videbar,* inquit, *mihimum sobrius. Pulchre.* Fortiter ac nimis.

3. *Neque pes.* Ad incessum. *Neque mens.* Ad facta ac dicta. *Satis suum officium facit.* Bene, non enim omnino non facit, nam hoc infani est: sed, non satis facit, quod est ebrietatis.

4. *Quis est? ehem Pythias.* Γνωμασ & satis miro exemplo mutatam credit, postquam ipse mutatus est. *Quanto nunc formosior videre mihi, quam dudum!* Hoc multum Academicos juvat, qui aiunt, Prout habiti fuerimus atque affecti, ita nobis aliud atque aliud videri, & ideo nihil certi comprehendere posse.

5. *Certe tu quidem pol.* Et *Certe & Pol,* hæc dixit, ut appareret hanc vere loqui, quæ sobria est: illum vero ex vino falli. Et honorifice, atque ut sobria, non dixit, temulentior, aut lascivior, sed alacrior.

6. *Verbum hercle hoc.* Verbum, proverbium, ut idem in Andria: *Verbum illud verum est, vulgo quod dici solet. Sine Cerere & Libero friget Venus.* Hoc si ad sententiam revoces, non conveniet ebrío: si ad petulantiam quam * sic ante dictum est. Nam & improbius factus est, & quum tropice locutus sit, tamen ordinem naturalem servavit: nam primum cibus, deinde potus, postremo li-

bido venerea. *Friget* autem, quia omnis ejusmodi voluptas in calore sanguinis constituta est, qui his rebus alitur. Et *Friget* proprie, non adhæret. Translatum enim hoc proverbium à picatione vasorum, quæ frigida picem non tenent, quum alia multa meliora sint ad usum frigida, ut ferrum, argentum, aurum, & cætera hujusmodi, nam sic alibi, *Vbi friget, huc evasit.* Et videtres ἑπεπορεύσας Cererem, Liberum, Venerem.

7. *Seu Thais multo ante venit?* Interrogative pronuntiandum hoc. Et scias de his interrogationibus hanc ipsam esse, in quibus ita quaerimus, ut qui interrogantur, responsuri nobis se nescire videantur.

8. *Iam dudum: atatem.* Quia jam dudum infinita moræ est, addit *atatem,* ut ostendat multum abiisse temporis, ut factum est. *Iam dudum, atatem,* pro longinquo tempore. *Lucilius, Ut multos mensisque diesque: Non tamen atatem, ætatem.* Diu, longinquoque tempore ac prolixo, ut est ætas, nam sic dicimus de die: & *dieculam,* aliquantulam moram.

9. *Nihil dixit tum, ut sequerero sese?* *Nihil,* pro non. *Virgilius:*

Deponit animos nil magna laudis egentes. Nihil, nisi abiens mihi innuit. Apparet quasi iratam discessisse Thaidem à Milite, & tamen sic iratam, ut illi ira consilium non ademerit. *Innuit* inquit, *quum abiret.*

10. *Eho nonne id sat erat?* Adeo simplex hic inducitur adolescens, ut à Pythia reprehendi possit, nam quid opus fuit dicere, si innuit? *At nesciebam id dicere illam.* *Dicere* pro velle, vel significare. Sic alibi, *Quasi tu dica id factum consilio meo. Nisi quia correxit miles quod intellexi minus.* Hoc videtur facetius & sapientius, quam dici ab ebrío, rustico, & adolescente debuisset. Hoc vitium tunc fit, quum Poëta ingenium suum in personas conferunt.

11. *Quod intellexi minus.* Verisimile hunc tantum extrusum fuisse, non etiam vapulasse: quia miles Thaidi magis, quam huic irascitur.

12. *Miror ubi ego huic anteverterim.* Id est, hanc præcesserim. *Vbi.* In qua parte vix.

IN SCENAM SEXTAM
ACTVS QVARTI.

10. **C**redo equidem illum jam adfuturum esse, ut illam à me eripiat. Vides ut ex ipsis appareat verbis, quam concita & recens à litigio veniat Thais. Itaque nec nominat Militem, nec Virginem: sed pronomine utrumque significat, quasi in medio constituta negotio. *Adfuturum esse.* Id est, adventurum: ut *Affuit & Mnestheus. Sine ut veniat.* Quasi dicat, sine * nullis, & comminantis est: ut, *Sine modo.*

2. *Atqui si illam digito attingerit uno.* Moris comminantium est, ad exiguum revocare commissa, quæ se ultros prædicent. *Oculi illico effodientur.* Et foemineæ minæ sunt, & in libidinosos quam maxime, nam hunc suspicatur amatorem esse virginis. Sic & alibi, *Ut ego unguibus facile illi in oculos involem venefico.* In oculos autem maxime sævire foeminas, & tragœdiæ fere omnes, & comœdiæ protellantur.

3. *Vsque adeo ego illius ferre possum ineptias, & magnifica verba.* Non dixit, Usque adeo illum possum amare: sed, quam insuavis jam diu sit, ostendit, dicendo, *Ferre possum.* Et cito ostendit, quæ sit amicitia Militis. *Ineptias*, inquit, & magnifica verba.

4. *Verba dum sunt.* Hoc est, quæ vana non admisceant rerum. *Verum enim si ad rem conferentur, vapulabit.* Si discesserit à verbis, & rem experiri cœperit, vapulabit. Et bona locutio: ut si dicas, Verba ad rem contulit, hoc est, agere quod dicebat, aggressus est.

7. *Ad me? qui? quasi istuc!* Et rusticus, & timidus, & pudens commotus est Meretriculæ dicto.

8. *Hæc atque hujusmodi sum multa passa.* Mulier facunda Meretrix, hæc imputat adolescenti quæ vidit, & alia quibus interfuit. *Reddere & restituere.* Proprie redditur cupientibus, ut domino servus: *Restituitur* cupiens, ut patriæ civis: *Redditur*, & *restituatur*, cupiens cupientibus, ut parenti filius. Ergo in hac utrumque est, & reddi & restitui.

9. *Hem.* Extimuit adolescens, cum

sororem suam in domo meretricis esse audivit: cui rei statim occurrit Thais, 10. *Educa.* Subauditur est. *Vitæ teque illaque dignum est.* Bene purgavit, quod ex factu meretricio expectabatur, non, inquit, ut me dignum est, apud me est. *Quid ais?* Recte: quia mirum apud meretricem liberaliter educatam,

11. *Hanc tibi dono do.* Melius dixit, quam *Dono*: ut donum placidius videatur & præstantius. *Neque repeto pro illa abs te quocquam pretii.* Ex eo quod potuit jure facere, beneficium demonstravit oratoricè, dicens serio, non esse facturam.

12. *Et habetur & refertur à me, Thais.* Qui habet apud se gratiam, nondum retulit. *Retulit* qui destitit habere. Multum ergo hic dixit, & *habetur gratia & refertur.* Quem sensum transtulit Sallustius in bellum Jugurthinum, *Arma, pecuniam, sume, utere: & quoad vixeris, nunquam reddita tibi gratiam putaris, semper apud me integra erit.*

13. *Ne prius, quam hanc à me accipias, amittas, Chreme.* Hoc in Comœdia licet more vulgi dicere. Cæterum non potest amitti, quod nondum acceptum sit. An quia jam dudum sumptum sit?

14. *Nam hæc ea est, quam Miles à me vi nunc ereptum venit.* Non ad deterrendum, sed ad præparandum animum adolescentis hæc dicit, quem audacem putat, aliter ac res ipsa est, nam mox Thais mutabit orationem, & dicet, *Quicum res tibi est, peregrinus est: Minus potens quam tu, minus notus, amicorum hic habens minus.*

15. *Cum monumentis.* Monumenta sunt, quæ Græci dicunt *μνησματα* & *μνησματα*.

16. *Viden' tu illum, Thais?* Longe videre, timoris est indicium. *Vbi sita est.* Trepidantes personas immiscuit. *In visco.* Cista pelle contacta: nomen Phrygium.

17. *Quantas copias.* Proprie dixit *Copias*: nam sic dicuntur legiones in unam collectæ, convenit tamen rudi & rustico Adolescenti, sex homines, *copias* dicere: Militem scilicet, Parasitum, Donacem, Syriſcum, Simalionem, Sanguam,

18. *Num formidolosus obsecro es, mi homo?* Formidolosus, & terribilis, & timidus intelligitur. *Apage sis.* Plautus in Trinummo, *Apage amor.*

20. *Atque ira opus est.* Ut minus formidolosus sis. *Metuo qualem tu me esse hominem existimes.* Videtur ebrius factus hic Chremes jam etiam displicere nolle mulieri, nam idcirco fatetur, se timere malam opinionem Thaidis de se. *Et metuo qualem tu me existimes.* nove dixit pro, *Metuo ne ignara sis.*

21. *Peregrinus est minus potens quam tu.* Quam * post quam tamen ipsa non eloquitur, quid efficiatur, ex eo quod ait, *Peregrinus est, minus potens quam tu:* bene sic dixit: quia tardum fuit dicere: *Ille impotens, tu potens, & cætera.*

23. *Sed tu, quod cavere possis, &c.* Ostendere vult Terentius, plures sententias ad timiditatem congruere, quam ad audaciam, nam & mox dicturus est, *Omnia prius experiri, quam armis, sapientem decet. Quia ex providentia timor, ex audacia temeritas provenit. Admittere est.* Fieri sincere, & melius dixit, quam *Pati.* hoc generale est, nam nunc admittere, pati fieri significat.

24. *Malo ego nos prospicere.* Providere ne fiat: id est, prospicere & cavere. ab eo quod præcedit, id quod sequitur. *Accepta injuria.* Hic causa ostenditur, cur illud malit.

25. *Ostrum obsera intus.* Pavidum consilium nihil aliud continet præter claustra & fugam, nam *sera* est claustrum januæ. *Transcurro ad forum.* *Transcurro* dixit, non *Curro*: ut proximitatem fori ostenderet.

26. *Volo ego.* Quasi minus timeat: cupio non inquit, sed *volo.* *In turba hac.* Vide timidum *turbam* appellare, quam mulier non timet.

27. *Melius est.* Fugæ occasionem hic cupit dari *Mane.* Hoc gestu jam adjuvatur: *Omitte: jam adero.* Ex hujus verbis apparet, etiam manu comprehensum esse adolescentem. *Omitte: jam istuc adero.* Quia causam probari non videt, celeritatem redeundi pollicetur. *Nihil opus est istis.* *Istis*, utrum advocatis, amittis omnibus quæ dixisti: *Virgilius,*

— *Aut quid petis istis?*

28. *Hoc dic modo, sororem illam tuam esse.* Ordine est executus: primo utrum personam habeat, *Dic, sororem*, inquit *illam tuam esse.* Utrum negotium habeat, *Et te parvam virginem amisisse.* Cur hodie agat, *Nunc cognosse.* Et unde probet, *Signa ostende.* Hæc omnia sic pronuntianda sunt, ut & justa & factu facilia demonstrarentur.

30. *Si vim faciet, in jus ducito hominem.* Et recte: quia violento civiliter resisti solet.

31. *Fac animo hac ut præsentem dicas.* Hæc non dicerentur à Thaide, nisi in illius vultu pavor nimius appareret. *Faciam.* Adjuvandum pronuntiatione: *Faciam* enim, timide dictum est. *Attolle pallium.* His verbis Chremetis demonstravit, nimium liberaliter pavidum adolescentuli animum. *Attolle pallium.* Vel quia simplex est, vel quia ebrius, pallium trahit Chremes.

32. *Peri! huic ipsi est opus patrono, &c.* Hæc Meretricis querela, rudem Adolescentulum magis & honeste natum, quam culpandum esse demonstrat.

IN SCENAM SEPTIMAM
ACTVS QVARTI.

1. *Hancine ego contumeliam.* Hic rursus inepti vanitas Militis demonstratur, ad Amicam tanquam ad hostilem exercitum pergentis irritato animo, concitato cursu, inclinata chlamyde, trepidi & quatientis caput. Et hæc verba pro hortatu Imperatoris accipienda sunt: quandoquidem omnia de exercitu transferuntur. *Contumeliam* verò proprie, & ut miles, Sallustius, *Nequa contumelia, &c.* *Contumeliam tam insignem in me accipiam Gnaitho?* Apparet, Gnaithonem & dehortatorem esse certaminis, & ad pocula Militem provocare: maxime cum videat persuasibile ista consilia, ut hoc certamen moveretur. *Tam insignem.* *Insignem*, ut miles dixit, quia insignia armorum sunt.

2. *Mori me satius est.* Ridigula præsumptio: tanquam adversus meretricem jurgia nunquam Thraſo sumere ausus esset, nisi morte proposita. Ergo velut mortis contemptu opus est ad tale præ-

lium, *Mori me satius est.*] Tanquam aliter miles adversus mulierem audere non posset, vel quia nihil, vel quia amator. *Mori me satius est.*] Quasi ille sibi dicat, vel molestum esse certamen, vel amicam non esse lædendam. *Simalio.*] Et hoc concitate pronuntiandum est, *Sequitur.*] Hujusmodi militia per tumultum repente suscipitur, & dicitur *Evo- catio*: ubi dux alloquitur cives, *QVI REM PVBLICAM SALVAM VVLTIS, ME SEQVIMINI.* Unde *Virgilius* sic ait:

— Desuetaque bello
Agmina in arma vocat subito ferrumque
retrahat:
Ipse vocat pugnas, sequitur tum cetera
pubes.

3. *Primum ades expugnabo.*] Debet hic esse vociferatio vana ad hoc, & verbum militis cum quodam motu ingenti, & per immanes minas, sine ulla virerum, Vanaque comminatio est, velle ades expugnare, cum foris sit Meretrix.

4. *Male multabo ipsam.*] Vide ordinem belli. Primo expugnatio inceniorum, tum recuperatio captarum rerum, demum poena prædonum. *Pulchre.*] Postquam non obtinuit quod volebat *Gnatho*, assentatur ad omnia. Vide autem manifestam irrisionem ex ipso genere laudandi, nam quid est in ædium expugnatione recti? quid in virginis ereptione prohibitatis? quid in male multanda muliere pulchritudinis? Sed hoc est, quod ait supra de se ipso parasitus, *Quidquid dicunt, laudo. In medium huc agmen cum vecti, Donax.*] Mire composita ad contemptum nomina legionariorum sunt, Nam *Donax* ab arundine, veluti sit inanis & fragilis, nomen sortitus est. *In medium huc.*] Ridicule satis, armaturas leves non putat adversus *Thaidem* idoneas: & ideo agmen cum vecti vult venire in medium, An ideo cum vecti, quia ad expugnationem venit ædium?

5. *Simalio.*] A simio, vel à simia derivatum est, ob sceditatem oris vel nasi, *Syrise.*] Jam diminutivum est à *Syro*, *Tu Simalio in sinistrum cornu, tu Syrise in dexterum.*] Hic agmen instruitur, Face-

tum autem est, cum à rebus magnis res ridiculæ deriventur.

6. *Cedo alios.*] Non reliquos dixit, sed alios, quasi multi sint. *Sanga.*] Nec sanguarius saltem, ut nomen esset. *Manipulus furum.*] *Manipulus* proprie est militis. Cum Romani & Latini & sub uno Centurione bellum aggressuri deputabantur, sibi sertum vel coronam ex manipulo herbæ, vel hujusmodi, conficiebant, quem pro signo sequebantur. Merito ergo Centurionem videns, manipulum desideravit: hoc est, coquum videns, convivas desiderat: qui apparaverat, quotiens locus affuit, id est, convivium est constitutum. Alii *manipulum furum*, coci discipulos dici putant. *Ecum adest.*] Pro se ac pro discipulis *Sanga*. *Quid? ignave?*] Apparet, coquum ad repentinum strepitum sic exisse, ut ad artem suam fuerat expeditus.

8. *Egone?*] Hæc causa est, *Imperatoris virtutem noveram, & vim militum.*] Hoc plus habebit salis, si sic intellectum fuerit, ut *Sanga* uno eodemque tempore & quærat quid dicat, simulque respondeat, *Hoc noveram, sine sanguine fieri non posse*, scilicet ἀνεργασίας. Quid igitur si hoc sciebat?

9. *Qui abstergerem vulnera?*] Quasi hoc fuerit auxilii genus. Quid hoc est? unde vulnera? quorum vulnera? utrum utriusque partis? an, quod magis ridiculum est, suorum?

10. *Qui malum.*] *Malum*, per μεταφοραν suaviter infertur. *Plautus* in *Epidico*, *Quæ (malum) hæc impudentia est?* Et non interponitur *malum*, nisi oculis conversis ad eum, qui id quod reprehendimus, dixerit. *Malum* nunc interjectio est. *Solus Sannio servat domum.*] Hæc figura παρρησιων dicitur. *Solus Sannio servat domum.*] Ut, *Sola mihi tales casus Cassandra canebat. Servat domum.*] Pro remanet, ut observet. Nam *servat domum*, rectum erat: non, *servat domum*, si custodit intelligeretur. Vel *servat*, pro sedet: ab eo quod sequitur, id quod præcedit, nam non servat, nisi qui prius in eo loco sederit.

11. *Post principia.*] Magnifice ad risum commovendum, nam dicere de-

buit, post vos. Et hunc locum sibi optimum elegit, ut timidus. *Post principia.*] Militare dictum est. Et ambigunt multi, an in extremo agmine sit hic locus, an in medio. *Inde omnibus signum dabo.*] Tanquam non omnibus dari possit, si aliunde detur.

12. *Ipsus sibi cavio loco.*] An *Loco* simpliciter, quia post principia? an *Loco*, in loco, opportune & εὐκαιρως? *Terentius* in *Adelphis*, *Pecuniam in loco negligere, interdum maximum est lucrum.* An pro, de loco?

13. *Idem hoc jam Pyrrhus fecitavit.*] Irridet quidem Poëta: veruntamen ostendit, officium Imperatoris hoc esse, ne se in periculum projiciat. Sic *Sallustius*, *Et in præliis actu promptus.* Et hoc totum, quasi in *Palliata*: sed concessum Poëtis fuit. *Pyrrhus* autem peritissimus stratagematorum fuit: primusque quemadmodum ea disciplina per calculos in tabula traderetur, ostendit.

14. *Nimirum consilium illud rectum est.*] *Illud rectum est*, & nova locutio, & superiori similis, *Nimirum dabit hæc Thais mihi magnum malum*: pro sine dubio rectum est.

15. *Sane quod tibi nunc vir videatur esse, hic Nebulo magnus est: ne metuas.*] Figurata locutio, & præterea ἁπλοῦς intermixtum, nam hic ordo est, *Sane hic nebulo est, ne metuas.* An hic erit ordo & sensus, ut sit dictum, *Ne metuas*: sane qui tibi vir videtur esse, hic nebulo magnus est. Et recte: nam obterretur adolescens, & ætate Militis, quod jam vir est: & magnitudine, quod magnus corpore: quæ utraque in illo vana esse, meretrix ut experta denuntiat. *Nebulo* autem, vel inanis, vel vanus, aut mollis, ut est nebula, dicitur. Et hoc εἰρημικός dictum est. Meretrix, frustra metuentem corripiens *Chremetem*, *Sane*, inquit, *quod tibi nunc vir videatur esse, & deest, Non est*: ut sit, Non est quod tibi nunc vir videatur esse: hic nebulo magnus est. Sic & alibi,

Si in platea hæc te offendero post unquam, nihil quid dicas mihi,
Alium quærebam: iter hæc habui, peristi.
Ut sit, Non est quod dicas mihi.

16. *Quid videtur?*] Non diceret miles, si staret in sententia: sed jam videtur timore mutatus. *Quid videtur?*] Dubitantis est quod dictum sit, *Quid videtur?* Ego sane hoc Militem puto dicere, quem paulatim à violentis atque acerbis principiis ad terrorem desidiamque perducit timor. Nam primo ipse præcedit, utpote qui dicat, *Sequitur mihi.* Dum denique propius deventum est, post principia refert pedem. Post jam nihil ipse audet, sed quærit consilium *Parasiti*. Denique, ubi cominus res gerenda est, dixit *Mare*, & continet irruentes. Ad postremum diffusus, nescit quid agat: ad parasitum spectans, *Quid agimus*, inquit? *Fundam tibi nunc.*] Mire *Parasitus* hoc ait: vel quia Militem nolle videt, vel quia non audet impugnare, consilium formidolosum & aprum metuenti dedit, subtiliter tamen: nam fundam pugnant, qui cominus non possunt: & ex occulto, qui non audent palam. Sed honesta causa, non, quia timeas, inquit, sed ut fugiant: tanquam nisi hostes fugerint, non sit tutum accedere. *Fundam tibi.*] Non dixit hastam, aut lanceam: sed sagittam, *fundam*, quæ nimirum longe jactatur, ut ex hoc intervallo pavorem ostenderet non audentis accedere. Et mire tibi: tanquam ipse *Parasitus* nec hoc audeat. Sunt autem qui putent hæc à *Thaide* ad *Chremetem* dici, sed male: non enim conveniunt ista Meretricis dictis superioribus: nisi quia movet me, quod ex occulto dicit: quasi constet ei, jamdudum videri militem, & ipsum non vidisse, cum qua pugnaturus sit.

17. *Vt tu illos.*] Meretricem scilicet cum suis, ut alibi, *Nos prius introducant. Vt cades.*] Pro cadendo cogeres ut facerent fugam. *Facerent fugam.*] Deest rursus ut, sic, *Vt facerent fugam*, vel ἀνεργασίας illatum est. *Facerent fugam.*] Desiderat conjunctionem enim: ut sit, *Facerent enim fugam.*

18. *Sed eccam Thaidem ipsam.*] *Eccam & ipsam*, figura ἐμφασις, quasi *eccam* principem belli: & ipsam, contra quam pugnaturus est, *Quam mox irruimus.*] Hoc parasitus irridens Militem dixit.

Et irruere proprie dicuntur, qui cum furore prælium ineunt.

19. *Omnia prius experiri, quam armis, sapientem decet.*] Animadvertite quantam vim habeant ad delectandum in Comædiis severæ sententiæ, cum à ridiculis personis proferuntur: quale est apud *Plautum*, ubi Miles suam formam admirans, ait,

Nimis est miseria nimis pulchrum esse hominem.

Quam armis.] Ἀνακόλουθον: pro, quam arma. Aut ἐπιφύσις est, si subaudiamus agere. Et mire non dixit *Me*, sed *Sapientem*, quod magis ridiculum est.

20. *An qua jubeam.*] Et mire non velim, sed jubeam dixit. *Jubeam* pro *velim*: ut, *Jubeo Chremetem*. *DI vestram fidem.*] Bona ἀναλογία: qui leviora laudaverat, hic exclamare jam debet. Et hoc est quod supra ait, *Id rursus si negant, laudo id quoque.* Nam negat rursus male pugnandum esse, qui superius retineri non poterat, quin in prælium vel moriturus irrueret. *DI vestram fidem, quanti est sapere: nunquam accedo, quin abs te abeam doctior.*] Mire egit personam admirantis, per trinam ἀποστροφὴν. Ad Deos, ut, *DI vestram fidem*, ad se ipsum, *Quanti est sapere!* ad militem, *Nunquam accedo, quin abs te abeam doctior.* Et ridicule *Parasitus*, *Nunquam accedo ad te, dixit, qui nunquam recedit.*

21. *Quin abs te abeam doctior.*] *Nimis impudens assentatio, se fieri doctiorem ex Militis sapientia.*

22. *Thais, primum hoc mihi responde.*] Omnia contentione repetendæ *Virginis*; non enim jam puellam, sed pactum exigit, ut *Amator*. *Cum tibi do.*] Pro, *cum tibi darem.*

23. *Quid tum postea?*] Aut, *dixi*, respondendum erat: aut, *Non dixi*. Sed vide contumaciam *Meretricis*: in contumeliam Personæ Militis interrogantem, interrogare maluit, quam per inductionem capi.

24. *Rogitas?*] Contentionis genus interrogativæ. *Qua mihi ante oculos coram.*] Utrum significat inepti Militis dictum? An *Ante oculos*, minus est quam

Coram? *Ante oculos coram.*] Potest ante oculos, & longe tamen intelligi: *coram*, proximitatem significat.

25. *Quid cum illo agas?*] Omnino *Meretrix* non putat illum idoneum, cui reddenda sit ratio, cuique se purget: adeo apud illam amicitia ejus periculum est. Nam errant qui dicunt, eam se velle militi reconciliare. *Et cum eo clam subduxit te mihi?*] Invidiose, *Et cum eo:* nam ut supra legimus, exclusit *Chremetem*. *Subduxit te mihi?*] Furtim subtraxisti mihi. *Virgil.*

— *Et fidum capiti subduxerat ensen.*
26. *Lubuit.*] Superbum est, & meretricium verbum. Sic de *Chelidone* *Cicero* ait, *Libenter ait se facturam.* Huc rede.] Idioma est, pro contumelia repositis, sic & in *Hecyra*, *Renumeret dotem huc: eat, Nisi vis major eripi.*] Utrum nisi pro non & si? ut fit, *Si tibi illam non major eripi.*

27. *Tibi illam reddat?*] Se primum interponit *Chremes*, ut Adolescentulus potuit jam fracto milite: *Aut tu illam tangas? Omnium.*] Ait utrumque *Chremes*, nam quia dixit, *Nisi si tibi major eripi*, ait, *Tu illam tangas?* & addidit *Omnium*, & est ἀποστροφὴν secunda, sic autem loqui solent plus gestu, quam verbis conciti. *Tibi eam reddat? aut tu eam tangas, omnium?*] Magna vis in pronomibus & significatio est, ut, *Cantando tu illum?*

28. *Quid tu tibi vis?*] Recte. cum *Thaide* enim loquebatur, non cum hoc, *Ego non tangam meam?*] Bene addidit *Meam*, hinc enim probatur injuste dictum, *Tu illam tangas? Tuam autem furcifer?*] Incongrue, ut imperitus Adolescentens, liberum servilibus convitiis exagitat.

29. *Carve sis, nescis cui maledicas nunc viro.*] Animadvertite, *Parasitum* neque tacere omnino, ne defuisse patrono videatur: neque in aliena causa rixam in se transferré. *Carve sis.*] Quia imperativa sunt contumeliosa, ardebant veteres, *sis*: quod significat *si vis*. *Non tu hinc abis? scin' tu ut tibi res se habeat?*] Hoc *Parasito*, illud *Militi* *Chremes*, *Scin' tu.*] Non *parasito*, sed *militi* dicit.

31. *Faciam ut hujus loci, dieique, mi-*

que semper memineris.] *Moris* est magnas esse minas hominum metulorum *Specta* ergo quam acriter timidus comminetur. *Hujus loci, dieque, meique.*] *Loci*, in quo læsus. *Diei*, quo cæsus. *Mei*, à quo cæsus.

32. *Miseret tui me.*] Hic *Parasitus* nunc quasi monitor *Chremeti* respondet. *Qui hunc tantum hominem inimicum facias tibi.*] Ne nunc quidem *Parasitus* à *Militis* assentatione discedit.

33. *Diminuum ego caput tuum hodie, nisi abis.*] *Rusticius* dixit, *Caput tuum diminuum*, quam si diceret, *Diminuum tibi caput.* *Ain' vero, canis?*] Hoc verbo impudentibus inimicis convitium fieri solet. Nam militare dictum est in hostem, *canis*: & apud *Homerum* pro gravi contumelia in adversarium dicitur, velut in illo loco, *τί μὲν ἀπὸ μῦθου Μεγαροσώτη, κωῶνα;*

34. *Quis tu homo es? quid tibi vis?*] Ἐπιπορευῶν figura est, ubi multa terribiliter interrogantur, ut, *State vivi: qua causa via, quare estis in armis? Quo-ve tenetis iter?*

35. *Scibis.*] Non obsequuntur, sed figurate dicitur ab irato. *Scibis.*] Et *scies*, & *scibis* dicitur post productionem teritiæ conjugationis. *Principio eam esse dico liberam.*] Quo tollitur, *Tuam videri.* *Principio.*] In tria divisit officium defensionis suæ. In assertoris, *Principio eam esse dico liberam.* In cognitoris, *Civem Atticam.* In fratris, *Meam sororem.* Et bonus est ordo, *Libera, civis, nobilis. Civem Atticam.*] Quo etiam negotium potest ei fieri, qui se pro domino gessit in civem. *Hui.*] *Hui, hem*, & cætera hujusmodi generis, sanæ sunt adversus eos, quibus irascimur.

36. *Meam sororem.*] Quo constat, præsto esse defensionem puellæ. *Os durum.*] Quasi ex omnibus hoc sit impudentius, quod & sororem suam dicat. *Os durum.*] Os impudens: ut contra, *mollis frontis* dicuntur, qui sunt reverentes. *Nunc adeo edico tibi.*] Ut superbe, quasi *Militi*, nam edictum, *Prætoris* dicitur & *Imperatoris*. *Miles, nunc adeo tibi.*] *Miles*, contumeliose dixit. De iis enim est officis, quæ suo nomine contumeliosa

consentur, sicut in *Adelphis*, *Delibera hoc, dum ego redeo, leno.*

37. *Ne vim factas ullam in illam.*] Servavit præcepta meretricis: adeo ut meminerit, *si vim faciat, in jus ducito hominem.* *Ego eo ad Sophronam.*] Hoc lenitius à *Thaide* *Chremeti*.

39. *Prohibeo, inquam.*] Non satis exercitate *Adolescens* totidem verbis dictum repetit *Militis*. *Audin' tu? hic furti se alligat.*] *Gnatho* occasionem finiendi litigii jamdudum quærit, ob desiderium mensæ & cibi: & ideo quasi de jure consilium suggerit, hunc reum *Militis* esse posse, qui paratus est alienam rem suam dicere, & id in jure profiteri, hoc est, apud *Prætozem*. Ergo *furti se alligat*, id est, reum se efficit fraudis. Nam *μεταληπτικῶς* *furtum* pro omni fraude & dolo accipimus & injuria. *Alligat.*] Altringit, illaqueat, & obnoxium facit. Omne igitur quod fraude fit, *furtum* est. Sic *Virgilius*, *Furta paro belli*, id est, insidias. & *Dulcia furta*, id est, adulteria. Omne malum factum.

Qua quis apud superos furto latatus inani.

Distulit in seram commissa piacula mortem.

Furtum duobus modis dicitur. Uno, cum omne maleficium generaliter significatur: altero, cum res surrepta demonstratur. Nunc ergo *furtum*, maleficium est.

40. *Satis hoc est tibi.*] Ad repetendam scilicet *Virginem*, sumendamque injuriæ vindictam. *Idem hoc tu ais.*] Id est, hoc quod *Chremes*, & tanquam *Chremes*. Et ipsam circumventurus interrogat, quod illa intelligens, malitiose ait, *Quare qui respondeat.* Satis contumeliose: illud enim quæritur, quod difficile reperitur. Ergo non modo indignus es, inquit, cui ego respondeam: sed vix invenes, qui te dignum responso judicet. *Quare qui respondeat.*] Et contempsit interrogantem: & indixit inimicitias professione iracundiæ, cum dixit indignum *Militem*.

41. *Quid nunc agimus?*] Vide ut evanuerit actio *Militis*. Primo dixit, *Omnia prius experiri, quam armis, sapientem decet.* Post, *Idem hoc tu ais, Thais?* Et postremo, *Quid nunc agimus?* Et, *Quid*

nunc agimus? consilium querentis est. *Quid nunc agimus?*] Languidi atque defessi est. *Quid nunc agimus?*] Ubi est illud quod ait, *Primum ades expugnabo*, & cætera. Sed vani impetus hunc exitum semper accipiunt. *Quin redeamus.*] *Quin*, modo *imo*, Non abeamus, inquit, sed redeamus: ut irritos conatus uno verbo ostenderet.

42. *Credin?*] Ex parte consentit, qui sic interrogat. *Credin?*] *Crede*, dubitantis est: *Certum esse*, fidentis.

43. *Vbi nolis, cupiunt ultro.*] Plus intulit spei, non revocando verbum quod expectabatur, hoc est, *volunt*: sed *cupiunt*. Ergo variavit: non enim intulit, *Volunt ultro. Bene putas.*] Hoc est, recte putas, fapis, vel intelligis. *Virgilius, Multa putans, sortemque animo miseratus iniquam. Vel conjicis. Vel putas, dispuras. Vel putas, cogitas.*

44. *Iam dimitto exercitum.*] *Dimitti exercitus*, dicitur, vel pace facta, vel vexatis hostibus. Ridicula ergo magnificentia verborum est, cum sint facta deformia. *Sanga, uti fortes decet milites, domi focique fac vicissim ut memineris.*] Ut mire in coquum, qui focum curat in domo, quia milites hi fortiter pugnant, qui sunt memores domorum. Vide ergo quam utrumque comicum. Ad ineundum prælium, resque bellicas, Donax primus est: ad res domesticas Sanga, qui coquus est. *Domi focique.*] *Domi & Foci*, genitivi sunt. *Cacilius; Decora domi.* Plautus.

Quamquam domi cupio, opperiar tamen.

46. *Iamdudum animus est in patinis.*] Hic aperuit causam Poëta, cur & invitatus Gnatho iret ad litem, libens domum redeat. *Frugi es.*] Utilis & necessarius: à frugibus, quæ quod his fruamur, dictæ sunt. Inde *fructus & frumentum. Frui* autem est velci, à frumine, quæ est summa pars gulæ: à qua re, etiam his, quæ nec cibo nec poculo sunt, *frui* dicimur, κατὰ χερσιν αὐτῶν: utpote rebus veneris: & delectatione odoris, visus, auditus, & cæteris.



IN SCENAM PRIMAM

ACTVS QVINTI.

1. *P* Ergin', *Scelestæ, mecum perplexe loqui?*] Nunc demum virgo vitiata esse cognoscitur à Thaide, opportune, postquam magnopere & defensa est, & retenta. Nam statim consequentur nuptiæ ejus & Chæreæ, qui illam vitiavit. *Perplexe loqui.*] Ideo *Perplexe*, quia statuerat crimen virginis celare.

2. *Scio; nescio; abiit; audiui.*] Mire ex dictis omnibus pauca decerpit: & ostendit quid perplexe dixerit: & stomachum lævientis expressit. *Scio.*] Flere puellam. *Nescio.*] Vitiatam. *Abiit.*] Eunuchus. *Audiui.*] Domi hoc admittit. *Ego non adfui.*] Cum hæc fierent. Acciter iratorum est, ea repetere, quæ proxime dixerint, quibus irascuntur, ut *En ego victa sum, verique effecta senectus.*

3. *Non tu istuc, &c.*] Non est hic interrogatio.

4. *Virgo conscissa veste lachrymans obticer.*] Hæc omnia rixam esse significant. *Virgo obticer.*] *Tacemus* consilia: ut, *Nec tacui demens. Reticemus* dolores: ut, *Ne verere, ne retice. Obticemus* quorum nos pudet: ut in Phormione, *Hec quidnam obtices?*

5. *Eunuchus abiit.*] Non *Chærea*, sed *Eunuchus*: non *fugit*, sed *abiit* dixit. *Quamobrem? quid factum est? taces?*] Hæc à *οὐδὲν* detra instantis dominæ vultum habitumque demonstrant.

7. *Quis fuit igitur.*] Hæc cunctative pronuntianda sunt: aut quia invita indicat, aut dubitat de nomine ignoti: aut trepidat per timorem: aut, ut non videatur affuisse, cum fuerit factum: aut quia non libenter dicat ejus nomen, cui irascitur. Sed ego agnosco ancillarum consuetudinem, quæ obliviosa sunt.

8. *Iste ephēbus.*] *Ephēbus* nomen ad ætatem reculit, non ad facinus commissum. *Ephēbus.*] Cito ostendit, cur iste Eunuchus creditur.

9. *Quid ais, venesica?*] Rediit rursus ad iracundiam, aptum convitium & comicum in ancillas; *venesica, lupa, vipera & sacrilega*, & cætera.

10. *Quid*

IN TERENCEM.

10. *Quid is obsecro ad nos?*] Non rogantis est *obsecro*, sed dolentis.

11. *Nisi amasse credo Pamphilam.*] *Deest quod*: ut sit, *nisi quod*.

13. *Num id lachrymat virgo?*] Ut supra: *Id vero serio triumphat*: pro, ob id. *Id opinor.*] Callide Pythias *Opinor* dixit, cum sciat. *Quid ais sacrilega?*] Αὐξήσῃς, nam primò *scelestæ*, deinde *venesica*, postremò *sacrilega*.

14. *Istucine interminata sum.*] Satis moraliter. *Istucine interminata sum*, pro, *Num istuc tibi comminata sum?*] *Istucine interminata sum hinc abiens tibi?*] Apparet hæc post scenam esse mandata, nam supra non meminit: sed dixerat, *Tamen hos prius introducā, & qua vobis simul imperabo: postea continuo exeo.*

15. *Ita ut tu iusti, soli credita est.*] Dixerat enim prius Chærea, *Edicit ne vir quisquam ad eam adeat, & mihi ne abscedam. imperat.*] *Iusti.*] Ζυκοῦν & ματαλοῦς, pro *iussisti*.

16. *Scelestæ, ovem lupo commisisti.*] Bene dilatum tot occasionibus proverbium, personæ Thaidis ascriptum est. continet enim fœmineam reverentiam & meritricium sensum, reditque rursus ad minora convitia; quia videt se esse convictam. Et est proverb. *Ovem lupo commisisti.*

17. *Sic mihi data esse verba.*] Videretur plura fuisse dictura, nisi supervenisset Chærea. *Quid hominis illic est?*] Per genitivum casum injuriose dicitur; per nominativum, honorifice. *Quid hominis illic est?*] Non continuo agnoscit hunc hominem Meretrix. *Quia* est adhuc Eunuchi veste indutus est, attamen exiit spadonis incessum: vultum, habitumque nautavit: & præter vestem, totus in Chæream rediit.

18. *Hæc mea tace; tace obsecro.*] Blandè ac puellariter arridet. *Tace.*] Non silentium indidentis est, sed securam facientis: ut,

Tace egomet conveniam ipsum.

19. *Habemus hominem.*] Mire *hominem* dixit, ut reum.

20. *Iube comprehendere.*] Pro *comprehende*, *Iube* enim velle significat. *Quantum potest.*] *Deest cito.*

21. *Quid illi faciemus, stulta?*] Subauditur *comprehendo. Quid facias, rogas?*] Moraliter expressit puellæ stupentis verba, & non habentis quid respondeat ad ea quæ dicta sunt.

22. *Vide amabo, si non, cum aspicias, os impudens videretur.*] Mire ab eo quod respondere cœperat, ad aliud transit, mirata confidentiam Chæreæ. Non est impudens, inquit, non est nisi similis impudenti. Sic alibi, *Severitas inest in vultu, atque in verbis fides.*

IN SCENAM SECUNDAM

ACTVS QVINTI.

1. *A* *Pud Antiphonem uterque.*] Rediens in viciniam suam, causam reddit Chærea, cur non mutaverit vestem: Oportuit autem, & de necessitate argumenti fuit, Chæream non mutasse vestem, ut cum meretrix virginem à Chæreâ vitiatam audiret, & eum cum turpi habitu incedentem intreretur, eum reum vitiatæ virginis putaret. *Apud Antiphonem*, dixit, pro, in domo ejus. *Uterque, Mater & Pater.*] Non, uterque pater, & utraque mater, sed *uterque parens*: quia pater & mater.

2. *Quasi dedita opera domi erant.*] Non tam mirum, si domi erant: sed illud magis mirum, quod in ea domus parte, qua in ades introeundum erat Adolescentulo. *Ut nullo modo introire possem.*] Superius causâ continetur, cur non mutaverit vestem: inferius autem, cur huc redierit.

3. *Quin viderent me.*] *Quin*, modo pro *quo minus*.

4. *Dum ante ostium sto.*] Antiphonis scilicet. *Notus mihi quidam obviam venit.*] An notus, qui me postea agnoscere? an qui me noverit, id est, amicus?

5. *Quantum queo.*] *Deest velociter.*

6. *In angiportum.*] Vide illum non vitasse sub una clausula bis in dicere, *in pedes, in angiportum. Angiportum* dicebant vicum non pervium, viam publicam. *In angiportum quoddam desertum.*] *Deest*, fugiens.

7. *Ita miserimus fui fugitando.*] Id est, fatigatus, lassus, & languidus sum dum fugio. Et honesta locutio

est: ut, *Miser amando, miser currendo.*
8. *Nequis me cognosceret.*] Nota improprie dictum, pro *Agnosceret.*

9. *Sed estne hac Thais, quam video?*] Jampridem ipse visus, nunc primum videt. *Hæreo.*] Incertus remaneo atque defigor. Primus metus adimit consilium: sed recogitatio reddit confidentiam.

10. *Quid mea autem?*] Colligit se rursus ad impudentiam Chærea, & vide si non eadem est audacia in Chærea, quæ in suscipiendo facinore fuit. Et *ἐλλεπτικός*, quid mea autem? *Quid faciet mihi?*] Opportune se confirmavit, quia si extimuisset & fugisset, nihil nuptiæ promoverentur.

11. *Bone vir, Dore.*] Hoc totum figurate dixit, ut Meretrix, & subtiliter. Nam scit Chæream esse quem alloquitur, non Eunuchum. Et hic magna occasio datur Meretrici adeundi Adolescentis, qui habitum non mutavit: & adhuc quasi Eunuchus & Servus est. *Bone vir, Dore, salve.*] Major objurgatio est, per hanc dissimulationem Thaidis adversus Chæream, quam si illum id, quod est, appelleret.

12. *Hera, factum.*] Non potuit subtilius respondere Chærea, quam accommodare se interroganti. *Satin' id tibi placet?*] Hoc potest & non figurate dici, sed aperte.

13. *Vnam hanc noxiam omitte.*] Trisyllabo nomine *Noxiam* dixit, quasi noxam. Alibi aliter, *Dominam* dixit extra noxam.

14. *Si aliam admisero unquam, occidito.*] Verba servorum, quibus nihil horribile est post præsentis plagas. Et non *Cadito*, sed *Occidito*: & non *alias* dixit, quasi illa Chærea dixerit, *at hic irrisores, ut fugitivus.*

15. *Num meam servitiam veritus es?*] Ut fugeres.

16. *Hanc metui ne me criminaretur tibi.*] Perfecte imitatus est verba fugitivorum, quæ apud dominos faciunt comprehensum.

19. *Vitiare civem.*] Bene intulit *Civem*: quod plus est, quam Virginem vitare, *ἀυξήσις* gradatim facta. *Conser-*

vam esse credidi.] Locus erat ut diceret, *Servam esse credidi*, sed admirabiliter *Conservam* dixit, & hoc ipsum, miserabiliter pronuntiandum est: tanquam miserabiliter crediderit conservam esse, quæ civis erat, atque eam quasi conservam vitare debuerit.

20. *Conservam!*] Oportune stomachabatur Pythias, facta mentione conservæ. *Vix me contineo quin involem in capillum.*] Minæ istæ proprie foeminarum sunt, & in se, & in alios unguibus faciunt: ut, *Vnguibus ora soror fodans, & pectora pugnans.* Sed *involem*, ab avibus tractum est, ut apud *Virgilium*, *Prædam pedibus circumvolat uncis.* Ergo hoc gestu, & dicto, & corporis motu, est adjuvandum. *Involem in capillum.*] Apparet, more veterum intonsum esse.

21. *Etiam ultro derisum advenit.*] Mire nunc addidit accusationem, quod non saltem fugeret.

23. *Debeam credo isti quicquam furcifero.*] Subauditur *vero*, aut *εἰρωνικός* pronuntiandum est. Sane debere dicimur pœnas pro injuria ei, cui injuriam fecerimus: quas se non debituram Chærea ut *Furcifero* dicit Pythias, si illi eadem intulerit in servili habitu constituto. *Si id fecerim.*] Si involaverim in capillum ejus.

25. *Missa hac faciamus.*] Hæc scilicet jocularia & futilia. *Non te dignum, Chærea, fecisti.*] Artificiose Meretrix ab eo quod licuit, ad id quod oportuit, transit: nec tractat quid sit legitimum, sed quid honestum. Itaque totam illam partem facti accusandi omittit, & ab accidentibus personæ Adolescentis objurgat. Scit enim, uno verbo obstari posse, *Licuit mihi*, in domo meretricia scilicet: ne videatur irrationabilis esse audacia illa ingenui à Poëta inducta esse. *Non te dignum.*] *Dignum*, pro *digne*, aut *deest facinus*: ut sit, *non te dignum facinus fecisti.* Mira accusatio mixta laudi & blandimento.

26. *Nam si ego digna hac contumelia sum.*] *Deest*, & ut sit ordo. Nam est maxime, & bene additum est *Maxime*, ut appareat, quod etsi digna pati sit meretrix, non tamen maxime digna pati Thais est.

27. *At tu indignus qui faceres tamen.*] Recte dixit. Quatuor enim sunt modi in hujusmodi rebus: ita ut aut uterque dignus sit, aut uterque indignus: aut alter dignus, alter indignus: aut contra.

28. *Neque adepol, quid nunc consilii capiam, scio, de virgine ista.*] Intelligit Thais amari virginem ab hoc: & ideo sic ait, ut conciliet nuptias, nam satis signi est, quod Eunuchi habitum propter hanc sumpsit. Et vide quemadmodum ad captionem nuptiarum res cant: quod tamen dicere non audet Thais, sed ostendit adolescenti conjecturis, quem tentat, sciens amantem virginem: & viam ostendit petendæ sibi uxoris.

32. *Hoc mihi beneficium, Chærea.*] Blande nomen repetitum est, Chærea.

33. *At nunc dehinc spero.*] Nunc jam Chærea vera veris æquiparans, recedit à jocularibus.

34. *Sæpe ex hujusmodi re.*] Hoc est, turbulenta. *Quæpiam.*] Quacumque, vel aliqua.

36. *Quid si hoc quispiam voluit Deus?*] Pleraque repentinis impulsionebus nata, minusque proventibus, Deo ascribi solent. Ut,

Descendo, ac ducente Deo flammam inter & hostes

Expeditior. —

Et, *Hinc me digressum vestris Deus appulit oris.*

Et *Sallustius*, *Vt tanta repente mutatio non sine Deo videretur.* *Quid si hoc quispiam voluit Deus?*] Vult amorem intelligi Deum.

37. *Equidem pol in eam partem accipioque, & volo.*] Evenire subauditur: & est *ἐπιπέσει* tertia.

38. *Imo ita quæso.*] Utrum Meretricem, an Deos quæso? utrumque enim accipi potest. *Vnum hoc scito.*] Unde hoc sciat Thais, inepte quæritur, quum ipsa res clamet, nunquam hanc conditionem subiturum Chæream, ut pro Eunucho, etiam servo, se fingeret sine amoris impulsu.

40. *Nunc ignosco tibi.*] Quod culpa non sit hominis, sed amoris.

41. *Non adeo inhumano ingenio sum, Chærea.*] Hoc est, immittis non sum,

quantum putas: ut, *Non obtusa adeo gestamus pectora Pœni.*

42. *Neque tam imperita.*] Id est, non experta. *Vt quid amor valeat, nesciam.*] Non *inhumana*, quia homo, non *imperita*, quia meretrix; & *neque tam imperita* inquit: quasi dicat, *Neque tam pudica sum*, ut quid amor valeat, nesciam.

43. *Te quoque jam, Thais.*] Bene *quoque*: non enim jam hanc ita amat, ut negligat illam: sed hanc illius causa.

44. *Pol tibi ab istoc, hera, cavendum.*] Facere, tanquam qui soleat capillum & vestem ejus conscindere, quam amaverit.

45. *Non ausim.*] Pro, *non audebo*: & est verbum hujus temporis tantum. *Non ausim.*] Utrum propter atatem? an propter fratrem suum Phædriam potius? *Nihil tibi quidquam.*] Παράλλοιον quartum, aut *nihil*, pro *non*. *Desinas.*] Pro eo quod est, *desino*: an *deest fac*: ut sit, *fac desinas.*

47. *Ego me tua commendo & committo fidei.*] Satis amatoric, ut appareat, nunc maxime captum Chæream, ac mancipatum virgini, *Commendamus* nos cognitatis: *Committimus* ignotis. Ergo *ἀυξήσις* est majoris officii, fideique circa Thaidem.

48. *Te mihi patronam cupio.*] *Te* adjectum, vim habet, & ex animo supplicantis habitum Adolescentis ostendit.

49. *Emoriar, si non hanc uxorem duxero.*] Vide Amatorem Adolescentulum, cui in ipso flore nihil dulcius vita est, ipsam despiciere, si sibi uxor non datus.

50. *Tamen si pater.*] *Ἐπιπέσει*, aut *ἐπιπέσει* secunda. *Quid? ah volet, certo scio.*] *Quid?* *deest dicat*, sed ista omnia ad confirmationem valent.

51. *Civis modo hac sit.*] Mire hic in vorum conversum est, quod timere potuit, non ducturus uxorem. *Paululum opperiri si vis, jam frater ipse hic aderit virginis.*] Adeo cito probari potest.

55. *Ego vero maneo.*] Modo vero contentientis est adverbium: aliàs confirmantis: aliàs conjunctio: aliàs particula ironiam juvans: ut,

Egregiam vero laudem & spolia ampla refertis

Tuque puerque tuus. —

56. *Domi opperiamur potius, quam hic ante ostium?*] Non ignara illecebrarum Meretrix, non solum Chæream retinet: verum etiam vocat, ubi Virgo est. & satis callide interrogat an velit: quasi nesciat velle.

57. *Imo percupio.*] Amatorie, non Volo: sed Percupio.

58. *Hunc tu in ades.*] Pronomen in his plus valet, quam accusatio. *Hunc tu in ades cogitas?*] Mire: cum illa jam velit, *Cogitas* dixit, volens ut recogitet. *In ades cogitas recipere posthac?*] Per ancillæ verba vult ostendere, quam sit tractandorum Adolescentium perita Meretrix.

59. *Posthac?*] Post hoc factum, post hanc audaciam, *Crede hoc mea fidei.*] Faulariter dixit, *Mea fidei.*

60. *Dabit hic aliquam pugnam denuo.*] Pro stupro: ut,

At non in Venere segnes, nocturna que bella. Ut,

Venerurque bella & ingens facinus,
Ut Lucilius,

Vicinus, & socii, & magnam pugnavimus pugnam.

Dabit, autem proprie pro inducet: ut,
— *magnam dabit ille ruinam.*

Au, tace obsecro.] *Au* interjectio est perturbatæ mulieris: ut apud Græcos ἴδ.

61. *Parum perspexisse ejus videre audaciam.*] *Parum εἰσέωρα* est, Et non *Sensisse*, sed *Perspexisse* dixit: ut jam non sit experienda illius audacia, quæ sit perfecte cognita.

62. *Non faciam, Pythias.*] Bene & moraliter appositum, *Pythias*. *Non pol credo, Chærea nisi si commissum non erit.*] Joculariter, ut ille, *Pythias* dicit: ita hæc *Chærea*.

63. *Quin Pythias.*] Iterum nomen vultuose est additum. *Quin*, pro imo.

64. *Neque pol servandum tibi quidquam dare ausim.*] Totum garrule & gesticulose: ut puellam cum Adolescentulo fabulari videas.

66. *Adest optume ipse frater.*] *Optume*, oportune. Et non est additum, cujus frater: utpote in re manifesta.

67. *Nolo me in via cum hac veste videant.*] Subtiliter adolescens, quia nihil

profecerat, dicendo, *Percupio*: invenit causam, qua tandem ingredi possit.

68. *Quamobrem tandem.*] Pro tamen. Interrogatio hæc increpationem continet impudentissimi facti. *An quia pudet?*] Hæc interrogatio irrisionis plena est, in eum quem nihil pudet.

69. *Id ipsum.*] Hoc veluti molesto vultumque ejus Pythias, *Virgo vero!*] *Verο εἰσώρα*: nam *εἰσώρα* est, ut, *Egre-giam vero laudem! Virgo*. Quasi qui minime pudicitiae statum ac verecundiae virginalis veneretur. *I pra, sequor.*] Manifestum est, cur meretrix docta capiendorum juvenum, præire velit Chæream, & in consequendo ipsa sit tardior, vult enim liberum sine arbitris cum puella esse colloquium, & licitum amorem. Nisi forte putamus Terentium hæc sine causa fecisse, qui sit artificiosissimus Poeta, nam neque ipsa ingreditur cum Chærea, neque ingredi simul permittit Phædiam.

70. *Tu is sic mane, ut Chremem introducas.*] Relicta est Pythias ob multas causas: & in primis, ut possit per eam delusus Parmeno pavore suo Senem compellere ingredi ad Meretricem, & præsentem fieri ad confirmandas nuptias.

IN SCENAM TERTIAM

ACTVS QVINTI.

1. *Quid? quid venire in mentem.*] In hoc loco cogitantis disputatio est apud se ipsam Pythias, quatenus Parmenonem dolo possit ulcisci.

2. *Quidnam?*] Sic Cicero, *Sed earum rerum artificem, quem? quemnam? recte admones, Polycletem esse dicebant. Qui referam.*] *Qui*, quomodo, vel ut.

3. *Qui hunc supposuit nobis.*] Proprie supposuit, nam ut subdaci dicuntur, quæ nolumus amittere, ita supponi quæ non desideramus. Sic *Plantus*,

Ei pro scorto supponetur hircus unctus nautea.

Moue vero cibus te, nutrix.] *Vero* pro interjectione posuit stomachantis.

4. *Video, sed nihil promovet.*] Hinc est illud *Virgilianum*,

Ille gradum celerans studio properabat anili.

Scilicet non re celerabat, sed studio. *Promoves.*] *Proficis.*

6. *Amabo; quid ait? cognoscite?*] Exhibitum spectatori est, quid post scenam geratur, id est, agnitio puellæ. *Ac memoriter*] Plus intulit quam interrogabatur: nam magna sunt signa, in quibus anilis memoria non erat. *Ac memoriter.*] Responsonis brevitatem attulit compendium perquirenti, ne plura interrogaret.

7. *Nam illi faveo virgini.*] Quasi dicat, illi faveo, non Chærea, & simul causa est, cur illum ulcisci cupiat: quia scilicet multum illi favet.

9. *Virum bonum.*] *Εἰσέωρα*. *Eccum Parmenonem incedere video?*] Res odio dignior, novitate scilicet incestus.

10. *Vide ut otiosus sit.*] Invidet illi securitatem, quem sollicitum redditura est: non enim ulla alia erit vindicta post, præter istam. *Vide, ut otiosus sit.*] Vultu dicit, & gestu, cum esse securum. Et mire Poëta lærum describit, ut repente ostendat esse commotum. *Si Dis placet!*] Proprium est exclamantis propter indignitatem alicujus rei.

11. *Spero me habere.*] Pro habituram: aut, *spero pro credo*. more suo. *Meo modo.*] Id est, ut volo.

12. *Ibo intro, de cognitione ut certum sciam.*] Eleganter, defatigare Parmenonem, non necessarium putat, sed ex occasione. Nam post eum dicit se ire intro: exitura autem, ut ipsum in timorem conjiciat.

IN SCENAM QVARTAM

ACTVS QVINTI.

1. *Reviso quidnam Chærea, &c.*] *Astu*, Pro *astute*, modo adverbium est, alias nomen: ut, *An in Astu venit?*

2. *Dî vestram fidem!*] Modo non invocantis est, sed admirantis. & est figura *ἑπιμονή* per *ἐπιμόνησιν* facta.

4. *Nam ut mitam quod ei amorem difficillimum & carissimum.*] Quum dicere deberet, quod ei amorem & difficilli-

um & carissimum confeci: primo quasi oblitus dicti superioris, transit ad virginem: deinde addit causam ex abundantanti. Quod si dixisset, *amorem confeci*: posset intelligi *confeci*, expedivi, perfeci. At vero *virginem confeci*, quid intelligemus, nisi hoc unum, quod insultat Parmeno confectam virginem: quasi dicat superatam atque devictam? Nam proprie hoc verbum convenit gladiatoribus iis, qui gravissimis vulneribus occubuerunt. Sic Cicero in Catilinam, *Gladiatoris illi confecto & saucio*. Convenit ergo ferilibus verbis, & velut jocose verniliterque jactanti, rem confectam esse in puella Virgine, & non exhibere Chæreae damnum vel negotium.

7. *Ab meretrice avara: virginem quam amabat.*] *Ἀπορία πωρος* secunda. *Difficillimum*, quia virginem quam amabat: *Carissimum*, quia a meretrice avara.

8. *Id vero est.*] *Vero*, nisi ornativum esset, nihil significaret. *Palmarium.*] Palma dignam.

10. *Meretricium ingenia.*] Optime, non *meretricis* dixit, sed potius *meretricium*.

11. *Mature.*] Cito & ante tempus. *Ut cum cognorit.* Suaviter non *Noverit*, sed *Cognorit*, dixit quod est plenæ perspicacitæ. *Mature ut cum cognorit.*] Bene addidit *Mature*. Fere enim cito cognovisse obfuit: sed id ad illecebram fuit quod cognitus est cito.

12. *Quæ dum foris sunt.*] Apud amantes scilicet. *Nihil videtur mundius.*] Bene *Videtur*: non enim sunt.

13. *Nec magis compositum quidquam.*] Bona varietas, nam hæc omnia per magis adverbium profert: nec omnia per comparativum gradum. *Nec magis elegans.*] More suo, ne diceret compositius aut elegantius: ut supra, *Hoc nemo fuit minus ineptus, magis severus.*

14. *Quæ cum Amatore suo quum cœnant.*] Unum *Cum*, præpositio est: alterum conjunctio. & dicitur hæc figura *λεπίότης*. *Liguriunt.*] *Ἀπό τῆς λιγυροδ* quod secundum Græcos suave intelligitur. *Ligurire* dicitur, qui eleganter & more senum multo fastidio suaviora quæque degustat.

15. *Harrum videre ingluviem.*] Ordo

erat, *Harum videre ingluviem, sordes, inopiam, quam inhoneste sola sunt domi*: id est, cum solae sint, ut inhonestae, atque avidae cibi: quae quum foris sunt, coenant scilicet.

17. *Quo pacto ex jure.*] Ex pro cum positum est, aut deest *madidum*, aut *maceratum*, aut *emollitum*; nam apparet & sordidum esse, & quasi atrum durumque panem, qui ex jure hesterno fit comedendus. Cui contrarium *Sallustius* posuit, de deliciis militum loquens, *Panes enim in dies mercari*, inquit, *Ex jure hesterno panem atrum vorant.*] Hoc est, ut quidam volunt, ex antiquitate mucidum: quasi dicat, panem mucidum hesterno jure accipientes deglutiunt.

19. *Ego pol te pro istis dictis & factis, scelus, ulciscar.*] Miro artificio Poetae, & ab initio non placatur Pythias, nec in gratiam redit Chærea. Et in super nunc mire à Parmenone irritatur magis, ut per eam Parmeno terreatur, & per Parmenonem ingredi ad Thaidem cogatur Senex: & demum per Senem nuptiæ confirmantur. Hæc ergo artificibus & eruditis, cætera spectatoribus Poeta exhibet.

21. *Prob fidem Deum!*] Vim magnam ostendit, Deorum implorans fidem: quasi in hoc negotio nihil possit humanum consilium. *Prob fidem Deum!*] Simulata perturbatione sui, Parmenonem terret Pythias. *Prob fidem Deum!*] Hæc singula pronuntianda sunt pavido & attonito vultu. *Fœdum.*] Crudele. *Sallustius, Fœdi oculi. O infelicem adolescentulam!*] Plus est miseriam adolescentis dicere Pythiam, quam irasci ei.

22. *O scelestum Parmenonem!*] Ut verba sunt, perit profecto miser adolescens, quum in eodem peccato irascitur Parmenoni Pythias, non Chærea.

23. *Miseret me.*] Hæc omnia quasi secum loquitur: & fingit se nescire: quod assistat Parmeno.

24. *Qua futura exempla dicunt in eum indigna?*] Graves poenæ, quæ possunt cæteris documento esse, exempla dicuntur. *In eum indigna.*] Modo per indigna, fœda, crudeliaque significat. Ut *Virgilius,*

Atque illi Misenum in litore sicco,

Vt venere, vident indigna morte peremptum.

25. *Qua illic turba est?*] Quæ loquitur: aut quam ostentat ex vultu ac dictis. sed apparet, vultum Pythiæ turbam dicere, ut in Andria, *Sed quid Pamphilum exanimatum, video? Vereor quid fiet; operari ut sciam nunc, quidnam hac turba tristitia adferat.*

26. *Rogitas, audacissime?*] Totum hoc terribile est in gestu ac vultu Pythiæ, & nimis usitatum & scæmineum.

27. *Perdidisti istum, quem adduxi, &c.*] Artificiose non accusat, qui peccaverit adversus Thaidem, quasi ex poena Adolescentis plus doleat, quam irascatur Parmenoni.

28. *Dum studes dare verba nobis.*] Bene, *Studes dare*: neque enim dedisti, *Quid ita?*] Deest *dicis*: ut sit, *Quid ita dicis?*

30. *Scis eam hinc civem esse.*] Eam abundat: quemadmodum supra, *Quam amabat virginem, eam confeci sine molestia. Et ejus fratrem apprime nobilem!*] Hæc ad terrorem & gratiam aucta sunt. Nam primo *Virginem* posuit, post *Civem*, ad ultimum *nobilis Sororem*.

31. *Nescio.*] Perturbatur Parmeno: nec negare potuit, nec consentire volebat: sed quasi defensionis loco dixit, *nescio. Atqui sic inventa est.*] Facile est ut credat, qui dicit *nescio*. Ergo Pythias non laborat, ut suadeat civem esse. *Atqui sic inventa est.*] Magnum horrorem incutit audienti, non accusando, sed miserando Chæream.

32. *Frater violentissimus.*] Hoc inventum est, quod daretur ad nobilem.

33. *Colligavit primum eum.*] Mira tarditas, ad torquendum Parmenonem: simul etiam relictus ad succurrendum locus.

34. *Atque equidem orante, ut ne id faceret, Thaide.*] Adeo violentissimus, & recte hoc additum, ne speret auxilium à Thaide.

35. *Nunc minatur.*] *Minatur*, ut succurri possit ei, qui non sit passus. *Minatur porro, sese.*] Deest *facturum. Quod machis solet.*] Deest *fieri.*

37. *Quid ita tantum?*] Nimis callide Pythias hunc dicit violentum: & tamen

injustum, audacemque dici non patitur, sed defendit, ut magis terreat Parmenonem.

38. *Quis homo pro macho unquam.*] Causa finalis. Virginem Civem apud Meretricem vitavit: mercedem offert: petitur ad supplicium.

39. *Nescio.*] Quam astute dixit *Nescio*: ne laborans ad contradicendum, amitteret fidem supplicis personæ, ac vera dicentis, vult enim magis nuntii officio fungi, quam persuadentis.

40. *Dico, edico vobis.*] *Ἀδύνατος*, ut supra, *Vbi quaram, ubi investigem? Dico.*] Tibi, Pythias, *Edico.*] Omnibus tuis. Ergo ad universos utrunque refertur, & *Dico & edico.*

41. *Obsecro an is est?*] Insultantis, ut in Phormione, *Hic me eras?* nam sciebat eum esse. *Ne quam in illum Thais vim fieri sinat.*] Quam bene providet Pythias!

42. *Atque adeo autem cur non egomet intro eo? PY. vide, Parmeno, quid agas, ne neque illis profis, & tu peras.*] Totum hoc ad id addidit, ut senex intromittatur ad confirmandas nuptias: sed Poeta hoc agit, personæ nesciunt.

45. *Quidve incipiam?*] *Facimus medicria, Incipimus ingentia. Ecce autem video rure redeuntem senem.*] Choragii est administratio, ut opportune in proscenium.

46. *Dicam huic, an non?*] Hoc non esset verisimile, nisi dubitasset. Quid enim ad Chæream pertinet, dubitat.

47. *Scio paratum: sed necesse est.*] Hæc causa dubitandi fuit: quod hinc Parmenonis, illinc Adolescentis periculum cernitur. *Sapis.*] *Sapis* dicit, non videns quid futurum sit: sed tantum derisisse contenta. *Sed necesse est.*] *Dicere*, subaudiendum est: ut sit, *Sed necesse est dicere*, & *ἀκούειν* inferendum est quod sequitur. Deest enim *propterea*, vel quid tale.

IN SCENAM QUINTAM

ACTVS QVINTI.

EX meo propinquo rure hoc capio commodi.] *Annotandum*, quod hujus

Senis nomen apud Terentium non est: apud Menandrum Simon dicitur.

1. *Ex meo propinquo rure hoc capio commodi.*] Firmatur mentis status trepidantis Senis, ut appareat, quam inopinato malo amens fieri possit: quod ipsum superius & in Parmenone servatum est. Imparatis enim mentibus mala majora sunt. Ergo nunc tam otiosus incedit senex, ut neque mores increpet, nec quidquam suspicetur mali: sed agat gratiæ proximæ villæ, cujus beneficio non scit, quid in urbe agerent filii. Et nunc adest, ubi opus est Poetae. Et vide hanc causam fuisse, cur non ad villam diverterit. Omnes villas comicas suburbanas esse, commoditatem ipsam nunc explicat & ostendit.

2. *Neque agri, &c.*] Tragicus apparatus. Delicias memorat, qui pericula cogniturus est. *Odiū me unquam percipit.*] Fastidium, ex abundantia est.

3. *Vbi satias cepit fieri.*] Suffecerant ad hanc sententiam duo superiores ii versus: sed *ὀνείργεια* est senilis eloquii, faceti & garruli simul. *Commuto locum.*] Mira brevitate duas res explicuit simul. *Vbi satietas est.*] Deest *Nam*: ut sit, *Nam ubi satietas cepit fieri.* Et *cepit*, pro *cepit*. *Satietas*, odium: ab eo quod præcedit, id quod sequitur.

4. *Sed est ne ille noſter Parmeno? & certe ipſus est.*] Et dubitavit, & firmavit poſtea: utpote senex, visu jam languido, atque oculis ætate defessis.

5. *Quem præſtolare, Parmeno, hic ante ostium?*] Nove: non, *Cui præſtolare*: sed, *Quem* dixit, Aliter *Tullius* in *Catilinam*, *Qui tibi ad forum Aurelium præſtolarentur.* *Præſtolari*, est præſto eſſe & apparere, hoc eſt, obſequi.

6. *Quis homo eſt?*] Quare, *Quis homo*, quum providerit venientem? Utrum non vult videri providiſſe, ne quid fallaciæ paſſe videatur? Sic & in *Andria*, *Quaſi de improviſo reſpice ad eum.* Vel, quia perturbatur exanimatus, qui dum quid apud Thaidem geratur, auſcultat, non videt Senem propius accedere, quem longe viderat? An vero idcirco hoc fingit, quia quod parabat dicere de Chærea, poſtquam cominus ventum eſt, non audent loqui?

7. *Lingua haret meum.*] *Virgilius.*
Et vox faucibus haesit —
 8. *Quid est quod trepidas?*] Instan-
 dum est seni ad audienda, quae de facili
 nunquam fateretur Parmeno. *Satisne*
salve?] *Salve*, integre, recte, commode.
Plautus in *Trinummio*, *Benevolens tuus*
atque amicus. L. E. *Satin, salve?* *Satisne*
salve?] Nunc adverbium est: producta
 est litera. *Sallustius*, *Inde ortus sermo,*
percontantibus utrimque, satin salve,
quam grati ducibus suis, quantis fami-
liaribus copiis agerentur.
 9. *Here, primum te arbitrari quod res est*
velim.] Quod ante narrationem confir-
 matio inducitur, contra morem & praec-
 ceptum est: sed merito, quia perturbatus
 est, licet simul* ut non possit dicere.
 10. *Quidquid huius factum est.*] Abso-
 lute, ut supra, *Et quidquid huius feci,*
causa virginis feci. Aut deest rei: ut sit,
huius rei. *Stomachose.*
 11. *Quid?*] *Quid*, interrogat, quis
 enim ante, crimen, quam obiciatur, aut
 proponatur, neget? *Recte sane.*] Docte
Terentius ipse se reprehendit, Nam ordi-
 ne factum non est, praeter timore &
 conscientia.
 12. *Emit quendam Phaedria Eunuchum.*]
 Vide narrationem a necessariis & ur-
 gentibus ceptam, non in se continere,
 nisi quod rei conditio cogit fateri. *Emit,*
 inquit, *quendam Eunuchum, quem dono*
huic daret.] Non dixit, *Cui dono daret.*
 Aliter ab amoris mentione ceperat.
 Deinde *Tò quendam Ευδωριστων* signifi-
 cat, & *ευδωριστων υδωρος*.
 13. *Huic.*] *Huic*, more suo dixit po-
 tius, quam, *Meretrici.* Quinetiam inter-
 rogatus, *Thaidi* potius dicturus est,
 quam ut nomen dicat, quo offenditur
Senex. *Eunuchi* autem solius mentio
 necessaria est, quia dicturus est pro *Eu-*
Eunuchō deductum *Chæream*.
 14. *Absum est.*] *Desperantis* verbum,
Tum quendam fidicinam amat hic Chæ-
rea.] *Mire* & necessario variavit, ille
Emit, ut *Eunuchum* mittat ad *Thaidem*:
hic Amat, ut deduci se pro *Eunuchō*
 velit. *Quendam fidicinam.*] *Extenuatio*
 criminis est: non quod *Virginem*, quod
Civem vitaverit.

16. *Hem! quid? amat.*] *Hæc* singula

pronuntianda sunt, ut stuporem nimiae
 indignationis ostendat. *An, scit jam ille*
quid meretrix fiet?] *Quia* fidicina, *mere-*
trix est.

17. *An in Astu venit.*] *In Astu*, in ur-
 bem de *Peireo*, sic *Athenienses* voca-
 bant urbem suam: unde ipsi incolae *αστι*
 vocantur. *Aliud ex alio malum.*] *Hoc se-*
paratim dixit *Senex*, fixis in *Parmeno-*
nem oculis.

18. *Me impulsore hac non facit.*] *Ipsum*
 accusat conscientia, non enim quod le-
 vius est, dixit, *me sciente*: quum plus in-
 ferat, *me impulsore*.

19. *Ego te, fureifer, si vivo.*] *Modo*
 omnis lævitia comica aut in commina-
 tione est, aut in apparatu verborum.

20. *Si vivo.*] *Αποσιώπησις*: te ulcif-
 car, quia necessario sequitur. *Sed istuc*
quidquid est.] *Inventa* causa cur supplicia
 differantur, donec uxorem ducat
Chærea, & ipse purget *Parmenonem*:
 secundum argumenta, quae sibi ipse pro-
 spexit, iussu coactaque fecisse, & imperio
Herilis filii sui, *Chæreae* scilicet.

22. *Ad Thaidem deductus est.*] *Unde*
 ductor ipse sceleratus.

22. *Pro Eunuchon!*] *Non* interrogat,
 sed exhorrescit. *Hunc pro mæcho postea.*]
Bene studuit *Terentius*, pro, bis numero
 dicere: & pro *Eunuchō*, & pro *Mæcho*,
Pro mæcho autem quasi excusans dixit,
 Nam vere in *Virginem Atticam*, non
 pro *mæcho*, sed *mæchus* est, *Hunc pro*
mæcho postea.] *Bene* utrumque pro, quia
 neque *Eunuchus* est, qui vitiauit *virgi-*
nem: neque *mæchus*, qui in domo *me-*
retricia. Et *specta* quam oratorie trans-
 tulerit mentionem vitiaet virginis, *Pro*
mæcho, inquit, ut culpam *Chæreae* sub
meretricis accusatione celaret. *Hunc*
pro mæcho.] *Bene* totum pro: quia ne-
 que *Eunuchus*, qui *Ephebus*: neque
Adulter, qui *Amator*.

23. *Comprehendere intus, & constrin-*
xere.] *Quo* dicto vim ingentem inferri
 significat *Chæreae*. *Comprehendere*, signi-
 ficat strictum aliquem in facinore de-
 prehensum.

24. *Audaciam meretricum specta.*] *Major*
εμφασις accusationis est per pluralem
 numerum, quam singularem. Sic alibi:

— *An potius ita me comparem,*
Non perpeti meretricum consumelias?
Audaciam meretricum.] *Oratorie* avertit
 itam *Senis* a se, & a *Chærea*: atque de-
 rivat in *Meretricem*. *Numquid est aliud*
mali, damnive?] *Bene* interrogat: quia
 omnia invitus *Servus* dicere videbatur.
 Et cum *damnum*, *malum* sit, de proxi-
 mo collatum discernitur: & *damnum*
 ad emptionem *Eunuchi*, *malum* ad com-
 prehensum pertinet & constrictum
Chæream.

26. *Cesso huc interrumpere?*] *In* tantam
 formidinem conjectus est *Senex*, ut
 non miremur, quod tam cito nuptias
 firmet *Ephebi* & *Virginis*: & quamvis
 non honeste, tamen quia ex ingenti
 metu, vel indigno matrimonio, filii
 vitam pacisci velit.

27. *Non dubium est quin mihi magnum*
ex hac re sit malum.] *Suave* est nescire
 personas, quid agat *Poëta*. Ita non pe-
 riclitaturus *Parmeno*.

28. *Nisi quia necesse fuit.*] *Necesse*, est
 nomen, *Nam, necessus, necessis, & necessi-*
tus, & necessum, lectum est. *Id gaudeo.*]
 Scilicet, ut succurratur *Chæreae* peri-
 clitanti.

29. *Propter me.*] *Plus* dixit, quam si
 per me diceret. *Hicce aliquid.*] *Meretri-*
cibus, non adolescentibus, & item plu-
 raliter, suo more: *Ut, Audaciam mere-*
tricum specta. Et. *Non perpeti meretricum*
consumelias.

30. *Nam jamdiu aliquam causam qua-*
rebat senex.] *Nota* causam, pro occa-
 sione.

31. *Quamobrem insigne aliquid faceret.*]
Manifestius hoc *Menander* explicat, *jam-*
pridem infestum *Meretrici* *Senem*, post
 corruptum ab ea *Phædriam*: nunc de-
 mum se inventa occasione vindicatu-
 rum. *Quamobrem.*] *Quamvis* dixisset
causam, intulit *quamobrem*. *Insigne ali-*
quid.] *Magnum* & nobile facinus, *Fac-*
eret.] *Ιστορικῶς* dixit.

IN SCENAM SEXTAM

ACTVS QVINTI.

*N*umquam adepol quidquam jam
 diu.] *Pythias* egreditur veluti ir-

risura Parmenonem, ut ipsa putat, egre-
di autem à Poëta cogitur, ut doceat popu-
lum, quid intus egerit senex. Ergo persona
cachinnans inducitur, quærens Parmeno-
nem: aspectusque ejus ob nimium risum
vix loqui posse.

1. *Numquam adepol quidquam.*] *Ra-*
 rum est evenire quod velis: & quod ma-
 xime velis, id rarum magis.

2. *Intro ad nos, &c.*] *Non* gressu er-
 rans, nec via: sed animo & opinione.

3. *Mibi sola ridiculo fuit.*] *Soli* regu-
 lariter dicitur: *sola* non recte, sed anti-
 que, ut alibi, *Hoc ipsa in iimere, altera-*
dum narrat, forte audrvi.

4. *Quid hoc autem est?*] *Ridentem* mi-
 ratur *Parmeno*. *Nunc id prodeo.*] *Pro-*
 pter id.

6. *Quid rides? pergin'?*] *Ex* hujus
 verbis ostendit, quam multum rideat
 petulans puella. *Perii.*] *Proprie* hic ver-
 bum est aptum, quasi sit *lassa* ridendo.

8. *Numquam adepol hominem stultio-*
rem vidi.] *Postquam* rogas dixerat, quasi
 narratura videbatur: & redit ad insultationem.

9. *Quos ludos præbueris intus.*] *Ex* er-
 rore & metu nimio *Senis*, credentis,
 constrictum *Filium* se offensurum in
 domo *Meretricis*.

10. *At etiam primo callidum ac disertum*
credidi hominem.] *Hæc* omnia sic in sce-
 na pronuntiata sunt, ut risu interrumpi
 verba puellae viderentur. Majorisque
 insultationis est, si is qui fatigat alter-
 rum, dicat se antè de illo multo aliter
 sensisse.

11. *Ilicone credere.*] *Non* ideo hoc di-
 cit, quod personae suae fidem derogat:
 sed quod res incredibilis fuerit, quam
 illi persuaserit, aut certe si credendum
 fuerit, non statim neque examinata, ne-
 que facta rei cognitione. *Ilicone credere.*]
 Objurgatio de tempore.

12. *An poenitebat flagitii.*] *Illud* quod
 supra, a *stulto*: hoc quod nunc dicit, a
 malo fieri potuit. *Illud*, ab imprudente:
 hoc quod pejus est, a *sciente*. *An poeni-*
tebat flagitii.] *Parvum* videbatur. *Ipsè*
 alibi, *Quantum hic opera fiat, poenitet.*
Plautus *Truculento*, *Poenitete te, quod*
*ancillam solam nimis erumpere?**

13. *Ni miserum insuper etiam patri inhi-*

cares?] Duo objicit, unum, quod male confulerit: alterum, quod male prodiderit consilia sua. Et bene *Indicares*, nam *indiciu* dicitur ejus, qui una peccaverit. *Ne miserum insuper etiam patri indicaves?*] Ad invidiam Parmenonis, miserum dicit adolescentem: eo modo quo Juno accusans Venerem, ait,

— *An miseros qui Troas Achivus*

Objecit. —

Sic enim agimus, quum ab his qui falso rei sunt, in authores culpam sceleris removemus.

14. *Nam quid illi.*] Adolescenti scil.

15. *Quid est? jam scis te periisse.*] Hoc non stupentibus, ac culpam patientibus dicitur.

16. *Hem, quid dixi, pessuma?*] Nunc demum intelligit Parmeno se esse delulum. *Eriam rides?*] Apparet eam ex hujus stomacho vehementius cachinnare.

17. *Nos irridere?*] Nos superbius dixit, quam si diceret *Me*.

18. *Siquidem istud impune habueris.*] Subauditur, *Tum nimium. Verum?*] Iridentis interrogatio.

19. *Sed in diem istuc.*] In longam dilationem, unde *dilatatio* est dicta, diei prolatio. *Tu jam pendebis.*] *Iam*, nimiam velocitatem significat. *Nobilitas flagitiis, & eundem indicas.*] Duas res significat simul: & cogis flagitia facere, & facientem indicas.

21. *Vterque in te exempla edent.*] Nova ac mira tormenta, quæ pro exemplis narrentur, aut quæ documenta sint cæteris ne delinquant, *Exempla* dicuntur. *Et edent, & eder* legitur. Si *edent*, figuratum est: si *edet*, recte. Et plus est *edet*, quam *dabit*.

22. *Nullus sum.*] Hoc secum Parmeno. *Hic pro illo munere tibi honos est habitus: abeo.*] *Εἰρωνικῶς* & *μεταφορικῶς*. *Pro munere.*] Et honos rumigerulis haberi solet.

23. *Egomet meo indicio, miser, quasi forex, hodie perii.*] Proprium foricum est, vel stridere clarius quam mures, vel strepere magis, quum obrodunt frivola: ad quam vocem multi se intendentes, quamvis per tenebras noctis, transfingunt eos. *Plautus:*

Confessorum te faciam foricina nania.

Egomet meo indicio.] Proverbium in eos, qui ipsi se produnt, quia forex non facile caperetur, nisi emitteret vocem noctu. *Quasi forex hodie perii.*] Quia latere potuit, nec occidi, si taceret.

IN SCENAM SEPTIMAM

ACTVS QVINTI.

1. *Q*uid nunc? qua spe, aut quo consilio huc imus?] Reminiscere, hunc esse, qui supra Militi dixerit de Thaide, *Iam dudum te amat.* & rursus, *Iam tibi hac aderit supplicans ultro.* & hinc videbis quos exitus habeat assentatio, nam idem Militi author est summæ desperationis. Et animadvertite, quod semper à mensa Gnatho in vitus abstrahatur: nam & supra quum ad litem venitur, ex verbis Thraſonis manifestum est, & Gnathonem invitum sequi, ubi dicit, *Hancine ego ut contumeliam tantam? tam insignem in me accipiam, Gnatho? Mori me satius est.* Et bene, *Qua spe, aut quo consilio:* tanquam omnia expertus, & nec muneribus gratus, nec terroribus metuendus. *Qua spe.*] Parasitus intelligit quid agat miles: sed ad hoc inducitur interrogare ipsum militem, ut populus audiat, quo consilio veniat ad Thaidem. *Quid nunc? qua spe.*] Summa desperatio est apud Militem reconciliandæ amicæ, ad hoc ut æquo animo ferat admitti Phædriam, dum ipse quoque recipiatur, nam non in fine fabulæ contristandus est. *Quid incepias, Thraso?*] *Incipere*, magnorum facinorum est, & audaciæ.

2. *Vt Thaidi me dedam.*] Post indictionem belli, & instructionem pugnae quid sequatur, nisi deditio superatorum? *Et faciam quod jubeat?*] Proprie: nam in deditioe victores jubent, victi obsequuntur.

3. *Qui? minus, quam Hercules servivit Omphala?*] Hic Terentius exprimit consuetudinem, in qua ignavis rationes criminum, & exempla suppeditant, nam sic & supra de Pyrrho. Omphale Lydiæ regina fuit, quæ Herculem sibi servientem etiam ad lanificium compulit: quum ipsa calathum, & colum, cultusque femineos, sagittis & clava, leonisque reg-

mine mutasset. *Hercules servivit Omphala.*] Subauditur, & ego serviam Thaidi?

4. *Vtinam tibi committigari videam sandalio caput.*] *Committigari*, est tundendo deprimi atque deponi. *Sandalio caput.*] Plus dixit *Caput*, quam si aliam partem corporis diceret verberari. Et mire, calcamento caput verberari.

5. *Perii! quid hoc autem est mali?*] Eunuchi habitu Chærea, sed virili confidentia profluit, & militem velut rivalis terret aspectu.

6. *Hunc ego nunquam videram.*] Ideo Chæream miratur.

IN SCENAM OCTAVAM

ACTVS QVINTI.

1. *O Populares, ecquis me vivit hodie fortunator?*] *Hic persona Chærea est, fervens gaudio, ut Adolescentuli est in prosperis rebus. O populares.*] Non mirum si insane exultat nuptiis, qui jamdudum ob id solum, quod vitia verat virginem, lætatur.

2. *Nemo hercle quisquam.*] Et interrogavit, & respondit sibi. *Nemo hercle quisquam.*] Παράλλου tertium.

3. *Cui tam subito tot contigerint commoda.*] *Tam* qualitatis, *Tot* quantitatis est.

4. *Quid hic latus est?*] Inventa persona est, ad quam gesta hæc narret Chærea, ut populus & miles instruat, quid nunc gestum sit.

5. *Inventor, inceptor.*] *Invenire* sapientis est: *incipere*, audacis: *perficere*, constantis. Ergo plena laudatio est, & constat, hoc Chæream laudative dicere, nam in subditis solum consilium attributus est Parmenoni. *Scin' me in quibus sim gaudis?*] *Σύλλημις*. Et nota *Scin' me:* quum sufficeret *scin'*. Ergo me abundat: & est figura *ἀρχαιοῦς*.

6. *Scis Pamphilam meam.*] Amatorie dixit *meam*: vel potius sponsam meam, vel quam amo. *Inventam.*] Cognitam. *Civem.*] *Deest esse. Scis sponsam mihi?*] *Deest & esse.* & est *sponsa* nunc participium.

7. *Audin' tu illum quid ait?*] Hoc

vultu mutato & turbato dicitur.

8. *Amorem esse omnem in tranquillo.*] Bene, *in tranquillo*, quia mari & tempestatibus, amicæ mobilitas & instabilitas comparatur. Sic *Horat.*

Simplex munditiis? heu quoties fidem Mutatosque Deos flebit; & aspera Nigris aquora ventis.

Emirabitur insolens,

Quinunc te fruitur credulus aurea, &c. Vna est domus.] Post Pamphilæ nuptias.

9. *Thais Patri se commendavit.*] Hoc est quod profuit Phædriæ. *In clientelam & fidem.*] *Clientelam*, ut ametur: *in fidem*, ut defendatur.

10. *Fratris igitur Thais tota est?*] Bene *Tota*: ut ne ex parte quidem sit Militis.

11. *Miles pellitur foras.*] Sunt gaudia ex nostris bonis: sunt gaudia ex aliorum malis, hostium aut inimicorum. Ergo utrumque genus gaudiorum complexus est.

12. *Visam domum.*] Bene domi queritur Amator exclusus: nam neque ruri, neque in foro est.

13. *Perpetuo perierim.*] Quia illud periisse supra, temporale videbatur. *Quin ego nunc perpetuo perierim.*] Hic jam Militi neque serviendi Amicæ, ut apparet, præbetur locus.

14. *Sine dubio, opinor.*] Quia non quis dicitur perpetuo periisse. *Quid enim opus hac exceptione est, quando nemo ita perit, ut temporaliter pereat, & postea fiat non perditus?* Correxerit Parasitus stulti dictum Militis: non illum perpetuo, sed sine dubio periisse, opinari respondens. non est enim contrarium, *Opinor te periisse sine dubio*, pro certo periisse. Confirmatur periisse Miles, ut post tanta munera ex desperato supplex, ex supplice patiens rivalis existat. *Quid commemorem primum?*] *Διαπόρησις* oratoria familiaris laudantibus. *Cicero.* *Vnde igitur potius incipiam?* Hoc autem fit, ubi omnia & magna videntur & paria.

15. *Illumne qui mihi dedit consilium.*] Attribuuntur Personis consilia, facta, casus, & orationes. Ergo hic laudatur consilium Parmenonis, factum Chærea, casus Fortunæ, id est, eventus: oratio Senis. *illum, qui mihi dedit consilium.*] *Tri* sunt in vita hominum, consilia, facta:

Successus. Consilium, animi est: Factum, corporis: Successus, fortunæ, *Illum.*] Parmenonem scilicet.

17. *Qua tot res.*] Bene, *Tot res*: quasi dicat, Eunuchum pro quo duceretur, commendationem virginis, absentiam meretricis, occasionem vitii inferendi, patris interventum in nuptias.

18. *An mei patris festivitatem?*] Etiam Patri laus impartienda est, nam non erat transeundum *Festivitatem*, qua & festivus Amatori non obstitit, quod ignovit ut facilis: unde *festivitas* in dictis, *facilitas* vero in animo & factis. *Festivitatem.*] Latitiam: ut, *Festivus dies est.*

19. *DI vestram fidem!*] Cito intervenit Phædria, utpote qui domi erat.

20. *Qua narravit.*] Nimius affectus in utramque partem defectus orationis amat: est ergo ἐπιφύσις: deest enim *Gaudeo.*

21. *Satis credo.*] Sic dici nota agentibus solet. Recte igitur huic dicitur, cui fiunt nuptiæ, *gaudeo*: & ille sic respondet, ut amicis gratulantibus decet, *Satis credo.* *Credo* autem ideo, quia multi se fingunt gratulari, quum invadeant: gaudere, quum doleant.

23. *Mihi illam laudas?*] Scilicet amatori ejus. Et *mibi* pronuntiatione juvandum est, *Perii: quanto minus spes est, tanto magis amo.*] Hic vero est ardor insanissimus: ut *Virgilius*, *Formosum pastor Corydon ardebat Alexin: Delicias domini.* Et profecto sic est, Sapientes spe maxime ad amorem coguntur: stulti forma tantum.

24. *Obsecro, Gnatho, in te spes est.*] Mire, quasi desperatis omnibus auxiliis, adjecta nimis supplicatio inducitur. Nam & *obsecro*, & *Gnatho*, id significant, & *in te spes est.* *Quid vis faciam?*] Non est hoc interrogantis, sed est ostendentis non esse quid faciat.

25. *Precibus, pretio.*] Nihil Militi superest præter precem, ut victo: & pretium, ut diviti. Nihil aliud optat, quam sic res eant, ut persona Thaidis conveniri possit. *Precibus, pretio.*] ἄνω δέ τῃ, velut afflicta, & lassâ, pronuntianda sunt. *Pretio.*] Varie: quia alibi dixit, *precario. Ut haream.*] Τὸ haream ultimum genus beneficii est. *In parte ali-*

qua.] Non enim *Parte* dixit, ut æqua intelligatur. *Tandem.*] Et desperantis est, & difficulter credentis. *Tandem*, non est adverbium temporis: sed nunc *Salientia* significat.

26. *Difficile est.*] Vultu & pronuntiatione, asseveratione firmandum est. *Si quid collibuit.*] ἔνδρασις: pro, Si quid collibitum est, efficit. *Novi te.*] Deest *Perficis*, sed ubique plura gestu significat miles, utpote infantissimus.

27. *Quod vis donum.*] ἔπριμιον ἀπὸ τοῦ ὀπτοῦ.] *Donum*, præmium est: & *munus*, præmium. Sed *donum*, præmium Diis datur: *munus*, præmium hominibus, nam separatim, donum Deorum est: præmium virorum est fortium: *munus* hominum. Et donum munusque, tam ante factum, quam post factum datur: præmium non nisi post factum est, *Donum*, voluntarium: præmium, debetur.

Alii ergo δῶμα δέ τῳ pronuntiant, primo *donum*, & sic *præmium*, quasi unam partem orationis. *Quod vis donum & præmium.*] *Donum*, ut à largo homine: *præmium*, ut à præclaro facinore. *Quod vis donum & præmium à me optato, id optatum feres.*] *Donum* optato, ob quod præmium accipias, *Præmium à me optato.*] Totum militariter, nam & *optatio* dicitur, & *optari* à militibus, ut alibi, *Vir fortis optet quod volet præmium.*

28. *Si hoc officio, postulo ut mihi tua domus te presente absente pateat.*] Proverbiale est, *Presente absente*, ut *sursum deorsum, uliro citro*, & cætera hujusmodi: *fanda nefanda, justa injusta, digna indigna, velit nolit.*

29. *Invocato ut sui locus semper.*] *Invocato*, non vocato significat. *In* etenim auget & minuit dictionem. *Invocato.*] Male intelligitur precibus vocato, quum sit ἀποπρόσθετος, id est, etiam non invitando, quin ultro venire debeat suam domum.

30. *Do fidem.*] *Juro*, confirmo, spondeo. *Accingar.*] Non quia facile est, quod negavit supra, sed suis votis Parasitus adductus est ad cœnandum: ideo & *Accingar* dixit: sic enim dicimus in magnis rebus suscipiendis, ut *Accingunt omnes operi.*

31. *Salvete.*] Supplex sine gratia & sine timore, modo inimicus & infestus, *Tu fortasse qua facta hic sint, nescis?*] Hoc totum superbe ac minaciter inquit Adolefcens.

32. *Scio.*] Compendium Poëtæ: ne rursus eadem dicerentur. *Conspicor.*] Commune verbum est *conspicor*.

33. *Vobis fretus.*] Et hoc stulte. quis enim & rivalibus & inimicis fretum se esse dicat? Deinde ἀνακόλλητος, & vitiosa responsio est, nisi enim addideris *Sum*, erit sollicitissimus conveniens loquenti, imposito homini & militi. *Scin' quam fretus?*] Est ab * ea subaudiendum est, *Miles edico tibi.*] Hoc contumeliose, & proprie ut Militi: *Miles*, inquit, *edico tibi.*

34. *Si te in platea offendero hac.*] Hoc est, Si vel casu inuenero. Et in *platea*, inquit, non circa Meretricis fores. *Nihil est quod dicas.*] *Nihil*, pro non: ut sit, non est quod dicas mihi: id est, nihil est quod dicas, pro, ut dicas mihi, ut sit, quod, pro ut: aut *Quod*, pro, quid dicas mihi. Certum est autem, sic veteres locutos esse.

35. *Alium quarebam.*] Aut *alium* pro *quendam* posuit: ut sit, *quendam quarebam*, id est, aliquem, aut *alium*, hoc est, non quem tu putas: hoc est, *alium*, non Thaidem, sed si *aliam* diceret, neque commode, neque ἐμπίστος loqueretur. prævalet enim masculinum genus. *Peristi.*] Ordo est, postquam in platea hac te offendero, peristi. *Eia.*] Interdum hortantis est, ergo nunc *eia*, correctionem significat.

36. *Non cognosco vestrum tam superbum.*] Locutio annotanda: mire laudavit, ut persuadere potuisset. *Vestrum tam superbum.* Non, *vestrum superbum.* *Vestrum tam superbum.*] Absolute: ut, *Pol, Crito, antiquum obtines.* Ergo subaudiamus vel *ingenium*, vel *animum*, vel *morem*, vel *institutum*.

37. *Prius audire paucis.*] Mira insinuatione agit: qui non ut consentiant, sed ut audiant, paucis petit. Et bene *Prius*, quasi non obster, quominus faciant quod velint. Tum deinde quo attentiores existant, addidit *paucis*, deinde si placuerit, facilius enim flectitur, cum

quo non pugnamus, ut consentiat. *Prius audite.*] Fiduciam ostentat persuasoriam rem dicturi.

38. *Audiamus.*] Bene: non *Faciamus*, sed *Audiamus* dixit: nam prima oratoris impetratio in mala causa est, audiri meruisse. *Tu concede paululum istuc.*] *Thrafo.*] Thrafo hoc in bonam partem accepit: & ideo parcat: putat enim vel turpe esse, si humiliter precetur suo nomine, seque audiente, Parasitus: vel incongruum sibi, si in os præfens à Gnathone laudetur. *Istuc, Thrafo.*] Non ad se vocat: sed locum ostendit, quod abeat atque concedat.

39. *Principio, ego vos.*] Videt neque se odio haberi, neque offendi animos audientium in Militis nomine. Hoc ergo oratorie: pro eo homine in quo offenditur, eum in quo non offenditur, posuit.

40. *Me hujus quidquid facio, id facere maxime causa mea.*] Deest *rei*, aut *est*: ut sit, *Me hujus quidquid est quod facio, id facere maxime causa mea.* Hic à persona discessit: & rem non odiosam pro odiosa posuit, id est, parasiticam, pro æmuli amore & commodo.

41. *Verum idem si vobis prodest.*] Multum attulit ad persuadendum: non esse commodum Militi admitti, & suum commodum ipsorum esse commodum. *Vos non facere, inscitia est.*] Oratorie, & secundum insinuationis præcepta sic dixit: nam remittendo & dubitando, magis flectit animos, quam si aperte ac pertinaciter asseveret.

42. *Militem ego rivalem recipiendum censeo.*] Artificiose satis, semel intulit omne quod durum dictu ad persuadendum erat, nam quod *Militem* & *Rivalem* dixit, ad eam rem valet, ut magis admittendus sit, quam excludendus: & simul fiducia sic dicentis parat animos ad audienda quæ dicet. *Militem ego rivalem recipiendum censeo.*] *Rivales* dicuntur æmuli de mulieribus, facta translatione nominis à feris bestiis: quæ sitientes cum ex eodem rivulo hauritam petunt, in prælium contra se invicem concitantur. Sic *Cicero* pro *Cælio*, *Sin erit ex illo fonte rivalis*, inquit. *Militem rivalem ego.*] Considera quo vultu hoc dicendum sit: & intelliges, & *militem*, & *rivalem*.

& recipiendum, & ego cenſeo, quanta ſignificet. Non enim dixit *Thraſonem*, ſed *Militem*: quod nomen ad ſtultitiam valet. Non *Socium*, ſed *Rivalem*: quo oſtendit, quandoquidem rivalis in Meretrice capiendus eſt, hunc potius eligendum. Nec, non *Excludendum*, ſed *Recipiendum* dixit: ut & oſtenderet, adeo prodeſſe, ut etiam de industria retinendus ſit. Non, *volo* aut *rogo*, ſed *cenſeo*: ut conſiliarius, non Paraſitus, videatur loqui. Nam quod ego addidit, eo dicto uſus eſt, quo uti ſolent qui plus in negotio vident, Nam ſic in Phormione *Juriconſulti*: *Ego qua in rem tuam fuerint, ea velim facias. Ego ſedulo hunc dixiſſe credo. Ego amplius deliberandum cenſeo. Cenſeo*.] Vide virtutem Poëtae, non enim dixit *Peto*, ſed *Cenſeo*: tanquam illis modo conſulat, neque pro milite agat.

43. *Cogita modo*.] *Modo*, aut tantummodo ſignificat: aut temporis eſt adverbium, & ſimul incerta diſtinctio eſt.

44. *Et libenter vivis*.] Id eſt, bonorum ciborum edax eſt.

46. *Suppeditare poſſit ſine ſumptu tuo*.] Aut *ſuppeditare*, pro *ſuppeditari*: aut *deceſſe*. Ut, *Accingunt omnes operi*.

47. *Ad omnia haec magis opportunus, nec magis ex uſu tuo nemo eſt*.] Locutio eſt ex negativis tertia: ut, *Agrum in his regionibus meliorem nemo habet. Magis ex uſu*.] Pro utilior, & *Magis opportunus*, pro opportunior. *Nemo eſt*.] Hoc eſt, opportunus.

48. *Habet quod det*.] Ut dives. *Et dat nemo largius*.] Ut liberalis.

49. *Fatuus*.] Inepta loquens. A *fando fatuus* dicitur: inde *Fauni Fatui*: & nymphæ *Fatua* dictæ ſunt. *Fatuus eſt*.] Hoc ex uſu tuo. *Inſulſus*.] Sine ſale & ſapientia: aut ſine ſaltu & facilitate. *Fatuus eſt, inſulſus*.] *Fatui* ſunt, qui verbis & dictis fatui ſunt: *Inſulſi* vero, corde & animo. *Fatuus eſt, inſulſus*.] Sunt qui *fatuum*, animo putant: *Inſulſum*, dictis, ſed male. Nam *Fatui* quoque *Dii* ſunt, qui & *Fauni* dicuntur: & non ſtulti, ſed multum fantes, id eſt, loquentes. *Fatuus eſt, inſulſus*.] Hæc quæ nunc addidit, non ex ſuperioribus pendent: ſed cum ſuperiora valeant plurimum, (nam quia dives & liberalis, potuit obefſe ri-

valibus) hæc omnia bona in Milite corumpuntur, quod fatuus, quod inſulſus, & cætera, quæ ipſe perſequitur. *Fatuus eſt, inſulſus*.] Hæc bene adduntur: quia dixit, *Et habet quod det, & dat nemo largius*. Ad rem eam valebat, ut amaretur Miles à Meretrice, & præponendus omnibus eſſet: ſed ingrata ſunt mulieribus, maximeque laſcivis, hæc omnia quæ ſubjicit. *Fatuus eſt, inſulſus*.] Hoc pro acervo vitiorum, cum quadam vultus improbitate prolatum eſt, quo magis res in medio poſita eſſe videatur. *Tardus*.] In Venerem ſcilicet. *Tardus*.] Corpore & membris: quamquam & intellectu *tardus* vocamus, qui ſtulti ſunt. Sed melius eſt ſic intelligi, ut ea vitia videatur dicere, quæ inamabilem faciant etiam divitem, largumque amatori. Nam aut verba commendant: ut, *Pendetque iterum narrantis ab ore*: hic fatuus. Aut ſapientia gratum facit: ut *Multa viri virtus animo*: hic inſulſus eſt. Sed mihi videtur *fatuum* dicere, qui tantum gloriatur, & blandiri amicæ neſciat. *Inſulſum*, qui non ſit ſalax, & cupidus coitus. *Tardum*, qui non facile explicet Venerem: quæ res Meretricibus odioſa eſt. *Stertit*.] Plus dixit quam dormit. *Noctæque & dies*.] Plus ſignificat, quam ſi diceret, *diebus & noctibus*: ut hoc ipſo nomine conſiliarii autoritas ineſſe videatur.

50. *Vbi velis*.] Quando vel quum.

51. *Quid agimus?*] Initium conſenſionis, dubitatio eſt ejus qui negaverit. *Hoc etiam*.] *Deeſt*, vel *abeſt*. *Quod ego*.] Paraſitus ſcilicet. *Primum puto*.] *Primum puto*, quaſi paraſitus.

52. *Accipit hominem*.] *Accipit*, paſcit, invitatur: ut, *Illos porticibus rex accipiebat in amplis. Nemo melius proſuſus, neque prolixius*.] Horum alterum apparatus indicat, alterum copiam.

53. *Mirum, ni illoc homine quoquo pacto opus eſt*.] *Facete* dixit Adoleſcens rei parcus, & qui putet amorem ſine damno eſſe oportere, quique ſefellerit Meretricem; non ſolum ejiciendum non eſſe Militem, ſed etiam quovis modo ſuſtinendum ac perferendum. *Mirum, ni illoc homine*.] Obrinuit paraſitus jam quod negabatur. *Primo deliberatum*: ut, *Quid*

agimus? poſt conſeſſum: ut, *Mirum ni illoc homine quoquo pacto opus eſt. Mirum, ni illoc*.] Hic, inquit, ejuſmodi eſt, ut etiam cum mala conditione patiendus ſit. *Idem ego arbitror*.] Sane opus fuit conſenſione, præcipue Phædriæ, cujus res agitur: nam ita & ſervata perſona eſt tarde conſentientis amatoris.

54. *Reſte facitis*.] Gratiarum actio eſt. *Primum etiam hoc vos oro*.] Subtiliter etiam Paraſitus hic ſe adjungit, ſuaſque partes circa hos agit. *Vt me in veſtrum gregem*.] Jam hos laudat: & nimis Paraſitus eſt, ſi recorderis, eundem dixiſſe, *Facete. Lepide. laute, nihil ſupra*.

55. *Satis diu hoc jam ſaxum volvo*.] Vide quemadmodum ſerpat paulatim etiam in eorum aſſentationem, ex virtutatione Militis. *Hoc ſaxum volvo*.] Proverbium in eos, qui inextricabili labore afflicti ſunt. Et bene *Saxum* de ſtulto Milite ait: & ſe ipſum Sifyphum fecit. *Hoc ſaxum volvo*.] Velut Sifyphus apud inferos.

56. *At ego pro iſto, Phædria*.] Subaudiamus & *ſum* hic, aliter non, ut paraſitus ait, *Phædria, & tu Chærea*.] Ambos nominat, quaſi legibus paſcuntur.

57. *Hunc comedendum*.] Cum cæteris rebus, ſummus Poëta etiam fidem oſtendit amicitia paraſiticæ, exemplo Gnathonis de Milite loquentis hoc modo. *Propino*.] *Facete* ſic dixit, ut paraſitus, & quaſi de convivio loqueretur.

58. *Dignus eſt*.] Hæc verba ultima longi ſermonis, ejuſmodi ſunt, ut Miles hæc audiens, laudatum ſe eſſe, & approbatum exiſtimet. *Vbi vis*.] Honorifice revocatablegatum cum injuria, dicendo *Vbi vis*: quia *accede* imperativum erat: & ubi, niſi quando intellexeris, vitium eſt.

59. *Iſti te ignorabant*.] Figura ἀγνωστολογία. Ad utrumque enim pertinet, & ad laudem, & ad mores. Et hoc ambiguum.

60. *Secundum facta & virtutes tuas*.] Et hoc ἀμπίβολον. Nam *virtutes εἰσωνικάς* pro vitis poſuit: ut, *Nescis qui vir fiet: & Ornatus eſſes ex tuis virtutibus: Facta & virtutes*.] Proprie facta militibus adſcribuntur. *Facta & virtutes*.] Amarior eſt εἰσωνεία in vicioſos homines, quam veritas.

62. *Numquam etiam fui uſquam*.] *Numquam* & locum, & tempus ſignificat: *Uſquam*, locum magis. *Numquam*, non. Et *numquam uſquam*, τὸ ἀπ᾽ ἄλλοσμῶν, pro non uſquam, id eſt, nuſquam. *Quin me omnes amarent plurimum*.] Contrarium ſuperiori. quid eſt enim quod bene non fecerit quicquam, ſi in illo eſt ut ametur?

63. *Atticam eloquentiam*.] Et hoc εἰσωνεία, ut illa quæ ſupra. *Atticam* dicit veram atque germanam, quia excellentior eloquentia, dicitur Attica: & ſummi oratores, *Attici* appellati ſunt.

64. *Prætermiſſum*.] Et hoc anceps eſt, intellectu gemino ad utrumque. *Ite hac*.] Quo vocat paraſitus? an ad Meretricem? an ad cœnam Militis, ut promiſit? *Hunc ego comedendum & deridendum vobis propino. Ite hac*.] *Comestatum* ad militem, vel ad Thaidem. Si cœnæ interfuit meretrix: quomodo poſt acta ſunt omnia, cum mentio noctis non facta ſit? Omnia poſt cœnam geſta ſunt: & non completa per rixam cœna, ſuperfuit plurimum temporis ad agendum.

ÆLII DONATI V. C. Oratoris Urbis
Romæ Comment. in TERENCE
EUNUCHUM explicat.





EUGRAPHIUS

IN TERENTII HEAVTONTIMORUMENON.

ARGUMENTVM.

Chremes, Sostrata uxori gravida imperat, si puellam pareret, ut eam statim interficeret. Fuit hac immanitas in veterum moribus, ut, cum fera nulla sit qua foetus suos non diligit, ipsi quos alere nollent liberos, eos recens natos aut interficere aut exponere fas putarent. Sostrata puellam enixa (ut est maternus semper animus clementior) vitam ei adimere non sustinuit: sed paupercula cuidam anui Corinthia, Philtera nomine, exponendam dedit: etiamque, muliebri quadam superstitione, annulum, de digito detractum suo, iussit, ut una cum puella exponeret. Id, quod tum stulte factum videri poterat, postea puella saluti fuit; ejus enim annuli ope tandem agnita est à suis. Anus acceptam puellam, Antiphilam nominat, educatque ut suam. Eam, cum adolevisset, anusque illius filia putaretur, Menedemi filius Clinia perditè amare coepit, prope jam ut pro uxore haberet. quod ubi rescivit pater; ita violenter tulit, ut filium, assiduitate iurgandi, clam militatum in Asiam abire coegerit. Tum vero qui filii amorem iniquo animo tulerat, multo iniquiore ejusdem absentiam ferre coepit. Itaque ut de se supplicium absentii filio daret, qui eum sèrvitia sua exegisset ex adibus, ades, suppellectilem, familiam vendit, præter, qui servi ad opus ruri faciendum utiles erant: ingentemque sibi agrum comparat, ubi à prima luce ad noctem non servos modo exerceret, verumetiam homo sexagenarius, senectutem miseris modis excruciet suam. Profecto Clinia, Philtera, qua, ut dixi, Antiphile putabatur mater, extremum vite diem morte confecit. Clinia, cum jam menses tres absuisset, amica desiderio reversus, non ausus est patri se in conspectum dare, antiquam illius asperitatem veritus, sed ad Clitiphonem, Chremetis filium, divertit, quocum magna ipsi à puero familiaritas intercesserat. Clitipho, sodalis reditu latus, Syrum & Dromonem servos (jam autem advesperascebat) in urbem, ad accersendam Antiphilam, mittit. Expojuerat eo ipso die Menedemus Chremeti, quanto sibi desiderio esset filius: parum ut abfuerit, quin Chremes, cum primum de reditu Clinia accepit, mitteret qui ei nunciaret. continuit tamen se in diem posternum; quod ita magis è re illius fore censeret Syrus, summa servus & audacia, & astutia; qui cum Antiphilam tantum accersere iussus esset, etiam Bacchidem adduxit.

adduxit. Erat hæc meretrix, procax, potens, sumptuosa, nobilis, cujus se amore haud ita pridem irretierat Clitipho. Quo autem res Chremetem lateret, hoc consilium capiunt, ut Bacchidem quidem amicam Clinia, Antiphilam vero unam de illius ancillis esse simularent. Postridie mane Chremes ad Menedemum diluculo proficiscitur, & redisse Cliniam nunciat. ille gaudio amens, filium jamjam videre, jamjam amplecti, jamjam ei se suaque omnia permittere cupiebat. At Chremes, cave, inquit, faxis: istoc enim modo & te & eum, & rem unam perdidisti tuam. Simul ei ostendit, quot incommoda capturus sit, si tam molli esse se, tamque infracto animo ostenderit. Clinia amicam (eam enim Bacchidem existimabat) non jam pauperculam esse, aut parvo contentam, ut antea; sed sumptuosam, gemmis atque auro collucentem, cum familia numerosissima. una, inquit, mihi nox tantum non paupertatem attulit, nedum tu te censeas oneri ferundo fore, si te illi perpetuo sumptibus suppeditare oporteat. Quin tu ita potius agito. Humane quidem & comiter excipito filium: istud tamen tam impotens illius desiderium occultum habeto: tum si ille, quod amica det, ut habeat, machinam adversum te aliquam struet, falli te finito. ita & eum commodius retinebis apud te, & sumptuum facies minus. Hæc Chremes, nescius (ut sunt humana) oculatum foris esse se, cacum domi. Interea enim meditabatur Syrus, decem minas, quas Bacchidi pollicitus erat dare, eas quomodo illi à Chremete ipso conficeret: jamque inibi erat, cum eum Chremes arreptum blande compellat, hortaturque, aliquam ad Menedemum fallaciam moliat. Injecit in sermone Syrus mendacium à se pro tempore confictum; anuum Corinthiam, Antiphile (ita enim putabatur) matrem, mille drachmarum mutuo accepisse à Bacchide: ea mortua, puellam pro pecunia illa arrhaboni relictam. Dum hæc aguntur, annulum suum agnovit Sostrata, ejusque indicio, Antiphilam filiam suam esse cognovit. gaudio exsiliens, omnem rem defert ad virum; qui, ea leviter objurgata, repertam tamen filiam, ipse quoque gavisus est. Jam omnia in tranquillo erant; absque Bacchide fuisset. sed & illi quomodo decem excudenda erant argenti mina, & periculum erat, ne aliqua eam Chremes filii amicam esse rescisceret. Ibi Syrus audax consilium inquit, quomodo & utrique seni rem, ut erat, patefaceret, & commode se è tam impedito negotio expediret. Primum igitur Chremes: Reperi, inquit, quomodo argentum à Menedemo eripiam. dicemus ei, Bacchidem hanc tui Clitiphonis amicam esse: orabimusque, ut eam domi sua dies aliquot esse patiat, teque id celatum velit. porro Clinia filia tua, qua modo reperta est, formam sibi complacitam esse dicet, eamque petet uxorem. Quid tum? pecuniam, inquit, petet à patre suo, qui novæ nuptæ ornamenta coemat: eam pecuniam numeraturus est Bacchidi. Jam autem ad Menedemum, Syri hortatu, transferat Bacchis, & eo pompam omnem suam transfuderat. Chremes, primo non satis consilium illud probare: at illam certe, inquit Syrus, pecuniam, pro qua

filia tua opposita erat pignori, quin dissolvas, facere honeste non potes. Ego vero, inquit Chremes, & libenter quidem. Immo vero, inquit Syrus, dato eam Clitiphoni, qui ad Bacchidem deferat. ita enim facilius credet Menedemus, eam illius esse. Sit sane numeratur à patre Clitiphoni pecunia, quam ad meretricem perferret. Interea tota res detegitur: indignari Chremes, & fremere, & minitari in omnes atrocissima exempla editurum. tandem, cum prius Antiphilam Clinia collocasset, partim Menedemi, partim uxoris precibus delentus, ignoscit. Clitipho se, relictis meretriciis amoribus, uxorem ducturum pollicetur. Cum autem ceterarum fabularum argumentum uno die contineri soleat, hujus non nisi biduo explicari potest.

IN PROLOGVM.

Omnes haec comœdia de Græco translata sunt, à Menandro quidem quatuor, dua ab Appollodoro. Heautontimorumenos Menandri est. cujus prologus partitionem tenet, in qua docet, quid in quaestione sit, ad ipsum ne populus miraretur, dissolvere.

1. Ne cui sit vestrum mirum cur partes seni Poëta dederit, qua sunt Adolescentium.] Duae partes proponit, unam quod contra consuetudinem senex Prologus processit in publicum: solet enim istud officium Adolescentibus dari Ergo quoniam contra consuetudinem in prologum persona processit senex, idcirco hanc primam populo vult solvere quaestionem.

3. Deinde quod veni eloquar.] Altera hæc pars est, simile autem mihi videtur huic esse principium divinationis: namque & illic quod subito mutata voluntate ad accusandum descenderant, mirum dixit videri, vel iudicibus, vel circumstantibus: ac propterea se primum id velle dissolvere. Si quis vestrum, Iudices, aut eorum qui adsunt, forte miratur. Vides hic verbum *noverit*, semper apponi: ita enim & hic dixit, *ne cui sit vestrum mirum*. Hanc igitur partitionem solvit, uti dicat cur partes seni Poëta dederit, quæ sunt Adolescentium. Quod primò proposuerat, primò solvit. *Oratorem me esse voluit, non prologum. Vestrum iudicium fecit, me actorem dedit. Quod autem dixit, quod veni, eloquar. Illud est; nam quod rumores distulerunt*

malivoli, multas contaminasse Græcas, dum facit paucas Latinas, id esse factum hic non negat. Ergo ut propositio collocata est, ita etiam solutionis est ordo servatus. Sed nunc ad interpretationem superiorum revertamur.

4. Ex integra Græca integram Comœdiam sum hodie acturus.] Quoniam Andria ex duabus comœdiis videtur esse confecta, quippe illic & Perinthia, & Andria continentur: quod quidem criminis loco adversarius dederat. Ideo hic ex integra, inquit, comœdia integram comœdiam acturus sum; ne videatur ab altero tacta, aut ipse alteram tetigisse, sed unam comœdiam & integram, ad Latinum sermonem interpretatione mutasse. Denique ideo adjecit: *Duplex, qua ex argumento facta est simplici*: ut simplex argumentum sit, duplex comœdia: dum & Latina eadem & Græca est. Novam esse ostendit propter, cum à Græco tantum dicta est, & Latine nunc acta est. Nunc primum in scenam proccedit, idcirco dicitur nova, & quæ esset, supra dixit, Heautontimorumenon: & cuja Græca sit, ni partem maximam existimarem scire vestrum, id dicerem. Duplex hic pronuntiatio est, qui scripserit, & cuja Græca sit, ni partem maximam existimarem scire, id ut post inferatur.

10. Nunc quamobrem his partes didicerim, paucis dabo.] Illud quod supra positum est, videtur adjectum; nunc redit

ad partitionem supra collocatam, cur partes Adolescentium senex sumpserit.

11. Oratorem me esse voluit, non prologum.] Ut apud vos agerem causam potius, non officio fungerer Prologorum. Prologi enim, sicuti jam dictum, aut argumentum narrant, aut Poëtæ personam commendant, aut audientiam postulant: nunc autem ego apud vos acturus sum causam, & defendam, si quid fuerit forte in Terentium ab adversario, loco criminis intentatum. Ideo enim dixit, *vestrum iudicium fecit, me actorem dedit; sed hic actor tantum poterit à facundia, quantum ille potuit cogitare comœdiæ, qui orationem hanc scripsit, quam diciturus sum*. Poëta, inquit, me actorem esse voluit, qui tantum in facundia excellit, & pravalet ingenio, quantum & ego qui eandem comœdiam acturus sum, in agendo pravaleo: ita *hic actor*, hoc est, ego, tantum potero à facundia, hoc est, non degenerabo ab eo qui cogitavit.

16. Nam quod rumores malivoli.] Hic jam incipit causam dicere cur venerit, sicut supra diximus, ut purget quaestiones ipsas, & objecta ab adversariis solvat. *Malivoli* autem, quod dixit, vel numero plurali, ut malivoli rumores ipsi: vel singulari, ut sit hujus malevoli, hoc est, *Lusci Lanuini. Distulerunt*.] Id est, in diversum disseminarunt.

17. Multas contaminasse.] Hoc est illud quod diximus, quando hic prælocutus est, ut diceret, *ex integra Græca integram comœdiam sum acturus hodie*, ita & hic hoc sibi crimen dicit objectum, quod Terentius multas Græcas contaminaverit comœdias, dum paucas Latinas facit, hoc autem crimen Terentius non negat factum, sed sibi licere demonstrat. & licere scilicet per aliorum exempla. Quomodo Tullius dixit: *Adductus sum, iudices, fide, misericordia, multorum exemplo honorum*. Et hic, habet honorum exemplum. *Facturum autumat, facturum dicit & proficitur*.

22. Tum quod malivolis vetus dicit.] Aliud crimen est, quod objectum nunc proponit, quoniam *Luscius Lanuinus* dicit, *Terentium* non peritum artis musicæ, ad comœdias scribendas accessisse,

præsumente potius ingenio amicorum, non suo.

25. Arbitrium vestrum, vestra existimatio valebit.] Hoc locutionis genus satis mirum est, cum dicit, de hac re vos judicare poteritis: an id quod objicitur nobis, verum sit, ut Terentius non natura sua fretus, neque ingenio, sed amicorum potius, ad scribendas comœdias accesserit. Est namque rumor, quod Terentius cum Scipione Africano familiarissimus fuit, semper istas comœdias cogitavit: hoc igitur prologus nititur solvere. Et quoniam non est erubescendum, tali viro fuisse conjunctum, idcirco minus curat hoc crimen dissolvere: dicit tantummodo, vestrum iudicium est, & vestra existimatio.

26. Quare vos omnes oratos volo.] Hic jam sequitur officium prologi, ut benivolentiam petat: quæ benivolentia & in adversarios odium concitat, quod adjecit.

27. Ne plus iniquum possit quam æquum oratio, date crescendi copiam novarum, qui spectandi faciunt copiam sine vitio.] Quoniam petitio generaliter fuerat collocata, uti novis Poëtis faverent auditores: adjecit *novis*, sed qui sine vitio comœdias dant: illis *Luscius Lanuinus* comœdias profert, sed cum vitio. Adjecit, *Ne ille pro se dictum existimet*. Et ne *Luscius Lanuinus* etiam pro se petitum arbitretur.

31. Qui nuper fecit servo curranti in via decedere populum.] Proponit vitium quod admiserit Poëta *Luscius Lanuinus*: quippe cum omnis comœdia aut errorem teneat ex amatoribus, aut injuriam meretricum, aut suppositionem filiorum, aut aliquid tale, quod ad moralitatem videri esse conjunctum. Quod tale hic est: Cum servus currit, cum populus decedit, quod domino insano obediatur servus: ne potius aliena à comœdiis sint, aperte, ait, ac breviter ea, quæ sunt comœdiarum, explicemus. Omnis comœdia aut amoris habet agnitionem, aut suppositionem amoris habet. Ut ex Andria, quam quidem in agnitionem esse cognoscimus: nam cognoscitur *Glycerium* quia civis sit. Suppositionem habet, ut apud *Plautum* qui est *Truculea*.

tus : militi enim supponitur filius , ut exinde in meretricis affectum arctius & strictius colligetur. Ergo cum videamus hæc esse necessaria in comœdiis teneri, vehementer erravit *Lanvinus*, qui extra hæc comœdiam instituit ; & servum currere, populum per viam discedere, quod insano serviat domino. Unde apertissimum vitium in comœdia reprehendit Terentius.

36. *Statariam agere ut liceat per silentium.*] Quidam *statariam* genus esse putant comœdiæ : alii in quibus stantes : unde hanc *statariam* nominant. Mihi enim videtur, *statariam agere ut liceat per silentium*, ideo dixisse, ut perpetuo & stabiliter agatur hæc comœdia, neque populi adversis suffragiis foras pellatur. Ideo adjecit, *ut liceat per silentium*. & subjungit : *Ne semper servus currens, iratus senex, &c. assidue agendi sint mihi, Clamore summo, cum labore maximo.* Hæc autem, quæ nunc nominantur, propria videntur esse personarum: nam servi officium est currere, senis irasci: parasitus autem edax est, impudens sycophanta, leno avarus est: ergo sunt hæc propria sermonis, quæ necesse habeo ex necessitate personarum complere. Debetis mihi potius favere, quam adverso suffragio conatus facere.

41. *Mea causa causam hanc justam esse, animum inducite: Ut aliqua pars laboris minuatur mihi.*] Quantum ad eum qui comœdiam scribit, pertinet: potuit enim secundum morem ingenio universa complere: ergo quia hæc pronuntiaturus sum, necesse habeo silentium. Ideo, inquit, propter me hanc mihi operam exhibete, ut cum silentio attendatis.

46. *In hac pura est oratio.*] Quoniam dixerat, laboriosas potius comœdias ad se deferri, leves ad alium: ne præjudicium huic comœdiæ fecisse videretur, adjecit, *in hac pura est oratio: experimini in utramque partem ingenium quid possit meum.* Modo utrumque possum: & levia perferre, & gravia complere. Ira ait *in utramque partem*: quoniam semper in asperioribus comprobastis, nunc quoque in levioribus nosse debetis.

51. *Vt adolescentuli vobis placere studeant potius quam sibi.*] Si mihi nunc ho-

norem per silentium dederitis, facile eos adolescentes compelletis, ut vobis placere potius velint, quam sibi, quoniam officium prologorum adolescentes sumunt, multa in comœdiis ipsi acturi sunt, ita factum cum mihi ex hac actione esse cognoverint, facile ipsi laborem hunc capere possint, ut vobis placeant.

IN SCENAM PRIMAM

ACTVS PRIMI.

1. *Quoniam hac inter nos.*] Hæc scena continet injustam accusationem, quod gravis senex de se exigat poenas, defensionemque continet justam. memorat quippe, ita se meritum, ut ipse de se exigat poenas. Quare qualitatibus esse intelligimus status, & non tam esse accusationem, quam objurgationem. Hujusmodi etenim in auctoribus, qui non apud iudicem controversiam dicunt, vim debemus potius intelligere, quam controversiam: non enim iudices præfunt. Sed quoniam talis est actio, ut videatur vim controversiæ continere, idcirco status hic est, & secundum istum cuncta dicuntur. Ergo in hac scena status qualitatibus est absolutæ, utrum juste fecerit, vel faciat, quod de se senex exigat poenas. Quam rem docet juste fieri, ex eo quod se meritum dicit, propterea quia ipse filium suum, amantem adolescentum more, miserit in militiam duram, sapius accusando: inde sibi juste imponi has ipsas, quas implet, gravissimas poenas. *Quoniam hac.*] Chremes vicinus, cum conspiceret senem, eundemque olim divitem, graviter laborare ac tota die in opere consistere vehementer, accedit interrogans: & ut oportet apud ignotum, longa utitur oratione, simulque sibi etiam quaestionem facit, & quasi ipse sibi respondet. Quo pacto vim ostendit ejus qui interrogat, cum sit ignotus, aliter enim senem in dolore positum, & calamitatibus pressum, ad loquendum provocare non posset, nisi secum in se interrogans illud ita loqueretur, uti adjiceret quæ ipse respondere potuisset. Ac primo purgat personam:

quamvis antea familiaritas nulla fuerit, audeat tamen hodie accedere, & cum alloqui, dicit * quod nimius labor, quem ipse de se exigat, ille, qui senex & dives est: in se taciturnitatem esse non permiserit, sed potius compulerit ad interrogandum, etiam si parva amicitia fuisset atque notitia, ex hoc quod vicinum agrum non longe ante mercatus est.

3. *Nec rei sane amplius.*] Nec aliquid inter nos fuit rei, ex quo facilius jungeremur.

4. *Vel virtus tua me.*] Quam honesto verbo usus! laborem & calamitatem virtutem potius nominavit.

5. *In propinqua parte.*] Vicinitas agrorum & domorum, quasi quædam pars amicitiae est.

6. *Audacter moneam & familiariter.*] Audacter, quod quædam dicturus est, veluti accusans: *Familiariter*, quod ita accedit, quasi ex notitia præterita.

7. *Quod mihi videre, &c.*] Ipse partitionem suam persequitur. Nam propter ætatem sic subjungit, *Annos sexaginta natus es, aut plus eo, ut conjicio: agrum in his regionibus meliorem, neque pretii majoris nemo habet. Meliorem*, ad usum refert: *pretii majoris*, ad opinionem populi de ipso agro.

15. *Numquam tam mane, &c.*] Hic est labor ille qui fit plurimus, quo cotidie labore constitutus, quod aut fodere invenitur, aut aliquid facere.

18. *Denique nullum remittis.*] Nullum remittis, ad illud pertinet quod dicit, *numquam tam mane egredior, neque tam vesperi domum revertor. Neque te respicis.*] Ad illud, vel quod senex est, vel quod dives.

20. *At enim dices.*] Optima ut diximus, ratione, ipse sibi quaestionem facit, & utitur respondentis ratione, ut eum provocare possit ad loquendum, qui frequenter pressus dolore conticescit. Sed dices mihi, inquit, *paenitet me quantum hic operis fiat*: cui respondet, tanquam hoc sibi propositum sit. Sed in opere faciendo quod consumis, si id consumas in exercendis servis, plus agas.

23. *Tantumne est ab re.*] Bene tanquam alienum alloquitur Menedemus, ut illi

& otium esse dicat, & tantum otium a rebus suis, ut aliena curet, & ea quæ ad se nihil attinent.

26. *Vel me moneere hoc, vel percontari.*] Moneere, si sciam quod faciat: *percontari*, si nescit.

27. *Rectum est, ego ut faciam.*] Ad superiora pertinet sensus, ut intelligi possit. Vel percontari, puta si rectum est: ideo quæro ut faciam; si non est rectum, ut te deterream.

28. *Mihi est usus.*] Mihi sic expedit.

34. *Aut consolando, aut consilio, &c.*] Apponit causas cur aliena incommoda queri videatur. Hoc enim quod interrogo proderit tibi * ita boni ordinem custodivit, ut crederet se aliquo modo prodesse.*

47. *Cæpi non humanitus.*] Hic jam se arguit, quod juste de se exigat poenas: siquidem cum animadvertisset filium amare mulierem, non humano modo neque uti decuit, adolescentuli animum sic tractavit, sed aperta vi, & more patrum, cotidie accusavit. Subjungit deinde allocutionem, qua usus est cum accusaret filium, *Ego te meum tantisper dicere volo, dum quod te dignum est facies.* Dicit filium meum tam diu volo, quam diu facis quod te dignum est. Sin autem non feceris, ego inveniam quod in te dignum sit facere.

60. *Simul & rem, & gloriam.*] Ut uno tempore militiæ labore proprio, & fortunas reperirem & dignitates.

62. *Sæpe eadem & graviter.*] His operat causam suam, quod frequenter dixerit, & graviter. Tandem adolescens victus discesserit in militiam.

65. *In Asiam ad regem militatum.*] Singula in pronuntiatione sunt collocanda. Nam *in Asiam*, quod dixit, intelligere debemus, in longinquam locum. *Ad Regem* vero hoc est, quasi ad servitutum. *In militiam*, ubi scilicet durus labor & periculum est.

66. *Clam me est profectus.*] Hic curavit quod facile illi poterat opponi: cur ergo non cum eum videres proficisci * *Menses tres abest.*] Hic dolorem suum exprimit, temporis longinquitate.

67. *Ambo accusandi.*] Necdum tota expōta est, idcirco æqualem partem ac-

cusationis suæ posuit Chremes, quod dixit, *ambo accusandi*. Quamquam inclinavit ut adolescentem defendere videatur, cum inquit, *est illud inceptum videtur esse pudentis animi signum, & non minus obsequentis*. Hoc est enim quod dixit, *non infrenui*.

72. *Soccos detrahunt*.] Dixi jam, comœdias istas esse palliatis: hoc est, ibi personæ sunt Græcæ: ideo ergo dixit, *soccos detrahunt*.**

89. *Conrasi omnia*.] Hoc est, collegi universa quæ venderem.

91. *Opere faciundo facile sumptum*.] Servos universos produxit & vendidit, exceptis his qui suo opere suos sumptus tolerare possent.

92. *Inscripsi illico ades*.] Hoc est ædes meas locavi.

94. *Hic me exerceo*.] Non hic ad voluptatem positum exerceo, sed ad laborem, quemadmodum *Virgil*.

— *Nate Iliacis exerceite fatis*.

95. *Decevi tantisper me*.] Hoc enim iudicavi, me non tantam injuriam facere meo filio quem expuli, si & ipse miser sim.

100. *Si quis recte aut commode*.] Supra accusaverat utrumque, cum diceret, *ambo accusandi*: modo utrumque defendit, quod hunc ingenio leni dicit, & illum obsequentem, si aliquis recte & commode tractaret alterum; nam hoc factum esse dicit, quod neuter se noverit.

102. *Vbi non vere vivitur*.] Ubi non integre vita ostenditur, ubi non nudatur, ut quis qualis sit, agnosci queat.

103. *Quanti penderes*.] Quantum diligeres.

105. *Quid si esset factum, hac rumquam*.] Si autem tu mores tuos, aut ille tibi qualis esset, ostenderet, facile ad hoc calamitatis genus non perveniretis.

106. *Ita res est*.] Quoniam utrumque quodammodo accusaverat Chremes, quod neuter ibi mores ostendisset, omne crimen potius derivat senex, ac dicit, *fateor, peccatum à me maximum est*.

107. *Menedeme*. Ad personam. Hoc ex illis quæ supra promissit: inveniet quod adferat, scilicet consolationem

siquidem dicit: *filium adfuturum hic cœna fido propediem*. *Consulo*, hoc est, fiduciam gero.

110. *Dionysia hic sunt*.] Optime factum, ut post narratam calamitatem, cui quidem præter consolationem subvenire non poterat, tamen in eo quod ex ipso auxilio esse potuisset, vult eum ad cœnam vocare: quia dicit, *hodie Dionysia sunt*. quæ sunt sacra Liberi patris apud Athenas.

119. *Nihil opus fuit monitore*.] Jam in domo inventus est ille, atque mire, cupiebat illum vocare ad cœnam: monitore ergo opus, inquit, non fuit, nunciatum illum in domo esse.

IN SCENAM SECUNDAM

ACTVS PRIMI.

1. *Nihil adhuc*.] *Hæc scena habet Clinia adolescentis suspicionem, quod amica sua se absente corrupta est*. Sumit igitur per conjecturam argumenta, quæ suo loco plenius aperitque narrabimus. Ac primum quasi quoddam argumentum, servum qui missus sit, non redire, cui jam multum temporis videatur affumptum. Unde efficitur consolatio à Clitiphone amico, cum dicit, *Nihil quod videaris esse sollicitus, haudquamquam cessant*, hoc est, non diutissime tardant. Verum cum intus positum Cliniam allocutus esset, Clitipho egreditur, patrem prospicit, ei commendat officium suum, ne videatur nescio quem adolescentulum recepisse, ut merito hoc effecisse declararet. Sumit igitur exordium, quod commendat, adolescentem sibi olim jam fuisse cognitum, ac se coactum amicitia, eum recepisse: ideo adjecit, *Nam mihi cum eo magna ex pueritia familiaritas*.

10. *Voluptatem magnam*.] Scit enim Chremes, vehementer patrem esse sollicitum. Quod audit ergo reversum adolescentem, dicit sibi natam magnam voluptatem. Denique hujus voluptatis causam in animo habens, subjunxit: *Quam vellem Menedemum invitatum amplius, ut hanc latitiam nec opinanti prius objicerem domi! Uti non suspicanti, amplius etiam*

quam speret, hanc latitiam domi objiceret.

13. *Cave facis*.] Cave facias, nec enim necesse est. Nescit namque à patre filium desiderari, ideo prohibet patrem suum aliquid facere, quo vindicetur adolescentis reversus.

16. *Atque abitis*.] Hoc est, discessio.

18. *Miserum? quem minus est*.] Quoniam ille dixit, miserum esse adolescentem, vel quod ipse se adolescens miserum putet, negat esse hic miserum, siquidem omnia habet, quæ quidem in homine dicuntur bona. Et subjungit: *Atque hæc perinde sunt, ut illius animus est, qui ea possidet*. Atque hæc talia sunt qualis animus illius est, qui hæc tenet. Nam qui scit uti his omnibus, bona sunt; illi vero qui non utitur recte, utique mala sunt. Simul & dissectionem collocavimus, & intellectum didicimus, *Ne quid in illum plus satis faxit pater*. Hoc amplius vereor, ne aliquid amplius habeat, quidquid satis est faciat pater. ideo injustum est patri ostendere. Siquidem Poëta negat esse contemptum * eacus ad hunc laboret filius.

15. *Illene*.] Hoc utique intelligitur propterea dictum; quia scit Chremes animum Menedemi. Hæc ne proderet, repressit se, & reliqua verba contexit; dicens hanc causam, quod in metu esse filium, patri vehementer est utile.

16. *Vt ut erat, mansum*.] Qualiscunque, inquit, fuit, tamen oportuit patrem sustinere.

30. *Nam parentum injuria, &c*.] Præter hunc morem qui est innatus parentibus, hic ferme paulo est tolerabilis: præbent exigue sumptum & modice.

36. *Scitum est*.] Optima occasione senex, dum aliorum mores & facta demonstrat, occasionem filii corrigendi reperit, ut moneret. Scitum est, inquit, & perelegans, ex aliis periculum facere, hoc est, tentamentum, quod sibi vehementer expediat.

38. *Tu ut tempus est diei*.] Tempus non solum summum est, sed & pars partis est sicut hic posuit, *dici tempus, sum temporis dies esse videatur*.

IN SCENAM PRIMAM

ACTVS SECUNDI.

1. *Quam iniqui*.] *Remansit solus Clitipho, & secum conqueritur de patris hortatione*. Ordo est: *Quam iniqui sunt iudices patres in omnes adolescentibus*.

2. *Nos à pueris illico*.] Qui arbitrantur, iustum esse, in pueritia moribus senum nasci.

4. *Ex sua libidine, &c*.] Modum imponunt adolescentibus de moribus suis, quos nunc habent in senectute, non quos in adolescentia habuerunt.

5. *Mibi si unquam filius*.] Si aliquando mihi filius contingat, *Facili memoretur patre*.] Id est, valde me uterur bono & facili patre.

6. *Nam & cognoscendi, &c*.] Facile, inquit, filio meo hanc facultatem dabo, ut universa ejus facta cognoscam: tamen si peccarit, ignoscam.

12. *Cui quod respondeam*.] Expressit inopiam; siquidem non solum dixit, cui quidem nihil habeo, verum, ad respondendum verba desunt.

13. *Suarum rerum satagit*.] Et si is quoque de suis rebus plurimum cogitat.

13. *Mea est potens*.] Ad hoc positum, ut ex nobilitate plurimum audeat potestulare, *Proci* à petendo dictum est; unde & *proci* dicuntur nuptiarum petitores, *Sumptuosa*.] Ut & necessitatem sibi petendi propter suos sumptus faciat.

16. *Nam nihil esse mihi, religio est*.] Dicere, me hoc non habere, maxima mihi religio est. Ut *Virgil*.

Religio est patrum multos servata per annos.

IN SCENAM SECUNDAM

ACTVS SECUNDI.

1. *Si mihi secunda*.] *Hic illud est, quod supra diximus, quod per conjecturam Clinia credit, amicam se absente corruptam*. Ac primum argumentum fecit ex eo, quod missus servus nondum redit.

Deinde proponit ipsam suspicionem. *Sed vereor, ne me absente hic corrupta sit.* Adjungit & opiniones & argumenta à tempore, quod est *ocasio*: occasionem autem hic intelligimus, quod absens fuit ipse. Deinde ponit locum Athenas, ubi magna hominum multitudo est & civium, variis moribus viventium. Adjungitur aetas, hoc est, à persona, & à tempore, quod adolescentula; ac propterea vario ingenio. Deinde addidit, *Mater*. Hoc nomen parum est; ni adderetur *mala*. Sed ne rursus suæ voluntatis & judicii ideo adjecit, *Cujus sub imperio est: Cui nihil jam præter precium dulce est.*

8. *Pergin' istuc prius.* Perseveras ante hoc quasi certo judicio tenere, quam scias quod in vero sit.

9. *Si nihil mali esset.* Ad consequentiam argumentum cepit ex eo, quod non redit missus servus. Certa mihi, inquit, suspicio est, illam esse corruptam; nam hic adessent. *Quando istuc erit?* Illud enim quod dixit, *Iam aderunt*, hoc amanti tardum est: ideo adjecit, *Quando istuc erit?*

IN SCENAM TERTIAM

ACTVS SECVNDI.

7. *A In' tu?* *Hac scena exolvit illam suspicionem, quam Clinia habuit.* Et hæc conjectura deinde rursus habet aliam causam, quod amicam Clitiphonis adduxerit servus, ita ut in domo patris esse possit. Quæ res an fieri possit, deliberationis vim tenet. Ita prior causa in controversia est, secunda in deliberativa: aut controversia est ex conjectura. Ergo partibus tractabitur, hoc est, uti dicta & affectus, quod *πίδος* Græcè dicunt, suggerunt argumenta: sicut suis locis explanabimus. *Dum sermones cadimus.* *Cadere sermones* dicuntur, qui frequenter & plurimum loquuntur.

2. *Mulier tibi abest.* Quia ita locutio servi fuerat, ut diceret, *relicta mulieres.*

4. *Minime mirum adeo impedita.* Mirandum non est quod impeditæ sunt mulieres, quæ & ancillarum gregem ducunt secum, & plurima comportant.

5. *Perii! unde illa sunt.* Crescit error Clinia, ut magis credat esse corruptam, quod ancilla habeat & aurum. Hæc omnia meretricis, non illius mulieris sunt. Sed adhuc ignorat adolescentens.

7. *Et vesperasit.* Hoc est, nox sit: à *vespere* factum verbum est.

15. *O Iupiter! ubinam est fides?* Nec dum soluta sibi suspicione queritur adolescentens se esse desertum omisso amore amatoris sui in meretricios mores esse delapsam.

17. *Conlocupletasti.* Divitem fecisti.

19. *Cujus nunc me pudet.* Patris me pudet & miseret, qui frequenter harum mores dixit mihi, & frustra monuit.

24. *Nam & vita est.* Prima propositione volens servus solvere errorem suspicionis Clinia; dicit, Et vita est eadem amicae, & animus ille qui circa te fuit, verum meminisse debemus duas res esse propositas, ut & vita eadem probetur, & idem animus. Potuit enim in eadem muliere castitas perseverare, ut esset eadem vita, non tamen idem animus: potuit namque oblivisci amatoris sui, & non eum desiderare. Ideo adjecit: *& animus: te erga idem ac fuit.*

28. *Nequid hujus verum.* Quod nunciat servus animum periisse, quæ ei mater esse dicebatur, ad causam minime pertinebat, ideo adjecit: Hoc primum tibi dico, ne aliquid harum rerum ignores.

30. *Altera dum narrat.* Hic jam præmissio alterius narrationis effecta est: Nata est suspicio ut quæreretur, quæ sit altera, cujus narrationem differt: prior enim est de amica Clinia narratio.

34. *Vbi ventum ad ades.* Hic ergo breviter omnia argumenta, quæ à summo ad imum sunt, colligamus. Ac primum collocetur. Casta est mulier, & eadem quæ fuit ante, perseverat: quod anus processit: quod ostium aperuit: quod continuo ingressus est servus: quod postquam ingressus, statim anus pessulum rursus foribus obdit: quod ad lanam redit: quod textentem telam studiose ipsam invenerit: quod mediocriter vestitam: quod sine auro: quod ita ornata, quemadmodum sibi ornatur: quod nulla mala re expolitam muliebri: quod capillus

capillus ab ea rejectus circum caput fuerat negligenter: quod cum ancilla ea terebat, pannis ipsa contexta. Hæc sunt quæ vitam probant. Rursus subjungitur, an idem animus circa Cliniam perseveret. Ideo interrogavit: *Quid ait ubi me nominas?* Subjungit ille: *Vbi dicimus redisse te, &c.* Ergo & hic conjectura est, an idem animus perseveret. Probamus autem quod perseveret, ex eo, quod ubi te nominavimus, *mulier telam deserit aminio. & lacrumis oppluit os totum sibi, ut facile servos, desiderio id fieri tuo.* Completa igitur omni re, ad alteram narrationem necessario cito devolvitur, ut ostendat quæ illa altera sit mulier, de qua ante dixerat.

70. *Adducimus tuam.* Quo facilius blandiri adolescenti possit.*

73. *Non sit sine periculo.* Quoniam interrogatus servus, quod duceret Bacchidem, respondit, ad patrem. Quod egre ferens adolescens: cum indignatione audacem servum pronunciauit: continuo ille respondit, facinus magnum & memorabile fieri nunquam posse sine aliquo periculo. Ita in hoc quoque periculum est, cum patre præsentem in domo futura sit meretrix. Tamen studet, ut nihilominus celari possit.

74. *Hoc vide; in mea vita.* Scelus, quam astutus ad gloriam! Siquidem meo periculo tu tibi comparare vis laudem.

75. *Modo quid fugerit.* In quo negotio si te fefellerit aliqua consilii pars, ego continuo perierim.

76. *Quid illo facias.* Quid deinde facturus es. At enim pendens oratio hac intercessione efficitur adolescentis: qui non paritur eum ambagibus circuire. Ideo enim dicit, *Quid enim?*

77. *Ita res est.* Hic nunc voluit servus quasi quandam similitudinem dare, ut sic ostenderet, quale sit illud consilium quod ipse disposuit. Sed quoniam similitudo cum datur, quidam est in oratione circuitus, idcirco adjecit, *Quæ malum, mihi ambages narrare occipit!* Denique & alter adolescens hoc intellexit, unde adjecit: *Syre, verum hic dicit: mitte ista quæso.* Scilicet externa & per similitudinem translata, unde admo-

nuit eum quod dixit, *atque ad rem redi.*

79. *Enimvero rescere nequeo.* Multimodis injuriosus Clitipho es: unde jam tacere non possum. Bene indignationem suam servus extulit, quod facilius sibi adolescentem per suam iracundiam præpararet.

82. *Haud stulte sapis.* Non stulte, inquit, sapis, & cum ames, & potiri desideres, & pecuniam dari, interea tu nullum periculum velis sustinere. Hoc autem stultitiæ est, protinus velle id, quod non potest, contingere.

84. *Aut hæc cum illis sunt.* Aut enim debent fructum & potiundi utilitatem cum periculo sustinere: aut pariter & commoditas omittenda est, si periculum devitatur.

85. *Harum duarum nunc.* De duabus illis propositis conditionibus, aut periculum, aut fructum capiat, aut si periculum fugiat, utilitatem etiam pariter contemnat. Ex his, inquit, quamlibet conditionem eligat.

86. *Et si consilium.* Incitare adolescentem cupit, ne frustra operam perdidit, quod meretricem adduxit: itaque ostendit tutum consilium esse, quod suscepit: ut apud patrem amica sit sine metu: & argentum, quod promissum est, inveniri possit.

90. *Siquidem hoc fit.* Quam cito est motus adolescens, quando utrumque esse dixit præparatum? & ut amica in domo patris sine metu sit, & argentum ei quod debitum est, reddi possit. *Experundo scies.* Ipsa actione expertus agnosces.

96. *Nihil satis firmi.* Nullam rationem video firmitatis in consilio, ut debeam talem metum suscipere, ut apud patrem amica mea sit.

97. *Mame, habeo aliud.* Hoc irridens dicit, vult enim obvius ire meretrici, & dicere ut domum revertatur. Aliter enim incitari adolescentis animus non potest, qui fastidiosus cœpit esse per copiam, nisi id quod cupit denegetur.

102. *Tunc? quid boni.* Præcisa hæc oratio ordine tali, Tu, ne quod boni est fruare, dum licet? Rursus alia præcisa: *Nam nescias.* cujus ordo est; ejus sit potestas posthac nunquam.

108. *Concaluit.*] Calore subito concitatus est.

113. *Quasi minor istic.*] In hoc consilio magis mihi periculum propositum est, quam tibi, Nam si aliquid aduersi contigerit, tibi verba sunt præparata, mihi vero verbera. Unde hanc rem negligere omnino non possum.

118. *In eum jam res rediit.*] Intelligit Clinia, cum apud illum sit hospes, necessitatem sibi impositam, uti hoc quod ab eo petitur, negare possit, ut assimulet amicam suam esse meretricem.

123. *In tempore ad eum.*] In occasione. Ut:

Sola viri molles aditus & tempora noras.

124. *Quendam offendi militem.*] Hæc fuit occasio, quod voluit miserum militem de negatione sua, in amorem amplius suscitare.

131. *Eversas cervices.*] Quod iactantia & superbi est penitus.

132. *Gemitus, screatus.*] Hæc omnia adolescentuli faciunt, quotiescunque videre, aut videri volunt ab his, quos desiderant, ita sub quodam metu, ut quasi dum aliud necessitate conficiunt, sic impleant voluntatem.

IN SCENAM QUARTAM
ACTVS SECVNDI.

1. *Depol te, mea.*] Hæc scena comparationem continet earum mulierum quæ amicae sunt, ita ut uni seruiant, & earum quæ plurimis sui corporis exhibent potestatem. Et ne videantur meretrices iniustæ, defensio est, & quasi forma quædam hic controversiæ continetur. Res enim sunt meretricis, quum iniustæ sunt amatoribus suis & aduersæ, dum plurimum petant. Quam rem purgans meretrix, dicit se hoc quod faciunt facere necessitate, ne cum ætas abierit, & senectute extincta pulchritudo discesserit, inopia maneat, nisi antea quæsiuerint lucrum, quo possint sustentare decrepitam ac miseram senectutem. *Laudo, & fortunatam iudico.*] Vehementer te beatam felicemque iudico, cum id egisti, ut mores tuæ formæ convenirent. Ut oportuit, jam defensionem suam videtur meretrix exorsa. Siquidem scit

quod oporteat fieri, & laudat eam quæ cum pulchritudine tenet integram castitatem.

3. *Minimeque, ira me DI.*] Etenim non valde miror, si cum his moribus & hac sis pulchritudine, ne non sit aliquis qui te diligit, & te sibi petat.

4. *Nam mihi quale.*] Namque mores tuos mihi sermonibus indicasti.

5. *Et cum egomet.*] Hic jam reparat accusationis defensionem, quæ in se esse possit: dicitque merito, huiusmodi mulieres, quæ uni seruiunt, hoc est, quæ se separant à vulgo, recte scilicet & bene facere. Nec minus mirabile esse, quod meretrices malæ sunt. Hoc enim dicit: *Et vos esse istiusmodi, & nos non esse, haud mirabile est.* Vobis enim cum sit voluntas cum uno viro semper esse, debetis servare bonitatem: nos autem bonas esse non sinunt hi, cum quibus rem habemus. Nam propter pulchritudinem nostram amatores esse volunt, quocumque mutant voluntatem, si fuerit forma mutata. Ergo nisi prospectum ante fuerit, desertæ & cum inopia in senectute vivimus. Unde sic purgatum, quod malè audire potuisset, non justè malas esse meretrices.

13. *Cujus mos maxime est.*] Verum his moribus se sociant vobis, qui habent hunc morem, & similem voluntatem.

15. *Ut nunquam illa amori vestro incidere possit calamitas.*] Ut semper inter vos amor valeat, neque senectute aut ullo morbo discidium possit existere.

16. *Nescio alias, me quidem.*] Quid agam, vehementer ignoro: illud certum est, nunquam meum me commodum sine illius commodo comparasse.

18. *Ergo, mea Antiphila.*] Adolecens venientem amicam intuetur, & secum loquitur, quod ejus amore factum sit, ut in patriam reverteretur.

19. *Nam dum abs te absum, omnes mihi.*] Cum enim abs te discessi, universos labores leves arbitratus sum, excepto hoc, quod te carebam.

21. *Hocine me miserum.*] * hoc ingenio bono amicæ meo modo frui non licere vehementer ingemisco.

22. *Diu etiam duras dabit.*] Diu etiam durus existet.

IN SCENAM PRIMAM

ACTVS TERTII.

1. *Luciscit hoc jam.*] Notandum ex hac comœdia, quod in nulla alia licet reperiri, ut biduum tempus in comœdia sit. Omnes enim uno die actus suos explicant, ex eo ipso quo cuncta effici possunt, ut aut nuptiæ celebrentur, aut cognitio fiat expo. . . . aliquid. at hic bidui rationem versari intelligimus. Ergo dixit, *Luciscit hoc. Haber hæc scena allocutionem, in qua ostendit se properare, uti Menedemo nunciet filium rediisse: quamquam hoc nolit adolescens, cum patris sui nesciat voluntatem.*

6. *Cum illi nihil periculi.*] Ut celem tam insperatum gaudium, cum ipsi adolescenti nihil periculi sit, ex eo quod indicatur.

11. *Aut ego profecto.*] Hæc scena persuasionem habet, quemadmodum pater filium suscipiat, & falli se per servos sinat. Neque tanta facilitate utatur, ne corruptis filius moribus vivat, si semel facilitatem erga se patris agnoscat. Tenet ergo divisiones, ut omnis deliberativa ab utili & honesto similiter fieri possit, quæ omnia suo loco plenius explicabimus, ne tantum ea quæ obscura sunt dicamus.

18. *Nuntium adporto.*] Bene generaliter in nuntio vocum futurum esse promittit, ut animus cupidus probari possit, cum non aliud suspicatur, quam quod in desiderio fuerat collocatum. Deinde jungit: *Numquamnam de g. ato meo audisti, Chremes?*

21. *Valet.*] Temperavit primo nuntium, ut cresceret gaudium. Nam a primo *valet, atque vivit*, inquit, quod utriusque diversum esse manifestum est. Nam *valetur* cum spiritum ducimus, *Vbi enim est.*] Parum credit gaudii, quod sibi salus filii nuntiatur. Nunc de loco quaerit. Ipse quippe qui ejus absentiam dolere videatur.

22. *Mus gnatus.*] Cum iterum quod cupiebat senex audisset, tanquam parum credat, interrogationem reperit. Denique percussis omnibus cum confirma-

tionem nuntii audisset, perseverat gaudium: ideoque adjecit, *Duc me ad eum, obsecro.*

27. *Non tu ei dixisti ut essem?*] Non tu ei dixisti, quemadmodum nunc essem?

28. *Quia pessime in te.*] Hic jam incipit suavoria illa quæ animum patris componit, ut circa filium temperet lenitatem, aut largitatem nimiam, aut parcitatem. Utroque genere peccas, dum aut nimium largus es, ut ante nimium parcus, ex hoc, ut in unum malum ex diversis moribus venias.

34. *Primum, olim potius.*] Hoc tibi initium mali fuit, quod non filium permixisti ad mulierculam commeare.

... quod tunc paulo videbatur esse contenta, cum omnia grata esse potuerunt, quæ filius faceret. At tu iniustitia cum adolescentem tuis sermonibus tenuisti, exinde illa coacta necessitate, ingratis cepit victum sibi quaerere.

39. *Nunc cum sine magno interrimen-*
10.] Unde modo sine magno damno haberi non potest. *Interrimen-*ta autem sunt, quæ intus terendo damna perficiunt.

40. *Quidvis dare cupis.*] Scio enim quodcumque desideras dare.

41. *Quam ea nunc instructa.*] Verum ut possis intelligere, quemadmodum nunc illa meretrix instructa sit ad versus filium tuum, & ad quam perniciem adjecta.

43. *Oneratas veste atque auro.*] Parum dixerat, *ancillas decem*, quæ res tantum in numero collocata videbatur: adjecit *oneratas veste atque auro*, ut pudori sit ancillas tales ita vestitas levi cibo pascere, aut certe servili. *Satrapes fiet.*] Apud Babylonios satrapæ appellantur ditissimi, & satellites regum.

48. *Pyriissando modo mihi.*] Quantum vini absumperit vide, dum pyriissat. Proprie autem *pyriissare* dicitur: quod gustare, quasi cum quadam probatione experire. Denique adjecit: *Sic hoc dicens, Asperum pater hoc est, aliud lenius sodes vide.*

51. *Relivi dolia omnia.*] *Linire* est contegere & operire: contrarium est *relivis* id est, aperui.

52. *Omnes sollicitos habui.*] Hoc est

ebrios. Significat enim *sollicitos*, id est, solo citatos, quod ebriis contingit, quibus non sunt firma vestigia, sed motu corporis citi sunt.

53. *Quem assidue excedent?*] Quem quotidie comedent, vel certe frequenter.

54. *Vt me tuarum fortunarum.*] In meo damno magis misericordiam pro te passus sum, & pro fortunis tuis.

55. *Faciat quod lubet.*] Indulgentissimus pater, & qui vehementissime filium desiderabat, licet damna audisset, tamen omnia se dicit filio permittere velle, dummodo ipsum habeat in potestate.

57. *Si certum est tibi.*] Hic jam persuadet, ut illud quod supra diximus, velit adolescentis animo veluti nesciens dare, cum artibus servi inductam pecuniam dat, & ad luxuriam ministrat. Denique ipsum consilium suum, quod sit, proponit: *Fallite sinas rebus per servum.* An fieri possit adjungit: *Subsensi illos hoc quoque agere.* Ex eo enim quod jam agunt & preparant, fieri potest. Deinde ab utili adjunxit, *Et tibi perdere talentum hoc pacto satius est, quam illi minam.* Melius est velut inciens plurimum perdas, quam sciens minimum: cum ex hoc filius quod licentiam agnovit, jam ei lubebit majora committere. Dein adjungit ab honesto, *Nunc non de pecunia agitur.* Ostendit honestum, & utile declaravit. Denique perseverat circa id ipsum, ut dicat: Cum enim intellexerit animum tuum, te prius vitam tuam proditurum & omnem pecuniam, quam abs te filium dimittas, vide quam fenestram ad turpitudinem, ad luxuriam, nequitiamque patefeceris, hoc est, quantam januam dederis, peccatorem perire.

77. *Ipsam non poteris pati.*] Statim tu interire bona, & filium vivere luxuriose & malis operibus non poteris.

78. *Ibit illico ad illud.*] Sibi veluti remedium suscipiet, ut abiturum se esse minitetur, maxime cum scit apud te se plurimum valere.

81. *Videre verum atque ita.*] Videre mihi verum dicere, & ita quemadmodum res est.

82. *Somnum oculis non vidi.*] Somnum

oculis meis non cepi, quærens quemadmodum filium reddam.

93. *Vicini nostri hic ambigunt de finibus.*] Litem vicini habent de limitibus.

94. *Me cepere arbitrum.*] Me judicem esse voluerunt.

97. *Itan' comparatam esse, &c.*] Sensus hic est: Satis miror cur prudentius sapit Chremes. An ita natura hominum comparata est, ut melius videant ea quæ aliena sunt, quam quæ sunt sua. An hoc ideo fit, quia, dum nos in re nostra sumus, aut gaudio impedimur, aut ægritudine, animum occupatum adprehendas vel respuendas res adhibere non possumus?

102. *Dissolvi me ocius.*] Cito revertens ab eo quo iverat Chremes, dicit, se ex eo negotio solutum, & amico operam traditurum.

IN SCENAM SECUNDAM

ACTVS TERTII.

1. *Hac illac circumcurfa.*] Servus, argentum desiderans, quod dare meretrici possit, tamen hoc quod loquitur, non videtur domino præsentis esse suspectum. Quoniam enim supra dixerat servus, *Syrus quasi in Menedemum dolos tendere, uti argentum meretrici per fallacias quæreret, ideo in senem generaliter dictum. Denique hoc suspicatus Chremes, quod si in Menedemum ita fiat, dixit: Num me fefellit hocce id struere? fortasse ille Clinix servus tardus est, ideo noster Syrus hanc provinciam sumpsit, hoc est, istud officium suscepit, ut ipse quærat argentum.*

7. *Te miror, Chreme.*] Te valde miror mane vigilare, qui heri tantum biberis.

8. *Nihil nimis.*] Non multum.

10. *Aquila senectus.*] Ajunt aquilam in senectute, quod ei rostri superior pars vetustate & incremento curvata foramen includat, ad cadavera accedere, & sic sanguinem in potum sumere, & quodammodo bibendo vivere. Hoc igitur ait servus domino, quasi bibendo totum tempus hesternæ cœna exigerit; visæ vero est quasi aquilæ senectus.

12. *Forma luculenta.*] Non solum commoda & faceta mulier, & speciosa forma: ita enim ut olim seduci nunc sane bona. Hic intelligi datur, quod senex sciat eandem ante fuisse castam, ante pauperem, nunc vero, meretricio more viventem. Ideo adjecit servus, non quemadmodum antea bona, sed uti nunc sibi ipsi compararetur, sane bona.

16. *At quasi is non divitiis abundet.*] Ex more inopiam male meritis adjecit.

18. *Quid? ego nesciam.*] Ut facilius servum dominus incitare posset, quod cupiebat servo adiutorem eum esse, ad tendendam in Menedemum fallaciam propter argentum, fingit se irasci servo Clinix, *Hominem, inquit, pistrino dignum. Cui jungitur, qui passus id fieri? Callide servum, tanquam ignoret quid fieri debuisset, inculcat, ut majorem suscipiat voluntatem. Qui fallendi dominum hunc ipsum cum * denique sibi hoc preparans, sic postea dixit: *Laudas qui heros fallunt.**

26. *In loco vero laudo.*] Bene adjecit, ne perpetuam malefaciendi licentiam servis daret.

27. *Quippe quia magnarum.*] Nam quia fallunt tempore, maximum læpe remedium est, ne gravior ægritudo videatur.

30. *Iocone an serio illa.*] An consilio isthæc dicat, an joco, intelligere non possum: unum tantummodo intelligo, quod mihi ad hoc, quod disposui, cumulat voluntatem.

32. *Et nunc quid expectat.*] Hic jam dum accusat adolescentis servum, hortatur suum dominum, qui ipse hos dolos tendat. Denique adjecit, *At te adiutare oportet adolescentuli causa.*

36. *Facile equidem facere possum, si jubes.*] Peritiam suam circa hujusmodi rem declaravit servus: sed dixit, metuere domini voluntatem, & posse se facile, si ipse voluerit imperare.

37. *Calleo.*] Peritus & doctus sum.

39. *Facio dum eadem hæc.*] Jam præparat sibi dominum: monetque ut meminert, si quando hæc omnia evenerint, sicut humana sunt omnia, uti & filius ejus possit ista perficere.

42. *Non usus veniet.*] Non hoc con-

tinget, neque fieri potest.

43. *Neque eo nunc dico.*] Bene purgat id, quas immiserat suspiciones, ne vero jam credat adolescentem filium pater talia vel facere vel cogitare. Dixitque se servum ex suspicione ista metuere, quod ejus ætas jam talis, uti, si necessitas, ut Chremetem, ita ducat & tractet quemadmodum nunc senex videtur hortari.

46. *De isthoc cum usus.*] Si quid tale contigerit, tunc videbimus, quod necessitas coget facere.

49. *Nec quæ m' e facerem.*] Nisi cum me senex adhortatur.

IN SCENAM TERTIAM

ACTVS TERTII.

1. *Vid istuc.*] Hac scena locum communem tenet in eum, qui hospitis sui amicum corrumpat. Pater tamen non sicut cur tanquam communi* at ita r. sponder filius tanquam negans. ut magis conjectura causa sit, quam communis locus. Verum patrem tanquam communem locum dicentem accipiamus, hoc primum generaliter cum invidua. deinde cum interrogatus esset, quia nam fecisset, ille continuo non factum sed vere factum protulit, dicendo, *Vidine ego? ut, à probatione exordiretur, & post ostenderet crimen, quod manum adolescentens in sinum meretricis inferebat.*

3. *Acta hæc res est.*] Syrus servus credit senem invenisse filium amare meretricem, quæ res antea per eolum celebrabatur: ideo vehementer metuit.

5. *Isthoc quidem eo iumelia est.*] Supra quidem injuria dixerat, verum adjecit contumelia sunt. Est enim injuria, quasi cum violentia aliquid in corpus efficitur: contumelia vero, cum præter violationem corporis est. Et violatio opinionis, ejus amicam subagit. Hæc est crimen quod supra posuit. *Subagere* autem, perfectionem ipsam libidinis intelligimus.

7. *Vel heri in convivio.*] Hoc ex antecedentibus argumentum colligens dixit: *Novi ego amantium animos, advertunt graviter qua non censas.* Ita enim mos est amatoribus: ampliora suspicantur, quam tu haud poteris suspicari.

11. *Esto, at certe.*] Hic mandat pater, ut discedat à domo filius: aliter enim negat fieri posse, ut impudentia adolescentis comprimi possit. Dicit enim multa libidinem velle, eamque sub cuiusque presentia se minus audere complere.

13. *Ego de me facio.*] Hoc est, ita ex me suspicor: nam nemo est amicorum, apud quem universa velim exponere, atque narrare ea, quæ occulta habeo, quippe aut in summa honestate amicus, & id quodcumque cogito, ejus dignitate deterreor ne indicem: aut ipsa certe res, propter sui turpitudinem, eam narrationem comprimit. Hoc est quod dicit, ipsius facti pudet; ne ineptus; ne protervus videar, si cum eo loquar, qui habet maximam dignitatem.

24. *Vin' tu homini stulto auscultare mihi?*] Quemadmodum in proverbio est: mihi si vis, stulto homini auscultare licet, hoc est, obaudire.

29. *Istas posthac comprimito.*] Quoniam pater dixerat, vidi ego te manus modo meretrici huic in sinum inferere: ideo servus ait, istas ergo manus comprimito tibi.

30. *Censeri vero?*] Subblanditur domino per obsequium servus, cum de adolescente quasi quendam metum habere se dicit: Vide jam, inquit, qualis sit: qualem futurum putas, nisi eum, quantum tibi facultatis numina concedunt, servas, mones, atque castigas?

32. *Atqui nunc, here.*] Bene presentis tempus in metu ponit, ut ille sciat, jam filium, nescio quid, moliri.

33. *Minus minusque.*] Et pro pulchre videtur adjectum, quo si qua in culpa inventus fuerit filius, continuo jam videatur servus purgatus, quod ejus imperium filius contemnat.

37. *Verum ut aliud ex alio.*] Hoc videtur obscurum quidnam sit, sed ex his quæ consequuntur, manifestum fiet. Nam interrogatus à domino quid esset, respondit: *peffima hac est meretrix.* Ita quod hic pessime de meretrice pronunciatum est; supra contrario dictum, *commoda & faceta hac est meretrix.* Ergo jure dictum, *aliud ex alio incidit.*

38. *Immo si scias.*] Vidit dominum servus quasi consensum commodasse,

non quo verum indicium de meretrice *ideo adjecit, *Vide quod inceperit facinus.*

39. *Fuit quadam annus.*] Hoc consilium dicit se servus adversus Menedem sumpsisse, quo possit pecuniam ab eo exprimere, quæ meretrici daretur. Verum hoc consilium in hoc provenit, ut profit vehementer Clitiphoni, Namque fingit nunc Antiphilam; quæ amica sit Clinia, apud meretricem ac quandam anum Corinthiam arrabonis nomine collocatam: & nunc velle ad Menedem pergere, ut ab eo pecuniam accipiat, quæ data sit pro puella: ut si eandem redimeret, maxima inde lucra possit accipere. Sed hoc displicet domino consilium. Verum provenit ad adventum futurum. Nam cum cognita fuerit, quod filia sit Chremetis, jam fiet necessarium, uti meretrici hoc sine Chremete debeatur argentum.

42. *Arraboni.*] Pignori.

IN SCENAM PRIMAM

ACTVS QVARTI.

1. *Nisi me animus.*] Hæc scena tenet maximam controversiam; quippe maritus dum gravidam videret uxorem, mandavit, ut puellam si peperisset, exingeret. Mater puellam peperit, & exposuit: quæ cum exponeretur, annulum dedit. Inventus est apud quædam puellam annulus; interrogatur unde sit: illa respondit ipsum esse cum quo esset exposita. Hoc cum cognovisset senex, agnitam puellam quam exingui jusserat, ream facit uxorem, quod adversus edictum suum fecisset. Hic primo venialis est status. Feci, sed pietate feci, Ergo prima inter se loquuntur an ipse annulus sit, cum quo exposita sit filia.

4. *At ut satis contemplata.*] Sed ut satis integre pleneque perspexeris, nutritrix mea.

8. *Magno cum conatu.*] Magno cum impetu unaquæque pronunciat.

9. *Ehem! mi vir.*] Hinc exordium sumptuum, quod ab obsequio cepit, ut benivolentiam comparare possit. Deinde adjectum quod purgationis loco ponitur, quæ res ad veniam pertinet, quæ

tamen adhuc principium sit, *Primum hoc te oro, ne quid credas, me adversus edictum tuum.* Denique sic adjunctum ex persona servi: *Nescio quid peccati portet hæc purgatio.* Finit principium: narratio supponitur: *Meministi me esse gravidam, & mihi te maxumopere dicere, Si puellam parerem, nolle tolli, &c.*

15. *Ergo herus damno auctus.*] Nove positum auctus damno, quod ei coheres puella venerit, quam dedit exponendam. Quia supra dixerat senex, *Sustulisti.* idcirco ait, *exponendam dedi,* quo minus videatur esse delictum. Hic jam immutatus vehementer senex, quod exposita puella esset, & exposita adversus edictum. Ita cum impetum generalis accusationis sumpsisset, statim illa ad questionem descendit, & statim apertissime collocavit venialem, cum dixit, *Si peccavi, mi Chremes, insciens feci.* Deinde supponitur plenior accusatio: *Id quidem ego, & si tu neges, certum scio, te imprudentem dicere aut facere omnia.* Deinde post principium accusationis, subjunguntur omnia crimina, quæ à summo ad imum dicuntur: *Tot peccata in hac re ostendis.* Et proponit sibi quasi quandam questionem mulier, quæ contra impetum mariti fecisset, & dicit se hoc pietate & materno egisse animo.

23. *Spem vita.*] Scilicet non oportuit simulare re ipsa, sed verbis. Huic responderetur: *Quam bene abs te prospectum est, &c.* Unde epilogorum loco adjunctum est, quantum incommodi consecutum sit.

29. *Quid cum illis.*] Sensus hic obscuritatem habet, qui talis est: Exposita tibi est filia, suscepta ab ea quæ pudorem filia tuæ venderet: sed tu cogitasti, factus esse, dummodo viveret. Ego nunc cogor eam suscipere, sed defendere ejus pudorem non possum. *Quid cum illis agis.*] Sibi dicit violata filia nullam esse posse vindictam.

31. *Chreme, peccavi.*] Hic jam deprecantis venia supponitur, cum dicit, *Obsecro: quanto tuus animus, &c.* Quod tuus enim animus atate major est, pietate & clementia; stultitiæ meæ debet in tua justitia esse præsidium: id est, aliud defensionis & auxilii.

34. *Istuc factum ignoscam.*] Hanc quidem veniam tibi dabo. Verum mea clementia multum ad peccata compelleris.

35. *Sed istuc quicquid.*] Perempta controversia ad originem res ducitur, facta a generali ad speciale argumento.

37. *Quum exponendam do.*] Cum dedissem puellam exponendam, annulum de digito mihi detraho, ut una cum puella exponeretur. Et subjungit causam, si moreretur, ne aliena esse à nostris bonis potuisset. Neque enim liberos etiam mortuos, fas erat fraudari bonis.

46. *Plus spei video.*] Hoc servus cum gemitu dicit: siquidem fieri potest, ut cognoscat hæc Antiphila, quod filia domini sit. Quo factò vehementer metuit, ne incipiat Clinia amicam suam confiteri, & cognoscat pater quod meretrix, amica Clitiphonis sit. Denique ideo dicit, cum nomen dictum esset ejus, cui data esset puella ut exponeretur, *Mirum ni illa salva est, & ego perii.*

53. *Non licet hominem.*] Non licet nobis perpetuam gerere voluntatem, maxime cum res non permittat: ita mutamus cum tempore voluntatem.

IN SCENAM SECUNDAM

ACTVS QVARTI.

1. *Nisi me animus.*] Servus hic vehementer astuat, quod animadvertit fieri posse ut puella agnoscat: & ingemit quod sibi multum infortunium adfuturum sit.

2. *In angustum oppido.*] Translatio facta est ab illo, cum periclitatur exercitus, in angustum coactus. *Oppido,* valde significat.

5. *Triumpho, si licet.*] Summum gaudium est, si tutus sine vulnere discedam: hoc est, latere tecto & custodito. Non ergo de argento cogitare debeo, quemadmodum id eripiam, sed quemadmodum tutus ipse discedam.

6. *Bolum.*] Prædam.

7. *Quid comminiscar.*] Quid argumenti capiam, & est *comminiscor,* invenio vel recordor, cujus simplex in usu non est.

6. *Quid si hoc.*] Cogitantis animo, quasi dum multa deliberando quærit, invenit quædam, non placita repudiat. Post id quod sit optimum, invenisse se dicit, ut ad se illud argumentum revocare possit, quod omiserat.

IN SCENAM TERTIAM
ACTVS QVARTI.

1. *NVlla jam mihi res.*] *Allocutio est Clinia exultantis gaudio, quod sua amica sit c gnita.* Ita dicit mentem suam oneratam gaudio, ut nulla res possit intercedere, quæ adferat ægritudinem. *Ægritudinem* dixit, pro ægrimonia, id est, tristitia vel infirmitate.

3. *Dedo patri me.*] Uti frugalitatem, id est, parcitatem, quam in me voluit, compleam; quippe cum velit eam me habere uxorem, quæ sit honestis moribus, scilicet Chremetis filia. Unde non mea causa lætor, sed potius ipsius puellæ, quam diligo.

10. *Da te mihi vicissim.*] Id est, quemadmodum nunc ego verba tua audiui, ita vicissim te mihi da; uti quod necessarium est facias, ne resciscat pater amicam filii sui esse meretricem.

12. *O Iuppiter.*] Per *θεοσφάντων* omiſſis vocibus servi, secum Clinia gaudet. Parum credit sibi contigisse, quod efficitur in gaudio repentino, nisi aliquid procreatur.

14. *Deorum vitam apti.*] *Παλειον* five *παραβολή*, quæ sunt species *ὁμοιωσεως*. se quasi Deum esse asserit, ut in Andria, *Deorum vitam propterea esse sempiternam arbitror. Apti* significat adepti.

16. *Vivendum est, inquam.*] Persuadet servus Clinia, uti secum ducat meretricem ad domum patris, ne si remaneret in domo, facile senex filii amicam possit agnoscere.

21. *At enim isthoc.*] Hæc res mihi videtur esse vehementer contraria, nam quomodo rogabo patrem ut mihi filiam det, si sciat meam amicam esse meretricem?

23. *Quin nolo mentiare.*] Hoc ex con-

filio dicit servus uti non mentiatur, sed continuo dicat, illam filiam Chremetis se uxorem velle, & esse hanc amicam Clitiphonis. Sic enim persuasurus est postea domino servus, tale repperisse se consilium, uti à Menedemo filius petat pecuniam, quo quasi dicat, se velle filiam Chremetis uxorem ducere, uti ad nuptias habeat necessaria. Et hoc credit senex propterea adolescentulum petere, quo per fallaciam dari possit: ita ut cum utrumque dixerit adolescens, per fallaciam dicere credatur.

27. *Ut celet senem nostrum.*] Nesciens adolescens hoc consilium adjecit. Et fortasse hoc velis, ut celet patrem Clitiphonis noster senex, quod ipſius amica sit meretrix.

31. *Consilio palmam do.*] Id est, maximam victoriam & gloriam mihi concedo, ut verum dicendo ambos fallam. Secundum hoc quod supra diximus, ut non credat senex noster amicam filii sui esse meretricem, etiamſi audierit. Quod fit per figuram *εξουρμῶν*, quæ est elevatio, quando auditorem vera dicendo in errorem inducit.

35. *At enim spem.*] Si enim crediderit senex amicam filii sui esse meretricem, filiam suam mihi non dabit.

38. *Quid malum.*] Credis hoc me velle simulare. *Malum* autem interjectio nihil significat, sed exclamationis continet locum. Quomodo *Cicero* pro *Scauro*: *Qua malum est ita ratio.*

41. *Quid si nunc cœlum ruat?*] Stultus metus est de cœlestibus metuere. Ergo stulte id in metu & sic ponis, quod fieri omnino non potest. Ut sit argumentum ab impossibili.

42. *Quasi ea potestas non sit.*] Pulchre persuadet ut faciat hoc quod monetur, cum dicit in potestate ejus futurum, quo velit tempore, ut se exolvat.

IN SCENAM QVARTAM
ACTVS QVARTI.

1. *Atis pol proterve.*] Satis aspere.

4. *Aut cum venturam.*] Immo potius vero, me esse venturam.

6. *T ergo pœnas.*] *Tergo*, id est, dorso. Siquidem

Siquidem *tergum terge* dorsum: *Tergus* vero *tergoris*, corium dicitur.

7. *Satis scite promittit.*] Id est, valde eleganter promissa tibi dabit, per utriusque per... intelligitur.

8. *Dormiunt: ego pol.*] Vult excitare eos, qui sibi pecuniam promiserant, nec dederunt: uti fingat se evocatam esse à nescio quo, & velle discedere. Itaque consentiente ancilla fingit mendacium.

11. *Curriculo percurre.*] Propera & festina.

13. *Verba his me.*] Hoc est, me dicturam aliquid, unde decipiam illos.

15. *Quin est paratum.*] Intellexit servus callidus, quod idcirco se adcersiri diceret, quod argentum quæreret. Et hac ratione ei pollicetur. *Quin ego hic maneo.*] Qui argentum dari posset, & nihilominus illud fieri, quod dispositum est, itaque & de tempore adjecit, *Atqui jam dabitur.*

17. *Tua pompa.*] Id est, nobilis comitatus, scilicet ancillæ decem, & cæteri comites qui venerunt.

18. *Egone? argentum cudo.*] Quæris cur te ad Cliniam transire volo? argentum cudo: id est, produco quod tibi dem. *Cudo* proprie est compono vel tundo. unde *Incus*, ubi runditur ferrum.

19. *Quam illudas.*] Per accusativum casum dictum est. *Virgilius*, *Certantque illudere capro*; per dativum, Item ipse: *— Virtutem illude superbis.*

24. *Sumptum sibi levatum.*] Cum discesserit tanta ancillarum multitudo, dominus credet sibi alleatum sumptum, id est, impensam: sed nescit ex ea re damnum ad se esse venturum, dum hac re maxime ab eo extorquebitur argentum.

26. *Tu nescis.*] Id age, ut nescisse videaris; & ille per *ερεσθῶλω*, *mutum me dices.*

IN SCENAM QVINTAM
ACTVS QVARTI.

1. *Ita me Di.*] *Discendentibus ancillis senex ingemiscit, quod tanta ad Menedemum multitudo ventura sit: quam & ipse cum unam diem sustineret, magno se*

dixit affectum damno. Nam & domino pyrtissando, id est, leviter gustando & spuendo, multum vini absumpit. & reliqua familia.

Siquidem per χεερατηεορῶν, id est, futura rei descriptionem, argumetatur quid sit consequens: videlicet filii discessio. & est ἡ δωροία, qua fit, quando loquentem introducimus quamlibet personam.

5. *Magno desiderio fuit.*] Tantum desiderium filii absentis pater habuit, ut primis diebus damna à meretrice non sentiat.

11. *Videre egisse.*] De eo quod tecum locutus sum, videris jam aliquid fecisse. Nam supra ait, *Huic nostro tradita est provincia.*

12. *Dictum & factum.*] Hoc est, cum dixisses, factum continuo reddidi.

14. *Tibi caput demulceam.*] Quod solet fieri his qui placent, ut manus per caput tractu ducta, quasi quædam videatur esse laudatio.

17. *Gloriare evenisse?*] Hoc tibi pro voluntate contigisse gloriaris?

19. *Tui Clitiphonis.*] Hoc est, illud consilium quod supra significatum est, ut veritas dicta nihilominus implicare possit errorem. quippe cum dicit Clinia patri, Clitiphonis amicam esse hanc: ut hoc dum indicat servus, nihilominus dominus filii sui amicam meretricem esse non credat.

27. *Et quidem jubebit posci.*] Et volet ut filiam tuam pater suus postulet. quam rem cum non intellexisset, cum simulata videretur, respondit ille, uti argentum filio dari possit ad nuptias necessarium.

31. *Neque despondeo.*] Id est, non promitto: unde *sponsa* dicitur. Nam & *sponsio* & *dos* à patre puellæ dabatur.

34. *Non mea est simulatio.*] Boni & sapientis viri hic sensus est, ut nunquam audeat, quod nunquam fit facturus polliceri.

35. *Ita tu isthac.*] Ita igitur hæc efficit, ut sine mea persona hæc compleas.

43. *Quod tibi dixi de argento.*] Quod supra nos diximus, ut eventus impleret consilium, hic nunc conficit: siquidem postea puella cognita est, pro qua jam debitor Chremes factus est, cum constet

eam arrabonis nomine apud meretricem collocatam.

45. *Num mihi datum.*] Sane dominus hac responsione uti posset, ut non redderet argentum. Sed servus callidus occurrit: non potes dicere istud, non te accepisse, neque iussisse, neque invito filiam oppignorare potuisse.

48. *Summum jus.*] Id enim quod datum est, utique reddendum est. Sed iure cautum est, ut filia quidquid acceperit, vel filiae nomine datum fuerit, quae in familia est, non recte datum videatur. Itaque aequitas est, ut debitum solvi debeat; jus est ut sic datum reddatur. Sed ille renititur à causa quod non debeat, & sit controversia ex negotio. *Summum jus.*] Vulgo dicitur, *Qui plus potest, pejus facit.*

50. *Omnes te in lauta.*] Hoc à persona persuadet, potius reddere quam negare.

IN SCENAM SEXTAM

ACTVS QVARTI.

1. *NVlla est tam facilis.*] Nunc adolescens Clitipho redit, graviter ferens quod ab amica sit exclusus.

2. *Quam invitui facias.*] Etiam si facilis sit, ex animo facientis, habet maximam difficultatem.

10. *Protervitas.*] Asperitas vel superbia.

12. *Ex te prius audisse.*] Gaudeo quod istuc ex te prius audivi, unde me laesisti, antequam tibi argentum dedi, quod daturus fui.

14. *Quid igitur dicam.*] Quid enim possum tibi dicere, cum mihi amicam adduxeris, quam non liceat tangerè? Bene... longe factus est adolescens ab injuria, postquam comperit argentum iam paratum.

21. *Deamo te.*] Id est, valde amo.

22. *Qua causa id fiat.*] Qua causa fiat noli quærere, tantum obtinpera & obsequere. *Cave quidquam admiratus.*] Id videne præ nimio gaudio admireris, id tibi patrem præcipere: sed quasi nefcius suspicionem ejus à te dolo amove.

24. *Loquitur paucula.*] Ne ex sermonibus tuis nascatur ulla suspicio.

IN SCENAM SEPTIMAM

ACTVS QVARTI.

2. *Dixi pleraque omnia.*] Supra diximus in Andria, omnia, abundare; & pleraque, significationem suam propriam continere.

4. *Sequere me.*] Posteaquam argentum traditum est, continuo hunc adolescentem vocat servus, ne aliquid aut ex admiratione, aut locutione suspicionis pater possit accipere.

6. *Nam nihil est illic.*] Pulchre adjectum, ut omnino suspicio tolleretur, non esse amicam Clitiphonis: siquidem non diu illic moraturus est.

7. *Minus quidem decem.*] Consuetudo patris semper est, ut de damnis cogitet, tamen si filius det.

8. *Quas pro alimentis.*] Eugraphius legit, *hortamentis.* Hoc est, nutrimentis. *Horroratores* enim dicuntur, qui equos nutriunt. Denique alia hortamentis, alia ornamentis contulit.

10. *Porro hæc talenta.*] Talentum genus est ponderis, quod habet in sexcentis, aut LXX. libras.

11. *Quam multa justa, injusta.*] Siquidem nunc reliquis omnibus rebus quærendus mihi est aliquis, cui meo labore inventa dare possim, ut filiam meam ducat uxorem.

IN SCENAM OCTAVAM

ACTVS QVARTI.

1. *MVltio omnium.*] Scena hac actionem tenet: quippe Menedemus gaudet plurimum, quod filium videt & integris moribus, & uxorem eam velle ducere, qua honestissimi viri filia sit, & quod dixit, quum te intelligo respicere, quasi hoc nesciat, quod eadem puella sit quam amaverat, quia nunc filia sit Chremetis: aut dissimulat, quod quasi à meretrice animum filii ad nuptias transtulerit: aut errat ex dolo servi. Credit Chremes interpellatum Menedemum esse à filio, non vero ut uxorem duceret, sed ut nuptiarum gratia, argentum à patre susciperet.

4. *Serva quod in te est.*] Petens nuptias filio suo, posteritatem respicit totam.

7. *Quæso quid hominis.*] Redigere vult in memoriam Chremes Menedemum. Arguit igitur quod veluti stultus non intelligat, quod de dolo nunc agatur.

12. *Nempe hæc qua apud te.*] Ut facile docere possit senem, non vero ad nuptias peti filiam suam, sed uti nuptiarum gratia adolescenti dari possit argentum, commemorat nempe, *Hæc qua apud te est, Clitiphonis est amica:* uti ex his qua apud eam gesta sunt, sciat Menedemus esse fallaciam.

16. *Id amica dabitur.*] Vel confirmantis pronuntiatione accipi potest, vel quasi cum affirmatione interrogantis, Nam interrogatio interdum ad negationem, interdum ad affirmationem dirigitur. *Scilicet daturum.*] Licet damnum intelligat senex, & deceptus de gaudio sit, tamen memor doloris pristini & calamitatis, omnia vult sustinere, quam id quod passus est, rursus pati.

19. *Quid nunc renunciem.*] Quid ergo vis renunciem filio abs te esse responsum, ne intelligat, me hoc intellexisse, quod non vere nuptias petit?

26. *Desponsam quoque esse.*] Petitionis uxorum nomina, hæc sunt. Nam primum *inventa* dicitur, deinde *patra*, tertio *desponsata*, quarto *uxor*. Ita, ut vicinum nomen jam petitionis ostenderet circa nuptias, dixit, *Postremo desponsam quoque esse dicito.* hoc enim vicinum ad uxorem. Nam supra *patra* dicitur, ut est apud Virgilium:

— *Et patra conjugis ostro.*

Denique primo Menedemus, cum audisset Chremetem, *Dic, convenisse, egisse te de nuptiis.* Quoniam conventæ nomen dixerat, quod longe est positum, quasi- vit, *Quid deinde?* Quasi hoc parum est: & pervenit usque ad appellationem prope uxoris.

29. *Istius obsaturabere.*] Facile ejus fastidium habere poteris.

IN SCENAM PRIMAM

ACTVS QVINTI.

1. *Ego me non tam.*] Hæc scena conjecturalem statum continet: quoniam

argumentis collectum est. Clitiphonem amicam habere meretricem. Hoc ut probari possit, argumenta dicuntur. Sumpsit exordium a persona sua & Chremetis. *Ego me non tam astutum:* hoc est, acutum & perspicacem rerum.

3. *Hoc mihi prestat.*] In hoc me antecedit. Sed hic, *Ita patit pocaoyeta...* ponis eum tractat, in se nulla maledicta.

4. *Caudex, stipes, &c.*] *Caudex* est truncus arboris, conversa o in au, sit pro *codex caudex*, sicut pro *core canis*. *Stipes* similiter est truncus cujuslibet ligni, & declinatur *stipes stipitis*. *Stipes* vero *stipis* est præbenda militum. Hæc singula pronuntianda sunt per *ἀσπίδων*, ut stulti vis exprimi possit.

5. *In illum nihil.*] Hoc est quod supra dixi, contra opinionem dictum: nam adjecit, *Exuperat stultitiae jus hæc omnia.*

14. *Vultus quoque hominem.*] Adhuc perseverat Chremes, ut credat à Syro ad Menedemum compositam esse fallaciam, ita ut & vultus hominem sceleratissimum fingat.

16. *Si magis noris, putes.*] Hic jam aperit veritatem Menedemus. Magis qualis sit Syrus intelligas, si magis quæ fecerit cognoscas.

17. *Mame, hoc prius.*] Cum narrare vellet Menedemus, ut crederet Syrum adversus Chremetempotius insidias tendisse, intercedit, & dicit, quidnam perdidit. Quod negatum à Menedemo est: Unde se mirari vehementer dicit, quod hæc non fuerit suspicatus.

25. *Sed ille tuum quoque.*] Hic jam prorumpit in narrationem. Ille, inquit, Syrus mire tuum finxit filium, ut amicam ejus tu Bacchidem suspicari non possis. Hæc argumenta colligit à factis. Mitto jam osculari, & amplexari. Deinde à loco, quod in ultimis ædibus retro, conclave positum sit, quo eis intro-latus est lectus. Utique discessio hæc, longe à conspectu multorum posita, ideo sumpta conspicitur, ut magis facinus celaret. Deinde quod ingressi sunt solus Clitipho & sola Bacchis. Hæc dicens, à præcedentibus argumentatur, quid consecutum sit; scilicet concubitus. Unde quia rem conjecturaliter col-

legerat, addit, *operuere ostium*, & *Clinia hac peri videbat*. Fieri enim non potest, ut si amica Clinia esset meretrix, ipso praesente cum altero adolescente concluderetur. *Qua* re probata, Chremes vehementer exclamat, memor coenae datae, *Decem dierum vis mihi est familia*. Ut dicat, haud esse unde familiam sustentet.

37. *Quid? istuc times.*] Inscitia se rem probatam habere Menedemus illudit facta satis urbanitate.

41. *Vt facilius mihi verba dentur.*] Haec facta sunt.

42. *Merito mihi nunc ego succenseo.*] Hic jam ab argumentis, quae a Menedemo dicta sunt, alia colligit Chremes de praeterito, quod illum in sinum meretricis viderit manum inferere.

46. *Nam jam.*] Affectio est illa irascentis, de qua saepe diximus. Ut quod ait *Kirgilius*, *Quos ego?*

47. *Non ego tibi exempli.*] *maestus* est, ad deterrendum dictum.

52. *Fac te patrem.*] Comcediarum vice versa sunt omnia. Nam ille qui accipiebat ante consilium, nunc dare capit. Mores enim per comcediam expressit, & qualis humana hominum vita declaratur.

58. *Ad raistros res.*] Ad raistros sum, non dolore, sed paupertate redivurus.

64. *Quid dotis dicam te dixisse.*] Proprium juris est verbum, cum dicitur dos, quod exprimitur.

65. *Quid obricuisisti?*] Postea quod dos petita est, Chremes diu deliberavit consilium quaerens, non quo summam quaereret dotis, quod intelligi datur ex sequentibus. Compromissa dote adjungit, *si me vis salvum*: aliter enim filium corrigi non posse credit, nisi dotis nomine omnia bona filiae promississe videatur, unde crederet filius exhaeredem se. Denique, *id*, inquit, *mirari te simulato*, ut ad ejus notitiam veniat. *Quam* quidem rem cum intellexisset Menedemus, explanat, se idcirco promississe, ut animum adolescentis luxuria & lascivia diffluentem inopia retunderet, & ad integram frugem necessitate revocaret.

76. *Dictis confutabitur.*] Solis sermonibus male tractabitur.

77. *Sed Syrum.*] Cum utique majora tormenta servo minatus sit, irascentis more, quod esset facturum, exprimere non potuit. *Ad eo exornatum.*] Id est, comptum, per *εἰσὸν εἰσὸν*.

78. *Ad eo depexum.*] Hoc est, compositum poenis & tormentis.

80. *Vidua mulieri.*] Facilis enim illufio est in eam, quae & mulier & vidua est.

IN SCENAM SECUNDAM

ACTVS QVINTI.

1. *Tanetandem.*] Ad satisfaciendum valet haec scena, & veniam petit.

4. *Vulgo faciunt.*] Quod meretrices omnes amant adolescentem, & argumentatur: quia quod omnibus licet, uni licet.

8. *Quidquid ego huius.*] Quidquid ego tale feci.

9. *Et suavia in praesentia.*] Ut tantum praesentia cogitares, neque de futuris curam gereres.

12. *Vbi decuit.*] Quia primo tibi non licuit dare. Hoc enim optimum est parentibus, semper filiis bona tradere. Sed hoc cum mihi non licuerit, proximo tibi qui erat tradidi, hoc est, leviro, qui sororem tuam ducit uxorem.

14. *Ibi tua stultitia sit praesidium.*] Circa victum atque vestitum: & rectum habeas quo te recipias.

20. *Qua isthaec est.*] Servus iram domini in personam suam inclinare cupiens, ut adolescenti possit succurrere; interponit haec verba.

23. *Nec precatorem pararis.*] Ne, inquit, ut ad solent servi, velis & tu habere precatorem, qui pro te roget. Vobis enim non irascor, cum multa feceritis: ita aequum est & mihi vos ne irascamini. Post iracundiam apta sententia est.

25. *Abit.*] Quo facilius terreret senex discessit.

27. *Adcone rem.*] Optimum equidem sensum ex necessitate collectum in dolore adolescens collocavit, quippe cum postremum omnium malorum fames sit, Denique, *Obscuramque famem, qua prima pericula, vito.*

32. *Sic est.*] Diu finxit, se nescio quid

cogitare, servus, reperit tamen astute. Consultat uti dicat, hunc adolescentem filium non esse, & quaerit argumenta, quod antequam puella esset inventa, hunc diligebant, postea exhaeredatur. Adjicit & illud, cum matres semper pro filiis intervenire consueverint, nunc in iracundia non rogat mater. Compellit igitur adolescentem, uti parentes roget, aut enim precibus ad misericordiam commoturus est ambos, aut suos parentes facile cognosceret. Sed conventum ex posteriori oratione cognoscimus, cum dixit, *Satis recte*. Cum enim in periculo majore positus fuerit filius, tum facile parentibus potest movere pietatem, vel pacem ab iracundo patre suscipere. *Pacem* autem dixit veniam, ut *Virgil.*

— *Pacemque per auras Exquirunt.* —

Id est, benevolentiam ac veniam.

46. *At Syro nihil sit gratia.*] Certus sum quod ex hoc consilio in gratiam est filius reverurus, ut fortasse etiam concedat veniam, & uxorem ducere compellat.

49. *Seni nostro fidei.*] Non credam seni quasi ignoscenti; itaque Menedemum precatorem parabo.

IN SCENAM TERTIAM

ACTVS QVINTI.

1. *Profecto nisi.*] Coercet hic uxor maritum, quod exhaeredationem filii velit errore. Ex illo consilio sexus jam continuo notatur. Quasi morum vitium est; ut alibi, *Tu inquam mulier, qua me omnino lapidem, non hominem putas*. Aliud tamen est mulierem dicere per naturam, aliud per vitium.

6. *At si rogitem.*] Quam stulta sis, perspice. Quid faciam vides, cur faciam nescis, unde stulte resistis.

12. *Subditum se suspicatur.*] Hic jam intelligendum, venisse adolescentem, & matri, hoc est, mitiori de parentibus, suam suspicionem indicasse.

16. *Quod filia est inventa?*] Exinde putas posse inveniri hunc esse filium meum, quod & inventa est filia? Hoc est, eodem pacto, ut & hic noster,

quemadmodum & illa inventa est, inveniri possit.

21. *Rem, cum videas, censeas.*] Cum videas, ex vultu mores ejus agnoscas.

IN SCENAM QVARTAM

ACTVS QVINTI.

1. *SI unquam ullum.*] Ad commotendam pietatem commemorat praeteritos affectus, quo sic facilius possit agnosci. Ut,

Si bene quid de te merui, fuit aut tibi quidquam

Dulce meum. —

10. *Gerro, iners.*] *Gerro* est piscis nullius saporis vel momenti, aut *gerro* dicuntur machinamenta, quae adversus civitates fiebant, magno impetu cum deicerent: eadem *gerras* appellabant. *Helluo*, est invalor, & qui plurimum consumit.

11. *Ganeo.*] Tabernis operam dans & conviviis turpioribus.

16. *Quaris quod habes.*] Scilicet parentes. *Quod abest non quaris.*] Hoc est, quemadmodum patri obsequaris. Et est compositum ex contrariis, quae figura dicitur *ἀντίθετον*, vel *πάρεσπον*, id est, aequatio sententiae.

IN SCENAM QVINTAM

ACTVS QVINTI.

1. *Nimvero Chremes.*] Procedit Menedemus, ut omnis persona in postrema parte praesens sit. *Venia datur filio, ut cunctus error possit absolvi. Adbuc tamen perseverans Chremes conveni Menedemum, ut filiam ducat.*

12. *Ad me recipio.*] Id est, ego facio ut hic promittat.

14. *Hac dum incipias.*] In exordio habent haec semper difficultatem, ubi aggressus fueris, facilia fiunt.

16. *Ego tibi illam.*] Hic illudat, ut joco tristitia solvatur, cum promittit filiam nescio cujus, admodum foedam.

18. *Casiam.*] Id est, oculis obtortis, vel castratas, id est, rugas, habentem; aut lenticulosam. *Sparso ore.*] Id est,

diffoluto, aut ore dixit vultu, & significat *sparsa* quasi maculis quibusdam infecto vultu.

19. *Vt elegans est!* Id est, prudens in discernendis puellis, quia *ibi*, id est, in hac electione, totus est. Quod vero subjunxit, *Arconidis filiam*, aut *Bacchidem* dicit, aut aliam quamlibet, ad quam adolescens contumeliis patris ap-

pulerat animum.

22. *Syro ut ignoscas.*] Petiit veniam etiam Syro, sed non omnium factorum, ne infinitum esset quod petere videtur. Et transfert in se crimen servi, dicens: *quod fecit, mea causa, fecit.*

EUGRAPHII Comment. in HEAUTONTIMOR. explicat.



ÆLII DONATI,

V. C. ORATORIS URBIS ROMÆ,

PRÆFATIO IN ADELPHOS TERENTII.

HÆc fabula palliata, ut ipsum indicat nomen, è plurali numero, quum sit una: & masculino genere, quum sit comœdia: & Græca lingua, quum sit Latina, censetur. Potuit eam *Terentius* Fratres dicere, sed & Græci nominis *Ἐυρωπῖαν* perderet, & præterea togata videretur; ad summam, non statim intelligeretur *Menandri* esse: quod *Terentius* in primis lectorem scire cupit: minus existumans laudis, proprias scribere, quam Græcas transferre. Est igitur *Menandri*: & à fratrum facta, quibus argumentum nititur, nomen accipit. Hujus tota actio quum sit mixta ex utroque genere, ut fere *Terentiana* omnes, præter *Heautontimorumenon*, tamen majori ex parte motoria est. nam statarios locos perpauca habet. Prodest autem & delectat actu & stylo. In hac primæ partes sunt, ut quidam putant, *Demeæ*, ut quidam, *Syri*. Quod si est, ut primas *Syrus* habeat: secundæ *Demeæ* erunt, tertiæ *Micionis*, & sic deinceps. Quanquam etiam sunt qui putant, primas *Micioni* dandas, secundas *Syro*, tertiis *Demeæ*. Nam quod ait *Terentius*, *Senes qui primi venient*: non ad partes quas dicimus, sed ad ordinem pertinet exeuntium personarum. Hæc etiam, ut cætera hujuscemodi *Pœmata*, quinque actus habeat necesse est, choris divisos à Græcis *Pœtis*. quos etsi retinendi causa jam inconditos spectatores minime distinguunt *Latini Comici*, metuentes scilicet ne quis fastidiosus finito actu, velut admonitus abeundi, reliquæ comœdiæ fiat contemptor & surgat: tamen à doctis veteribus discreti atque disjuncti sunt, ut mox aperiemus post argumenti narrationem. In hac prologus aliquanto lenior inducitur: qui magis etiam in se purgando, quam in adversariis lædendis est occupatus. Protasis est turbulenta, epitasis clamosa, *Catastrophe* lenis. quarum partium rationem diligentius in principio proposuimus, quum de *Comœdia* quædam dicemus. Hæc sane acta est ludis scenicis funebribus *L. Æmilii Pauli*: agentibus *L. Ambivio*, & *L. Turpione*: qui cum suis gregibus etiam tum personati agebant. Modulata est autem tibiis dextris, id est, *Lydiis*, ob seriam gravitatem, qua fere in omnibus comœdiis utitur hic *Pœta*: sæpe tamen, mutatis per scenam modis, cantica mutavit: quod significat titulus scenæ, habens subjectas personis literas, *M.M.C.* Item *Diverbia* ab histrionibus crebro pronuntiata sunt, quæ significan-

eur D. & M. literis secundum personarum nomina præscriptis, in eo loco ubi incipit scena. Adnotandum sane, quod hæc fabula non habet, hoc est, personam, quæ ad argumentum nihil attineat, quæque sit assumpta extrinsecus, ut est in Andria Sofia. Hanc dicunt ex *Terentianis* secundo loco actam, etiam tum rudi nomine Poëtæ itaque sic pronuntiatam, Adelpbos *TerentI*, non *TerentI* Adelphe. quod adhuc magis de fabulæ nomine Poëta, quam de Poëtæ nomine fabula commendabatur. In hac quidem spectatur quid intersit inter rusticam & urbanam vitam: mitem & asperam: cælibis & mariti: veri patris & per adoptionem facti. Quibus propositis ad exemplum vitanda perinde, fugiendaque, *Terentius* monstrans, artificis Poëtæ per totam fabulam obtinet laudem.

A R G V M E N T V M.

EX duobus Atticis fratribus, alter quidem Demea nomine, rui coluit, uxorem duxit, filios suscepit duos, Æschinum & Ctesiphonem. at alter, Micio nomine, uxorem ducere, & filios procreare noluit: sed sibi filium fratris Æschinum adoptavit: atque ita indulgenter eduxit à parvulo, ut effuse luxuriatus adolescens, ad postremum civem Atticam virginem vitaret, captus amore ejus: quo facto, & cum matre puella pepigit nuptias ejusdem, quam vitavit. Quumque rem gestam ad patris, à quo adoptatus fuerat, conscientiam jam jamque perlaturus esset, precibus Ctesiphonis fratris sui, qui apud durum patrem atque agrestem Demeam parcus atque arctius haberetur, impulsus est, & ut eidem à lenone raperet meretricem: quo facto, multiplici errore completur fabula. Nam & Demea cum hoc ipso, id est, cum Micione litigabat, tanquam cum eo qui corruerit adolescentem adoptatum in mores perditos, nesciens suum sibi filium Ctesiphonem esse corruptum: eluditurque à Syro & Micione per totam fabulam. Et mater puella jam decimo mense post raptum virginis, Æschinum credit sibi ipsi rapuisse meretricem. Quæ perturbatio, cito in tranquillum redacta est. Nam re comperta de vitio virginis, Micio dat civem Æschino quam concupiverat: ejusque matrem ipse accipit. Deprehenso vero Ctesiphone in amore meretricis, primò irascitur Demea: post lenitur, atque habenda ejus meretricis licentiam præbet. Primus actus hæc continet: Micioni solius primo verba; & post, ejusdem & Demea jurgium. Secundus actus hæc continet; Lenonis alteram rixam adversus Æschinum pro puella: ejusdem apud Syrum querelas: letitiam Ctesiphonis: obsessionem amica: & ejusdem gratiarum actiones apud Æschinum. Tertius actus hæc continet; Trepidationem matris Sostrata & Canthara nutricis ob parturientem Pamphilam vitiatam ab Æschino: Getam nuntiantem domina sua per errorem, quod sibi rapuerit Æschinus meretricem: reditum in scenam Demea, ejusdemque cum Syro ludificante sermocinationem:

nem: interventum Hegionis; cum querela apud eundem Demeam de facto Æschini, de consolatione Sostrate. Quartus actus hæc continet: Ctesiphonis cum Syro colloquium: delusionem Demea: ejusdemque in scenam interventum, atque secundam frustrationem per Syrum factam: Micionis cum Hegione sermonem: querelam Æschini de rebus suis, ejusdemque cum Micione patre facetissimam dissertationem: Demea reditum in scenam ex errore, in quem eum conjecerat Syrus: & renovatum cum fratre ejusdem jurgium: processionem in scenam temulenti Syri. Quintus hæc continet; Deprehensionem Ctesiphonis cum meretrice: tertium cum Micione jurgium Demea, ejusdemque vitæ pristina correptionem: & per eum multa in comœdia nova, hoc est, blandimentum circa Æschinum, & affabilitatem circa Getam: conciliationem Syri & uxoris ejus: & veniam circa Ctesiphonem: permissionemque habenda meretricis. Servatur autem per totam fabulam mitis Micio, savus Demea, Leno avarus, callidus Syrus, timidus Ctesiphon, liberalis Æschinus, pavide Mulieres, gravis Hegio. In dividendis actibus fabula identidem meminerimus; Primò, paginarum dinumerationem neque Græcos, neque Latinos servasse: quum ejus distributio hujusmodi rationem habeat, ut, ubi attentior spectator esse poterit, longior actus sit: ubi fastidiosior, brevior atque contractior. Deinde etiam illud, in eundem actum posse conjici & tres & quatuor scenas introeuntium atque exeuntium personarum. Facta autem hæc una est de duabus fabulis, Adelpbis Menandri, & Commorientibus Diphili.

IN PROLOGVM.

1. **P**ostquam Poëta sensit, scripturam.] Postquam, pro quoniam: cujus reciprocum, Quoniam, pro postquam. Plaut. in *Aulul.*
Quoniam is moritur, ita avido ingenio fuit.
Postquam Poëta sensit, scripturam suam.] Indifferenter omnis qui aliquid scripsisset, scriptor à veteribus dicebatur.
1. Ab iniquis.] Inimicis: ut, *Fatis innotis iniqua.* Observari.] Observatio, ad honorem refertur: ut,
Præterea regem non sic Ægyptus & ingens
Lydia, nec populi Parthorum aut Medus
Hydaspes Observant.

Sed nunc Observari, captari significat & audire, Observari ergo & honorari, & captari, & audiri significat: ut Plautus. Observato, ut blande palpetur mulieri.

3. Rapere in pejorem partem.] Varietas per genera verborum; & utrique sententiæ apte jungimus, Scripturam suam. Rapere in pejorem partem.] Id est, vitio dare, vituperare.

4. Indicio de se ipse erit.] Mire expressit simplicitatem vera dicturi, quum indicaturum de se dixit, non narraturum. Et Indicio erit, pro Index erit. Indicio de se.] Indicat is, qui de se volens aliquid, & de aliis etiam prodit; sed constiterit qui de se tantum, & qui invitus Vos eritis iudices.] Bene: quia apud iudices indicium profitentur, qui accusatorem adjuvant.

5. Laudin' an vitio.] Medium non fecit: ut appareat, si crimen non sit, laudi debere esse.

6. Synapothnescontes Diphili comœdia est.] Nec numeri, nec genera respicientem.

rem non ducere. Dicit autem, Romanis id videri : quos spectatores habet Menander : *Ὁ μακάριόν με ! γυναῖκα εὐλαμβάρω.* Quod fortunatum isti putant. Quidam putant sic pronuntiandum, Et quod fortunatam isti putant uxorem, Et hæc bona & concinna locutio est. Et putant bene dicit is, cui displicet aliena sententia. *Isti putant.* Id est, hi qui à me dissentiant.

19. *Vxorem nunquam habui.* Si Non habeo dixisset, poterat videri habuisse.

20. *Ruri agere vitam.* Contra hæc omnia suffecerat brevitatis : sed subjunxit fratris descriptionem, ut verbis ipsis malam vitæ conditionem ostendat. *Semper parce, ac duriter.* Semper, licet incertam distinctionem habeat, tamen recte additum est : quia vel ruri agere, voluptatis est : vel parce ac duriter se habere, virtutis. Sed *Semper*, ad vitium : *Parce* autem, ad servandum : *Duriter* vero, ad laborem referendum est. *Ruri agere vitam, semper parce ac duriter se habere.* Variavit, ut in Andria.

21. *Vxorem duxit.* Recte *Duxit*, non *Ducere*, semel enim hoc fecit Demeca. *Vxorem duxit.* Varie per modos discurret. *Vxorem duxit.* Adjuvandum pronuntiatione est, ne singula utriusque assecuti videantur. Nam sic in fine fabulæ ait Demeca, *Vxorem duxi : quam ibi miseriam vidi ! nati filii : alia cura.*

22. *Inde ego hunc, &c.* Mire inde subjungit, quem personam prætulit. Sic alibi, *E prædonibus unde emerat, se audivisse abreptam à Sunio, Inde ego, &c.* Inde pro ex quibus, & mihi abundat. Et bene hunc dixit, quia de ipso loquebatur.

23. *Eduxi à parvulo.* Quos nos educare dicimus, educere veteres dicebant : ut, *Educat sylvis regem regumque parentem. Habui, amavi pro meo.* Quæritur quid sit *Habui*, & quum multa dicantur, hoc solum verum est, *Habui*, credidi, duxi, existinavi, ut alibi, *Semper ejus dicta est hæc atque habita soror, & sic itaque habeantur, itaque dicantur.* Ergo *Pro meo* subaudiendum est bis : & *Habui pro meo*, & *Amavi pro meo.*

24. *In eo me oblecto : solum id est carum mihi.* Absolute utrumque, & *In eo*, & *Solum. In eo.* Quasi in ea re. *In eo me ob-*

lecto. Nove dixit, pro, *Ego me oblecto. Solum id est carum mihi.* Plus autem significat, quam si diceret, *Solum is est carus mihi.*

25. *Facio sedulo.* Secus à dolo, id est, sine dolo, & impense. *Ille ut item contra me habeat.* Item, similiter : *Contra*, vicissim, *Plant.*

Vt illa illum contra, qui est amoris cultor optimus.

26. *Do, prætermitto.* Do sumptum : prætermitto delicta, *Non necesse habeo omnia pro meo jure agere.* Et licet, non necesse est patrem favere, quia pater est. Inter *Ius & Æquitatem* hoc interest : *Ius* est quod omnia recta & inflexibilia exigit : *Æquitas* est, quæ de jure multum remittit. Ergo hic sensus, Non necesse est, etiam si liceat, favum esse patrem. Et mire ostendit, jus suum nisi necessitate, non esse servandum.

27. *Postremo alii clanculum.* Non alii patres : sed alii adolescentes, clanculum patres suos.

28. *Qua fert adolescentia.* Veniam addidit itatim, peccata ab adolescentibus ad ætatem removendo. Et vide quam breviter, quam pudicè, quam ignoscen-ter locutus est.

29. *Ea ne me celet, consuefecit filium.* Tribus enim vivitur modis, natura, consuetudine, & ratione.

30. *Nam qui mentiri, aut fallere insuerit patrem.* Separatim subaudiendum est, *insuerit* *ὄργος τὸ mentiri.*

31. *Ceteros.* Quia jam deceperit patrem.

32. *Pudore & liberalitate.* Pudore, ad filios retulit : *Liberalitate*, ad parentes. Argumentum à conjugatis. Liberalitate inquit regendi sunt : propter quod liberi dicuntur, *Liberalitatem* autem, bonitatem dicit.

33. *Retinere satius esse credo.* Bene *Retinere* : à vitiis scilicet, nam vitia filios tenent : quos retinent patres à vitiis scilicet. Nam *retinet*, qui adversum aliquem tenet.

34. *Hæc fratri mecum non conveniunt.* Nova locutio, & *Non conveniunt*, pro, non congruunt : ac per hoc, *In his ego & frater dissentimus*, id est, dissimiles sumus.

35. *Venit ad me sæpe, clamitans.* Et importunitatem odiosam ostendit, *Ad*

me dicendo : & inconditam assiduitatem, addendo *Sæpe*. Et congrue, postquam *Sæpe* dixit, adjecit aptius verbum, non dicens *Clamans*, sed *Clamitans*. *Quid agis, Micio ?* Reminiscere lectionem, & invenies, interrogationem hujusmodi, vel invectionis principio convenire, vel objurgationis.

46. *Cur perdis adolescentem nobis ?* Recte *Nobis* additum est, & *ἰδιωτὸς*, ut alibi, *Psaltriam nobis, si Diis placet, præavit.*

37. *Cur amat ? cur potat ?* Vide quemadmodum, ut durum objurgatorem ostendat Demeca, quum ab eo ea dicantur in crimen vocari, quæ aut ætatis sunt : ut, *Cur amat ?* aut naturæ ; ut *Cur potat ?* aut pietatis : ut, *Cur tu his rebus sumptum suggeris ?* & cætera. *Cur amat ? cur potat ?* *Cur amat ?* ad illud refertur, quod ait supra, *Do, prætermitto*. nam *Prætermitto* delicta intelligimus ex amore. *Cur potat ?* revocamus ad illud quod ait, *Do sumptum.*

38. *Nimum ineptus es.* Utrumque dure, & *Nimum*, & *Ineptus es.*

39. *Præter aquumque & bonum.* Potuit & non addi, *præter aquum bonum.*

40. *Et errat longe.* Melius est, longe simpliciter accipiendum, ut locale sit, quam valde. *Mea quidem sententia.* Modeste addidit, *Mea quidem sententia* : ne quis hoc pro præcepto dici existimet.

41. *Qui imperium credat.* Utrum cuiuslibet, an Demecæ tantum ? *Gravius esse aut stabilius.* *Gravius*, ad vim ; *Stabilius* ad tempus refertur.

42. *Vi quod fit.* Id est, metu ac malo. *Quam illud quod amicitia adiungitur.* Illud fit, quod vi ; hoc adiungitur, quod amicitia.

43. *Mea sic est ratio, & sic animum induco meum.* *Mea sic est ratio*, ad superiora pertinet confirmanda. *Sic animum induco meum* : ad ea pertinet, quæ dicturus est. *Mea sic est ratio.* Iterum modeste & *ἰδιωτὸς*. Et *sic animum induco meum* : Senilis *μακρολογία*.

44. *Malo coactus.* Duo dicit, *malo*, & *coactus*. *Qui officium suum.* Ὁ τὸ *κατ' ἰκονομίαν*, id est, qui recte facit. *Officium* autem dicitur, quasi *efficiunt*,

ab efficiendo, quod unicuique personæ congruit.

45. *Dum id rescitum iri credit.* Quod facit scilicet, *Tantisper*. *Tantisper*, quasi *Tantumper*, & *Paulisper* quasi *paulumper* : unde *Parumper*, dictum est, *Tantisper cavet*. Peccare subaudiendum est, nam totum *ἐπιφρονῶς*, & obscure dictum est, Et bene, *Cavet* : quasi malo.

46. *Si sperat fore clam.* Iterum quod facit subaudiendum, *Rursum ad ingenium redit*. Mire, non intulit : *Cavet* : *Ad ingenium redit*. Et *Rursum* est retro versum, ut *Prorsum*, prius versum.

47. *Ille quem beneficio adjungas.* Non dicit, *Beneficio adjunctus*, ut supra, *Malo coactus*. *Ille quem beneficio adjungas.* Καλαυτεχνικῶς AN * [καὶ ἀπ' ἡτον] ille malo, hic beneficio. Ille coactus, hic adjunctus. Ille dum id rescitum iri credit, tantisper cavet : hic, præsens absensque idem erit. Et *Tò Præsens & Absens*, non ad aliquem locum : sed ad custodem retulit & monitorem. *Ille quem beneficio adjungas*] Contra illud ait, *Malo coactus. Ex animo facit.* Officium scilicet.

48. *Studet par referre.* Id est, benefacere. *Præsens, absensque idem erit.* Contra illud, *Si sperat fore clam, rursum ad ingenium redit.*

49. *Hoc patrium est.* Superius à re tractum est : hoc jam à persona ducitur argumentum. *Consuefacere.* Non Cogere : sed *Consuefacere*.

50. *Quam alieno metu.* Vide quemadmodum suum ad indulgentiam affectum revocet optimæ disciplinæ.

51. *Hoc pater ac domivus.* A differentia personarum & officiorum, *Inter est.* Differentia est. *Hoc qui nequit.* Longe melius *Nequit* : quam si diceret, *Non vult.*

52. *Fateatur se nescire imperare liberis.* Hoc indicat, & se melius consulere, & volentem hoc exercere. *Nescire imperare liberis.* Oratorie, quasi artis sit, indulgentissime agere. *Imperare*, modo non ad superbiam, sed ad Regendum, est referendum. *Fateatur nescire.* Deest *Se.*

53. *Sed estne hic ipse, de quo agebam.* Κατ' ἰκονομίαν supervenit, de quo

fermo est, ut factis dicta ostendantur. Et certe is est.] Bene nunc confirmat ipsum esse eum, quum propior est, ut pote lenili, nec in longum prospiciente conspectu.

54. Nescio quid tristem video.] Oratio nis apparatus ex vultu ostenditur, ut,

stetit acri fixa dolore,
Tum quassans caput, hanc effundit pe-
ctore vocem.

Nescio quid.] Deest Propter: ut sit, Nescio propter quid. Vt solet.] Causa cur illum æquo animo frater ferat. Vt solet, inquit.

55. Salvum te advenire, Demea, gaudemus.] Ut asperior ostendatur Demea, etiam salutatur ab eo, quem objurgaturus est.

IN SCENAM SECUNDAM

ACTVS PRIMVS

1. **H**em? opportune; te ipsum quaerito.] In hoc actu diversi homines, diversi patres, & diversa studia proponuntur, hic lenis, hic amarus: hic facetus, hic impolitus: hic facilis, hic pertinax & difficilis. Hem! opportune; te ipsum quaerito.] Melius quam Menander, quum hic illum ad iurgium promptio-rem, quam ad salutandum faciat.

2. Quid tristis es?] Bene interrogat, potuit enim non iratus frater quaerere. Vbi nobis Æschinus fuit.] Quasi quædam causa sit tristitiæ.

3. Dixime hoc fore?] Credo jam, ut solet, objurgabit.

4. Quid ille fecerit!] Animadvertendum, ut interrogatus interroget more indignantium, quod ideo facit, quia videt Micionem eo vultu interrogare, ut videatur minus reprehendere culpam Æschini.

5. Quem neque pudet quidquam, neque metuit quemquam.] Varie per casus discurrens, Quem neque pudet quidquam: contra illud quod alibi pater dicit, Erubuit, salva resest. Quem neque pudet quidquam.] Magno ordine accusavit, non (inquit) pudore movetur patrum, non metu parentum, non timore legum. Ergo gradatim ἀσθενῶς oratoria processit.

6. Tenere se ullam.] Bene Tenere, quia legem, & est ἀμφιβολία oratoria. Nam illa qua antehac facta sunt, omitto.] Accusatio duo tempora recipit; præteritum, ab ante gestis: & præsens, ab iis quæ obijciuntur. Ergo utrumque miræ brevitate perstrinxit.

7. Omitto.] Παράληψις. Modo quid Designavit!] Designare, est rem novam facere. In utramque partem, & bonam & malam. Nam & designatores dicti, qui ludis funebribus præfunt: credo ob eam causam, quod ipsi ludis multa fiant nova & spectanda: simul etiam turba recineatur, quæ sunt aut in spectaculis, aut in litibus. Modo quid designavit!] Puto ego, designationem, contractionem, aut conductionem populi in unum intelligi, hoc enim contingit ei, qui aliquo flagitio plurium in se oculos & ora convertit, & spectaculo est vulgo: quemadmodum designatores, qui ludis funebribus multitudinem retinent. Designavit!] Hoc verbum apud veteres duas res significabat: etenim prave & recte facta, designata dicebantur. Quidnam id est?] Et hoc etiam contemnens interrogat Micio.

8. Fores effregit.] Hæc singula magna cum vociferatione inferenda sunt, stomachatur enim adversus male interrogantem, Fores effregit, atque in ades irruit alienas.] Totum quidem unum crimen est: Rapuit meretricem. Sed vide qua pompa, qua vociferatione dilatetur accusatio Demeæ; de moribus Æschini nihil nisi inania referentis. Fores effregit, atque in ades irruit alienas.] Hæc singula consideranda sunt. Et bene dicit Alienas, quia si Lenonis diceret, parvas res videretur.

9. Ipsum dominum.] Iterum suppressa est infamis persona. Atque omnem familiam multavit.] Aut Familiam pro servis lenonis dicit, aut pro meretricibus, Multavit.] Laceravit, mutilavit, molli- vit, atque dissolvit. Unde Mulciber à multando, quasi Multiber.

10. Usque ad mortem.] Magna invidia cædis & mortis mentione, quæ tamen nulli accidit. Eripuit mulierem quam amabat.] Omnia magno colore & accu-

fatorie dicta sunt, & ex hoc maxime, quod lenonem & meretricem non dixit, contentus facti atrocitate, personarumque vilitatem reticens. Mulierem eripuit.] Non Abduxit, sed Eripuit.

11. Clamant.] A præjudicato, & auctoritate rumoris.

12. Hoc advenienti quot mihi, Micio, dixere?] Quasi dicat, Displicet omnibus, & multi eum accusant, nec tamen lenonis querelæ mentio fit. Vide Oratorum, Hoc autem, vel articulus, vel adverbium loci est.

13. In ore est omni populo.] Sallustius, In ore genibus agens, populo, civitati.

14. Si conferendum exemplum est.] Tanquam non sit conferendum. Non fratrem videt rei aare operam.] Satis comice hoc infertur legentibus argumentum: nam magis in culpa ille ipse est, quem laudat.

15. Rei dare operam.] Non amoris, Rei dare operam.] Quam facete Poëta hæc omnia falsa, & è contrario facit Demeam credere. Ruri esse.] Non in urbe. Parcum.] Non prodigum. Sobrium.] Non insanum. Parcum ac sobrium.] Contra illud: Cur amat? cur potat?

16. Nullum huius simile factum.] Hoc cum admiratione, Micio tangitur, quasi ipsius culpa sit fratris natura. Nullum huius simile factum.] Hoc cum admiratione indignantis pronuntiandum est, & ardentibus in Micionem oculis. Et subaudiendum est Esse, aut Invenire. Hæc quum illi, Micio, dico, tibi dico.] Illi, pro In illum: & Tibi, pro In te.

17. Tu illum corrumpi sinis.] Deest Nam, sed ferventius ἀσω δέπας dicitur, & hoc Tibi & Tu pronuntiandum est intento digito, & infestis in Micionem oculis, nam hoc agi stomacho adversum dissimulatores solet. Tum illum corrumpi sinis.] Mitius modo dixit, Sinis corrumpi: mox vehementius dicet, An laudat putat fore, si perdidit gnatum?

18. Homine imperito nunquam quidquam injustius.] Miro stomacho apud ipsum de ipso tanquam apud alterum loquitur.

19. Nisi quod ipse fecit.] Αὐδ᾽ ἄδεια hoc enim proprium rusticorum est, at-

que imperitorum. Nihil rectum putat.] Proprie putat, nam hoc verbum imperitorum est, Ordo est, Qui nihil rectum putat, nisi quod ipse facit.

20. Quorsum istuc?] Deest Pertinet, aut Dixit, Quorsum in Demea.] Id est, homo imperitus. Hæc male iudicas.] Pari virtute hæc leniter dicta sunt, qua iuperiora vehementer.

21. Non est flagitium.] Non peccatum negat esse: sed flagitium non esse contendit, & ideo subindignantè pronuntiandum est: ut si dicat, Scortari quidem adolescentulum, delictum est, sed non est flagitium, & veniæ locus non tam in facto, quam in persona est constitutus. Non est flagitium, mihi crede, adolescentem scortari.] Mire respondit, & oratorie, ad hæc quæ invidiose dicta sunt. Nam quod ait ille, Eripuit mulierem quam amabat: hic scortum dicit, quod irruit in ades alienas, quasi ex vino furens, potare: quod cum aliis grave propositum est, hoc solum dicendo, leve reddit, id est, fores effringere. Mihi crede.] Quasi imperito dicit, Mihi crede, non enim, Me intellige. Quod imitatus Cicero sic Cælium exagitat, Magna sunt mihi crede: noli hæc contemnere. Hic enim & auctoritas dicentis, & contemptus ostenditur audientis.

23. Hæc si neque ego, neque tu, fecimus.] Quia dixit: Qui nisi quod ipse fecit, nihil rectum putat.

24. Non sivi egestas.] Non voluntas prohibuit, sed necessitas: & ideo nulla laus.

25. Quod tum fecisti inopia.] Nota Fecisti, in eo quod significat Non fecisti.

27. Injurium est.] Quia nihil quicquam injustius homine imperito. Nam si esset unde id fieret.] Non est necessario consequens, sed probabiliter admittitur apud oratores: non enim omnes qui habent unde faciant, continuo etiam faciunt. Vnde id fieret.] Fieret, producta prima syllaba, Ennius, Memini me fieri pravum.

27. Et tu illum tuum, si esses homo.] Multum progressus est, accusans accusantem.

29. Expectatum.] Odiosum & malæ vitæ, nam filii parentes aut amabiles

sunt, aut expectati, amabiles, boni: expectati, mali: quorum mors in dies singulos expectanda & optanda sit. nam *expectamus* ante diem, unde avidior intelligitur, qui expectat, quam ille qui sperat. *Quum ubi te expectatum.*] Eo rem produxit, ut ipse magis videatur consilere disciplina, quam Demea. *Ejecisset foras.*] Non dixit *Amisisset*: sed, ut quiddam abjiciendum, *Ejecisset*.

30. *Alienare atate, post faceret tamen.*] *Ανακόλαστον.* Deest enim *Quamvis*. Et *faceret* ultimum, magnam vim habet, nihil enim prodesset, insuper obesset, retinere ab istis filium juvenem. *Alienare* pro *Aliena* dicens, comparativum gradum pro positivo posuit.

31. *Pro Iuppiter!*] Tragica exclamatio est, & bene, tanquam ipse reprehenderet Demea, adjecit; *Tu homo adigis me ad insaniam.* Et *Tu homo* dicens, negat illi familiaritatem.

32. *Non est flagitium, facere hac.*] Moraliter indignatio expressa est, iisdem verbis, quæ frater dixerat, repetitis.

33. *Ne me obtundas.*] Ne me sæpe & moleste interpellés. Nam *Obtundere*, est aliquid sæpe odiose repetere.

34. *Tuum filium dedisti adoptandum mihi.*] Mirâ argumentatio per *επαγωγὴν*, quæ *Inductio* ab Oratoribus dicitur, quum per interrogationem pervenimus ad id, quod volumus, concludendum.

35. *Is meus est factus.*] Sic progreditur, quasi confessionis genus sit, adversarium tacuisse. *Si quid peccat, Demea.*] Conclusio dubiæ rei à non dubiis sumpta. *Si quid peccat, Demea.*] *Τὸ ἰδιωποῦν* interposuit Demea: & repetitum est, *peccat*.

36. *Ego illi maximam partem feram.*] Errant, qui putant *illi* esse pronomen, quum sit adverbium loci: ut, *illi mea tristia fata?*

Degeneremque Neoptolemum narrare mento.

Illi ergo, ibi, ubi ille peccat. Quare quidam etiam *li* syllabam discretionis causa, ut locum significet, corripunt. Et *Maximam partem*, optime dicit. Non enim *universam*, quia non solus pater

Æschini est: sed *Maximam*, quia ejus magis est, cæsus filius cœpit esse per adoptionem. *Feram.*] Sustinebo, tolerabo.

37. *Olet unguenta?*] A summo ad imum proposita solvuntur, & mira varietas est, *Olet unguenta*: ne diceret, oblonat, potat, ungitur: ne scilicet hæc exercitationis palæstricæ, non luxuriæ dicerentur.

38. *Amat?*] *αἰεὶς τὸ*, Cur amat? *Dum erit commodum.*] Dare scilicet.

39. *Ubi non erit.*] Argentum scilicet: sed *Commodum dare*, subaudiendum est, *Fortasse excludetur foras.*] Hoc ita protulit, quasi dicat, nihil sibi deperisse, si gratis forte fuerit ad amicam admisus. Et totum hoc *τὸ ἔξωθεν μὲν* legendum est. Et mire *Fortasse* dicit, ut Pater indulgens, & credens Adolescentem posse etiam amari ab amica: non enim affirmavit, ut diceret, *Excludetur foras*.

40. *Fores effregit? restituentur.*] Pervenit ad præsens crimen: illa enim ante acta fuerant.

41. *Resarcietur.*] Re abundat.

42. *Et unde hac fiant.*] Iterum subaudiendum, est. *Et adhuc non molesta sunt.*] Quia non est flagitium, Adolescentem scortari.

43. *Ab aliis qui vere sciunt.*] Superbum fuisset, *A me* dicere, melius ergo, *Ab aliis*, dictum est.

44. *Natura tu illi pater es, consilii ego.*] Urbane Micio *Consilii* subjunxit, Plus enim valet ad laudem consilium, quam natura. Et simul ostendit Poëta verbis Micionis, qui non natura, sed affectu sit pater, nullum patrem esse sapientem: eum vero posse sine perturbatione perfrui iis quos amat, quem patrem esse consilium fecerit, non natura, hoc est, qui filium adoptaverit. Et mire, quum *Natura* singulariter dixerit, pluraliter intulit, *Consilii* ego.

45. *Tun' consulis quidquam?*] Aperitior contumelia: & ideo sequitur denuntiatio discedendi. *Tun' consulis quidquam?*] Quia dixit, *Consilii ego pater sum*: à conjugatis argumentatus respondit, *Tun' consulis quidquam?* quia à consulendo *consilia* dicuntur, &

& consultores. *Si pergis, abiero.*] Ut, *donec me flumine vivo*

Abluero. *Si pergis, abiero.*] *Ἀρχαῖος*, pro *Abibo*, & hoc, gestu abeuntis, vel abituri pronuntiat.

48. *Siccine agis?*] Recte, quia jam abibat: quasi revocantis correptio est. *An ego totiens.*] Hoc conversum intelligas dicere, *Audiam.*] Deest *te*: sed exprimere durum fuit. Et hoc est obtundere.

49. *Cura est mihi.*] Æschinus scilicet.

50. *Curemus aquam uterque partem.*] Proprie *Vterque* & *Æquam*, quasi particeps fratris.

51. *Propomodum.*] Nisi addidisset *Propomodum*, falsa videretur esse sententia.

52. *Ab Micio.*] Religiosè commotus est: ac vult inculcatio est perfidia: & ideo exclamat dolens, & transit in iracundiam, concessionemque, quæ *ἄνθρωπον* dicitur.

53. *Mihi sic videtur.*] Rationabiliter non *Est sic*, dixit: sed, *Sic videtur*: non vult enim verum esse, *Quid istuc?* Deest *Loquor* aut *Resisto*: nam proprie significatio est de sententia sua decedentis.

54. *Profundat, perdat.*] *Ἐπιτροπή* figura. *Virgilius*:

Sequeve Italiam ventis, pete regna per undas.
Profundat, perdat, pereat.] Hæc sic pronuntianda sunt, ut ostendatur gestu, nolle quod loquitur.

55. *Si verbum unum posthac.*] *Ἀποστέλλω*. Deest, *Tibi fecero*, aut tale humilissimi. *Rursum.*] Quasi curans irascens?

56. *An non credis?*] Irasci scilicet. *Repetone quem dedi?*] Minus erat, si Æschinum diceret: sed plus est, *Quem dedi*.

57. *Ægre est.*] Quasi dictum sit, *Quid ergo loqueris?* quia ægre est. *Cur ægre est?* quia alienus sum, *Alienus non sum?* Mire *Alienus non sum*: quasi timeat jam dicere, *Pater sum, Alienus non sum.*] Satis cum stomacho, quasi dicat, Si patrem esse jam non licet, alienus non sum.

59. *Iste tuus.*] Memoriter *Iste tuus*, ad illud quod dixerat, *Mens est factus. Iste*

tus ipse sentiet posterius.] *Quantus sis, quantumque eum ames*: hoc est, ut decipiatur per indulgentiam tuam. *Ipsa sentiet.* *Sentire* multi pro malo posuere, ut ipse alibi, *Sit rogas? sensi: nam unam et cœnam atque ejus comitibus dedi.*

60. *Posterius.*] Etenim Demea satis hoc grave existimat dictum in eum, qui non provideat in futurum: & arctius, quia pater est. *Nolo in illum gravius.*] Scilicet quam hoc.

61. *Nihil, & nonnihil.*] Nota figura est, conveniens placidissimo seni, qui in reprehendendo adolescente moderatus est. *Nec nihil.*] Apparet Terentium favore lenissimis patribus: unde subjecit etiam rationem facti Micionis. *Neque omnia sunt que dicit.*] Bene à Micione hoc dicitur: quia indulgentioris est, plurascire: & supra dixit, *Ea ne me celet confuescit filium.* Ethic sensus est: *Nec contentanda sunt que dicit, nec omnia dicit tamen.* Hoc est, non sola sunt que dicit, sed multa alia. Et ordo est, *Neque tamen hæc que dicit, sunt omnia.*

62. *Nonnihil molesta.*] Placidissime *Nec nihil* dixit: & *Nonnihil* maluit repetere, quam vehementer iracundiam demonstrare, est enim altera *διπλότης*. *Nonnihil molesta hæc sunt mihi.*] Optime Poëta Micionem fecit commotum: ne si omnino immobilis esset, non indulgere adoptivo filio, sed omnino eum non curare videretur. Ergo sic in eum servat placidum animum, ut tamen retineat patris affectum.

63. *Illi.*] Demea scilicet. Aut *Illis*, id est, ibi ubi Demea litigabat. *Sed ostendere, me ægre.*] Constat ergo, ægre pati. nam aliter non erat parens. *Nam ita est homo.*] *Homo* dixit moraliter, sic enim de iis dicimus, quos parce reprehendimus. ut alibi, *Vt homo est, ita morem geras.*

64. *Quum placo.*] Id est, quum volo placare.

65. *Verum si augeam.*] Argumentum à contrario, nam *Placare*, contrarium est iritantibus augmentibusque iracundiam.

66. *Aut etiam adjutor sim ejus iracundia.*] *Σύμνησις*. Nam à genitivo casu accusativus assumptus est.

67. *Et si Æschinus nonnullam in hac re.*]

Rursus διπλότης, ut sit mitis reprehensio: & hoc ipso gravis, nam *Εἴψι*, & *νομιλλὰμ nobis*, temperamento sunt posita.

69. *Quam hic non amavit meretricem? aut cui non dedit aliquid?*] Ἡ δὸς ἰσθ-
βολῆς. *Quam non*, & *Cui non*. Ea tamen hæc sunt, ut non gravi sono accusationis proferantur, sed solam reprehensionem contineant. *Aliquid* vero, admittantis est. Quod addidit *Meretricem*, ostendit Micionem hoc solum adhuc scire: nihil autem de vitata virgine. *Quam hic non amavit meretricem?*] Et hoc cum venia & defensione, nam colere meretricem, non est flagitium. & simul etiam vitiatæ virginis adhuc ignarus ostenditur Micio. *Aut cui non dedit aliquid?*] *Aliquid* dicendo, prætermisit vel meretricem vel numerum.

70. *Credo jam omnium tadebat.*] Πε-
γένησις ἀετι. Etenim addimus ad ea quæ apud nos parum certa sunt, aut *Credo*, aut *Puto*.

71. *Dixit velle uxorem ducere.*] Mirum est apud Terentium, quum etiam per nescias personas indicet argumenta, nam quum Micio nesciat amari ab Æschino civem virginem; tamen dicit, *Credo jam omnium tadebat*, & *Dixit se velle uxorem ducere*. Sic ex parte magna ostendit nescius argumentum: ideo quia virisimile est, amantissimum Æschini Micionem omnes scire affectus adolescentis & consuetudines, Et apparet præterea, conatum ex parte fateri vitiatum amore Æschinum, & pudore impeditum, tantum hoc dixisse, quod honeste potuit, velle se uxorem ducere: quam autem veller, tacuisse confusum.

72. *Sperabam jam defervisse adolescentiam.*] Recte *Sperabam*, pro *Gaudebam*: sic enim dicimus, quum errasse nos cernimus. Et mire: non dixit, *Sperabam illum jam corruptum*: sed mitis senex totum ætati attribuit, nihil filio. *Defervisse adolescentiam*.] Servat propositum circa ætatis veniam. *Defervisse*.] Quasi deorsum à fervore tenuisse. Legitur & *deservisse*.

73. *Ecce autem de integro, nisi quidquid est.*] Ἀπρωάπιστος prima: quia

non vult credere. *Nisi quidquid est.*] Deest: *quia*: ut sit, *nisi quia*. Et est sensus, *Nisi quia non temere credo; & volo scire quidquid est.*

IN SCENAM PRIMAM

ACTVS SECVNDI.

1. *Obsecro, populares.*] Popularitas in omnis rei consortium sumitur, nunc autem populares civis dicit. Et hoc est, quod veteres Quiritari dicebant, *Quirites conclamare*. *Obsecro, populares, ferte misero atque innocenti auxilium.*] Hic exemplum est contumeliosi per potentiam divitis, & in perniciem suam pauperis contumacis.

2. *Subvenite inopi.*] Vide quam postiora vehementiora sunt, ad incendendum populum, primo, *miserrum*: post, *innocentem*: ad ultimum, *inopem* posuit, & primo, *ferte auxilium*: post, *subvenite*. Et totum hoc principium à benevolentia sumitur: quæ comparatur ex invidia potentia Æschini, nam, contraria in Æschino esse vult intelligi. *Misero atque innocenti auxilium: Subvenite inopi.*] Tria sunt, *Miser*, *Innocens*, *Inops*. *Otiöse, nunc jam.*] *Otiöse*, secure significat, nam nisi qui securus est, otiosus non est. *Otiöse nunc jam ilico hic consistite.*] Simul imperavit modum, tempus, locum, factum. *Modum, otiose*: Tempus, *nunc*: *Locum, hic*: Factum, *consistite*. Nam *Iam* & *illico*, alterum tempori adjungitur, alterum loco. At *Consistere*, est audacter & constanter stare: ut,

Constitit in digitis extemplo arctus uterque.

Illico.] Modo locum, non tempus significat.

3. *Numquam.*] Pro *non*. Virgilius, *Numquam omnes hodie moriemur inulti.*

4. *Istam invidiis omnibus.*] Deest *abducam*. *Ego istam invidiis omnibus.*] Bona ἐλλείψις. nemo enim plene loquitur, qui luctatur.

5. *Quanquam est scelestus, non committeret.*] Ἀνακόουσον primum: nam quum præposuisset *Quanquam*, non subjecit *Tamen*. *Committet*.] Perficiet: sed hoc proprie de illicitis & puniendis facinora-

nibus dicimus. Et simul hic ostendit Comicus adolescens cedere se lenoni, invivum se noxam intulisse: & id quod fecerit, fecisse lenonis culpa, non sua. *Iterum ut vapulet.*] Minaciter Poëta priorem litem sustulit, dicendo *Iterum*: ut non eadem lis esset, de qua supra Demea questus est: sed instaurata nascatur.

7. *Leno ego sum.*] *Leno*, terribiliter pronuntiandum est: quasi dicat, cui supplex eris. Sed ex argumento est, quod contemnit Æschinus minas lenonis: ut pote qui jam uxorem decreverat ducere. *Scio.*] Hic sic respondit, quasi in lenone imminutio capitis tantum confiteret. *Fide usquam optuma.*] *Fides* in concipiendis comminationibus: nam *denuuntiatio* comminantis est.

9. *Hujus non faciam.*] Figurate ergo. *Quod te purges, id est, purgationem tuam* Hujus autem, *ἀκρίκον* est. Aut enim stipulam, aut floccum moverat, aut summum digitum. *Hujus non faciam.*] *Cicero: Ne tantulum quidem commotus est. Ego meum jus persequar.*] Hoc est lenonium, *Meum jus*.] Meam libertatem. *Meum jus*. Meam vindictam. Nam ut illa injuria est, quæ fit innoxio: ita jus vindicta illa, quæ redditur reo. *Persequar.*] *Ulciscar.* *Cicero: Tu dum tuas injurias per te, id quod non potes, persequi conaris.*

10. *Neque tu verbis solves unquam, quod mihi re male feceris.*] Νομικῶς. Et *Solves*, lues, per solves, id est, satisfacies, ac te purgabis. *Re male feceris.*] *Acuendum est re, & significanter proferendum, ibi enim est sententia. Et plus dixit, Re male feceris, quam Injuriam feceris.*

11. *Novi ego vestra hac.*] Ἐλλείψις: deest enim verba. *Injurandum dabitur.*] Hoc est, jurabimus te esse indignum cui injuria fiat hujusmodi: Aut separatim, *injurandum dabitur*: & separatim, *te esse indignum injuria hac.* & sic melius, verba enim satisfaciunt, quum res colligitur in generalibus causis, nam sæpe iræ ac lites jurejurando sunt terminatæ.

12. *Indignum injuria hac.*] *Comice Indignum & Indignis.*

13. *Abi præstrenue.*] Aut *Abi præ*, id est, prior: aut *Abi præ*, id est, præi: ut, *præsequar.* Aut *præstrenue?* ut *Prædivi-*

tis urbe Latini. Abi præstrenue.] Magna contemptio minarum lenonis, non respondisse Æschinum ad ea quæ dixerat, *Ceterum hoc nihil facis.*] *Nihil pro non legitur, & nihili.*

14. *At enim non snam.*] *Enim*, inceptiva particula apud veteres fuit: sed & convenit perturbationi.

15. *Nimum is hoc abissi.*] Quasi ex contumacia lenonis appareat, quod multum abierit. *Propter hunc.*] Juxta hunc, ut *Virgilius*,

— *templum de marmore ponam*

Propter aquam. —

Hem, sic volo.] Mire comicus, ex alterius verbis, quid faciat alter, ostendit.

17. *Quin pugnus continuo.*] *Pugnus* à pugna dictus: aut ab illo pugna. *Pugnus continuo.*] Id est vestigium litigantis.

18. *Istuc volo ergo ipsum experiri.*] Expresse ostendit pauperioris loquacem contumaciam usque ad pericula cædis. *Istuc volo ergo ipsum experiri.*] Hoc illo dicente, *Servus lenonem verberat. Hem serva.*] Nescias cui dicat hæc Æschinus, an lenoni, an servo: sed servo magis est verisimile.

19. *Geminabit nisi caves.*] Hoc comminantis est, non jubentis ferire, sed quia longe stat Parmeno, *gemma* putavit dictum. Et *Geminabit*, subaudiendum est *plagam*. *Geminabit nisi caves.*] Non singularem pugnum, & unum dabit, sed *geminabit*: quasi dicat, *geminato duplicatoque numero inferet. Hei misero mihi!*] Leno pulsatur.

20. *Non innueram.*] Convenienter Poëta avidiorem Parmenonem malefaciendi inducit, quum supra dominum invitum ostenderet cogi ad inferendam injuriam. *In istam partem potius peccato.*] Ut verberes non jussus potius, quam jussus non verberes.

21. *Nunc jam.*] Dux partes istæ sunt. Et bene *Iam*, quia sero, & post plagas. Et utrum hoc lenoni, ut abeat, an puellæ ut introeat, dicitur; sed facetus est; si lenoni intelligas dici: quasi hoc factum sit quod voluerit: & quasi venerit ut vapulet. Et *jam* etiam tarditatis incuratio est. Ut *Virgilius*,

Iam melior, jam diva precor. —

Regnumme Æschine.] Invidiosa moralis.

A A a a ij

ter exclamatio, & ardentior ad plagas. Regnumne, Æschine, hic tu possides? Bene hic, id est, Athenis, ubi gravius crimen est dominari velle: Nam tyranni ibi semper oppressi sunt, & maxime à proximis.

22. Si possiderem.] Ἡδὴν ἐπιπορεύεια contemnentis in invidiam. Ornatu es ex tuis virtutibus.] Cito ostendit quantum à se longe sit regnum, qui dixerat ornari potuisse lenonem. Ex tuis virtutibus.] Sic veteres per ἐπιπορεύειαν virtutes pro flagitiis dicebant. Lucilius, Animo ac virtutibus.

23. Quid tibi rei mecum est?] Hoc, quia verberatus est, dicit, ut sit, Quid tibi debeo? non quia nihil sibi debeatur. Nihil.] Facete: quia ipse abstulit, & nihil vult à se repeti. Quid? nostine quisim? Proprie: sic enim dicit qui nihil quicquam debet, Non me novit? non quod ignoretur, sed quod in jure non cernatur.

24. Si attingisses.] Plus dixit Attingisses, quam Tetigisses. est enim multo majus attingere, quam tangere.

25. Qui tibi magis licet.] Hic non tam ratiocinatio est, quam exclamatio per dolorem. Qui tibi magis?] Si mihi, inquit, non licet attingere tuam: cur tibi licet meam, non tangere, sed habere? Et habere, utrum domi in consuetudine: an corrumpere, id est, stuprare intelligimus? Meam habere, Pro qua ego argentum dedi? Meam suffecerat: sed magna moralitate additum, pro qua argentum dedi, ad vociferationem, simul esse ostendit leno quod repetat.

26. Ante ades non fecisse erit melius hic convitium.] Non erat quod ad hæc juste responderet, & ideo sic responderet, ut convitium dicat, quod verum est.

28. Loris? liber!] Lora apud veteres laura dicebantur, à lauro triumphorum, sub qua mos erat captivos vinciri, duci- que per pompam, ideo autem, ut conditionis reminiscantur, loris caduntur mancipia. Nam mancipia dicuntur, quod manu capta sunt: Servi, qui servati sunt, quum eos occidi oporteret jure belli, unde Virgilius sic inducit captivum rogantem,

Per patrios moenes, per spes surgentis Iuli.

Te precor, hanc animam servas natoque patrique.

29. O hominem impurum!] Sic veteres Impuram generaliter pro improbo ponebant: ut eadem hac fabula, Persuasi ille impurus, sat scio. Hiccine libertatem.] Scilicet Athenis. Æquam esse omnibus?] Quasi diceret, Ubi non est, quando Æschinus loquitur. Et bene Omnibus: ut ne lenones quidem videantur excepti.

31. Mitte ista, atque ad rem redi.] Superbe adolescens maleficio non putat lenonis esse purgandum. Ad rem autem, ad negotium de quo agitur, dicit,

32. Quam rem?] Quam abduxisti. Res enim, pecunia intelligitur; vel id pro quo pecunia danda est. Quo redeam? Ad, quam everrasti domum: quia, Fores effregit, atque in ades irruit alienas. Quod ad te attinet.] Quod tibi prodest, & commodum est.

33. Cupio.] Ille, Vis, dixit: hic Cupio. Modo equi aliquid.] Subaudiatur, dicas. Vableno iniqua me non vult loqui.] Nomen sacrilegum, & injustum Leno, iniquitatem agitat, justitiæ patrocinatur. Hoc totum ἐπιπορεύειαν pronuntiantum est.

34. Leno sum.] Figura συζωήσεως.

35. Est orta injuria.] Orta, cœpta.

36. Illuc quæso redi quo cepisti, Æschine.] Figurate: rectum enim erat, Unde cepisti, nisi forte Quo pronomen est modo accipiendum: ut sit, à quo. Et bene memor est, dixisse Æschinum, Omitte ista, atque ad rem redi.

37. Qua res tibi vorat male.] Adjicit contumeliam, quasi & hoc multum sit & inimicum. Vertumnus dicitur Deus, qui rebus ad opinata revertentibus præest, sæpe autem male cedit, quod bonum putatur: & hoc est male vertisse: ut ille gladius qui muneri datus, adminiculum fuit reginæ pereunti, de quo Virgilius,

— enseque reclusit Dardanium, non hos quasitum munus in usus.

38. Quid si ego tibi illam nolo vendere?] Hæc majoris sunt stomachi: & ideo stultiora: nam quod jam amisit, venditurum se negat. Et, Quid si nolo, nove dictum est, & τὸ ἰδιωτισμῶ. Quid si

ego tibi illam nolo vendere? coges me?] Potest autem dici, Quid si nolo? coges me?

39. Minime.] Εἰσωνεία. Namque id venit.] Εἰσωνεία contumax & ridicula in eo, quod jam amisit id de quo dixit se cogi non posse.

40. Nam ego illam liberali assero causa manu.] Ordo est, Ego liberali causa, manu assero. Et sunt juris verba: à quibus etiam Assertores dicuntur vindices alienæ libertatis. Nam & causa ipsa, liberalis dicitur, quæ actionem in se continet libertatis.

41. Pro supreme Iupiter!] Hæc locutio ad hoc inducta est, ut ex verbis lenonis appareat quam facile mitis fieri possit, & quidavis & libenter accipere. Pro supreme Iupiter!] Supremum nunc dicit summum, ab eo quod est superior & superius sit supremum. Virgil.

— rex ipse Iovis de gente suprema, Troius Æneas tua nos ad limina misit.

Et non abhorret à personæ & plebeii, & lenonis, & vira passî, Jovem ipsum convitio persequi, ut quotidie videmus ab hominibus ejus loci & ordinis fieri.

43. Minime miror qui insanire occipunt ex injuria.] Sensus hic est: Insanos fieri per injuriam plerisque mirabar, sed jam non miror, postquam ego ipse per injuriam quam sum passus, insanire compellor: adeo ut exclamem, Pro Iupiter! Et simul adverte vigilantem Poëtam, ut ubicunque in comœdia vocem tragicam extulerit, statim personam insanam dicere faciat, sic supra, Pro Iuppiter! tu homo nunc adiges me ad insaniam.

44. Me invito abduxit meam.] Honestiori personæ hæc querela sufficeret, Aduxit meam. Sed leno bene addidit, Me invito, nam abducuntur meretrices absque voluntate lenonum. Et decora locutio est per ἔλλοψιν, Me invito abduxit: non enim addidit, puellam, aut quid tale.

45. Tantidem emptam postulat.] Legitur & Totidem emptam.

46. Homini misero.] Secundum illud Menandri: * ΑΙΓΟC ΤΗ ΠΟΙΩΝ ΤΟΙΟΕΡΠΑΤΟ ΤΟΝ ΙΡΩΝΟΝ ΟΙΚΕΤΗΝ λαζων. * Homini misero plus quingentos colaphos infregit mihi.] Con-

tumeliosa cædes, colaphus, & digna lenone. Infregit.] Ut illudens hoc fecisse Æschinus videatur, cum sonitu se colaphizatum significat, Infregit autem, illi sit, infixit: ut sensus, Infixit homini misero plus quam quingentos colaphos. Et flebiliter pronuntiantum est, hoc enim exprimitur, ut tamen incuset in alieno facto fortunam suam. Et vide quantum hoc distet ab illo quod supra dicebat, Ipsum isuc volo experiri, hoc, quia solus est: illud, quia cum adversario.

47. Bene promeruit.] Bene, multum. Promeruit, adjuvit, profuit, cui contrarium est commeruit. Nam mereri & promereri, est præstare beneficium. Virgil. Quique sui memores alios fecere merendo, Et,

— nunquam regina negabo Promeritam.

49. Vbi me dixero dari tanti.] Recte dixit, ubi enim pactio intercesserit pretii, jam ereptionis actio sublata erit & pretium debebitur.

50. Mox: cras redi.] Mire transit ad εὐμνητικόν.


51. Id quoque possum ferre.] Id Mox: cras redi, id est, moram, Quamquam injurium.] Vendere quod nolis, est, scilicet.

52. Id quod res est.] Pro, id quod verum est: bona locutio. Quando eum quæstum occeperis.] Ut in Andria, Deinde quæstum occipit.

53. Mussitanda.] Patienda, consideranda cum silentio; & ut in amatore putanda, atque per hoc perferenda. Mussitare enim proprie est dissimulandi causa tacere, dictum vel à muro, vel ab M: quæ litera est ninium pressæ vocis ac pene nullius adeo ut sola onaniam quum inter vocales inciderit, atteratur atque subsidat. Hinc Virgilius,

— Mussat rex ipse Latinus.

54. Frustra egomet mecum.] Præparationis genus ad accipiendas viginti minas: totius summæ desperatio,



IN SCENAM SECUNDAM
ACTVS SECVNDI.

Tace, egomet conveniam jam ipsum. In hac scena actus, est exemplum continens vita avarorum, qui saepe in damnum ipsius avaritia rationibus ranni: simul etiam duorum inter se nequam hominum spectanda quadam vicissim & dolosa captio est.

1. Tace, egomet conveniam jam ipsum. Tace, si pro adverbio est, omnibus dicitur: si pro verbo ponitur, dicitur Ctesiphoni maxime sollicito, & supplicanti omnibus, ob merum patris. Iam autem, non tarditatis est; sed properationis significatio.

2. Bene dicat secum esse actum. Actum, recte additum est: nam multa etiam cupide accipimus, ita tamen ut male nobiscum esse dicamus actum. Quid istuc, Sannio, est. Illud supra post scenam, hoc iam in proscenio dicitur. Et vide quam ingeniosè Terentius, qui supra ab Æschino Lenonis nomine facit Sannionem vocari, utpote ab homine arroganti & feroci ob ætatem & negotium: at hunc blande circumvenientem honorificentius inducit cum Lenone loqui, & Sannionem eum vocare. Sane qui in sordidis professionibus agunt vitam, honorifice nomine proprio appellas: sed qui in splendidis artibus sunt constituti, gaudent artis nomine nuncupari, ut Imperator, Orator, Philosophus. Sic & in Euncho, Audire vocem visa sum modo militis, apud se loquens meretrix: & postquam illum cominus videt, Salve mi Thraso, inquit, non, Salve miles: quod erat durissimum. Et mox irata persona, Miles, nunc adeo edico tibi.

3. Nescio quid concertasse cum hero? Argute positum Nescio quid: vult enim ex illo audire, ut nanciscatur initium, quod persuadendum suscepit. Concertasse. Oixovoµia, honorifice nomen tractat, ut & placidum sibi reddat, & ut eum faciat ad contemnendam pecuniam liberalem, nam honestas adimit avaritiam.

4. Certationem comparatam. Διασπασ,

quia ille concertasse dixit, non cessasse esse. Comparatam. Proprie; alias constitutam. Et comparatam ad dictum Syri refert, qui ait concertationem fuisse, pares faciens Æschinum & Lenonem, nam Sannio vult sibi deberi pro eo quod vapulavit: quod abstulit illi Syrus, dicendo eum non verberatum esse, sed potius concertasse. Et proprie dixit Concertationem, ipsum actum. nam certamen est res ipsa de qua certatur, uter columbam sagitta feriat, uter prior decurrat ad metas. Nam sic Virgil, in Bucolicis: *Velocis jaculæ certamina ponit in ulmo*. At vero certatio, ipse actus contentioque certantium est.

5. Ille verberando usque, ambo defessi sumus. Incerta est distinctio, vel verberando usque, vel usque defessi, & est usque adverbium, significans aut diu, aut multum.

6. Tua culpa. Potest & nominativus & septimus casus esse, si nominativus est, deest est: si septimus, deest Factum est. Adolescenti morem gestum oportuit. Ab ætate adjuvatur sententia, ideo Adolescenti dixit, non Æschino. Et morem gerere, proprie lenonis & meretricis est: unde & ipse sic respondet, ut non fugiens κακόφρων, dicat, *Vsque prabui Adolescenti morem gestum oportuit*. Cum ἐμαρτύρησεν Adolescenti pronuntiandum est, scilicet qui facilius assentatione capeatur.

7. Qui potui melius, qui hodie usque or prabui? Subauditur, morem gerere, & hoc subtiliter Leno, quum morem gerendum fuisse in meretricis precio dixerit Syrus. Hodie autem, non tempus significat, sed iracundiam eloquentiam ac stomachum. Ut Virgil.

Nunquam omnes hodie moriemur in illi. Age. Modo Age corripientis est adverbium, Scis quid loquar? Argute: quia simulaverat Leno non intellexisse, quid dixerat servus, Scis quid loquar? Legitur & sic: sed scis, quod loquar.

8. In loco negligere, maximum interdum est lucrum. Bene additum est In loco, & interdum: non enim semper.

9. Si nunc de tuo iure concessisses. Bene Tuo iure: ne diceret: Non erat res mea

quam vanalem habui. Aut De tuo iure, de lenonia duritia: ut alibi, Meo iure utar, ut potior sit, qui prior ad dandum sit.

11. Ne non tibi istuc fœneraret. Fœneratum, est cum lucro redditum & multiplicatum. Fœneraret ergo, non Æschinus, sed ipsa res in qua fœneratio. Ego spem pretio non emo. Ανταγοµία; contra Pecuniam in loco negligere, maximum interdum est lucrum.

12. Numquam rem facies. Leno quid agit, ad lucrum refert: & sic lucri genus dicit esse Syrus à Lenone, quem admodum persuadet. Et nota, Rem, & litem, & negotium meretricis, & patrimonium, & omnem pecuniam nominari. Numquam rem facies. Secundum personam servi, Lenonem Syrus hortatur, hominem ad lucrum excitans, non ad honestatem. Nescis inescare homines, Sannio. Μεταφορᾷ ab aucupibus, qui avibus capiendis offendunt cibum.

13. Credo istuc melius esse. Vide cum errorem utriusque personæ, & calidi Lenonis, & captiosissimi Syri servi.

15. Age. Age, nunc verbum est, significans dic, quia jam prope est, ut consentiat persuadenti, Tuum animum. Deest liberalem. Quasi jam usquam tibi sint viginti minæ. Sensus, Quasi numero in aliquo ducas, & in aliqua æstimatione constituas: & non si velis, penitus contemnas viginti minas, dummodo huic obsequaris.

16. Prætereque autem. Απρᾶξιµός est figura. Nam veteres libenter conjunctiones multiplicabant. Te ajunt proficisci Cyprum. Et eum non profecturum dicit, sed jam Proficisci: & non ab uno dicit se audivisse, ne negaret: sed Ajunt inquit.

17. Coëmisse, hinc, qua illuc veheres, multa. Nusquam hoc ostendit aliàs Terentius: sed apparet ex confessione Lenonis vera hæc omnia esse. Et mira vanitas est. Proficisci, Coëmisse, Conductam navem: ne diceret, Proficisci, Emere, & Conducere navem. Et Conductam navem addidit, ut dilationem res habere non possit, Hoc scio, animus tibi pendet. Hoc & correpte legi potest, ut articulus demonstrativus sit: & producte, ut signifi-

cet aut hanc rem, aut hunc locum, id est Cyprum.

18. Vbi illinc spero redieris. Ex spe sua vult Syrus ostendere, quid Leno debeat sperare, id est, non se accepturum modo. Tamen hoc ages. Hoc est, exiges debitum, nam hoc agere dicimus eum, qui instat negotio suo.

19. Nusquam pedem. Quia exclamatio est, per ἀποστασῶν non completur.

20. Injeci scrupulum homini. Hoc Leno non audit, simul enim dicitur, quum ille clamat, & ideo simul legi non potest. Et hic ostendit Syrus, quo hæc consilio locutus sit. Illuc vide. Vide, τῷ ἰδιωτισµῷ dicit.

21. In ipso articulo oppressit. Μεταφορᾷ perseverans à scrupulo, id est, lapillo, qui nos in calceo latens plerumque lædit. Et Oppressit, vel Æschinus, vel res ipsa quam subicit, id est, quod ait, Empta mulieres complures. Mulieres. Σύλλησις. Legitur Empta, & empta.

22. Item hinc alia. In Lenonis mercibus ἕορᾷ. Qua porto Cyprum. Hanc insulam posuit Poëta, vel quod Veneri sacra sit, ut Horatius.

Sic te diva potens Cypri. Vel quod mercatus in eo sit, ut idem: Numquam dimoveas, ut trabe Cypriæ Myrtoium pavidus nauta secet mare.

23. Nisi eo ad mercatum venio. Ed nunc adverbium est loci, id est, Cyprum. Mercatum autem, locum temporis que significat. Damnum maximum est. Quia & hoc damnum in pretio mulieris est.

24. Nunc si hoc omitto. Quod damnum est scilicet. Hoc autem dicit negotium cum Æschino. Actum agam. Proverbium, id est, nihil agam, quod enim in jure semel judicatum fuerit, rescindi & iterum agi non potest. Sic in Phormione, Actum aiunt ne agas.

25. Nihil est. Nove Nihil est: pro nulla spes est. Refrixerit. Pro refrigescit.

26. Ut sit satius perdere. Per ἄεγ-ῶλω hoc accipe, nam non convenit personæ lenonicæ damna contemnere.

27. Aut nunc manere. Dum non navigo, Tum persequi. Quum rediero.

28. Iamne enumerasti. Finxit Syrus

se non intellexisse, quid apud se ipsum Leno locutus sit, ideo illi aliud, ait, quam ille secum disputaverit. *Quod ad te redituum putes?*] Hoc dicto tantum illum accepturum significat, quantum dederat in puella. Nam ad nos redit, quod a nobis abierit. Et dicendo *Redituum*, ostendit super viginti minas nihil illum sperare oportere: sic enim supra, *Minis viginti tu illam emisisti, quas tibi vertat male.*

29. *Hocine illo dignum est?*] Hujusmodi comploratio summam desperationem Lenonis ostendit. *Hocine incipere Æschinum?*] Quasi de magno facinore dixit. Ut in Hæautimorum Lenone, *Vide quod inceptet facinus.* Æschinum autem cum laudatione dixit: quasi quem non deceat male facere. Et vide quam omnia experiatur impotens & miser, ob recuperandam rem suam.

30. *Vt hanc mihi eripere postulet.*] Non dicit de qua: quia de illa sermo est. *Postulet*, velit, aut speret. Cicero, *Vt temporibus reipubl. cedat, non est postulandum:* id est, cupiendum, aut expectandum. *Eripere postulet.*] *Ἐν τῷ ἡδὲ* dixit, non eripuerit, tanquam adhuc non fecerit, & sic loquuntur, qui nolunt circa se perseverare injuriam.

31. *Labascit.*] Hoc presse dicitur. Et proprie dicit *Labascit*, ut & suam instantiam, & cunctationem tarde incipientis consentire monstraret, nam inchoativum verbum est. Et est metaphora ab arbore facta: quæ multis succis ictibus ferri, tandem incipit in casum ponderis, ruinamque minitari. *Vnum hoc habeo.*] Hoc clare: & subaudiendum est, *Quod dicam*, vel *Dicere*. *Vide, si satis placet.*] Non *Placet* dixit: sed *Satis placet*, veluti magnum consilium præbiturus.

32. *Potius, quam venias in periculum.*] Oratorie: comparatione peiorum, dicit, hoc esse, quod suggerit, eligendum.

33. *Dividuum face.*] Hoc est, divide: figura *μυκροσπία*. *Dividuum*, à divisione: *Dimidium*, à dimensione dicimus.

34. *Minas decem.*] Scit illum viginti posse accipere: sed idcirco agit, ut optet Leno quod paulo ante nolebat, *Corradet alicunde.*] *Alicunde* dictum est, quasi

non habentis: nam nec ipsa in promptu sunt.

35. *Hei mihi! Etiam de sorte nunc venio in dubium miser.*] *Sors* est summa, cui extrinsecus acquiritur foenus. Ergo *sortem* dicit de pretio quo empta est, id est, viginti minis. Et vide illum damno potius exclamare, quam injuria. *Nunc venio in dubium.*] Id est, in periculum.

36. *Omnes dentes labefecit mihi.*] Injuria Lenoni tunc dolet, quum adjuncta damno est: ut supra, — *quando eum questum occiperis.* *Accipienda & missitanda injuria adolescentium est.*

Vel iccirco, enumeratis contumeliis adjecit, *Etiam insuper defrudet?* Et vide ut eadem quæ dixit supra, reperat: sed ardentius tamen, & cum *ἄνευ*. Sic *Virgil.* in majus repetit, quod non semel dicit.

37. *Colaphus tuber est totum caput.*] *Tuber* est genus cibi, collectum ex tumentibus & quasi prægnantibus arenis. Plus autem hic, quam supra, dixit. Supra enim dixit, *Plus quingentos colaphos infregit mihi:* hic vero, *Colaphus tuber est totum caput.*

38. *Etiam insuper defrudet.*] *Ἀνευνοε* aptæ Lenoni avaro, nam honestior persona non hunc ordinem faceret, *Defrudet.*] Fraude decipiat. *Nusquam abeo.*] Hoc dictum vim habet comminantis: nisi illud cum contemptu suscepit Syrus. *Vt lubet.*] Negligenter servus responderet, ut rogetur à Lenone.

39. *Numquid vis, quin abeam?*] Hæc est plena locutio. *Numquid vis*, desiderat supplementum. & hoc uti dicto discedentes solent, *Quin*, nunc, quare non significat. *Imo hercle hoc quæso.* *Syre: ut ut hac sum facta.*] Ipse sibi satisfacit. *Vt ut enim*, quoquomodo significat, diverticulum ad preces faciens.

40. *Potius, quam lites sequar.*] Quia dixerat Æschinus, *Nunc vide, utrumvis argentum accipere, an causam meditari tuam.*

41. *Meum mihi reddatur.*] Sortem, quam solam supra recufabat. Et oratorie: non enim *Quanti emi* dixit: sed invidiose, *Meum mihi reddat.* *Saltem.*] *Τὸ ἐξαγορῆ*. *Natum est autem à captivis Saltem.*

Saltem, qui nihil aliud præter salutem à victore petunt.

42. *Scio te non usum antehac amicitia mea.*] Figura *ἀξιοσύνη*, per quam ostendit se fideliter promittere, quod promittit. *Virgilius:*

— *scis me Danais à classibus unum, Et bello Iliacos fateor petuisse penates.*

43. *Memorem me dices.*] Figurata est inducta promissio præmiorum. Et bene utrumque narrat, nam non continuo qui memor est, etiam gratus est. *Memor* enim est, qui apud se meminit. *Gratus* qui meruit hoc nomine vocari, dum vicem reddit. Nam multi sunt memores, ingrati tamen. *Sedulo faciam.*] Sic promittit, ut nihil sua interesse credatur. *Sedulo.*] De industria, sine dolo.

44. *Sed Ctesiphonem video.*] Adventus in proscenium personarum quum consulto consilio fingantur à Poëta, tanquam superveniant aliis rebus in medio politis, quæ ipsarum interventu finiuntur, mire tamen, quod quasi ex argumento sit, ut futuri actus sui, ante quam loqui incipiant, describuntur. *Latius est de amica.*] Hoc lenius & summissè.

45. *Quid, quod te oro?*] *Deest agis:* seu *deest ego.* *Quod te oro.*] *Aut si quid*, aut *propter quod*, subintelligimus: ut sit, *Quid mihi non respondes de eo*, propter quod te oro: aut si quid te oro? Et quam bene fastidiosum Lenonem facit Syrus, ut optans ille desperando viginti minas accipiat, nam & supra non intendenti dicit totiens in uno sensu hoc idem Syrus de amica. Potest hoc interrogative pronuntiarì.

IN SCENAM TERTIAM

ACTVS SECVNDI.

Ab quisvis homine, quum est opus, beneficium accipere gaudeas.] *In hac scena gratiarum actio est ex persona ejus qui præstitit, & ejus cui præstitum est, & ex ipsius pretii quantitate.* Nam omne quod geritur, aut in rebus est, aut in personis, aut in attributis eorum.

1. *Ab quisvis homine.*] Bene sic cœpit, dicturus, *O frater! frater!* Et *Qui secundum regulam dixit:* quia dicimus

Quibus. cæterum à *Qua*, quis facit, non *Quibus*. Et incerta distinctio est: *quum est opus accipere beneficium*, vel *quum beneficium est opus*. Hoc vetus, illud communiter.

2. *Id demum juvat.*] Ostendit plus esse quod juvat, quam gaudium. *Is facit.*] Bene, subaudiendum est, bis numero.

3. *O frater! frater!*] *Virgilius:* — *Et fratrem ne desere frater.*

Unum relatum est ad appellationem: alterum ad laudem, & subdistinguedum, ut videatur quasi visse, quid ultra diceret, & plus invenire se non potuisse quam *frater*. *Quid ego nunc te laudem!*] *Quid* propter quid. & *Nunc te*, τῷ ἰδιωτικῷ additum est de superfluo. Ut,

— *tu nunc Carthaginis alta*

Fundamenta locas? — *Quid ego nunc te laudem!*] Quia laus, genus causæ est, quod non adhiberetur, nisi dubiæ rei. *Quid ego nunc te laudem.*] Distinguedum. *Quid* autem: pro ad quid.

4. *Numquam ita magnifice.*] *Deest quod:* ut sit, quod nunquam ita magnifice. Duplex causa omittendæ laudis, si res aut nimium mala est, aut nimium bona. *Id virtus quin superet tua.*] *Bona ἀπὸ πλεονεξίας.* *virtus tua* potius, quam *tu*.

5. *Itaque unam hanc rem me habere.*] *Itaque* & subjunctivum potest esse, media syllaba correpta: & præpositivum, producta eadem syllaba, ut sit *itaque*.

6. *Fratrem.*] Nove dixit *unam rem* Fratrem, Sed ego puto *Fratrem* non subdistinguedum, sed legendum contextu usque ad *Principem*. Nam si distinxeris *Fratrem*, erit bis, ut arbitrator, subaudiendum, & supra, & infra. *Quod si Fratrem inferioribus junxeris, & cum admiratione pronuntiabitur, & subaudietur Quam mihi.* Hanc sane locutionem scire debemus, propter personam elaboratam, nam nimium gaudet, & rusticus adolescens est, qui laudare conatur Æschinum: quasi titubans, & pene balbutiens. *Homini nemini.*] Nove auribus nostris, sed veterum consuetudine locutus est, nam quum *nemini*, hominem significet, quid opus fuit dicere, *homini nemini?* Sed ut diximus, figura est *ἀπὸ τοῦ ὀνόματος*.

7. *O Ctesipho.*] Mire cœpit, gaudium significans, *O Ctesipho.* *O Syre!*] Ille ut

gaudens: hic, ut qui non præviderit, dicitur. O Syre! *Æschinus ubi est?*] Bene statim de illo, cui agebat gratias, loqui cœpit. *Ellum.*] Ecce illum: vel pronomen est, vel adverbium demonstrantis. Alii interrogative legunt: ut sit, *ellum dicis? te expectat domi.* ut sit *ellum* pronomen, id est, *illum*, nam & *illum*, & *ellum*, & *ollum* veteres dixerunt. *Domini.*] Adverbium est in loco. *Hem.*] Interjectio est latantis.

8. *Quid sit?*] Deest, *quaris?* sed est admirantis magis, quam interrogantis. *Illius opera.*] Dicendo *Opera*, & corporeum laborem *Æschini* ostendit, & religionem. Ut,

Hunc mihi da proprium, virgo sata nocte, laborem,

Hanc operam.

Hanc religionem ait: ut,

annua magna

Sacra refer Cereri laus operatus in herbis. *Illius opera, Syre, nunc vivo.*] Omiram amplificationem beneficii, non dixit, *Illius opera* amicam habeo: sed quod satis grave, & satis amatorium, *Illius opera nunc vivo*, inquit. *Festivum caput.*] Hic contrariis sensus est, *Ridiculum caput.* Alii putant, *festivum caput*, non *Æschini* intelligendum, sed orationis, quam habet *Ctesipho*, agens gratias fratris. Ita in *Eunucho*, *Quam venuste quod dedit principium adveniens!* Quod si est, nihil potest supra hanc laudationem: nam supra hoc factum erit accipiendum, sed male: nam *caput*, *Æschini*, id est, ipsum *Æschinum*: ut in toto pars sit per *σωεραδοχίαν*: in qua figura & pars pro toto ponenda est, quæ aut eminet ex toto, aut majoris pretii est ad id quod agitur. Quod ipsum sic esse observatum a bonis authoribus, si exempla *σωεραδοχίης* penitus considerare studes, invenies.

9. *Quin omnia.*] Admirative *Quin*: & sic pronuntiandum *Quin*, το παραλακον usque ad *maledicta*, *famam*, *Præ meo commodo.*] Id est, mei commodi comparatione: ut in *Eunucho*, *Hic ego illum contempsit præ me*, id est, mei comparatione.

10. *Maledicta, famam.*] *Maledicta*,

aut lenonis, aut *Demæ*: *Famam* autem, populi, nam si aliter acceperis, idem maledictum videbitur & mala fama. *Meum amorem, & peccatum.*] De rapienda meretrice, & amanda. *Meum amorem, & peccatum.*] Quum dixisset omnia, duo tantum intulit, *Maledicta* & *Famam*: ut, *Omnia Mercurio similis, vocemque coloremque.* Et hoc, ut sit defectus quidam intelligendus ex affectu gratias agentis. *In se transfudit.*] Pulchra παρασκευή, qua erratura est *Softrata* circa *Æschinum*, quemadmodum jam erravit *Demæ*, eo quod ab illo creditur amari meretricem.

11. *Nihil pote supra.*] Ἐλλείψις per admirationem est: subaudiendum est enim vel *Esse*, vel *Dici*. Ut *Pote pro potis, & mage pro magis.* τῶ ἀρχαιμῶ. Sed quidnam? foris crepuit.] Resonuit: ut decrepiti dicti sunt clamosi fenestras, *Foris* singularis numeri, nominativi casus, *Mane.*] *Mane*, gaudens est hoc dictum, non operiri jubentis.

IN SCENAM QUARTAM

ACTVS SECVNDI.

1. *Ubi ille est sacrilegus?*] Mire *Æschinus* servat adversus *Lenonem* superbiam, quæ ostenditur tanto esse alienior ab amoribus Meretricis, quanto audacior in *Lenonem*. *Mene quaris?* num quidnam effert?] Sperat nunc *Leno* se aliquid accepturum propter convitium. ut alibi, *Minis viginti tu illam emisisti: quæ res tibi veriat male.* *Argenti tantum tibi dabitur.* Et vide quanti faciat *Leno* præ lucro injuriam, qui se sacrilegi nomine significari non solum non dolet, sed etiam cupit. Oportet autem *Mene quaris?* cum quadam gestulatione & subsultatione sperantis *Lenonis* ad hoc se quæri, ut accipiat, pronuntiare. *Occidi: nihil video.*] *Occidi*, non quia sacrilegus dictus est, sed quia nihil accipit, & simul gestum considera loquentis ex verbis. *Occidi: nihil video.*] Mire hoc verbo apparet, in vultu *Lenonis* & spem mortuam, & extinctum gaudium, nam & apta est Ἐλλείψις hæc dicentis:

nihil video, neque enim addidit *Proferri*, aut quid tale.

2. *Ehem.*] Interjectio repentina rei. *Opportune: te ipsum quærito.*] Ἀσώδην. deest *Venisse*: non enim sequenti nequitur. *Quid sit, Ctesipho?*] *Quid sit*, blandum initium est, non enim nunc interrogat, quum ipse dicat, *In tuto est omnis res*, sic ipse mox in subditis, *jam nunc hæc tua*, addidit præter naturam quæstionis. *Quid sit?*] *Quid agitur?*

3. *In tuto est omnis res.*] Quasi amatorii, omne dixit negotium de amica. *An omnis res*, & *Lenonis* jurgium, & suspicio patris *Demæ*? *Omitte vero.*] *Vero*, abundat: aut correptivum est, jamdudum non omittentis. *Tristitiam tuam.*] Sic dixit, quasi nimiam.

4. *Ego illam hercle verò omitto.*] Apparet non nunc primum dici *Ctesiphoni* ab *Æschino*, *Omitte vero tristitiam tuam*, nec nunc primum responsum, *Omitto*, & ideo additum est, *Heracle vero*, quia nunc demum data est plena securitas. *Qui quidem te habeam fratrem.*] *Acendum Te.*

5. *O mi germane!*] *Mi, meus*: sed vocativo dixit casu: *Coram in os te laudare amplius.* *Coram*, ad ipsum pertinet qui laudat, & ad eos qui audiunt: *In os*, ad ipsum qui laudatur, Nam *coram laudat*, qui non tacet apud alios, & hoc agit non per epistolam, sed ipse præsens. *In os*, qui apud ipsum loquitur, quem collaudat. *Laudare amplius.*] Quia laudavit.

6. *Ne id assentandi.*] Antiqua ἔλλείψις. deest enim *Causa*. *Assentandi.*] *Adulandi.* Et utrum deest *Causa*, an ad ipsam litem sic dicitur? *Ne id assentandi.*] Specta, si non rusticus adolefcens est, & purissimæ simplicitatis, adeo ut etiam velle laudare fratrem nimio pudore non possit, hoc solo quia præsens est, quum illum nimium laudari absentem. *Quam quod habeam gratum.*] *Varie*: non enim intulit, *quam gratiam agendi.* *Quod.*] *Quia.*

7. *Age, inepte.*] Non est injuria, quia & major frater est, & blanda dicitur.

8. *Hoc mihi dolet.*] τῶ ἰδιωπισμῶ

Mihi dolet, pro *Doleo*. & *Dolet* bis subaudiendum est, *Et pene in eum locum redisse.*] Insinuatio beneficii ex periculo & difficultate, ob tempus.

9. *Vt si omnes cuperent.*] Non, si ego tantummodo aliis adveniantibus.

10. *Pudebat.*] Deest *Fateri*. *Stultitia est isthac.*] Hoc scilicet fateri ei, qui ipse patri nunquam quidquam celaverit. *Tam ob parvolum rem.*] Ergo diminutivis adjungitur *Tam* particula. Et deest *Perire*: sed τῶ εὐφημισμῶ tacetur. *Tam ob parvolum rem.*] Id est, meretricem. Et bene hic dicit *Æschinus*, quasi qui majora expertus sit, id est, vitium virginis.

11. *Pene ex patria.*] Deest, *Fugere*: quia amatores comici cito comminantur, patriam se deserturos, ut amicas sequantur. *Pene ex patria.*] Ἀποσιώπησις εὐφημισμῶς χέειν. *Menander*, mori illum voluisse fingit: *Terentius* fugere. *Turpe dictu.*] Te fugere scilicet. Et deest *est*. *Vt istæ prohibeant.*] Istæ est, exilium, fugamque patriæ.

12. *Peccavi.*] Approbavit ex periculo magnitudinem beneficii. *Quid ait tandem nobis Sannio?*] *Nobis*, τῶ ἰδιωπισμῶ additum est, non enim *Nobis* intelligendum est, *Iam mittis est.*] Quia debacchatus est supra *Leno*, *Iam mittis est* dixit.

13. *Ego ad forum ibo.*] Tunc enim, in foro & de mensæ scriptura magis, quam ex arca domoque, vel cista, pecunia numerabatur. *Vt hunc absolvam.*] Id est, ut hunc, reddito illi pretio, dimittam. Nam veluti ligati sunt, quibus debetur aliquid, Dicuntur etiam *servi* illi *solvi*, qui quum debitores pretiorum fuerint, pecuniam reddunt debitam. Est ergo *absolvam*, pro, a me solvam. An jocatur in tristitia *Lenonis*, qui illum cum barba *lenonia*, & mœsto vultu sequitur, tanquam reus? *Tu intro ad illam, Ctesipho.*] *Bona ἔλλείψις*, significans lætitiæ potiundæ meretricis.

14. *Syre, insta.*] Jam *Syrus*, non ut adjuvet, sed ut instantèr adjuvet, rogatur. *Eamque inamque hic properat.*] Hoc clamat *Syrus*, ut beneficium ostendat: sane ita ut rursus *Lenonem* de professione absterreat. *Ne tam quidem.*] A *Lenone* inconstanter dicitur, ut perturbatio me-

ruentis, magnum damnum possit ostendere. *Ne tam quidem.*] Tam pro *Tantum*, an Tam pro *Tamen*? & deest, *Dicas me, properare*, aut *propereo*: ut sit etiam adverbium hortantis, vel consentientis.

15. *Quamvis etiam.*] Pro *In quantumvis*. Etiam particula, utrum consentientis adverbium, an conjunctio, qua significat & properare se, & non in tantum ut negligat quod sibi debetur. *Maneo otiosus hic.*] Hoc separatim inferendum est, quasi pertinaciter asserentem Lenonem instaurum se exclamationem * facere denotetur. *Maneo otiosus hic.*] Dixit enim *Propereo*: & rursus consenserat in Syri verba, *Properasse se* dicentis *Reddetur; ne time.*] Quod desperaverat Leno, Syri ostendit sermo.

16. *Vt omne reddat.*] Propter illud quod Syrus dixerat, *Dividuum face*. Et probatum est, completumque quod ait, *Cupide accipiat faxo*. Et hoc ipsam, cum trepida & vultuosa supplicatione pronuntiandum est. *Tace modo, ac sequere hac.*] Sic ait Syrus, quasi nunc Lenonem doceat, quæ sit ars non perendi. Et totum cum supercilio præstantis magnum beneficium dicit. *Sequor.*] Hoc verbo Leno satis committigatus ostenditur.

17. *Heus, heus, Syre.*] Ex argumento est, ostendere, quantum timeat Ctesiphonem patrem. *Heus, heus.*] Vox est de longinquo revocantis. *Obsecro hercle, hominem istum impurissimum.*] Satis mansuete, quasi Lenonem, aut non possit rusticus, aut non audeat dicere, *Hominem dixit. Istum impurissimum.*] Avarissimum, & totum cum execratione Lenonis.

18. *Ne, si magis irritatus fiet.*] Velut clamat scilicet: & proprie de Lenone, quem irritari dicit ut canem. Nam *irritari*, proprie canes dicuntur. Lucilius de litera R: *Irritata canis quod homo quam plurima dicitur.* Lenonem autem timet Ctesiphonem ut rusticus, ut sub patre duro, ut amator.

19. *Aliqua ad patrem hoc permanet.*] Non dicit quid: sed nos intelligimus raprum puellæ significari. *Aliqua ad patrem hoc permanet.*] Proprie secretum latens latenti comparatur, intra vas clausum existenti: quod, quum effunditur, maneat. Sic & alibi de committendis se-

cretis loquens, *Plenus*, inquit, *rimarum sum: hac atque illac perfluo. Atque ego tunc perpetuo perierim.*] Quasi & nunc se perierisse sentiat: sed non perpetuo.

20. *Non fiet; bono animo esto.*] Ut illi liberalis timor est, ita Syro servilis confidentia. *Tu cum illa te intus oblecta.*] Moraliter *illa* dictum est, ut, *Daturne illa hodie Pamphilo? & illa quidem mea erit. Tu cum illa te intus oblecta.*] Honeste explicavit turpe dictum.

21. *Et lectulos jube sterni nobis.*] Servus, * nihil tam comicum. Et vide ut totum superbe ac magnifice loquatur Syrus.

22. *Convertam me domum.*] *Convertam* magnifice dictum, verbum est enim magni moliminis & agminis ingentis. Nam *Convertere se*, dicitur, quem pompa præcedit; ut Imperator proprie convertit exercitum. Et hoc spectatur, ut moribus arrogantes servi sunt, quum lætantur.

23. *Ita quæso, etc.*] Volunt quidam & hunc verbum Syri personæ adjungendum: sed Ctesiphonis verba esse, ex subditis planum est, quum dicit, *Hunc diem misere nimis cupio, ut capere perpetuum in lætitia degere.*

IN SCENAM PRIMAM

ACTVS TERTII.

Obscuro, mea nutrix.] Hac scena Tragedia ordinem servat. Nam Tragedia in tria dividitur, Expectationem, Gestam, & Exitum. Hic ergo expectatio est in Geta nuntio: Gestam, in planctu Sofstrata: Exitus, *

1. *Obscuro, mea tu nutrix.*] Hinc demonstratur, qui sit maternus affectus, quam grata in dominos servorum fides sit: eundemque laborem & dolorem esse ex falsis & veris malis. *Obscuro mea tu nutrix.*] Personæ aut suis verbis, aut aliorum insinuantur. Ex suis: ut nunc persona Sofstratæ. Ex alienis: ut Micio Æschini persona ex Micionis oratione ac Demæ. *Obscuro, mea tu nutrix.*] Mea nunc pro blandimento ponitur. *Quid nunc fiet?*] Imploratio est magis trepidantis, quam ignoratio & interrogatio. namque illius nutrix est, quippe ancilla est: sed non sapientior nutrix est,

quam domina sua. Ipsum etiam quod dicit, *Nutrix*, honorificum est. Ut, *Annam, chara mihi nutrix, huc siste sororem.*

Sunt enim nomina ad aliquid, quibus nos tamen velimus ab omnibus appellari, ut *Magister, Medicus, Orator.*

2. *Modo dolores, mea tu, occipiunt primulum.*] Evidenter hic *Modo* temporis præsentis adverbium est. Et rursus *Mea tu*, blandimentum est: sine quo non progreditur colloquium foeminarum, & maxime trepidantium. *Primulum.*] Initium, & ipsa origo dolorum, diminutive demonstrata est. Non enim *Primum*, sed *Primulum* dicit.

3. *Iam nunc times, quasi numquam ad fueris, numquam tute pepereris?*] Docte duo proposuit, quibus experientes scientesque rerum sumus, videre & pati. *Vergilius* sic,

— *quæque ipse miserima vidi:*

Et quorum pars magna fui. —

Tute, autem pro tu: *πυρελιον* est, quod * recitatu, & facit *tute*, & *tutemet*, & *tutemet ipse*. *Numquam tute pepereris?*] Vide *αεγναγσνευλω* doloris: nihil mali adhuc secutum est, & jam sic turbatur Sofstrata.

4. *Miseram me.*] Proprium est mulierum quum loquuntur, aut aliis blandiri: ut, *Annam, chara mihi nutrix, huc siste sororem.* Aut se commiserari, ut,

— *miseram hoc tamen unum*

Exequere, Anna, mihi. — Nam hæc omnia muliebria sunt, quibus pro malis ingentibus quasi in acervum rediguntur, & enumerantur nullius momenti querelæ. *Neminem habeo.*] Quid enim opus est? aut cur nunc queris? *Neminem habeo: sola sumus.*] Muliebriter queritur, & ex perturbatione sua æstimans, metu multa facit ea, quæ pauca sunt. *Sola sumus.*] Numquam pluraliter *Sola, Sola sumus.*] Quum hoc nomen singularitatis sit, mire *Sola* pluraliter dicit, *Geta asiem hic non adest.*] Hic apparat est, ut ostendatur absens, qui superventurus est.

5. *Nec quem ad obstetricem mittam.*] Deest *Habeo*. Sed in consuetudine est sic loqui, quum utrumque nobis, non alterutrum, deesse conquerimur. *Nec quem*

ad obstetricem mittam, nec qui accersat Æschinum.] *Habeo* subauditur, & magis à trepidante, quam rationabiliter dicitur: nam refellit hoc totum nutrix Canthara.

6. *Numquam unum intermittit diem quum semper veniat.*] *Numquam*, pro *Non*. Et *Semper* non ad omne tempus retulit: nam qui potest? sed ad omnes dies, secundum quod ait, *Nam nunquam unum intermittit diem.*

7. *Solus mearum miseriarum.*] Bona locutio.

8. *Ere nata.*] Sic proprie dicimus de iis, quæ contra voluntatem nostram acciderunt: ut nunc vitium virginis. Ergo *Ere nata*, ex vitio virginis. Sic *Lucilius*, — p. i. i. *Hic è re nata sic ejus dedit: haud malus est.*

Et sic maluit dicere, quam nunc Æschino culpam, sed potius casui attributam vellet. Est autem ordo, Nihil potuit melius è re nata fieri, quam id quod factum est, hera, ut quandoquidem vitanda erat virgo, ab eo vitaretur, qui erat expetendus ad matrimonium. Sensus enim hic est, Malum vim fieri virginis: sed ex conditione ejus quæ vitata sit, nihil potuit melius evenire quam contigit, ut ab eo vitaretur, cujus nos non poeniteret. Intelligere autem debemus, *Fieri & factum esse*: pro *Evenit & Contigit* dici. *Melius fieri haud potuit.*] Si *Fieri* pro *Evenit* acceperis: erit consequitio locutionis, sin minus: deerit, quantum intelligo, ut sit, *Ere nata, quantum intelligo.*

9. *Quando vitium oblatum est.*] Hoc est, è re nata. *Oblatum est*] *Oblatum* dicitur, quod offertur invito. *Quod ad illud attinet potissimum.*] Quasi vitium oblatum sit potissimum, hoc est, bonum: sed ex persona ejus qui obtulit vitium, factum est bonum, quod per se ipsum malum est. Et hoc est quod melius haud fieri potuit, quam factum est. *Illud* autem dicit, *Æschinum* scilicet. *Potissimum* autem superlativum est ab eo quod est *Potis, & Potius*. Sic enim facit, *potius, potissimum*. Et *Quod*, modo exceptionem significat: ut sit; *Quantum ad illum attinet*, id est, *Æschinum*.

10. *Talem.*] Scilicet à corpore, à for-

ma, à pulchritudine. *Tali genere.*] Laus, ante illum talem: & tali animo, in illo. Et *Genus* jam ad vivos pertinet. *Familia* etiam ad defunctos, Alii *Genus* ad nobilitatem referunt, *Familiam* ad copias: unde & *paterfamilias* dicitur: ut sit, *Ex tanta familia*, ex tam divite domo. Hæc omnis *παρὲν πρῶσις* tragica, est gaudiorum introductio, ante funestissimum nuntium. *Tali genere.*] Id est, ab his quæ extrinsecus sunt, id est, honestate generis. *Atque animo.*] Id est, sapientia, modestia. Hoc modo igitur nihil prætermittit in laude.

II. *Salvos nobis, Deos quaeso, ut fiet.*] *Quam* bonus est, quum nihil ad vota præter salutem opus est?

IN SCENAM SECUNDAM ACTVS TERTII.

Nunc illud est.] *Hic locus, secundum artem comicam servum currentem exprimit, & nuntiantem mala. Maxima itaque pars scena motoria est. Significat autem, nunc tale negotium est, nunc tale periculum est, aut vero consignificationem temporis habet, ut si dixeret, quando aut quo tempore.*

I. *Nunc illud est.*] Utrum periculum, an tempus? Est enim *ἔλλειψις*. *Quod si omnes omnia sua consilia conferant.*] *Ἐπιεβολὴ* cum *παρανομασίᾳ*, omnes omnia. Hinc Cicero, *Omnes in hoc iudicio conferant omnia.*

2. *Salutem quarant.*] Non *Remedium*, ut ægro: sed ut pereunti *Salutem*. Et nove dixit, *Malo salutem, pro contra malum. Auxilii nihil adferant.*] Mira de proximo repetitum est *παρρησιον*; id est, *Conferant & Afferrant*. Hoc convenit præsertim stomacho minus verba curantis. Sic supra, *Omnes omnia.*

3. *Quod mihi que, heraque, filiaque.*] Mira in servo fides, quum primum se ponat in herili malo: & post se, matrem: in ultimo puellam. *Quod mihi que, heraque, filiaque herili est.*] *Πολυωσώδεται* secundum, ut,

— *Omnia secum
Armentarius Afer agit, tectumque, lacrimaque.*

*Armaque, Amyclæumque canem, Cres-
samque pharetram.*

Va misero mihi.] *Ἐμπαδῶς ἑστῆδῶς*.
4. *Circumvallant.*] *Circumvallant* se circa nos, & stipant se invicem, nam *circumvallamus* nos & alios, tamen rara locutio est. Et *circumvallant* dixit, velut inimica acies contra nos: & ideo addidit, *Vnde emergi non potest*. Quum impressio est hostium, sic dicitur, *Ut Sallustius: Presse undique multitudinis Cicero, Qui semper premuntur. Et numquam emergunt.* Et *Emergi*, nove: nam *emerge* dicitur, non *emergor*, sed ideo est usus, quia extra compositionem & *mergo* & *mergor* facit, *Vnde emergi non potest.*] *Vnde*, absolute, an deest *illud*? an *Vnde*? pro *ex quibus*.

5. *Vis, egestas, iniustitia, solitudo, infamia.*] Hæ res sunt quæ circumvallant: *Vis* illata: *Egestas* ipsius puellæ: *Iniustitia* iudicium illius temporis: *Solitudo* à defensoribus: *Infamia* ab iis, qui erant pretio vitiatam, Nam & in subditis sic habes, *Quando ego conscia mihi sum, neque pretium, neque rem ullam intercessisse.*

6. *Hocine seclum.*] *Ἐν ἔδει*. *Questurus* de homine, seculum accusat prius: ut *ô tempora, ô mores*, & è contrario, secula in omnibus rebus laudantur: ut, — *que te tam lata tulerunt.*

Secula? —
O scelera! ô genera sacrilega! ô hominem impurum!] *Moris* est nimis dolentibus, inculcare alia ex aliis. *Virgil.*

Quum complexa sui corpus miserabile nati,
Atque Deos atque astra vocat crudelia mater.

Et:

*Quem non incusavi amens hominumque
Deumque?*

O hominem impurum!] *Æschinum* scilicet, & hoc *ἠδικῶς* nam semper ultimum ponimus eum, cui maxime irascimur. *Ut* in *Andria*, post accusatum socerum & vituperatam sponsam, *Nam quid ego dicam de patre?* Et in *Phormione*, *Itane tandem uxorem duxit Antipho in iussu meo?* Et post multa, *O facinus audax! ô Geta monitor!* Unde ille, *Vix tandem* inquit,

7. *Video timidum & propterantem Geta.*] *Timidum*, perturbatum, non enim timet, sed dolet. Sic *Plautus* in *Bacchidibus*, *Nam ut ex navi vecta es, credo timida es.*

8. *Quem neque fides, neque jusjurandum.*] *Ordo* est, *Hominem* imparum, quem neque fides, neque jusjurandum, & sæpe repetitum neque, exaggerat crimen admissum. *Quem neque fides.*] *Quia* promisit. *Neque jusjurandum.*] *Quia* juravit. *Neque illum misericordia.*] *Quia* vim intulit. *Neque illum.*] *Secundum παρὲν λέγει*; nam abundat *illum*: ut, *Nunc dextra ingemans ictus, nunc ille sinistra.* Et ejus videlicet misericordia quam amavit, neque repressit, ne auderet: neque reflexit, ne faceret. & sic hoc dictum est, ut à *Virgilio*,

*Num stetit ingemuit nostro? num lumina
flexit?
Num lachrymas victus dedit, aut miseratus
amanem est? &c.*

ut si non potuit reprimi ne faceret, saltem ut in peccando esset mitior, debuit commoveri, sed melius quod supra.

9. *Neque quod parvis instabat prope.*] *Ἀυξήτικῶς* addidit non tantum mariti, sed etiam patris scelus. *Cui misera.*] *Deest, ei. Indigne.*] *Impie, crudeliter.* ut *Virgil.*

— *qua causa indigna serenos
Fœdavit vultus?*

10. *Non intelligo satis qua loquatur.*] *Ad hoc* *Soltrata* ignorans inducitur, ut malo nuntio repente feriat, & quia oportuit ipsam priorem loqui, præsens loquitur. *Quia* autem non est perdenda ram suavis *ἠδὲ ποίη* dolentis ad irefcentem: idcirco non audit, ne ob illam rem *Geta* conservus loqui desinat.

11. *Satis qua loquatur.*] *Adhuc* non audiente *Geta* loquitur, idcirco nec auditeum satis, nec videtur ab eo *Soltrata*.

12. *Vix sum compos animi.*] *Aut vix, tandem*: aut *vix*, non, ut *Lucilius, Carcer vix carcere dignus. Compos animi.*] *Id* est, competentis animi, vel sani animi, cui contrarium est, *Impos animi*. *Sallustius, Neque animo, neque lingua satis comotem.* quum de amente *Septimio* loqueretur. *Alii, Compotem animi, compositum animo* intelligunt,

13. *Quam illam totam familiam.*] *Hic* non tam culpa familiæ, quam scelus *Æschini* ostenditur, propter quem omnes cruciandi sunt.

14. *Iram hanc.*] *Hanc* interdum pro qualitate, interdum pro quantitate accipimus, interdum pro utroque, ut, — *Tuaque animam hanc effundere dextra?*

Et,

Hunc ego te Euryale aspicio? —
Sed nunc pro utroque, *Hanc* dixit, ut *Sallustius*, descriptione *Celtiberi* ait, *Hunc igitur redarguit Tarquinius.*

15. *Satis mihi id habeam supplicii.*] *Moraliter* loquitur: nam fere quando quisquam irascitur, sibi videtur fortis, tanquam qui plus audeat, *Dum illos ulciscar modo.*] *Verum* est hanc esse vindictam, quæ ex recentissimis flagitiis perpetrata sit. Sic *Virgil.*

— *te Turne superbum
Cæde nova quarens.* —

16. *Seni animam primum extinguerem ipsi.*] *Bene* *Extinguerem*: quia ignis est: *Virgilius:*

*Ignis est illis vigor, & cælestis origo
Seminibus.* —

Et *Primum* addidit, quod ordinem significat, tunc enim adjicitur, quum multa subjicienda monstrantur: ut cui fracta prius crura brachiaque, & cætera vitia, in *Æschinum* totum promovens ostenditur, etiam per aliena supplicia.

17. *Syrum impulsorem.*] *Causa* poenæ. *Vah, quibus illum lacerarem modis!*] *Hic* voluntas immodica ostenditur, poenam pro merito reposcentis. Et nota, quum *Syrum* dixerit, addidisse nutus de supercilio.

18. *Sublimem.*] *Ista* poena.

19. *Vt cerebro dispergat viam.*] *Et* cerebrum & via dispergi potest: ideo videtur ambiguum, ut apud *Virgil.*

— *ensemque cruore
Spumantem, sparsasque manus.* —

Aliter enim dicitur,
Spargite humum foliis. —

Aliter,

Sparserat & latices simulatos fontis Avernii.

20. *Adolescenti ipsi eriperem oculos.*] *Bene* *Oculos*, amoris indices, adjuutores

que flagitii. *Posthac precipitem darem.*] Gravior poena cæcitatæ, non providere quo cadas.

21. *Ceteros ruerem.*] *Ruere*, activam vim habet. *Sallustius* in secundo, *Itu eorum qui in flumine ruebant, necabantur.* *Ruere* enim, est toto corpore uti ad impellendum: quod faciunt, qui ipsi præcipites alios prosternunt. Unde proprie *sues ruere* dicuntur. *Virgil.*

Ipse ruit, dentesque Sabellicus exacuit sus. Et *Horatius*:

Hanc rabiosa fugit canis, ac lutulenta ruit sus.

Agerem.] *Prosequerem, premerem.* *Virgilius*:

Ille fretus agit ventos. —

Id est, nimia celeritate persequitur, & pene occupat, prævenitque. *Tunderem, & prosternerem.*] Vide quam fortis sibi videatur, qui dolet & irascitur.

23. *Ego sum Softrata.*] Hæc ideo inducitur, ut verisimile sit supra non visam Softratam: quando etiam vix nunc agnoscitur ab irato.

24. *Te ipsam querito, Te expecto: oppido opportune.*] Incerta distinctio, utrum *Te expecto oppido opportune*, sit dicendum: an *Expectare*, sit impatienter cupere, & sine præscriptione temporis sperare, juxta certum tempus. Unde apparet, ad *Te expecto*, quia per se nimium est, non esse jungendum *Oppido*.

25. *Quid festinas, mi Geta?*] *Probus* assignat hoc Softratæ. *Asper* non vult ad omnia servum respondere: sed nutricem putat hoc loqui. *Quid festinas.*] *Perturbaris.* Et commotus dicit *Prorsus*, actu commoto, fello, & anhelanti, ob perturbationem & contentum cursum.

26. *Animum recipe.*] Quod in lectione gestu ostendi minime potuit, id ex verbis Softratæ ostenditur in Geta. Nam ideo dicitur, *Animum recipere*, quia ille præ anhelitu crebriora verba continere non possit.

27. *Perimus, actum est.*] Jam bina verba junguntur. *Perimus, actum est.*] Verba sunt desperationis. Nam *Actum est*, dicitur in ea re, de qua jam lata sit sententia. *Eloquere obsecro quid sit.*] Bene *Eloquere*, nam conatur tantum, quod nec explicatur, nec intelligitur: cui vitio

contraria virtus est eloquentia. Jam plus hic gestu, quam dictu agitur: quia ut supra diximus, & lassus est qui nuntiat: & integratur dolor nuntii, quum apud illam loquitur, ad quam maxime calamitas pertinet: quo dolore, vox plerumque subtrahitur atque singultit: & simul dat signum perditarum rerum.

28. *Alienus est à nostra familia.*] Bene *alienus*. Geta enim ipsi jam dominus, Softratæ gener, Pamphilæ maritus vocabatur.

29. *Amare ocepit aliam.*] Pejus est *Amare ocepit*, quam *Amat*. Nam in eo quod dixit, *Ocepit*, augmenta mali metuenda significat: ut in principis quæ actum respiciunt, non statim immunitationem inspicant, Et *Ocepit* magnum facinus dixit. *Va misera mihi.*] *Mire* interponuntur mulieris affectus novo nuntio.

30. *A Lenone ipse eripuit palam.*] Sic nuntiat, ut ultima pejora sint. Et his argumentis vult probare, quod immodice amavit *Æschinus*, qui plus quam virginem, id ipsum quod pudor nec hortatur, nec consulit, amat. Quis autem magis potuit impudens esse, quam qui post honestum amorem, ab Lenone amet? Hoc etenim significat meretricem. Ergo non honestum, sed ab Lenone: non per alium, sed ipsius: nec emittit, aut abduxit, sed ob impatientiam valde amantis eripuit, neque id occulte, ut qui celaret factum, tanquam satisfactorius uxori videretur: sed palam.

31. *Satin hoc certo?*] Magnis malis non statim creditur. Hoc ergo ex dolore dixit, quod stupet audiens: non quia non habet fidem. *Hisce oculis.*] *Ἰδωνόμοις* asseverantis. *Ah.*] Interjectio est flentis.

32. *Me miseram.*] Mira affectio, nam lachrymæ non sinunt finire sensum. *Quid credas jam? aut cui credas?*] Fides, aut personæ qualitate servatur, si gravis persona est cui creditur: aut ipsius rei qualitate, si ea res creditur, in qua fallere cui creditur, aut non potest, aut non debet. Hic ergo mire in utroque jam fidem dixit nullam esse, & in persona, & in re. Quod *Virgilius* transfudit, breviusque dixit,

Nusquam.

Nusquam tuta fides.

Hoc est, nec in re, nec in persona. Et hic ipse in *Heautont.*

Pro Iuppiter, ubinam est fides!

33. *Nostrum nunc Æschinum, nostram vitam omnium.*] *Ἐλαττινωδὸς* omnia: quia stertus impedit verba, deest autem, Hoc fecisse, vel quid tale.

34. *Sita erant.*] *Sita*: positæ, nam *situm* est quidquid in loco suo positum non evertitur.

35. *Positurum puerum.*] *Puerum* dixit, si puer nasceretur: non quia divinabat. Ad votum ergo cupientis rerulit *Puerum*: non quia necesse esset marem nasci. Et hæc omnia magno stupore dicuntur, ad exaggerandam perfidiam illius cui creditur, & dolorem eorum qui crediderunt.

37. *Hera, lachrymas mitte, ac potius quod ad hanc rem opus est.*] Hinc *Virgil.* *Non lachrymis hoc tempus, ait, Saturnia Iuno.*

Sentit autem, non lachrymis agendum, ubi consilio opus est. *Porro consule.*] *Porro*, in reliquum, deinde, vel in futurum, *Porro* enim, ordinis & temporis adverbium est, non conjunctio.

38. *Au: mi homo, sanus ne es?*] Hoc ex persona nutricis legendum est, illa enim dissimulandam rem putat. *Mi, pro meus.*

42. *Tua fama, & gnata vita.*] Tibi enim crimini erit, vitiatam esse filiam: illi etiam oberit. Et utrum *Vitam*, salutem dicit? *In dubium.*] In periculum.

43. *Fateatur.*] Vitiasse filiam. Et complexio enim, *Ἰπλεωρος* oratoria, in qua utrum senseris, contrarium tollis: cogiturque * quod ex altera parte sit, hoc est tacere.

44. *Quapropter quoque pacto.*] *Congrue* & pro persona, & pro muliere hoc dictum est: eamque in malis constantem esse demonstrat.

45. *Non faciam.*] *Non faciam*, dixit, pro *Non tacebo*: quasi *Tacere*, aliquam actionem habeat, sed moralis significatio est, & communis omnibus: sicut *advocatum* dicimus *male fecisse*, quum tacuerit.

46. *Pejore res loco non potest esse.*] Satis argute inter *Getam* & *Softratam* sen-

tentias ex perturbatione facit nutare. *Quam in quo nunc sita est.*] *Causa* nihil timendi. *Primum indotata est.*] *Ratio* subiecta est causæ: & *indotata*, pauperem modo dicit. *Tum præterea qua secunda ei dos erat.*] Videlicet, dari pro virgine nuptum. Et incerta distinctio est: etenim erat bis subaudiendum, *Pro virgine dari nuptum.*

48. *Non potest.*] *Jungendum*, *Dari nuptum*. Et *pro virgine*: id est, virgo: ut, *Nunc plane est pro nova*, id est, nova. Aut nec virgo, nec pro virgine nubere potest. non virgo: quia vitiatata est, nec pro virgine: quia res diffamata est.

49. *Si inficias ibit.*] Si negabit. *Testis mecum est annulus.*] *Locutio* hæc sic capienda est: hoc est, annulus pro me testis. Vel sic, *Annulus & ego testes sumus.* Sed melius quod supra.

50. *Postremo quando ego conscia mihi sum.*] *Quando*, pro quoniam: vel *Quando*, pro quidem.

51. *Neque rem ullam.*] Hoc est internuntium, pactum clam, aut promissum. Et bene totum execrative dixit: ut alii facinora abhorreant. *Ille.*] *Filia* scilicet.

52. *Experiar.*] Apud iudices agam. *Quid istuc?*] Verbum est ægre consentientis: quasi qui dicat, *Quid hic resistam? Accedo ut melius dicas.*] Id est, ut consentiam, velut qui melius possim dicere. *Quantum potes abi.*] Deest *Cito*: ut sit, *Quantum potes, cito abi.*

53. *Aique Hegions.*] Apud *Menandrum* Softratæ frater inducitur. *Hujus.*] *Filiæ* suæ scilicet.

54. *Simulo.*] *Nomen* patris puellæ: diminutivum à *Simo* vel *Simone*. Et nota nomen in palliata fabula Latine diminutivum. *Simulo fuit summus.*] *Summus*, an ad cognatum, an ad amicum refertur? an absolute ponitur, ut in *Eunucho*? *Plurima salute summum suum imperit Gnato.* Et nos coluit maxime.] Et miserabilis *Coluit* dictum est, quam si diceret, *Colit.* *Virgil.*

Per caput hoc iuro, per quod pater ante solebat,

Colere enim, & majoribus & minoribus convenit. Ut,

Posthabita coluisse Samo. —

55. *Nos.*] *Monosyllabo* finit, vultus

fam exprimens pronuntiationem. *Tu mea Canthara.*] Tristis ac seriae foeminae blandimentum est *Mea* potius, quam pronomen possessivum. Deest enim *Chara*, vel quid tale: quo addito, pronomen staret *Mea*.

56. *Curre.*] Mire dictum est ancilla *Curre. Ut quum opus sit.*] Id est, quum adesse cœperit partus. *Ne in mora nobis fiet.*] Locutio qualis supra.

IN SCENAM TERTIAM ACTVS TERTII.

1. *Disperii: Ctesiphonem audivi filium.*] Hic ostenditur quod se veri homines, ac recti & honesti tenaces, vel ridiculi sunt, vel odio habentur quoquo accesserint. Magno autem affectu, & quasi exclamantis addidit *Filium*: quasi causam redderet cur dixerat, *Disperii*.

2. *Vna adfuisse in raptione cum Æschino.*] *Οικονομία*, in qua ostenditur, quantum commovebitur Demea ipsa re comperta, quum ex parva rei suspitione tantum se afficiat. *Raptio* autem ad personam refertur, *Rapina* ad rem, *Raptus* ad stuprum, si volumus proprie loqui.

3. *Id misero restat.*] Bene *Restat*: tanquam jam summum malum sit, *Æschinum* esse corruptum. Et, *Misero mihi*: quasi qui nihil nesciat, nihil curante Micionem. *Si illum potest.*] Non dubitat velle: & ideo dicit *Potest*.

4. *Qui alicui rei est.*] Recte. de hoc enim supra dixit, *Non fratrem rei dare operam videt? ruri esse parcum ac sobrium. Etiam eum ad nequitiam abducere.*] Quasi invitum dixit, non *Vocare*, sed *Abducere*. *Ducimus* enim volentes: sed *abducimus* invitos. *Nequitia* autem proprie libidinosa inertia dicta est: quod nihil queat, nullique rei apta sit. Unde & *nuga*, quod nihil agant, vel à non agendo.

5. *Credo abductum.*] Non iisse, sed abductum esse: quasi adhuc culpa non sit illius. *In ganeum aliquo.*] Veteres *ganeum*, meretricum tabernam dixerunt, *ἄνδρ' ἢ γὰρ, τὸ τ' ἐστὶ, ἢ γὰρ*. quod ipsa sit in terra, non ut cœnacula superius. *Unde & taberna, quasi trabena,*

a validioribus dicta trabibus, quibus superiora suspensa sunt.

6. *Persuasit illi impurus.*] *Suademus* facilia, *Persuademus* difficilia. Et *suadere* facientis est, *Persuadere* perficientis. *Impurus* autem pro improbo ponitur apud Terentium. Et hic quoque excusata voluntas est Ctesiphonis, cui à majore fratre & improbo ingesta sit persuasione nequitia.

7. *Sed ecceum Syrum ire video.*] *Ire*, & *abire*, & *venire* significat. *Ire video.*] *Ire*, pro venire, ut, *Nec vero Æacidem me sum latius euntem Accepisse lacu.*

8. *Atque hercle hic de grege illo est.*] Figura *ἐπανάληψις*, de grege illo est. *Ordo* vel bonorum, vel malorum dicitur, & gravium; ut *Equester ordo*, *senatorius ordo*. *Grex* vel bonorum, vel malorum est, & levium, ut *Cicero*. *In his bonis gregebis omnes aleatores, omnes impuri impudicique versantur.*

9. *Quaritare.*] Instanter querere. *Carnufex.*] Pro ganeo positum est.

10. *Non ostendam me id velle.*] Scilicet, scire ubi sit.

11. *Quo pacto se haberet, enarramus ordine.*] Hoc recte: quia dixerat Micioni, *Si quidquid est, volo scire, atque hominem convenire, si apud forum est.* Et *Enarramus*, pro enarravimus, ut, *Omnis humo fumat Neptunia Troja*. Et *Ordine* bene: quia simpliciter fateatur. *Fallax* autem & captiosa narratio est, quod timemus fateri.

12. *Nihil quidquam vidi latius.*] *Quartum παρέλκον.*

13. *Homini stultitiam.*] Scilicet quia latatur, ignorans ubi Æschinus sit. *Collaudavit filium.*] Plus additum est, non enim solum non *Accusavit*, sed & *Collaudavit*.

15. *Disruptor.*] Mire: his enim verbis commovetur, *Collaudavit & Egit gratias*, Et vide *ἄωζνον* stomachi reservatam. *Argentum adnumeravit ilico.*] Contra illud est, *Cur tu his rebus sumptum suggeris?* Et non solum inquit, *Adnumeravit*: sed quod pejus est, *Illico*.

17. *Id distributum.*] *Distributum*, in diversa tributum: id est, dispartitum per pulmentaria.

18. *Huius mandes, si quid recte curatum*

velis.] *Ἐξουεία*, est majoris stomachi: quia ille dixit; Ex sententia distributum: id est, ut indicat Demea, dilapidatum. Sic alibi, *Column familia nostra, bone custos, salve.*

19. *Ehem Demea.*] *Ehem*, interjectio est commoti, & quasi perculsi re subita & nova. *Quid agitur?*] Blandientis est, non interrogantis, ut alibi, *O noster quid fit? quid agitur?*

20. *Nequeo mirari satis rationem.*] *Mira* sunt etiam illa, quæ vehementer prava sunt. Et ideo *Mirari*, pro horrere & reprehendere positum est. Et *Rationem ἰδιωπρός* dixit malam: quum non sit ratio nisi bona, sed sic loquitur populus.

21. *Est hercle ineptia.*] Hoc ad senem. *Ne dicam dolo.*] Ne mentiar, id est, ex contrario dicere videar: sed ut sedulo dicam.

22. *Atque absurda.*] *Ineptum*, est stultum tantum: *Absurdum*, quod & stultum est, & in ipsa stultitia diversum, & quasi repugnans sibi. Sic ergo locutus est, ut videatur ineptam rationem ad Æschinum referre: absurdam ad Micionem, quem jam fieri stultum, contrarium senectuti est.

23. *Congrum istum maximum.*] *Διὰ τὸ μέγιστον*: quia erant alii, non maximi, ut è contrario, *Argitisque minor*, quia est & major. Nam *Istum* quod ait, *δεικπὸν* est, videtur enim ostendere digito, quem dicat, *In aqua finito ludere paulisper.*] Sic ostenditur bene obsonasse, qui vivos adtulit pisces: nana non ludit piscis, nisi vivus.

25. *Præus nolo.*] Superbe, & pro auctoritate: non dixit *Non oportet*, sed *Nolo*. subauditur, purgari eum. Et nihil ex mora corruptelæ accessurum pisci ex eo ostendit, quod ait *Ludere*, hoc est vivere, & non læsum vivere, non enim dixit, *Natare*: quod etiam possunt languidi pisces. Ipse insuper planum fecit quid sit *Purga*, dicendo *Exossabitur*. *Purga* igitur, exossa significat: non ut quidam putant, *exossabitur*, comederetur. *Mihi quidem non placent.*] Plus hoc ad senem. & vide quam totum superbe, & confidenter dixerit ob amicitiam omnium dominorum, excepto uno Demea,

quem tantum præ illis contemnit.

26. *Salsamenta.*] Hoc ad discipulum. *Salsamenta*, aut falsi pisces sunt, aut larium. *Salsamenta hæc, Stephanio.*] In tota comœdia opera danda est, ut stomachetur Demea: excepto quod se ipse in fine commutat. Hæc ergo causa est, quare Syrus quoque illi objicitur, magnifice inferens se ut luxuriosum licentemque servum: præsertim qui adolescentum pædagogus fuerit.

28. *Vtrum studio me.*] Aut ordo est, *Vtrumne*, aut est *παράλογον* tertium, aut vero per *ἑλλοψιν* accipitur: quasi dicat, utrum est? aut, utrum verum est? quod qui accipit, *utrum* subdistinguat, & separet à sequentibus necesse est. *Vtrum studio.*] Aut *Vtrum* supervacuum est, aut *Ne*: aut certe *τμήσις* figura est, pro *Vtrumne* studio id sibi habet, si sciens lædit filium? *Laudi putat.*] Quia decipit.

29. *Si perdidit gnatum.*] Et magno affectu non dixit *Æschinum*: & mire, non addidit ejus gnatum. *V & misero mihi.*] Hoc est, quod supra dixit, *Æger est, alienus non sum.*

30. *Videre videor jam illum diem.*] *Illum* dixit, quasi quendam tristem ac futurum.

32. *Quod ante pedes modo est videre.*] Hoc sumpsit Poëta de illo in physicum pervulgato ancillæ dicto, *Non videt quod ante pedes est: cæbi scrutatur plagas.*

33. *Sed etiam illa quæ futura sunt.*] Magis ridicula est assentatio, si quis maxime laudetur, quibus maxime caret.

34. *Istæc jam penes vos psaltria est?*] Dicendo *Istæc*, ostendit jam dudum se hæc indignari.

35. *Ellam intus.*] Ut, *Ellum confidens, catus. An domi est habiturus?*] Proprie: quia *haberi uxor* dicitur, & *haberi mulier*, quum coit. *Credo, ut est dementia.*] Sic & in Eunuchis, *Eam se intendit esse, ut est dementia*. Et nominativus casus esse potest, & septimus. Si septimus *Perditus*, aut quid tale subaudimus. Sed melius nominativum accipimus casum.

36. *Inepta lenitas patris, & facilitas prava.*] *Lenitas*, ad permittendum: *Facilitas*, ad ignoscendum, sic quidam. Sed ego lenitatem ad Micionem refero, qui

hæc leniter patitur: *Facilitatem*, ad Æschinum, cui hæc per licentiam facilitas datur. *Pravum* autem est, quod & ipsum lædit facientem: *Malum*, quod alios tantum.

37. *Fratris me quidem pudet, pigetque.*] *Pudet*, in his quæ turpiter facit: *Piget*, in his quæ cum damno ac malo. *Pudere*, etiam ad dedecus, *pigere*, ad dolorem refertur. *Pudet*, quod turpe est: *Piget*, quod dolet.

38. *Nimum inter vos, Demea.*] *Μεταδρόσῳσις*. nunc enim redditum est, quod supra dicebatur. & præterea repetendo *Nimum*, confirmavit superius dictum, & *Tὸ CPeMANIE* * non solvit.

40. *Tu quantus quantus.*] Id est, quantumcunque. *Nihil nisi sapientia es.*] Ridicule prius additum *Nihil*, quam quicquam laudis nomine. Deinde si *Sapiens* dixisset, non tanta esset irrisio, sed hyperbolicus accipitur, id est, stultus; *Nihil nisi sapientia es.*

41. *Ille somnium.*] Nec tu sapiens, sed sapientia; nec ille somniculosus, sed somnium. *Τὸ ἑσπέρην*. *Sineres* vero illum *tuum*?] Ab argumento fabulæ repetit *Sinere* & *εἰσωνυαῖς* interrogat.

42. *Totus sex mensibus.*] *Totus*, quasi longi sint: id est, integris, ut ne unum quidem diem minus à sex mensibus sciat, quid cœpturus sit filius. *Nimis comica & moralis assentatio.* *Non olfecissem.*] Totum ridicule. Nam quid olfecisset, qui nondum quicquam scire cœpisset, cujusque naribus nihil objectum fuisset? Nam ideo *naris à naritate* dictæ sunt, quod nos odoratu doceant præsto & prope esse, quod adhuc oculi non vident.

43. *Quam ille quicquam cœperit?*] Multum dixit, & *Ante sex menses*, & *Olfecissem*, & prius quam cœperit.

44. *Vigilantiam tuam tu mihi narras?*] Id est, quam maxime scio.

45. *Sic fiet modo, ut nunc est.*] Non dicit *Qui*; sed respice ad argumentum, & ridebis hæc optantem Demeam. *Ut quisque suum vult esse, ita est.*] Hæc sunt sententiarum & semper probabiles, & pro personis ridiculæ. *Plautus* in Milite gloriofo, *Nimia est miseria, nimis pul-*

chrum esse hominem.

46. *Quid eum? vidistine hodie?*] *Quid eum?* initium interrogationis futuræ de persona alicujus. Sic in *Hæautont. Sed Syrum quid eum? Tuum ne filium?*] Hoc clare, *Tuumne filium?* Moris est ut qui cogitat quid respondeat, interrogatione remoretur.

47. *Abigam huc rus.*] Ut pecudem, dixit *Abigam*: non ut hominem, *Mittam. Abigam.*] Hoc lentius. & *Abigam* quasi pecudem dixit: unde & *Abactores* dicti sunt. *Cicero* in *Verrinis*, *Equarum greges istum abigendos curasse.* *Iam dudum aliquid ruri agere arbitror.*] Hoc clare *Aliquid ruri agere arbitror.*] Hoc plus est, quam illic esse: vult enim cum laude ejus loqui, ut supra:

Rei dare operam, ruri esse, parcum ac sobrium?

Et *Agere*, proprie dixit, nam ab agendo, *ager* dictus est, quod in eo multa agenda sunt.

48. *Qui egomet produxi.*] Mutata præpositione, non *Deduxi*, sed *Produxi*, dixit: id est, *porro duxi*.

49. *Metui ne hæretet.*] Hæc translatio ut sublevar *Ctesiphonem*, ita *Æschino* invidiosa est, nam hæret avis, non animo, nec voluntate, sed visco decipientis aucupis.

50. *Quid autem?*] *Quid* pro quare, vel ob quam causam. *Virgilius*:

Qua fortuna viris, classem quo littore linquant,

Quid veniant. — Cui contrarium in significatione * id quod te oro. *Adortus jurgio est.*] *Agredimur*, de longinquo: *Adorimur*, ex insidiis & ex proximo. nam *Adoriri*, est quasi aliquem oriri, id est, exurgere.

51. *De psaltria istac.*] Hic mire senem imitatus est, & memoriter; quia ille dixerat, *Quid id istac jam penes vos psaltria sit? Nihil reticuit.*] Mirum enim, minorem fratrem non pepercisse majori: nec reticuisse quicquid erat opus.

52. *Intervenit homo de improvise.*] *Intervenire* est in medio negotio, quasi ex insidiis supervenire, & opprimere in ipso actu eos, qui rem celatam vellent. Et vide quam oratorie narret gestionem rei, quæ nunquam facta sit: his enim

ides sit. *Cœpit clamare.*] *Ἡδυναῖς*, *torum*, & *Cœpit*, & *Clamare*: & quod sequitur.

54. *Æschine, haccine flagitia facere te?*] Est accusatio à persona: & vide pondus in nomine *Æschini*. *Hac te admittere?*] *Ἀδύνατος*. nam plus est *Admittere*, quam *Facere*. *Hac te admittere indigna.*] *Pronum* est hæc statim credere Demeam, de eo quem superius laudaverit,

— *non fratrem videt*
Rei dare operam ruri, esse parcum ac sobrium?

Unde mira Poëtæ arte, & initia & media, & postrema sibi congruant atque respondent.

55. *Lachrumo gaudio.*] Immoderata lætitia, maxime parentum, lachrymas habet. Recte ergo additum est, *Gaudio*: quia lachrymæ solum mœrorem significant.

56. *Non tu hoc argentum perdis, sed vitam tuam.*] Hæc figura oratoria *δενότης* dicitur: qua ostenditur, non esse mediocre quod factum est.

57. *Hui!*] Quasi admiretur ipse, quæ narrat.

58. *Syre, præceptorum plenus istorum ille.*] Vide Demeam non desinere culpam *Æschini* in Micionem conferre: quum è contrario præceptorum suorum vult esse, quod sapit *Ctesiphon*. *Istorum.*] Quæ dicit; scilicet, *Non tu hoc argentum perdis, sed vitam tuam. Phy.*] Interjectio mirantis est.

59. *Domini habuit unde disceret.*] *Vnde*, id est, de quo. *Fit sedulo.*] *Ἡδυναῖς* dictum est. *Fir.* Et *sedulo*, sine dolo, id est, instanter: quia negligentes dolosi dicuntur.

61. *Inspicere, tanquam in speculum, in vitam omnium jubeo.*] Videndum, an recte speculum induxerit, quum alienas vitas dicit inspiciendas esse, nisi forte hoc ad causam admovendi speculi, non ad effectum referamus, nam causa inspiciendi speculi, emendatio est vultus: effectus, formæ per imaginem resultatio.

63. *Callide.*] *Callidus* dictus est etiam qui exercet dolos. *Callidus* dicitur, qui callum sibi usu artis induxerit.

64. *Hoc laudi est, hoc vitio datur.*] Non philosophicè, sed civiliter monet, non enim dixit: *hoc bonum*: sed, *hoc laudi est*, nec *hoc malum*: sed, *vitio datur*. Ergo ut idiota & comicus pater, non ut sapiens & præceptor. *Istac res est.*] Non quam rem gerit Micio: non ut ille agit. Et significat, *Hoc verum est, hoc utile est.*

65. *Porro autem.*] Prope delinitus erat Demea, contra institutum argumenti. Artificiose igitur Poëta subjecit ex persona servi, unde illum ad amaritudinem provocet. *Porro autem.*] At vero, & hujusmodi principia narrationum sunt, quibus superiora sequentibus connectuntur.

68. *Nam id nobis tam flagitium est.*] Non dixit, *Peccatum*, irridens senem: sed *Flagitium*. Et quidem flagitium, corrumpi pisces, vel talia.

69. *Quod queo.*] Quod possum. Sed sic maluit dicere, ut allusionem de sua arte faceret Syrus: & hac re ostenderet, nihil ab illo dici serio. *Quod queo.*] *A* coquendo sumpsit *μαροῦτος*. Sic & infra: *Sedulo moneo qua possum pro mea sapientia.* Et *Ciceronis* dictum refertur in eum, qui coqui filius secum causas agebat: *Tu quoque aderam huic causa.* Nam apud veteres *coquus* non per *C* literam, sed per *Q* scribebatur.

70. *Ad eundem istunc præcipio modum.*] Arguta imitatio ad deridendum Demeam, omnium quæ serio ille supra dixerat.

71. *Hoc falsum est, hoc adustum est.*] Hæc contextè & conjunctè dicuntur: quia non vicissim Syro assentatur senex.

73. *Pro mea sapientia.*] *Διαπνεύσις* *Sapientia* dixit; quia condimentum gustu ac sapore temperant coci.

74. *Tanquam in speculum.*] Et hic *Speculum* non ad imaginem vultus, sed ad contuitum contrapositionis rei retulit.

76. *Nos que facimus.*] Non coci, sed Micio, *Æschinus*, & familia. An *Nos* pro *Domini* posuit? An *Nos*, pro *Ego*? & hoc melius, *Sentio*.] Cum dilatione & vultuose dicendum *Sentio*.

77. *Verum quid facias?*] *Quid facias?* pro quid faciat, unusquisque scilicet. *Ut homo est ita morem gerat.*] Utrum aptum

proverbiuum sit servus, an etiam amicus: Ut est, *Obsequium amicos, veritas odium parit.* Et hæc sententia modo velut querela, demissa voce proferenda est.

78. *Mentem vobis meliorem dari.*] Πῆγος τὸ *Vis*. respondet agresti feritate, nam respondendum erat, *Recte*, aut *Vas leas*, sed hic, ne vel abiens blandus esset, pro salutationibus ipsis amara supponit. Et memento etiam hunc eundem in salutationem relinquere, qui adveniens paulo ante, nec salutaverat nec resalutaverat fratrem. *Melior* autem, pro bona ac tolerabili posuit, non enim bonam credit, ut meliorem optet. sic *Virgilius*,

DI meliora piis, erroremque hostibus illum.

79. *Tu rus hinc abis?*] Vult Syrus nosse an eat, *Tu rus hinc abis?*] Qui consuetudinis memor est, animadvertit has interrogationes non inquirendi causa poni, sed admonitionis loco esse apud eos, quos velimus abscedere. Sic igitur interrogat ut hortetur: & sic pronuntiat, ut & sciat, & approbet quod rogat. *Nam quid tu hic agas.*] Addidit hortatum, ut quam primum abeat.

81. *Quando is, quam ob rem.*] Nova locutio, *Is quam ob rem*: pro, *Is propter quem*, sic & alibi, *In eo me oblecto: solum est charum mihi.*

82. *illum curo unum.*] *Vnum* cum exceptione, & tamen sic loquitur, ut appareat illum non posse sibi imperare oblivionem Æschini, nam idcirco addidit, *Quando ita vult frater de istoc ipse videtur.* *Amare cepit.* & ideo tenet, *Nam ambo curare, propemodum reposcere est illum quem dedisti.*

84. *Quis illic est quem procul video? estne Hegio.*] Inventa causa est, cur non abeat Demea, propter reliquam fabulæ partem: & simul aliud additur, quo indignetur. Bene autem dubitat, & familiam * inveniat civem, & multum abfens a conspectu civium.

87. *Ne illiusmodi jam nobis magna civium penuria est.*] *Ne*, valde, *illiusmodi.*] Cuiusmodi est Hegio, id est, qualis. Et magna *οἰκονομία* tenex laudatur, ut postulatiōni ejus statim adfit fides.

89. *Haud cito mali quid ortum ex hoc sit publice.*] Utrum hoc optantis est, ne moriatur? an est testimonium vitæ hominis numquam obfuturi reipublicæ?

90. *Vbi etiam hujus generis reliquias restare video!*] Paucos ac raros bonos, nam *reliquias*, pro relictis paucisque dixit, ideo *Restare* etiam dictum est.

91. *Vivere etiam nunc lubet.*] Ex hæc delectatione ostenditur Demea, & quam peccantibus sit amarus ac sævus: & quam facile hujus incusatione, tanquam gravi testimonio crediturus sit: & quantum doliturus super Æschinō, qui displiceat talibus viris.

IN SCENAM QUARTAM

ACTVS TERTII.

1. *P Rō DI immortales!*] Hæc scena fit dem amici erga defunctum, maturitatem senilis orationis, & accusationem ejus, quem lædere nolit ipse accusator, continet. *Facinus indignum.*] Jam narravit Geta: & recte, non enim apud spectatores iterum fuerunt dicenda, quæ dicta sunt. Illud sane admirandum, ejusmodi Hegionis verba induci, qualia esse debuerunt tantopere laudati viri, & ejusdem Hegionis ac Demea.

2. *Quid narras!*] Mirantis est, non interrogantis.

3. *Tam illiberale facinus.*] Id est, non odisse cui succenseas, laudare homines, factum reprehendere. *O Æschine, Pol haud paternum.*] Mira maturitas: in qua nescias utrum magis injuriam illatam orbæ virginī, an Æschinum peccasse, plus doleat. servatur enim in Hegione, quod vir bonus sit & amicus.

4. *Haud paternum istuc dedisti.*] Deest, *facinus.* & *Dedisti*, pro fecisti. Sed sic dicitur in re magna: ut,

— dabit ille ruinas

Arboribus, stragemque saxis. — *Videlicet de psaltria hac audivit.*] *Videlicet*, confirmativum est. Ut *videlicet*, videre licet: sic *scilicet*, scire licet: *ilicet*, ire licet.

5. *De psaltria hac audivit.*] Sic errat Demea, ut intelligatur quantum debeat irasci in iis, quæ inopinata audivit.

6. *Is nihili pendit.*] *Is*, abundat. ut in Heauton. *Peri: is mihi, ubi aubibi plus paulo, sua qua narrat facinora!* Aut *is*, pro ipse subjunctivum pronomen minus quam finitum.

7. *Vnam hic prope adessei.*] Quasi sibi non crediderit dicenti, *In ore est omni populo.*

8. *Ni.*] Si non, significat. *Qua illo equum est.*] Subauditur, *Facere*, a superiori, per *σύντην* intellectum, *Haud sic.*] *Δήπιον* est. *Haud sic auferent.*] Quomodo accipimus, *Haud sic auferent?* an, *Factum suum auferent sic*; An, si correxerint culpam, non silentio transiuros ipsos, vel ipsum quod factum est, *Haud sic auferent.*] Id est, leniter abibunt, vel subtrahent culpam, *Haud sic auferent.*] Senilis & matura comminatio, & est sic demonstratio, gestum continens levissimæ ac parvæ significationis.

9. *In te spes omnis, Hegio.*] Ut narratio non fuerit necessaria: ita preces interponenda sunt.

10. *Tu es patronus, tu parens.*] *Patronus* aut temporale nomen est defensoris: aut certe appellatio est, per quam ostenditur, quid illi cultus & obsequii debeatur. est enim nomen ad aliquid. *Parens* autem, veri amoris nomen est: & aequali loco continet interpretationem. Et vide quam vigilanter Poëta, quum simpliciter matronam de absente Hegione loquentem induceret, *Coluit nos*, dixit: quum servus & supplex ad presentem loquitur, *Tu es patronus*, inquit.

11. *Ille tibi moriens nos commendavit, senex.*] Servus magnum veritatis indicium addidit dicendo *Moriens*: nemo enim moriens non vera loquitur & urgentia, unde in jure ultima judicia certiora sunt. Sic alibi, *Hanc mihi in manum dat: mors continuo ipsam occupat.*

12. *Si deseris tu, perimus.*] Proprie, quasi patrono, nam Socius deficit, *Parens* prodit, *Patronus* deserit. Sic *Salustius*, *Post defectionem sociorum & Latii.* Et,

— unius ob iram

Prodimur. —

Et,

Prodidisti & te, & illam miseram,

& gnarum: quod quidem in te fuit Plautus,

Qui libertos habent, eos deserunt. Hinc & milites, qui defenso es patriæ deberent esse, *deseriores* esse licuntur. Hæc autem omnia magnam vim habent, si per singulas partes orationis considerentur, ad commovendum precibus Hegionem. Et, *Tu es patronus*, ab honesto: *Tu es parens*, a iusto. *Si deseris tu, perimus.*] Et huic rei maxime respondet oratorie, quæ illum maxime commovit. Ut,

Ergo ego victa sum. —

Et,

Pulsus ego? —

Alii *αἰὲς τὸ περιμύς: τὸ εὐφημισμῶν* responsum putant.

13. *Satis pie posse.*] Deest, *facere.* *Neque me satis pie posse arbitror.*] Honestæ locutio, quæ significat, quicquid fecerit pro pietatis debito illis merito parum esse. Sensus autem hic est, *Neque faciam quod nefas est, ut vos deseram: nec hoc ipsum quod facio, satis pium est pro tanta necessitudine.* Et bene addidit *Satis*, ut, *Et sapiens, non tamen satis.*

14. *Salvare Hegionem plurimum jubeo.*] Ideo providit Demea, non provius est: quia oportuit illum audire quæ loqueretur Hegio, & ex illius jam verbis ad indignationem moveri. *Jubeo* autem, volo significat: ab eo quod sequitur, id quod præcedit. Non jubemus enim, nisi quod voluerimus, & est *Homericum*:

Κέλκυε με πῦρ ἀποδοῦναι ἐδέχομαι
ἰδὲ πτοεῖ.

CYNENNIAIENA.

16. *Major filius tuus Æschinus.*] Arrogantissima postulatio: in qua, ne statim Demea diceret, nihil ad se hanc querelam pertinere, quippe qui Ctesiphonem curare debeat, infertur causa cur non dissimulet pater: quia filius: quia major est: quia Æschinus, si quid est in ipso nomine charitatis: quia fratris adoptivus: quia bonus & liberalis, & contra hæc, quibus laudatus est, fecit.

17. *Neque boni.*] Quasi id quod est, velit quod esse debet.

18. *Neque liberalis functus est officium viri.*] Querendum inter bonum & libe-

ralem quid interfit. An bonus est, qui non nocet? Liberalis, qui etiam prodest? An bonus, qui non peccat in facto? Liberalis, qui nec verbo quidem.

20. *Æqualem?*] *Quidni?*] Plus est *Quidni*, quam *Noveram*, nam quasi corripit dubitantem, dicendo *Quidni?* ut subaudiatur, *Noverim*. *Etiam ejus virginem vitiauit.*] Vides quantum valeat injuria, vel dignitas personarum. Non contentus facinore, personas credit ante proponendas. *Hem.*] In terjectio nunc est irati, & est irati vehementer: quippe qui aliud vitium audiebat, præter crimina quæ sciebat.

22. *Quod est gravissimum.*] Quia illud grave. *An quicquam est etiam amplius?*] *Amplius*, quantitatis est, nam ideo, Nondum etiam audis quod est gravissimum. *Amplius*] Id est, majus.

24. *Persuasit nox, amor, vinum, adolescentia.*] *Pævus* in Bacchidibus: *Quia isthoc illecebrosum fieri nihil potest: Nox, mulier, vinum, homini adolescentulo.*

Et hæc omnia ab impulsione parte dicuntur, non à ratiocinationis: ideo & *Persuasit* dixit: nam instans persuasio, *impulso*, dicitur: ut ipse, *Dum in dubio est animus, paulo momento huc illic impellitur*. *Persuasit nox, amor, vinum, adolescentia.*] Hæc inferuntur ἀσυνέτως, ut multa videantur. *Vinum.*] Plus dixit, quam si *vinolentiam* diceret, ut, *Tu nihil nisi sapientia es, ille somnium*. Proximum huic, & simile, est in Hecyra:

— cum virgine una adolescens cubuerit
Plus potus sese illa abstinere ut potuerit.
Non verisimile dicis, nec verum arbitror,
Virgilius:

Bacchus & ad culpam causas dedit. —
25. *Humanum est.*] Nihil tandem ex ea sumptum consuetudine est, quod non humanum, & hoc dicere solemus, ubi peccatum quidem non negamus, sed tolerabile esse dicimus. *Vbi scit factum.*] Id est, intelligit & sentit: quia supra furaræ * peccaverit: & quia qui impulsione peccat, non peccat ratiocinatione. Hic locus illi rei occurrit, *Cur ergo tacuisti.*

26. *Venit ipse ultro, lacrumans.*] *Miser:* & ad matrem venit ultro, lacru-

mans, ne, quod leniter aut mollius mulier tulisset, prope passionem iniuste videretur. *Orans, obsecrans.*] *Orare*, est placidos petere: *Obsecrare*, iratos rogare. Unde plus facit obsecrans, quam orans: plus vero orans, quam rogans. *Cicero, Orare & rogare.*

28. *Ignotum est, tacitum est, creditum est.*] *Ασυνέτως* per *αὐτομάτως*, ut solet, hic loquitur: ut, *Imus, venimus, videmus*. *Ignotum* est autem, quod ultro venerat & lacrumans: *tacitum* est, quod orabat & obsecrabat: *creditum* est, quod fidem dabat & jurabat. Et honestius impersonaliter, quam *ignovimus, tacuimus, credidimus.*

29. *Virgo ex eo compressa gravida facta est.*] Hæc addidit, ne ex viliori usu & inhonesta patientia virginis ad conceptum libido pervenerit, & præterea quia & hoc potuit dici: Ille quidem vitavit virginem: sed quid si ex alio concepta postea, quæ nunc gravida facta est? idcirco & à vitio virginis tempus ostendit: ut cum facto ratio conveniret.

30. *Ille bonus vir nobis psaltriam, si Dis placet, paravit.*] Conclusio accusationis, & *Bonus vir, εὐνοεῖα* quidem est, sed ab eo posita, qui indignetur virum bonum esse debuisse, qui non sit, ut supra, *Neque boni, neque liberalis est fundus officium viri*. Et simul considera, quo nomine Æschinum vocet, virum appellans scilicet, qui vult ejus certa esse promissa, & qui illum jam pridem videri maritum velit. *Nobis* autem, ex abundantia τῷ ἰδιωτισμῷ ad indignationem relatum est, *Si Dis placet.*] Bene interpositum ad invidiam, *Si Dis placet*: scilicet per quos juratum est. *Ille bonus vir.*] *Εὐνοεῖα* indignantis in loco addita est verbis ardentibus. *Psaltriam nobis.*] τῷ ἰδιωτισμῷ, sic enim dicimus, & est consuetudinis pervulgatæ.

31. *Illam deserat.*] Id est, cui è contrario, dum vivat, obstrictus est. Et *Deserat*, virginem scilicet.

32. *Pro certione tu istac dicis?*] Hoc ideo non dicit, quia fidem non habet narranti: sed quia miratur scelera *Mater virginis in medio est*] Terribiliter factis, *In medio est*: quasi retineri non possit,

sit, nec cohiberi quin rem probet. Et præterea, quum argumentorum generatio duo sint, *επιτεχνον* & *ὑπὸ τεχνον*: sicut in rebus manifestis, ἀ τεχνον utitur. Hoc ergo sublatis superciliis dicendum est, *In medio est*, nam lentius erat, si diceret, *Præsto est.*

33. *Ipsa virgo.*] Scilicet quæ in Æschinum reum & testis & crimen est. Et ideo addit, *Res ipsa*: Id est, pondus utrius, exactis ad pariendum mensibus.

34. *Præterea, ut captus est servorum non malus.*] Ad hæc, intelligamus aliter dici non inermem *Socratem*: aliter non inermem *Servum*; aliter non malum *Scipionem esse*: aliter non malum *Servum esse*. *Præterea, ut captus.*] An, quantum capit animus servilis, tantum non malus, neque iners *Geta*? An *ut captus est servorum*, quem admodum sæpe aucupium in servis habendis bonum evenit? Ut in captivum, vel piscium, vel ferarum plurimum fortuna dominatur. Et hoc ideo, quia servum evenire bonum, non ratio est aut natura, sed casus est, utpote in rarissima: ut sit, *ut captus est servorum*, id est, eventus est in servis, *ut captus est servorum.*] Id est, ut se habet conditio servorum. *Afranius* in *Simulante*, *Is ut servorum captus est, facillime domo atque nostra familia provenditur*. Ergo *captus* sortem intelligo. *Non malus.*] Id est, fidelis.

35. *Neque iners.*] Id est, artem habens. Oratorie futurum testem & indicem laudat: sed ne inprobe facere videatur, parcius id facit, non enim dixit, *bonus & solers*: sed, quod in servo sufficit, *non malus, neque iners*. Et proferendi *Getae* hæc maxime causa est, ne quod permittere videatur in servo pauperis, atrocius fiat, & simul ut hæc ἀεὶ ἐπιτεχνον non contrister *Getam*: quem prius laudat, dicitur, *Hunc abduce, vinci, quare rem.* Alit illas: *solus omnem familiam sustentat.*] Duas hic res docet: & unde hæc vivat, quod testimonium pudicitiae est: & gravem testem posse esse *Getam*. *Solus.*] Incerta distinctio est, *solus*, sed melius, *Solus omnem familiam sustentat*. Hoc verbo tenuis victus ostenditur, quod bene frugi esse monstratur in foeminis.

36. *Hunc abduce, vinci, quare rem.*] Non multum permittit, utpote de alieno servo; ideo *Geta* plus de se largietur. ipse tamen ἀσυνέτως tria posuit, ut multa videretur dicere. *Hinc abduce.*] Ut *Tu Voluse armari Volcorum edice manipulis*. Nam postea *E* litera, hujusmodi verbis aucta est. *Hunc abduce; vince.*] Bono ordine, & *Abduce*: ab hoc illuc ubi nemo possit intercedere. & *Vinci*: ne solutus, ut sciat si verum servus accuset. *Quare rem.*] Latenter præter vincula, etiam tormenta significavit, nam hoc *Quare rem*, pete rei veritatem, significat.

37. *Imo hercle extorque.*] *Ἄτεχνον* τίσις. Et bene ipse de se plus & apertius, quam *Hegio*, largitur. *Extorque.*] Multum dixit: non *Torque*, sed *Extorque*. *Torque* enim hominem: *Extorque* veritatem.

39. *Pudet.*] Aversus hoc dicit, & perturbatus *Demea*, Majoris erit ponderis *Pudet* dictum, si *Me* nec addas, nec subaudias.

40. *Differror doloribus.*] *Divellor*, difficrucior, dilaceror. Et proprie hoc genus querelæ convenit parturienti, & cui viscera distenduntur: & ei quæ inexpertum dolorem nunc primum sentiat.

41. *Iuno Lucina, fer opem.*] Bona procuratio *Poëta*: ut & vox parturientis, pro testimonio succedat, ad inflammandum *Demeam*. Et nota, puellarum quæ in comodiis honestæ sunt, & ex amore dicuntur, aut nullam in scena esse, aut rarissimam vocem. *Fer opem.*] Partui. *Serva me, obsecro.*] Parturientem. Duas enim res poscit hæc precatio: & nascentis, & parturientis, salutem.

42. *Nummam illa queso parturit?*] Illa scilicet de qua sermo est, quid enim opus fuerat nomine.

43. *Illac fidem nunc vestram implorat.*] Hæc oratoria πλέσις est, non enim vere rogat: sed videtur hoc facere. Et *implorare*, est in malis positus cum ploratu aliquem rogare.

44. *Quod vos vis cogit, id voluntate impetret.*] Artificiose: ne totum simpliciter agendo, diffidere causæ videatur. *Vis* igitur legum intelligitur.

45. *Deos quaeso, ut vobis decet.*] Hoc est, non voluntate adversarium iore. *Ut vobis decet.*] Πατριωτικῶς dixit, non ut puellæ utile est, sed ut vobis decet. *Vobis decet.*] Græcè dixit, ὑμῶν ὀφέλιμος. & deest, *facere.*

46. *Sin aliter animus vester est.*] Officium amici exequitur in reddenda causa, cur adversarius futurus sit. *Ego, Demea, summa vi hanc defendam.*] Non dixit id quod est, *Vos ulciscar*: sed *Hanc defendam.*

47. *Atque illum mortuum.*] Idonea causa est, adversus vivos querimoniam faciendo, pro mortuo scilicet. *Qua in re, & de officio suo locutus est, & exaggeravit culpam in Æschinum, qui videbatur in uno & eodem facinore vivos mortuosque læsissè.*

48. *Cognatus mihi erat.*] Causa exposita, jam agit Hegio de persona sua, utrum recte faciat: ut quam personam inducit* ostendat habiturus. Quam amicitiarum duo genera sint, unum necessarium, id est, propinquitas sanguinis: alterum voluntarium, quo nobis etiam alienissimi conjunguntur: Micionem dicit ac Demeam, & vivos & voluntarios tantum sibi amicos esse. Simul vero, & mortuum, & non solum voluntate, sed & necessitudine amicum fuisse conjunctum. In qua re & illi non deerit, & his purgatur. Sed &, *Cognatus mihi erat*, vultu adjuvat: quia non à conjunctione inceptiva sumpsit exordium. *Cognatus mihi erat.*] Officia multa contra officium unum Demeæ amicitia ac Micionis.

50. *Paupertatem una pertulimus gravem.*] Ἐπιδραφοῦς est, quia magis conjungit malorum consortium, quam bonorum.

51. *Nitar, faciam, experiar.*] Sic dicit, ne dicat *Vindicabo*: quod vult magis significatum esse, quam dictum. Et ne ei diceretur, nihil poteris; quod ad incipiendum sufficit, dixit *Experiar.*

52. *Animam relinquam potius.*] Modesta comminatio: prius quid sibi possit evenire dixit, quam quid passurus sit Æschinus.

53. *Quid mihi respondes?*] Respondere

proprie dicitur, quum lis intenditur. *Res spondere* enim est priorem alloqui, quasi respondere, verba funderè. ut, *Funditque has ore quærelas.* Respondere posteriorè loco dicere. *Fratrem conveniam, Hegio.*] Vultuose pronuntiandum, hoc quod addidit, *Hegio*, quasi dicat; Res in manu fratris est constituta, non mea. 55. *Sed, Demea, hoc tu facito.*] Ἐμπεριπρωσις supra habitæ comminationis.

56. *Quam vos facillime agitis.*] Ut & supra, *Facilem victum parat.* Et vide quam oratorie laudes sumpserit argumenta suadendi.

58. *Equo animo aqua noscere oportet.*] Bene dixit, *equo animo*: quia potentiori & fortiori contra naturam est equitas.

60. *Redito.*] Prosequatur eum; quemadmodum apparet ex verbis.

61. *Decet te facere.*] Sollicita obsequia Hegionis, ultima in loquendo, ostendit impotentem personam contra Æschinum, quo magis gaudium crescit comœdiæ: quando tali ac tanto pauperior puella, sed tamen cupita, jungetur.

62. *Non me indicente.*] Quia dixerat, *Ipsè sentiet posterius.* Et nimis dura compositio est: sed apta irascenti, *Vitam hoc sit modo defunctum.*] *Vitam*, desperandi vim habet. *Hoc*, id est, negotium, id est, raptus virginis, *Defunctum*, finitum, id est, ut non pejora committat, *Defunctum*, finitum, id est, ne ulterius peccet Æschinus.

63. *Nimia illac licentia.*] Quam illi dat Micio.

64. *Profecto evadet.*] Per ardua & prærupta veniet.

65. *Hæc evomam.*] Non *Effundam*, sed *Evomam*: utpote quæ me ægrum faciunt, quibus me relevabo, cum langor ille egestus sit, nam *Evomam*, hoc translatione significat.

IN SCENAM QUINTAM

ACTVS TERTII.

Bono animo fac sis, Sostrata.] *Hæc sex versus in quibusdam non feruntur.* In hac scena videtur jam locuta Sostrata Hegio respondere. Potest tamen &

ipse incipere, tanquam qui & rem novaverit, & amore ejus moveatur.

1. *Bono animo fac sis, Sostrata.*] Meminisse debemus, quod dixit, *Duc me intro ad Sostratam.* & quia hoc *Intro*, in proscenio est ΠΑΤΕΡΑ ΠΑΙΤΝΝΙΝ* non post scenam. nam aliud significat, *Eamus intro*, ubi dicitur, *Intus respondebitur, intus transigetur.* si quid est quod refert, illud enim interius agitur extra omne proscenium. *Fac sis, Sostrata.*] *Sis* honorifice additur verbo, ne quod imperativo modo pronuntiatur, superbum sit. *Deductum est autem à senatusconsulti formula: ubi enim aliquid senatus consultibus injungit, addit, Si eis videatur. Et istam quod potes.*] Quia vox ipsa tristis, & circa tristem filiam, *Quod potes* dixit.

2. *Fac consolere.*] Duas res dixit, quas & ordine locutus est; Et tu bonum habere animum, inquit; & filiam fac habere. *Ego Micionem.*] Quia Demeam jam vidit.

4. *Si est facturum officium.*] Hoc dicendo, promittit eum esse facturum: nam facile est unumquemque suo officio fungi.

6. *Ut quid agam quamprimum sciam.*] Mature: neque comminatur, neque sententiam ostendit se fore.

IN SCENAM PRIMAM

ACTVS QVARTI.

In patrem hinc abisse rus?] Hic ostenditur timiditas boni adolescentuli, & verti* se ad peccandum ex delicti conscientia, & reverentia parentis apparet. Item mos veterum patrum circa filios, Syro Demeam describente.

1. *Am' patrem hinc abisse rus?*] Compendio ostenditur, quid sit jam locutus Syrus.

2. *Nunc cum maxime operis aliquid facere credo.*] Vide quasi ἰδῶμαι verbo Syri esse de opere loqui: sic enim dicit & Demea, sed illud falso, hoc serio. *Vitam quidem.*] *Apud villam sit*, subaudiendum, & distinguendum, antequam inferatur quod sequitur.

3. *Quod cum salute ejus fiat.*] Hoc

non est odisse patrem: sed tantum timere ex proprio delicto. servatur enim in eo & amor filii, & amoris effectus.

4. *Ut triduo hoc perpetuo.*] Quantum sufficiat amori, etenim non opus erat *Perpetuo* dicere, si *Triduum* dixisset.

5. *Et istoc, si quid potis est rectius.*] Deest *addi*, nam si mortem significaret, non conveniret adolescentem ita dicere: videtur enim plus temporis optasse languori.

6. *Nam hunc diem misere nimis cupio.*] Moriatur scilicet, & hoc adversus servum debet dicere, ne indecorum adolescentis personæ sit, hæc ita dixisse, quamvis ejusmodi adolescentes inducant comici, ut *Navius* in *Tribaselo*, *Deos quaeso, ut adimant & patrem & matrem meos. Misere nimis cupio.*] *Nimis* abundat more comicorum, qui hoc dicto asseverationem inculcabant, *Cupio, ut cepti, perpetuum in læticia degere.*] *Qui* & supra dixit, *Ita quaeso: quando hoc bene successit, bilarem hunc sumamus diem.*

7. *Et illud rus nulla alia causa tam male odi.*] Mire ostendit omnia ex delictis in pravum verti: adeo ut miseram putet adolescens suburbanam villam, qua recæteri delectantur. Illud ergo tanquam cum detestatione dixit: & *Male*, & *Nimis*, & *Misere*. Nam *Nimium*, & malum miserumque est; secundum illam sententiam, *Ne quid nimis.*

8. *Quod si abisset longius.*] Amori magis, quam rei consulit adolescens.

10. *Iam huc recurret, sat scio.*] Mire de sene, *Recurret* dixit, ut ejus instantiam demonstraret.

12. *Nihilne in mentem?*] Sic hoc accipiendum est, ut adolescenti liberalitatem putemus, non sapientiam deesse: adeo in hac re magister est servus.

Numquam quidquam.] Παράλογον, *numquam*: id est, non. *Tanto nequior.*] Sic hoc dictum est, ut è contrario dicimus, *Tanto melior.*

13. *Client, amicus, hospes nemo est vobis?*] Vide magistrum ad nequitiam, ut simplici adolescenti mentiendi viam demonstraret, & honestum tenter afferre argumentum ad mendacium, propter clientem, amicum, aut hospitem in urbe cessare visum: quod tamen nec sic in-

telligit rudis ac rusticus adolescens. *Cliens, amicus, hospes nemo est vobis?* Mire sic interrogavit, ut qui agrestes inhumanosque reprehendat, & infociabiles aliis, propter asperitatem rustici senis.

14. *Hiscæ opera ut data sūt.*] A superiore subauditur, *Veniat in mentem*: id est, cogita dari potuisse: & datam dicitur. *Qua non data sūt.*] Hic de facto quaestio est, in qua quidem disputant quaedam tunc possibilia intelligi, quando facta sint, quum autem non fiunt, non modo non fieri, sed ne possibilia quidem esse dicenda, qui locus *ἄπο δὲ ἑστῆς* dicitur. *Potest.*] Iterum subauditur, *Fieri, Ut data sūt*: vel, *Ut credatur data.*

15. *Interdium.*] Bene: quia amatori maxime nocte opus est.

16. *Vah! quam vellem etiam noctu.*] Hoc utriusque personæ convenit, sed melius & Syro, & facerius dicitur, & quidam totum Ctesiphoni assignant, ab usque *Interdium*. Et, *Quam vellem*, proprie dicimus in his, quæ non videmus fieri. Bene igitur deficiente argumento, cum aliud non inveniret, in vota conversus est. unde videtur magis hæc verba Ctesiphonis esse.

17. *Calleo.*] Callide scio.

18. *Cum servit maxime.*] Tertia conjugatione dixit, unde *servere* dicitur, correpta media syllaba. *Quo modo.*] Miratur, quia timet eum, quem iste contemnit.

19. *Laudarier te audit libenter.*] Quod à Demea dicitur, in omnes parentes dici puta, nam nemo tam asper est pater, ut non statim mitescat laudato filio.

20. *Virtutes narro.*] Non dicit elegantem indolem, sed *virtutes*. *Virtutes* autem sunt perfecti sapientis, vel divalicujus. Et bene cum stupore respondet *Meas?* ostendens quod nullæ essent. *CT. Meas? SY. tuas.*] Cum gestu pronuntiare debemus, ut intelligatur irrisio.

21. *Quasi puero, gaudio.*] Deest, *præ*: ut sit, *Præ gaudio*. *Lupus in fabula.*] Silentii indictio est in hoc proverbio: atque ejusmodi silentio, vel in ipso verbo, ut ipsa fabula conticescat, *Quia lupum*

vidisse homines dicimus, qui repente obmutuerunt: quod fere iis evenit, quos prior viderit lupus: ut cum cogitatione in qua fuerint, etiam voce & verbis careant. Sic *Theocritus*, ἔφθην ἔφη, λυκὸν εἶδεν. Et *Virgil*.

— vox quoque Mærin
Iam fugit ipsa, lupi Mærin videre priores.

Alii putant ex nutricum fabulis natum, pueros ludificantium terrore lupi, paulatim è cavea venientis usque ad limen cubiculi. Nam falsum est quod dicitur, intervenisse lupum Nævianæ fabulæ alimonix Remi & Romuli, dum in theatro ageretur.

22. *Fuge modo intro.*] Non dixit *i*, vel *abi*, vel *vade*: sed *fuge*, tanta celeritate opus est.

23. *Si quid rogabit, nusquam tu me.*] Magna virtute *Terentius* rudem, simplicem, timidumque inducit Ctesiphonem ab initio: ut is sit, qui mox opprimeretur cum meretrice accumbens intervenitu patris, ob imprudentiam ac rusticitatem suam. *Nusquam tu me.*] Scilicet vidisse respondeas. Familiaris ἑμφύλις & apta properanti, quare hæc omnia pressa voce cum celeritate pronuncianda sunt.

IN SCENAM SECUNDAM

ACTVS QVARTI.

Næ ego homo sum infelix!] In hoc actu exemplum est, neminem facilius, quam optimum quemque falli atque deludi, ut *Virgilius* ait, Et Næ, valde significat. Et Næ illi vehementer errant, *Cicero in Catilinam*

1. *Næ ego homo sum infelix!*] Vide initium conveniens perpetuo mœrori Demeæ. Per totam fabulam, aut *Disperii* dicit, aut *Defessus sum*, aut aliquid tale semper est, quod queratur: ita tamen, ut cum augmento sit miseria, quotiescunque processerit, nam plus est quod nunc dixit: *Næ ego infelix homo sum!* quam *Disperii*. *Nusquam invenio gentium.*] Abundat *Gentium*.

2. *A villa mercenarium vidi.*] Sapientissime *Terentius*, etsi proxima villa est, necessario senem ad reliquos actus fa-

bulæ noluit ab urbe discedere, personæ senilis memor, nam & arduum fuerat, dum redit, & cruciabile ne fatigatio ejus in tragœdiam transfret. Recte igitur invenit, à mercenario illi in urbe narratum, ruri non esse Ctesiphonem. At ubi persona est adolescentis, & proficiscitur ad villam: & continuo redit, ut in Eunuchio Phœdria. Et *A villa*: utrum *A* pro *de* positum est: ut sit, *De villa*. an deest *Venisse*: ut sit, *A villa* vidi venisse mercenarium.

3. *Nec quid agam, scio?*] Utrum fratrem an filium magis quæram, nam senex querulus tria dicit esse incommoda sibi: quod fratrem non inveniat: quod Ctesipho ruri non sit: quod utrum in urbe maneat, an ad villam abeat, ipse nesciat.

4. *Verum.*] Modo *verum*, nomen non est: sed adverbium confirmantis, id est, *vere? Perii.*] Hæc Ctesiphonis perturbatio huc tendit Poëtæ arte, ut deprehendatur cum amica filius, repente ingresso sene. *Quin tu animo bono es?*] Nunc *Quin*, pro *Quinimo*, positum est.

5. *Quid hoc (malum) infelicitatis?*] Abundat *Malum*. *Quod hoc (malum) infelicitatis?*] Deest, *Deos testor*. *Quid hoc (malum) infelicitatis?*] Hic autem *Malum*, pro interjectione positum: quasi dicat, *O malum*: & est dictum anxii hominis, & perturbati nimis.

6. *Nisi me credo.*] Pro, nisi quia jam superest, ut me credam, hic enim sensus est in hujusmodi locutione, *Nisi me credo huic esse natum rei*, *Nisi me credo huic esse natum rei.*] Nova locutio, pro, *Nisi quia credo*. Et *Huic rei*, potest subtrahi, incolumi sensu: ut, *Nisi me credo natum esse secundis miseris*. Ergo *Huic rei*, subdistingendum: & sic inferendum, *secundis miseris*. Ergo *Huic rei*, pro, *Ad hanc rem*.

7. *Primus sentio mala nostra: primus vesciso omnia.*] Ἐπιμυροει. *Primus sentio mala.*] Ridiculus error Demeæ: Et *Primus*, ad ordinem; *Solus*, ad numerum dicitur.

8. *Primus porro obnuntio.*] Qui malam rem nuntiat, *obnuntiat*, qui bonam, *annuntiat*. nam proprie *obnuntiare* dicitur augures, qui aliquid mali ominis

scævumque viderint. Ergo, *Obnuntio*, malum imminens, quasi omen nuntio. inde enim ἐπιμυροει hujusce verbi est *Ægre solus, si quid sit, fero.*] Prave scilicet.

9. *Is solus nescit omnia.*] Et bene *Solus*, utpote de multis: quia quum sciat Micio, Syrus, Æschinus, Ctesipho, populus, hic solus fallitur.

10. *Si forte frater redierit, viso.*] Pro, *Si rediit*.

11. *Vide ne ille huc.*] Jam metuitur quod futurum est. Et quum neutrum sit, *Irruat*, nove intulit *Se*. Præterea sic dixit, *Irruat*, tanquam de eo qui pugnaturus sit. Ut in Eunuchio, *Quam mox irruimus?* Aut tanquam de sue. Ut *Horatius*, *Hac intulenta ruit sus.*

Et *Virgilius*,

Ipse ruit, dentesque Sabellicus exacuit sus.

Huc prorusus se irruat.] Neutrum verbum, quasi activum, *Se irruat*, posuit, *Etiam taces?*] Antiquæ pro *Tace*. Sic in *Andria*, *Etiam tu hoc respondes?* pro *responde?* Est ergo correptionis significatio.

12. *Hodie ego, istuc committam tibi.*] Quod ago jam, id est, complexum mulieris.

13. *Nam me jam in cellam aliquam cum illa concludam.*] Id egit stulte adolescens, ut ibi deprehendatur, ubi conclusus est. sed sic ipse egit, ut possit subterfugere, non deprehensus, conspectum patris.

In cellam aliquam cum illa.] Ἀπότομη figura; dicimus *In locum*, pro *in loco*. *In cellam concludam*: non *in cella* ait, Et mire; ut reclusum tutumque locum subiret, cellam scilicet, quam ob ea quæ in ipsa celantur, clausum esse conveniat. nam & *Cella*, & *Cellarium*, à reponendis celandisque rebus esculentis & poculentis dicitur.

14. *Age, tamen ego hunc amovebo.*] Mire *Amovebo* dixit: non *Deterrebo*. nam proprie amoveretur saxum de loco. in quo verbo significat, imminere sibi magnam laborem in hoc opere. Et vide *av̄quar*. Supra, *Vt pecudem abigam hunc rus*, dixit; modo: *Vt saxum amovebo*, inquit.

15. *Non hercle hic quidem durare quisquam, si sic sit, potest.*] Nimis moraliter

expressa verba sunt Syri, verberatum se indicantis, quis non ex verbis servum verberatum intelligat? & servum recens verberatum? & servum fugam comminantem? Mire autem Non ego, sed Quisquam dixit, nec Permanere, sed Durare; nam hoc verbum perferendis malis convenit, ut Virgilius.

Durate, & vosmet rebus servate secundis. Hæc autem omnia sic dixit, quasi non videat Demeam.

16. Quot mihi sunt domini.] Et hic apparet non à legitimo domino verberatum esse. Quæ hæc est miseria?] Deest quam patior, & quasi comploratio quædam est flebilis post querelas.

17. Quid ille gannit?] Gannitus est proprie veluti ploratus vapulantium.

18. Quid malum?] Et hic Malum, pro interiectione abundat.

19. Crespho me pugnis miserum, & istam psaltriam, usque occidit.] Mire interiecit Miserum: & necessario Usque addidit: ut ostenderet, Occidit nimiam cædis verbum; non occisionis intelligi oportere. Usque occidit, Prope Occidit, aut Usque, pro valde est, Occidit, pro Vehementer cecidit. Nam Occidere, & Peroccidere, ad eadem referebantur apud veteres. Usque occidit.] Ἰδὼ πικρῶς non enim occisus loquitur.

20. Hem, vide ut discedit labrum.] Non offendit, sed videtur ostendere seniparum jam videnti, & intra os. Hem, vide ut discedit labrum.] Asper mediam longam à cadendo accipit: ego mediam brevem à scindendo.

21. Non tu eum rus hinc modo produxe ahebam?] Mire Terentius eos ipsos, qui falluntur, ex aliqua parte cautos facit: ut eo delectabilius spectatoribus procedant doli, nam quæ gratia est aut delectatio, non stultissimum falli? Non tu eum rus hinc modo produxe ahebam?] Memoriter senex non solum quid sibi dixerit Syrus paulo ante, sed quibus verbis dixerit, refert, nam sic dixerat, Quem egomet produxi.

22. Verum venit post insaniens.] Supra, Produxi iratum admodum. nunc ἄωχην πικρῶς non iratum prædicat, sed insanum.

23. Nihil pepercit.] Ut supra, Nihil

reticuit, sic dicimus in his, quæ præter expectationem gesta sunt. Verberare hominem senem.] Miserum sit de ætate, id quod de conditione non poterat.

24. Quem ego modo puerum tantillum in manibus gestavi meis?] Addidit ætati invidiam & meritum recens, hoc est enim quod dicit Modo. Et Tantillum, δειπνῶν est, videtur enim manuingere, quam parvulum.

25. Laudo: Crespho: patrisas.] Facile inductus est senex varietate fraudis & doli, nam Syrus & supra ut laudans, non ut vituperans Cresphonem: & nunc ut acculans, idem perficit atque persuaadet. Patrisas.] Ἀυξήσεις, nam ut supra dixerat, Spero est similitudo majorum suorum: hic confirmat quod sperare se dixerat. Patrisas.] Attende quam bene inventum sit, inanem se dicere, nonne videtur ibi stultissimus, cum hujusmodi laude non modo se non laudare velle, quod odiosum est: sed etiam filium apud intelligentes vituperare videatur: siquidem non solum hic stultus, sed etiam ille, quia Patrisas inquit, Patrisas.] Tam securus est, ut se laudet, Et Abi addidit: quasi dicat, Non est quod jam demorer; perfectus es. Laudo, Crespho.] Hic totus versus mire delusum ostendit senem. Abi, virum te iudico.] Inquit, non adolescentulum. hoc enim ad ætatem & probitatem, non ad sexum, refertur.

26. Na ille continebit posthac, si sapiet manus.] Comminatio est subtilis: & paucior, velut servi.

27. Perquam.] Nimis, εὐγορεύει. Et me servulum.] Oratorie, non Servum, sed Servulum, quum sit senex.

28. Non audebam.] Non poteram. Huius perfortiter.] Hoc, gestu servili, & nimis leviori personæ congrue dictum est.

29. Non potuit melius.] Id est, laudate, Crespho: & deest Fieri, Idem sentit quod ego.] Id est: patrisas, virum te iudico.

30. Sed estne frater intus?] Deest Responde: ut sit, responde.

31. Verum hodie nunquam monstrabo.] Volens senem avidius quarere, quod hic ardor semper paratissimus credentes

etiam fallit, ei fingit se nolle dicere. Hodie autem aut abundat; ut, Nunquam enim: hodie moriemur inulti, aut, Numquam hodie, pro, nullo tempore hujus diei, quia Numquam, per se generale est.

32. Diminuetur tibi quidem jam cerebrum.] Comminationis genus verba ipsa indicant: ut appareat senem baculum sustulisse.

33. At nomen nescio illius hominis, sed locum novi tibi sit.] Recte: quia si Hominem diceret, non erat erratum agnita persona hominis: & ubi habitet cognito, si notus esset, nulla causa querendi superesset. Dic ergo locum.] Dic ergo, quasi invitum coegerit. Ergo semper addimus, ut hortemur tarde quid facientes, ut, Virgilius,

Ergo age, chare pater, cervici imponere nostra.

34. Non sit porticum apud macellum?] Convenit rustico & parcissimo seni macellum in urbe nescire, & ideo sic interrogatur à servo. Hanc deorsum?] Bene Hanc deorsum, quia non est una. Quidni norim?] Corruptive, Quidni? pro Quid nisi? Etenim quamvis rusticus, tamen est civis Demea.

35. Hac reitæ.] Proprie, hac parte: ut manu viam ostendere videatur. Vbi de veneris, clivos deorsum versus est: hac precipitato.] Hoc lentius, quidam clarius legunt: ut sit, Precipitato, cito descendente.

37. Ad hanc manum.] Τὰς δεξιὰς πηγυρῶν dicitur, in quo non permanet certum dextrum, nec certum sinistrum: & ideo proficit in errorem, vult enim servus hæc signa esse perplexa. Est facellum.] Ut Varro ait, Sacra cella est. Propter.] Prope, ut Virgilius,

— templum de marmore ponam

Propter aquam. —

Et Lucretius,

Propter aqua rivum sub ramis arboris alta.

38. Vbi etiam caprificus magna est.] In hoc Homerum imitatus est, qui dicit caprificum prope Trojana moenia constitutam. Hac pergito.] Non Ito: sed quia longum est, Pergito.

39. Id quidem angiporum.] Id est, angusta & curva via; quasi anguiporus:

ut angitia, aut anguitia. Alii, quod inter portus sit locus angustus, hoc est, inter domos. Nam domos, vel portus, vel insulas veteres dixerunt. Et ob id Terentianam consuetudinem, in qua inducit non nihil sapere eos qui saluntur.

40. Censen hominem me esse? erravi.] Calliditas est maxima, deprehensum mendacium non defendere, sed fateri: ut opinionem simplicitatis acquirat. Vides igitur ut ipse sibi succenseat, tanquam imprudens erraverit, non dolosus impulerit interrogantem. Et mire negat hominem: tanquam homo corde sit, non corpore.

41. Sane hoc multo propius ibis.] Quasi errasse profuerit illa via, & Sane, pro satis ac valde: quia qui sanus est, idem & validus. Minor est erratio.] Erratio est peccatum: Error animi est; & loci in quo erratur.

42. Cratini hujus ditis ades?] Congruè nomen invenit diviti. Cratinus, δὲ πρὸ τῆς κρητῶν, id est à potentia.

43. Ad sinistram hac.] Deest Ito: figura ἑλλείψις. Vbi ad Diana veneris.] Sic absolute dicebant, non addito Templo. Sallustius, Ad Iovis mandem nostra.

44. Prius, quam ad portam venias.] Portam dicendo, ostendit usque ad muros finemque civitatis erraturum Demeam. Porta autem ab aratro portando dicta est, quod in eo loco coloniæ deductor & conditor, subjunctis vacca & tauro, aratrum, quo urbem designat, suspendit manu: ne imprimat sulcos, ubi civitatis aditus relinquendi sunt. Apud ipsum lacum.] Credibiliter addidit Lacum. Nam Varro docet, semper lacum portis additum: scilicet ob usum jumentorum exeuntium: & præterea ut adversum hostilem ignem portis de proximo subveniretur.

45. Et pistrilla.] Veteres absolute dicebant pistrinam, ut sutrinam, & medicinam, ad tabernam referentes; nam pistrino pistrilla non convenit. Et simulata diminutiva diversa sunt à genere nominum primæ positionis: ut Rana, ranunculus: scutum, scutella: canis, canicula.

46. Lectulos in sole ilignis pedibus faciundos dedit.] In urbe convivium, aut

in sole, aut in umbra, pro conditione temporis instruebatur. Repente igitur interrogatus, quod minime opinabatur quaesitum senem, arripuit statim lectulos. Et quia potuit senex dicere, *Mentiris*: nam habet lectulos: addidit ex tempore, *In sole*. Et ne eos quoque habere diceret, addidit, *Ilignus pedibus faciundos*. sed hoc gestu actoris adjutum est: quasi eodem tempore servus & quaerat quid dicat, & respondeat.

47. *Vbi potetis vos*.] Incerta persona est: nam Syro vel Demea hoc dictum jungi potest. *Bene sane*.] Hic εἰσρωεία est, non approbatio.

48. *I sane*.] Aut abundat *Sane*: aut inferioribus jungitur, *Silicernium*.] Cœna quæ inferitur Diis manibus, quod eam silentes cernant, id est, umbræ possideant: vel quod qui hæc inferant, cernant tantum, neque degustent. Nam de his quæ libantur inferis, quisquis comederit, aut biberit, funestatur. Aut erit *Silicernium* senex, qui jam jamque silentibus umbrisque cernendus sit: & sic est melius, quam ut quidam *Xenophonta* interpretantes putant, sic nos *Silicernium* intelligere, hoc est, silicem cernentem senem, dum incurvus est, vel strata saxo viæ intentus, vel sarcophagi jam jam appropinquantis sibi.

49. *Æschinus odiose cessat: prandium corrumpitur*.] Ἀσώδῃ τὸν δεῖπνον. *Prandium corrumpitur*.] Ut coquus dixit: qui sciat conditionem quandam magis ferventem placere.

50. *Ctesipho autem in amore est torus*.] Non potuit plus dici de incondita ac nimia voluptate. *Ego jam prospiciam mihi*.] *Jam* interdum significat festinationem, ut nunc. Interdum ad describendum ponitur, & inceptandam moram. Ut: *Iam melior, jam diva precor*.

Et:

Vos quoque Pergamea jam fas est parere genti.

Disque deaque omnes.

Et *Prospiciam mihi* dixit, tanquam hoc sentiat, Illi sua agunt negotia: & ego illorum exemplo consulam mihi. Et bene *Prospiciam*, quasi non pransurus, nisi providero mihi.

51. *Bellissimum*.] Proprie *Bellissimum*

dixit. unde & hujusmodi ad irritandam gulam cibi, *Bellaria* dicuntur.

52. *Carpam*.] Modo *eligam*. Alias *ladam* significat: ut,

Carpit enim vires paulatim, uritque videndo Fœmina.

Alias fruatur: ut,

Carpamus dum manerovum, dum flumina crescunt.

Et *Persus*, *Genio carpamus dulcia*.

id est, fruamur rebus dulcibus. *Paulatim hunc producam diem*.] Bono verbo usus est ad metaphoram, tanquam morientis diei. Ut est,

Nec te tua funera mater Produxi, pressive oculos.

IN SCENAM TERTIAM

ACTVS QVARTI.

1. *Ego in hac re nihil reperio quam obrem lauder*.] *Hac scena est plena sententiarum senilium ad officia demonstranda*. Et *Tantopere*, vim adverbialem in se continet; nam significat nimis.

2. *Quod peccatum à nobis ortum est, corrigo*.] Si diceret, *Peccatum est à nobis*, participium fuisset, nunc quia *Ortum* addidit, nomen est, numquam enim eadem pars orationis jungi, nisi per ἀσώδῃ τὸν δεῖπνον potest.

4. *Si, quam fecere, ipsi expostulant*.] Hic distingue: & separatim infer, *Ipsi expostulant*. *Si quam fecere, ipsi expostulant*.] Sensus est manifestus: sed obicura sunt verba, & eorum collocatio & distinctio, nam incertum, utrum *Si expostulant*, intelligendum sit: an, *Si quam*: pro una parte orationis accipi oporteat.

5. *Vltro accusant*.] *Vltro*, nunc prave & perverse. *Id quia non est à me factum*.] Hæc interrogatio, quasi subtristi vultu est proferenda.

6. *Ah, minime*.] Non minime ago: sed, *Minime te credo esse illorum in numero*.

7. *Quaeso ut una mecum*.] *Servavit τὸ ἀσέπτον*, adjiciendo *Vna mecum ea*: quippe ad incognitam matremfamilias.

8. *Tute dicas mulieri*.] In nomine ostendit, cur hæc ipse dicat. Mulieri enim, inquit; nimis pavidæ ac diffidenti.

9. *Suspicionem*

9. *Suspicionem hanc propter fratrem ejus esse*.] Nimis breviter ac succincte, & ut oportuit inter scientes. *Et illam psaltriam*.] Propter fratrem ejus esse, subaudiendum est.

10. *Si ita æquum censet*.] A justo & utili est tota sententia. Et sane hi versus defunt, quos multa exemplaria non habent.

11. *Nam & illi animum jam reliquit*.] Et deinceps *Illi* maluit dicere, quam *nurui*, adhuc divitem reveritus. *Dolore ac miseria*.] *Dolore*, parturientis: *Miseria*, injuria ab Æschino accepta.

12. *Sed si aliter putas*.] Artificiose, remittendo quod petebat, extorsit magis.

13. *Imo ego ibo*.] Hoc adverbio quod ait *Imo*, ostendit se promptè agere, & instanter quod promissit.

14. *Minus secunda*.] Dicere sic maluit, ne *Misera* diceret. *Nescio quo modo*.] Hoc est, vehementia, nulla palamratione.

15. *Accipiunt magis*.] Mire additum *Magis*: quum possit sensus & sine hoc esse integer.

16. *Propter suam impotentiam*.] Infirmitatem. Et rursus noluit humilitatem aut miseriam dicere. *Negligi*.] Legitur & *Clandere* & *Clandicare*.

17. *Quapropter te ipsum purgare*.] Utrum *Te ipsum*, una pars orationis sit? an divise accipiendum? ut sit, *Te Micionem, ipsum Æschinum purgare*. *Coram*, plurimum est. *Coram*, id est, præsentem, & coram præsentibus. & *Coram* indiget adjectione: *Palam* non indiget. Et præterea *Coram*, ad cæteras personas referuntur; *Palam*, generaliter dicitur.

18. *Et recte, & verum dicis*.] *Recte*, ad verba retulit: *Verum*, ad rem atque sententiam. Potest enim recte & falsum dici, dummodo nullo vitio verborum nominumque dicatur, quanquam & ipsum fallere in tempore, quidam de officiis scribentes, rectum putent.

IN SCENAM QVARTAM

ACTVS QVARTI.

Diseruior animi.] Hoc loco *καεαρ-θής* amantis modice juvenis, &

senis facit indulgentis, ac lepidissimi patris.

1. *Diseruior animi*.] *Ανταμώδους* figura, ut, *O prestans animi*. *Hocine de improviso mali*.] Hæc verba repentino nuntio percussum indicant Æschinum propter divortium stare: & iram circa se Soltrata, & ejus filia ob raptum metreticis. *Objici*.] Proprie; quia inopinanti. Nam *Objici* dicitur in utramque partem: ut si quos ante quis videt, quam expectaverit. quo verbo magnitudo doloris ostenditur ex improviso incommodo.

2. *Ut neque quid me faciam*.] Plus est, *Quid me faciam*: quam, *Quid faciam*. Illud enim de rebus: hoc, de ipso homine intelligitur. *Nec quid agam, certum fiet*.] *Certum fiet*, pro *certum sit*, nisi forte: Ut, *Quam* significet.

3. *Membra metu debilia sunt, animus timore obstupuit*.] *Metu patris*: timore divortii.

6. *Num suspicio*.] Modo ostenditur causa trepidationis Æschini.

7. *Id anus mihi indicium fecit*.] Illa anus cui Soltrata dixerat, *Curve, obstetricem accerse*.

9. *Nam ut hinc forte ea ad obstetricem erat missa*.] Apparet, inter cætera anuntiasse, ad obstetricem se missam: an ultro hæc suspicatus est Æschinus? *Hinc* autem addendo, ostendit se ante fores Soltratae stare. ut alibi, *Ex Andro commigravit huc vicinia*. *Vbi eam vidi*.] Sunt qui addant supervacue *Hanc*: & legunt, *Hanc ubi vidi*.

10. *Pamphila quid agat: jam partus adsit*.] Amatoria interrogatio, quam monstrat Æschinus curæ sibi esse res omnes.

11. *Ille exclamat*.] Non respondet, sed *Exclamat*. Et bene vim addidit ad exclamationem fuisse. Ergo à vocis sonore exclamat, non à verbis. *Abi, abi jam Æschine: satis diu verba dedisti nobis*.] Usque dum intelligeremus. *Sut adhuc tua nos frustrata est fides*.] Usque dum deciperetur.

13. *Hem, quid istuc obsecro inquam est?* *Hem*, interjectio est novae res & inopinatas audientis. *Valeas: habes illam*.] Quasi recedat & longe abât, ut in

E E E

Andria, Valeant qui inter nos diffidium volunt.

15. *Garrula.*] Utpote anus. *Ac fever palam.*] Demæ scilicet, cui minime opus fuit.

16. *Nunc quid faciam.*] Figura *ἀσπίδος*.

17. *Vt ne qua exeat.*] Erumpat, ut, — *quum spumeus amnis.*

Exiit, opposita [que evicit gurgite moles. 18. *Ipsam id metuo ut credant.*] *ipsum*, quod fratri rapui. & *Vt*, pro *Ne non* posuit. *Tot concurrunt verisimilia.*] Ut mea esse credatur.

19. *Ad me abducta est domum.*] Proprie, non dixit *Adducta*, sed *Abducta*: *abducitur* enim alienum: ut in *Heautonti* morumeno, *Abducimus tuam Bacchidem.* *Ad me autem domum*, moraliter dixit, pro *Ad domum meam.* Anideo *Ad me*, quia & illic luctatus Leno est in retinenda contra *Æschinum* puella?

21. *Vt ut erat gesta, indicasse.*] Id est, sive male, sive bene gesta erat: ut enim, certam qualitatem significat: ut ut incertam: quasi dicat, *Quoquo modo*, male, bene. *Exorasset ut eam ducerem.*] Sic enim promiserat se *Soltratae* facturum.

22. *Nunc porro Æschine expergiscere.*] Sic & alibi, *Enimvero Dave, nihil loci est segnitia, neque socordia.* Legitur & *jam*: quod est correptivum interdum.

23. *Nunc hoc primum.*] *Primum*, ab eo quod rogandus est pater. *Accedam ad fores.*] *Soltratae* scilicet.

24. *Horresco semper.*] Satis amatorie, nam nimium semper est calor, & frigus recedit à corpore, ut, *Totus Parmeno tremo horreoque, postquam aspexi hanc.*

25. *Aperite aliquis actutum ostium.*] *Vim* pluralem habet *Aliquis*, quamvis singulariter dicatur: non est enim *Aliquis*, nisi de multis. recte ergo *Aperite aliquis*, & *nove*, nam non placet illud, ubi duæ distinctiones sunt: unde *Aperite* est una, altera *Aliquis. Actutum ostium.*] Ut assumatur rursus, *Aperiat*. proprie enim veteres & *Quis*, & *aliquis*, & *Quisquam*: non observabant quo genere, aut quo numero declinarent. *Est* ergo figura *ἀπείριστος*.

IN SCENAM QUINTAM ACTVS QVARTI.

1. *Ta uti dixi, Soltrata facite.*] Hic apparet, *Micionem* jam multa dixisse.

2. *Facite.*] Jubet vel securæ sint, vel adornent nuptias. *Ego Æschinum conveniam.*] *Mire*, occursum *Æschino*, *Æschinum* quaerit.

3. *Pater hercle est.*] *Quid est hoc*, quod *Micio* timetur? an quia illi non est confessus? Ostendit autem *Poëta*, tantumdem pudorem posse, aut amplius, quam timorem.

4. *Quid huic hic negotii est?*] Alius timor, quod hinc egreditur pater. *Tunc has pepulisti fores?*] Sic coepit interrogare, ut negationi locum præbeat. Et nota *Pepulisti*, elatum verbum: & tragico corthurno magis, quam loquelæ comicæ accommodatur. *Tacet.*] Hoc apud se loquitur *Micio*.

5. *Melius est.*] Et non, *Ludere bonum est*: sed *Melius*, & hoc meliore affectu dixit, quam si diceret, *Dignus est.*

6. *Hoc nunquam mihi ipse voluit credere.*] Contra illud, quod ait,

— *Postremo alii clanculum Patres qua faciunt, qua fert adolescentia,*

Ea me celet, consuefecit filium. *Credere* autem magno affectu dixit, non enim confitetur ut patri: sed crederet, ut parenti aut sodali suo.

7. *Non equidem istas.*] Deest, *Pulsavi. Quam sciam.*] Quantum scio.

8. *Ita? nam mirabar quid hic negotii esset tibi.*] Accepit negationem *Micio*, ut ludere *Æschinum* possit.

9. *Erubuit: salva res est.*] *Nimis* paterna sententia. & è contrario *Simo* in *Andria*, *Vide num ejus color pudoris signum usquam indicat.* Et quanti affectus est, non dixisse *Erubuit: salvus est*, sed, *Salva res est*. Nonne videtur tibi res ejus omnis in *Æschino* constituta? eodem animo & supra dixit, *In eo me oblecto. solum est id charum mihi.* Non enim solum inulit quod expectabatur: sed absolute, quasi ex omnibus solum id est, inquit,

10. *Nihil mihi quidem.*] *Mihi*, id est, mea propria rei. Et callida negatione coepit: ut & illi adimat confitendi locum ac fiduciam: simulque fiat ei desperatio ducendæ ejus, cujus mentio tam contemptim ab ipso tractetur.

11. *Amicus quidam me à foro abduxit modo hic advocatum sibi.*] Hinc incipit mendacium, mistum vero, nam *Amicus quidam me à foro huc*, verum est: *Advocatum*, falsum. Sed *Huc & Quidam*, modo *ἐμπεσον* habent levis negotii, & in quo nec magnæ personæ, nec res difficilis operæ aut longæ occupationis habentur. Et *Advocatum* dicendo, alienum negotium demonstravit: nam & *Sibi* non vacat, si enim *mulieribus* addidisset, potuit aliud sperari.

12. *Quid?*] Deest *Ait*: ut sit, *Quid ait? Ego dicam tibi.*] Senile est, nam id jam dicendum fuit, & hoc *ἐμπεσον* habet vilis rei, quæ vel facile dici possit, vel non celanda sit.

13. *Mulieres paupercola.*] Non potuit magis celare dignitatem formæ & ætatis puellæ, quæ amatur ab *Æschino*, quam ut eam primo eodem nomine cum matre nominaret: deinde communiter diceret de ambabus universa, quibus contemni debeant. *Quadam muliere paupercola.*] *Paupercola* addidit, ut magis desperet *Æschinus* impetrari posse has nuptias à patre. Et item *Quadam* ut ignobiles demonstrarentur. Et totum hoc cum abjectione pronuntiantum est. *Quadam & Paupercola* dicendo, adimit omnem spem nuptiarum: nam *Quadam*, ignobilem indicat: *Pauper*, indotatam. *Quid ergo remanet, quod speret Æschinus? Paupercola.*] *Nec pauperes saltem. Et certe scio.*] *Ἐπαρόδωτος*, parum dixit, inquit,

14. *Opinor.*] Vel adeo obscuræ sunt, & nullius pretii, ut *opinor has non nosse te*. Potuit recte dicere & hoc, *Vt opinor, has non nosse.* sed illud venustius. *Vt opinor has non nosse te.*] Aut abundat ut: aut deest *scilicet*. Magnum autem crimen est, in forma vicinæ puellæ incognitam esse adolescenti de proximo. Et quia scit hunc esse de quo dixerit, *Quam hic non amavit meretricem? aut cui non dedit aliquid?* subdidit causam, ne di-

gnitatis pudorisque esset, quod eam incognitam *Æschino* esse dixisset: neque enim diu huc, inquit, commigraverunt. Et ut *opinor*, mire ipse sibi sumit atque confirmat, quod nondum ille confessus est.

15. *Quid tum postea?*] *Gratissime* proditur *Æschinus* amator, quum sedulo dissimuler.

16. *Virgo est cum matre.*] Vult *Micio* sic audire *Æschinum*, tanquam alienissimum: & ideo veluti inscius facti, diligentius narrat. *Virginem* autem *ἀρξαιόμοσ* pro muliere dixit.

17. *Hic meus amicus.*] *Qui* me advocatum abduxit de foro.

18. *Hic leges cogunt nubere.*] *Non Permittunt*, dixit, nec *Iubent*: sed *Cogunt*, ad perturbandum *Æschinum*, & recte, alia enim sinunt leges, alia cogunt fieri. Et ne esset quo resisteretur illi, vult ut mulieres à lege cogantur. *Perii.*] Hoc audit *Micio*, sed dissimulat.

19. *Nihil: recte.*] Id est, recte quod perii. & nihil magis comicum. Et vide trisyllabum artificiosè esse subiectum: ut qui *Perii* dixit, vix hoc locutus fuisse videatur. *Perge.*] Vide instantius interrogantem, quam extraneum decuit. *Is venit ut secum avehat*] Alius pejus in amatam, ut nec Athenis saltem alteri nuberet.

20. *Nam habitat Mileti.*] *Ἡ Μίλητος* *Mileti*: & est adverbium locale. *Hem, ut virginem secum avehat?*] Hic acrius commoveri proditur adolescens, ut affectu fateatur, quod verbis negat.

21. *Sic est. Mileti usque obsecro? ita animo male est.*] Ille oblitus sui, sic indignatur, ut in re propria: hic rursus callidè vultu utitur, tanquam aliena narrantis. *Mileti usque, obsecro?*] *Bene vsque*, nam *Mileti* colonia est Atheniensium in Ponto. *Animo male est.*] *Animo male fieri* dicitur, quum ictu alicujus mœroris percussus animus, non sustinet corpus: sequiturque ruina membrorum.

22. *Quid ipse? quid ajunt?*] Non statim credit *Æschinus* pudicam matrem familias statim consentire in nuptias novæ viri ignoti. *Quid istas censes?*] *Posse dicere*, subaudiendum, *Nihil enim.*] *Dicunt.*

subaudiendum. & sic intelligendum *Nihil*, non quod taceant, sed quod nihil confirmationis habeat id quod dicunt.

23. *Commenta mater est.*] Nunc dicit quid dicat, etiam *Commenta* dixit, id est, fallaciam confinxisse, verisimile conaminiſci. *Ex alio viro.*] Jam de proximo tangit *Æſchinum*.

25. *Priorem esse illum.*] Mire tractat etiam partes *Æſchini*.

26. *Nonno hæc iusta tibi videntur postea?*] Scilicet illa, quæ amicus tuus dixerat prius, quam hæc audires. *Iusta tibi?*] *Iusta*, quæ postea audisti, quam illa quæ pro *Lemnio* dicebas prius. Aut si hoc non est: quære quid sit *Postea*. Viderur enim *Postea* sic abundare, quomodo interdum *Hodie*, de stomacho adjicitur loquentis. ut *Virgilius* dicit:

Numquam omnes hodie moriemur inulii.

27. *Non.*] Vultuose pronuntiandum est *Non*. *An illam hinc abducat, pater?*] *Hinc*, tanquam singultus ploraturus est; nam sic est pronuntiandum. *Pater.*] Quasi hoc ad supplicandum dicatur.

28. *Factum à vobis duriter.*] *Non Dure & Crudeliter*: sed quasi dura mente, id est, inflexibili, & quod Græci dicunt *αἰτεῖς*.

29. *Immisericorditerque.*] Nota octo syllabarum adverbium, atque insuper compositum, & cum conjunctione prolatum.

30. *Illiberaliter.*] *Ἀβέηως*. nam multa duriter, etiam si opus sit, immisericorditer quoque, & faciendæ sunt, & patientia, si ita ratio & causa cogat: & non sit illiberale, id est, non malum atque inhonestum. *Illiberaliter.*] Injuste, inclementer, non bene, quia *liberalis*, bonus dicitur. *Si est, pater, dicendum magis aperte.*] Id est apertius: quia jam apertum fuerat, duriter & immisericorditer. Et bene præfatus est, ne contumax adversus patrem videretur.

31. *Quam ob rem?*] Delectari magis cupiens *Micio*, *Æſchinum* vult protrahere ad defensionem sui.

31. *Fore animi misero.*] Quid de se plus diceret, si factum fateretur: *Quicum illa consuevit.*] Legitur & *Illam*: & dicebant veteres, *Hanc rem consuevit &*

συνήκωνος. ut *Plautus*, *Et clandestina ut celestis consuetudo*. Et majore affectu non amorem allegavit, sed quod est commune cum bonis, & multo justius, consuetudinem.

33. *Qui infelix.*] Non *Qui*: sed *Qui infelix*: & non *Amar*, sed *Misere*, dixit, & ita affectu proditur, qui ut alienus vult loqui.

34. *Præsens præſenti eripi.*] Adjuvant significationem hæc ex abundantia addita: ut,

Illam absens absentem auditque videtque.

Et, — *Fratrem ne desere frater.* Sic *Cacilius* in *Eratosthene*, *Hæc caterva plena gladiatoria, quum suum sibi alius sauciat: socius socium.* Et totus hic locus est translatus ex *Virgilio*, in *iv. Æneid.*

Quis tibi nunc Dido cernenti talia sensus, Quoſve dabas gemitus, quum littora servere late

Proſpiceres arce ex summa, totumque videres

Miseri ante oculos tantis clamoribus æquor?

36. *Isne?*] *Deest, Dicis, Quis despondit?*] Latenter objurgat *Æſchinum* rem sine patre gessisse, & dicitur figura *ἄντροπος ἄντροπος*. *Quis despondit?*] Quia non interfuit pater. *Quis dedit?*] Quia rapuit ante quam peteret.

37. *Quando nupsit?*] Quia nuptiæ non factæ sunt. Et *Nupsit* moleste additum, quasi aliena sit, quæ non legibus ducta sit. *Auctor his rebus quis est?*] Dativo casu, non *Harum rerum*. Et *Sallustius*, *Qui tunc Romanis imperator erat, Auctor his rebus quis est?*] Iterum objurgat, quia non interfuit pater, & agit sic dolens, velut sibi minus amoris præbitum fuerit, *Micio*: ut se his, quantum amor patitur, videatur ulcisci; quodque sibi negotium non confiteatur *Æſchinus*.

38. *Cur duxit alienam.*] Utrum filiam? an quæ possit aliena esse? nam omnes alienas filias ducunt. *An sedere oportuit?*] *Sedere* propriè ignavæ cessationis est, ut, *Sedeant spectentque Latini.* —

Et, *Quid sedes, Verres? quid spectas?*

39. *Tam grandæv.*] *Grandem*, ad æta-

tem veteres retulerunt, non ad corpus. & in parte ætatis dicitur, *grandis*, non in tota vita, nisi si addatur *natu*, ut, *Grandis natu parens adductus ad supplicium*. Et *Grandis infans*, & *grandis puer*, & *grandis ephebus*, & *grandis virgo* recte dicitur. Et unde scit *Æſchinus*, an grandem hic fingit ignotam? an quia dixit pater, *Commenta mater est esse ex alio viro*, nescio quo, puerum natum. Ergo & illa *grandis*: & servus *Mileſius*, qui tunc virginem petit, quum jam alteri data sit, vel rapta sit alteri. *Dum cognatus hinc illinc veniret.*] *Proverbialiter Hinc illinc.*

41. *Et id defendere.*] Non potuit magis amatorie, & magis pueriliter loqui, quam ut non contentus quod ait, *Hæc dicere te æquum fuit*: etiam adderet, *Et id defendere*. Patet autem qualis affectus est, quum etiam patri ob alienam causam blanditur, ut ipse nunc simulat.

42. *Ridicule.*] Vocativus est casus, ab eo quod est *ridiculus*.

43. *Quid ista, Æſchine, nostra?*] Hic jam ultima desperatio, & *Æſchinum* in confessionem protrahet, & in finem fallaciæ senexa deducet. Et bene quidem *Nostra* dixit, memor est enim se respondisse *Æſchino* interroganti, *Tibi vero quid istic rei est? Nihil mihi quidem*. Totum autem hoc senex ad id redigit, non tam ut torqueret *Æſchinum*, quam ut majus faceret beneficium suum, exponendo id quod pene periculum amor ejus incidere.

44. *Quid est? quid lacrimas?*] Quasi repente animadvertit flentem, & quasi causam omnem nesciat, sic inquit.

45. *Æſchine.*] Non exhibuisset personam patris, nisi pietate victus, patrifilium nollet confessione torqueri. *Virgilius*:

— *nec plura querentem Passa Venus, medio sic interfata dolore est.*

Bene ergo intelligunt, qui sic accipiunt, perrecturum adhuc fuisse *Micionem*, nisi victus affectu, fallaciam projecisset.

46. *Nam te amo.*] Bene addidit, *Nam te amo*, &c. nam & invidis, & inimicis moris est scire, quid agamus.

47. *Ita velim me promerentem ames.*]

Quam pie additum est *Promerentem*: tanquam illic sit votum *Æſchini*, quum possit pater etiam immeritum amare. Et animadvertendum est, ut semper sequi vel statim, vel ex intervallo, maxime in hujusmodi confirmationibus. Sic *Cicero*: *Ita velim mihi Deos propitios, ut quum illius temporis mihi venit in mentem, &c.* *Velim* autem, pro *Volo*, antique dicitur.

48. *Vt me hoc delictum admisisse in me.*] *Me, in me*, *ἑωυτοῦς* adjectum est.

49. *Et me tui puder.*] Ambiguum quidam hoc dictum putant: sed apparet adolescentem propter suam peccatum dicere, non quod quicquam turpe fecerit patri.

50. *Ne indiligens nimium sis.*] Non ergo ingratus, sed negligens *Æſchinus*: nec negligens, sed *indiligens*: nec in alterum, sed in se deliquit. Miræ clementiæ genus est, aut omnino ignoscere, aut crimen in levius commutare, nam tota objurgatio ita amica est, ut non multum à blandimento discrepet: magisque proficiat apud audientem, ut vult *Terentius*: quam illa aspera atque præfracta.

51. *In qua civitate tandem te arbitrare vivere?*] Communem locum inducit à loco, à persona, à facto, à tempore. *In qua civitate?*] Aliter pronuntiandum est, id est, presse ac leniter: ne faciat illud *Tullianum*, *Pro Di immortales, ubi nam gentium sumus? quam rempublicam habemus? in qua urbe vivimus?* Et *Tandem* pro *Tamen*. *In qua civitate?*] Hoc est, oblitus es *Athenis* te esse, ubi vivitur legibus? Vide omnes sententias poni accusatorias, & nihil amoris, isti sunt orationum colores difficillimi: sed elaboravit *Terentius* *Micionem* facere leniter accusantem, & inducere *Demeam* durissime blandientem. *In qua civitate?*] Quod objurgat *Micio*, magni amoris est, & necessaria pro persona assentatio: non enim convenit, patrem nimium diligentem filium, ejus præterire peccata.

52. *Virginem vitiaſti.*] Vide & rem dici, & abesse tragicam inclamationem, & ostendi delictum: & ad veniam festinari, nam statim dicit: *Iam id peccatum primum est magnum, at humanum est.*

men. Et tota pronuntiatio hujusmodi verbis summissa debetur.

54. *Fecere alii, saepe item boni.*] Moris est exemplo lenire, quod purgare non possis. *Fecere alii saepe, item boni.*] Consolatio ab exemplo. Et *Boni*, non quum hoc facerent, sed alias boni. *At postquam id evenit.*] *Evenit*, inquit, non *Commissum est*, nihil innocentius dici potuit.

55. *Numquid circumspexisti?*] *Συζητοῦμαι* *ἡαῖταν* *αὐτῶν* *αὐτῶν* * pro *circumspexisti*. *Circumspicimus* præsentia, *prospicimus* futura.

56. *Qua fieret.*] Id est, qua ratione, quo modo fieret? & *Qua ratione*; id est, quibus adminiculis, vel per quas perionas? *Sic te ipsum mihi puduit dicere.*] Optime hoc additum est: quasi non debuerit Æschinum apud Micionem pudere.

57. *Qua resciscerem?*] *Qua*, id est, per quos, & ad omnia subauditur, *Numquid circumspexisti? Qua resciscerem?*] Deest *Re*, vel *Ratione*. *Menses abierunt decem.*] *Mire abierunt*. Quasi dicat, *Te cessante*, menses cessere: & locus est inculcationis à tempore. Et *abire* dicitur, quod paulatim nos deserit: hoc autem ex partu intelligit.

58. *Prodidisti te, atque illam miseram*] Vide festivum senem, quantum se adolescenti accommodet: non enim illum, quem causa deposcit, sed amatorum ordinem fecit, prius dicendo *Prodidisti te*, quam *illam*; tum etiam *gnatum*, ut ex animo amare videatur id quod natum est. *Prodidisti.*] Decepisti, vel deseruisti, ut *Virgilius*.

— *unius ob iram*

Produmur.

Quod quidem in te fuit.] *Sallustius*, *Quod in familia nostra fuit, praestitit ut in omnibus bellis adesset vobis.* Et *Cicero*, *Seminator P. R. quod in vobis fuit, jacuit & pernoctavit in publico. Quod quidem in te fuit.*] Pro, id quod in te erat: id est, quantum in officio tuo spei & auxilii partiumque tuarum fuit: vel, quantum ad te spectabat. Et hic est illud, quod obsequentissimus pater vult, omnia per se esse correcta.

59. *Dormienti hac tibi confecturos Deos?*]

Quam mitis, quam faceta objurgatio, videtur satis Micio ille esse, qui ante est descriptus? *Quid credebas? dormienti hac, &c.*] Incerta distinctio: nam & per se *quid*, & *quid credebas*, legi potest: & velut hic subaccusatur Æschinus, *Dormienti hac tibi confecturos Deos?* *ἄνθρωπος ἄδωρότου.* Et quæ sint, quæ à Diis cessantibus præstari non possunt, sequenti versu docet, ne videatur de Diis male sensisse. *Dormienti.*] Multo melius, quam si diceret *Cessanti*. & non, *Facturos*: sed, quod plenum est, *Confecturos*. *Et mire Deos ponit in eo negotio*, quod ipse præstat: tanquam hic & se & Deos excuset, quod non fecerint Æschino quæ volebat, etiam dormienti.

60. *Et illam sine tua opera in cubiculum iri deductum domum?*] *Ἄνθρωπος ἄδωρότου.* Ordo, *deductum iri domum.*

61. *Nolim caterarum rerum te socordem.*] Quam nihil imperiose ac proauctoritate patria fit. *Nolim*, inquit, *te socordem caterarum rerum esse*: non dixit *ne sis socors*.

62. *Bono animo es.*] Apparet flenti hæc dicta omnia esse: & hoc decuit verendum adolescentem, & ex vi tantæ orationis, & metu amittendæ puellæ. Et *es*, modo imperativi modi est, temporis præsentis, nam *esto*, futuri est, *Duces uxorem.*] Datur in ultima objurgatione & breviter, & plena securitas. *Hem.*] Singultientis fletu & gaudio dixit *Hem*.

63. *Obsecro, non ludis tu nunc me?*] *Mœstus amatoris animus ludentem serio loqui creditur*: veta dicentem, quia optata sunt, putat ludere nunc. *Potest* & ob hanc causam dicere, *Ludis tu nunc me?* quod numquam eum antea luserit. *Ego te? quam ob rem?*] Magna vis pro-nominum cur non ludat, quibus & accessit consideratio rei. nam primo *Ego*, deinde *Te*, deinde causæ propositio. Et recte *Ludis*. Est enim amantis, in falsum metum conjicere imminente lætitia, qualibet sententia: inimici vero, in falsum gaudium quemquam impellere, subaliquis mœroris adventum, & ideo negat se Micio in hac parte luserum Æschinum, qui in aliis luserit. *Nescio.*] Religiose dixit *Nescio*: quasi non sit ra-

tio, quare non credat patri, quamvis subjecerit causam.

64. *Quia tam misere hoc cupio esse verum.*] Pro nimis: quia nimia miseria: ut *Ne quid nimis*, hoc enim putant, qui virtutes mediocritates esse dixerunt.

65. *Abi domum, ac Deos comprecare.*] Magnus institor sui beneficii est, qui a Diis petendum esse dixit, quod ipse præstabit, an ideo quia ordinis fuerat, prius rem divinam facere, & sic uxorem accersere? Et bene repetitum est *Abi*: quasi hærenti morantique: ut, *Vos istæ intro auferte: abite.*

66. *Quid? jam uxorem?*] Accessit ad beneficium tempus, & ideo *Iam* quasi gestiens repetit adolescens. *Quantum potes.*] Aut deest cito: aut *quantum potest esse.*

67. *Ni magis te quam oculos nunc amo meos.*] *Mire Nunc* addidit, & eleganter inventum est, quod in se amator multum diligit, id est, oculos: ut è contrario in Eunuchio, *Adolescenti ipsi eriperem oculos*, id est, ipsos de quibus amat.

68. *Quid? quam illam?*] Commendat se Micio, & familiariorem amatori facit, mentionem faciendo sæpius de amica in uxorem ducenda. *Æque.*] Sic infert hoc, quasi dubitando invenerit. *Perbenigne.*] Multum putat, quia amator hoc dixit: ergo *benigne*, large abundeque. *Quid ille ubi est Milesius?*] Non amat, si statim timere desinit, unde *Virgilius*,

Omnia tuta timens, eadem impia fama furenti

Detulit, armari classem, cursumque parari.

69. *Abiit: perii: navem ascendit.*] Facere, *Abiit*: ne diceret, mentitus sum. atque ita dixit, ut infantibus nutrices de terriculis dicere solent: quas quum ipsæ confunderint, abolitas volunt, postquam illos vident nimium pavere, Et mihi videtur ridens hæc dixisse: ut intelligat Æschinus, Micionem joco fuisse mentitum.

71. *Tibi obtemperaturos magis.*] *Mira* sententia, Deos obsequi bonis, quasi bonis hominibus multum debeant. & in excusationem precandi Deos, vide quæ

facultas nata sit patrem sine assentatione laudandi. Non est autem injuriosum, ad patrem referre deprecationem Deorum: sed magis honorabile, nam tale est apud *Virgilium*,

Tu genitor, cape sacra manu, patriosque penales.

Ut ipse patrem portet, hic Deos.

72. *Ego eo intro, ut, qua opus sunt parentur: tu fac, ut dixi, si sapias.*] Hic versus in quibusdam non invenitur.

73. *Quid hoc est negotii?*] Et mirantis hæc, & laudantis oratio est. & bene videtur hujusmodi patrem *Terentius* probare.

74. *Qui magis morem gereret?*] *Quæ* quo modo, qua re, qua ratione, magis mihi indulgeret.

75. *Hic non amandus?*] Omnia perfecit hic pater, ut & ametur, & laudetur, & foveatur.

76. *Magnam mihi injecit sua commo-ditate curam.*] *Mira* sententia; mala etiam de bonis nasci, an bonus parens magna cura est filio?

77. *Sciens cavebo.*] Facere quod noluit scilicet.

78. *Sed cesso ire intro, ne mora meis nuptiis egomet scem.*] Bene hoc, utpote objurgatus.

IN SCENAM SEXTAM

ACTVS QVARTI.

I. *Defessus sum ambulando.*] Hic exemplum inducitur *Jævi parris* ex affectu vero. & ob hoc *invisi omnibus*, non autem tantum amare vultu, quam ipsa re, inducitur: nam neque sibi, neque cuiquam alii; sed filio tantum consultum cupit. De autem valde significat, *Vi, Syre, te cum tua monstrazione.*] *Vi*, pro *utinam*. & hæc omnia anhelans dixit, *Tecum tua.*] Adhuc non credit in errorem se missum fuisse. *Te cum tua monstrazione.*] *Ἰδωμαις*, *Te cum tua monstrazione.*

3. *Perreptavi usque omne oppidum.*] *Tardus* incessus, non perambulatio, sed *perreptatio* dicitur, *Ad portam, ad lacum.*] *Quo non?*] *Mire* propinquiora omisit, utpote *porticum, macellum, Cratini ades, templum Diana*: & ultima posuit, ut

quantum peragraverit, demonstraret. *Ad lacum.*] Facete Poëta memorem inducit senem, quorum minime opus fuit meminisse.

4. *Quo non.*] Duobus dictis, *Quo non* addidit: quasi & ad dicendum lassus appareat.

6. *Certum obsidere est, usque donec redierit.*] Proprie *obsidere* dixit, convenit enim & irato, & repente aggressuro. & ab eo quod est *obsideo, obsidere* facit, producta media syllaba: ab eo quod est *obsido, obsidere* facit, eadem syllaba correpta.

IN SCENAM SEPTIMAM

ACTVS QVARTI.

1. *Bo, illis dicam.*] *In hac scena est exemplum intempestiva objurgationis, ac per hoc ridicule. Ibo illis dicam.*] *Sofstræ & filia.*

3. *Fero alia flagitia ad te ingentia boni illius adolescentis.*] Magno sonitu, ac ingenti ostentatione futuræ accusationis exorsus est magna sunt enim omnia, & *Fero, & Alia flagitia, & Ingentia, & quod εἰς ὄνομα, Boni illius adolescentis, dicit.*

2. *Boni illius adolescentis.*] *Εἰς ὄνομα, quæ semper amarius ponitur, quam criminatio manifesta. Ecce autem.*] *Ecce dicitur, quoniam repente triste aliquid rebus intervenit lætis, aut certe, quum aliud agitur, aliud emergit novum: ut Virgilius.*

Ecce autem gemini à Tenedo tranquilla per alta,

Horresco referens, immensis orbibus angues.

Et,

Ecce trahatur passis Priameia virgo Crinibus.

Et Cicero, *Ecce autem repente ebrio Cleomene, esurientibus cateris, &c. Nova.*] *Recentia, an mira & magna? ut, Pollio & ipse facit nova carmina.*

5. *Nescis qui vir sit.*] *Εἰς ὄνομα, nam vir, ad laudem sumi solet, ut alibi, Virum te judico. Scio.*] Satis ridicule, nec quod ille cupit, abnegat Micio: ut contentiando, iracundiam Demeæ acriorem

fieri *possibilem sibi, mitigare queat. nam *Scio* ad negotii totius gestionem retulit: non ad illud quod ait, *Nescis qui vir sit.*

8. *Eho, scis? & patere?*] *Iam & illi irascitur, non Æschino.*

9. *Non, malim quidem.*] *Alii volunt Micionem dicere, Malim quidem: alii Demeam.*

10. *Puer natus est. DI bene vortant.*] *Hic bono exemplo inducitur Micio irascentem justè Demeam leniter ferre: quia exanimato obmœrorem, non convenit inclementer iri obviam, quum possit in tempore objurgari, postquam destomachatus fuerit. Et vide quam facete: quum ille, Puer natus est, ad argumentum mali attulerit: hic ita respondit, quemadmodum solent illi, quibus puellam nasci metuentibus, nuntiat puerum natum esse. Nam in omnibus quæ cupitè venerint, Dii bene vortant, dicitur: quia sæpe homines ea optaverunt, quæ aliis aliter atque expectaverunt, contigissent, quam potestatem rerum vertentium semet in utramque partem, Vertumno Deo superesse, veteres existimaverunt. Virgo nihil habet.] Vult rem sine remedio videri: quia scit posse nuptiis finire sollicitudinem. Et vide amaritudinem Demeæ contra omnes, ut nec virgini ipsi parcat.*

11. *Audi vi.] Αἰσῶς & cum εὐδαιμονία* respondendum, quasi leve sit, quod admissum sit. *Et ducenda indotata est.] Ducenda scilicet, nisi damnandus sit Æschinus. & hoc verbum, necessitatis vim habet: ut, Pacem Trojano ab rege petendum.*

12. *Quid nunc futurum est.*] *More irascentium, quum ipse sciverit quid futurum sit, Micionem interrogat, & hujusmodi interrogatio, secundum figuram suam non habet responsonem: sed Micio sic respondit, quasi simpliciter inquirenti.*

13. *Illinc huc transferetur virgo.] Virginem quæ etiam cum viro fuit, vocat. Virgilius.*

Ab virgo infelix.

O Iupiter! istoccine pacto oportet?] O Iupiter, tragice adjecit Micione versus.

Istoccine:

Istoccine pacto, ad ipsum Micionem respiciens dixit.

15. *Si non re ipsa tibi istuc dolet.] Nunc Rem pro veritate posuit.*

16. *Simulare certe est hominis.] Non hoc dixit, quia hominis est mentiri: sed quia sæpe iracundiæ simulatio, custodia disciplinæ est. Iam virginem despondi: res composita est: sunt nuptiæ.] Ne diceret, despondi, composui, facio. Et despondet puellam qui petit: spondet à quo petitur. Recte ergo socer futurus, Despondi, dixit.*

18. *Hac magis sunt hominis.] Bene Hominis: ille enim dixerat, Simulare certe est hominis. Caterum, placet tibi factum, Micio.] Nihil aliud volebat Demea, nisi ut sciret Micio: quod impetrare non potuit, etiam ab eadem sentiente de pravitate & peccato Æschini.*

21. *Quasi quum ludas tesseris!] Retum erat si diceret, Ita vita est hominum quemadmodum tesseris ludere, aut, quemadmodum ludus est tessera-rum. Nota ergo genus locutionis.*

22. *Si illud, quod maxime opus est jactu, non cadit.] Utrum, quod opus est, jactu non cadit: incerta distinctio.*

13. *Ille quod cecidit forte, id arte ut corrigas.] Ars adhibenda pro fortuna, non enim si male jactus ceciderit, descedendus est ludus, & Forte nunc pro Fortuna intelligendum.*

24. *Correktor!] Quia dixit, Arte ut corrigas, sed moris est iratis ab ultimo verbo contradicentis incipere.*

27. *Neque est, neque illam sane studeo vendere.] In scopulo versatur Micio, in quo eligit ineptus potius videri, quam prodar Ctesiphonem patri.*

30. *Cur non.] Posset dicere, non est Æschini amica: sed celanda est culpa Ctesiphonis.*

31. *Ita me DI ament, ut video ego tuam impiam.] Ordo est, Ita, me DI ament, te facturum credo, ut habeas, quicum cantites, Ipse se fallit, non inquirendo ulteriorem causam retentæ in domo meretricis. Mire autem Cantites: quasi turpius sit cantare senem, cum psalteria, quam coire.*

33. *Et nova nupta eadem hac discet.] Alius subaudit Diceret, sed ó magna in*

verbis elegantia! vide enim quam vim significet *Discet*, & ideo non *Vxor*, sed *Novanupta*: quam ad omnia docilem esse, ipsum indicat nomen.

34. *Tu inter eas vestim ductans, saltabis.] Lulus est natus ab eo fime, quo introductus equus Durius in Trojam est, cum nexis manibus fune, chorum ducunt saltantes. Hoc a quibusdam dicitur, sed ego puto, manu confertos choros puellorum puellarumque cantantes, vestim ducere existimari: & id maxime convenire ad exagitandam importunitatem senis, veluti pueros imitantis. Simul etiam quia iste connexus manuum lascivus ac petulans adimit discretionem conditionis, dignitatis, ætatis, inter meretricem, novam nuptam, & senem. Et hoc, quemadmodum dictum est: & quanto stomacho jam ab Æschino recessum est, & transitum ad Micionis luxuriam describendam.*

36. *Iam vero omite, Demea.] Mire urbanitatem expressit ultro objurgantis, qui objurgatus est.*

37. *Tuam istanc iracundiam.] Tuam istanc* dicendo, & ridiculam, & supervacuum significat. Et bene *Iracundiam*: nam *Ira*, de causa est: *Iracundia* de vitio multum irascentis. *Atque uti decet, hilarum ac lubentem.] Bene addidit Lubentem, multi enim hilares se simulant, non lubentes sunt. Hilarum.] Veruste, non Hilarem.*

40. *Hancine vitam? hancine mores? hanc dementiam?] Εὐλαστίνος* omnia, utpote stomacho secum loquens, deest enim *Esse*, aut quid tale.

41. *Domus sumptuosa.] Domus, id est, homines.*

43. *Ipsa si cupiat Salus, servare proorsus non potest hanc familiam.] Σωματωροία, Plautus, Lubentior te faciam, quam ipsa lubentia est. Etenim εὐλοία est, Ipsa Salus si cupiat servare, proorsus non potest hanc familiam. Hinc licet æstimare quantum & caloris & gravitatis apud Terentium sit, ad imitationem Cæcilianam. Vide quantum creverit à superioribus, ut sic finiat.*

IN SCENAM PRIMAM

ACTVS QVINTI.

1. **Æ** Depol, Syrisce.] Hic exemplum inducitur licentia seruorum sub miti domino. *Ædepol, Syrisce, te curasti molliter.*] Quia detexit Ctesiphonem, iam oportet ut ebrius inducatur Syrus: per cuius fallacias tegatur adeo. Et Syriscum se dicit, non Syrum, τῷ ἰσοκροῦσαν, Molliter.] Delicate.

2. *Lanteque munus administrasti tuum.*] Ut quicquid esset bellissimum, carperes: cyathosque forbillares. Aut munus seruile, esse & bibere.

3. *Abi.*] Verbum vel sibi, vel alteri cum laudatione blandientis, nam sic dicunt, qui iam compotes sunt votorum omnium, perfectique in rebus uniuersis.

4. *Prodeambulare.*] Nota duas præpositiones uni dictioni adjunctas. Ut, *Pede profubigit terram.* & ἀμφιπερὶ πῦλον. & optime ad delicias exprimendas hoc verbum conuenit, nam procedere segnem, *Deambulare* significat, nam *deambulare* etiam intus potuit.

5. *Exemplum disciplina.*] Quia unus ex multis reliquis, An quia senior, & nuper etiam pædagogus, ut ipse ait, *Quem ego puerum tantillum in manibus gestavi meis.*

6. *Quid sit? quid tu es tristis?*] Mire securitatem ebrui hic expressit, numquid enim pertimescit interventum senis, ut solebat, Syrus? aut quicquam præcavet? Subblanditur tantum, & ita reum oblitus est, ut quum eum sævum sciat, causam tristitiæ ejus inquirat.

7. *Tu verba fundis hic sapientia?*] *Utrum sapientia verba? an tu sapientia?* quia dixit supra, *Tu quantus quantus es, nihil nisi sapientia es. Fundis.*] Utrum sine ulla cessatione profers? An *Perdis?* secundum illud, *Nam quid tu hic agas, ubi si quid boni præcipias, nemo obtemperat?*

8. *Dis quidem esses, Demea.*] Ab eo quod est *Dis, ditis, Dites* facit: ab eo quod est, *dives, diuitis, divites.*

9. *Quamobrem? quid feci?*] Nihil

nunc in Syro nisi simplex & purum obobrietatem. Et vide, *Quamobrem, quid feci.* dicere, non esse sobrii Syri.

11. *in ipsa turba.*] Non minus ridicula importunitas Demeæ est, quam ebrietas Syri: qui aduersum temulentum tantæ gravitatis oratione personat, ut ex dicentis vultu & verbis, & ex audientis habitu & stupore, magnam voluptatem percipiant spectatores, vides enim quanto pondere verborum cum ebrio luter.

12. *Potasti, scelus.*] Non quod plus videt senex, quam obijcitur oculis: sed oratorie, *potastis*, dixit, quum unum ebrium cernat: propter illud quod ait, *Exemplum disciplina.* quasi in omnibus sit, quod in uno nunc aspicitur. *Virgilus.*

— *Et crimine ab uno*

Disce omnes.

13. *Sane nollem huc exitum.*] Et hoc dictum argumento est, Syrum oblitum omnium rerum nihil respondisse Demeæ per fallaciam: sed tantummodo pœnitere quod exierit.

IN SCENAM SECUNDAM

ACTVS QVINTI.

1. **H** *Eus, Syre.*] Quam clare dicat; ostenditur ex eo quod præmisit *Heus*, antequam loqueretur, *Ctesipho.*] Mire additum nomen est: quum aut sine hoc, aut per pronomen intelligi possit *Ctesipho.* *Vi redeas.*] *Redeas* dicendo, ostendit & illum inter pocula, à quo egressus est ebrius.

4. *Est alius quidam parasitaster parvulus.*] Non alius parasitaster, sed alius *Ctesipho*, qui est parasitaster. & bene non alter, sed *alius*: quasi non duo, sed multi sint *Ctesiphones*. Et hoc sic pronuntiandum est, ut simul & quærat, & dicat *Nostin'*: Quasi sycophanta, nunc addidit, *nostin'*: nam veteratoris est, etiam mentientem confidere.

5. *Quid agis? quid abis?*] Hoc jam ebrio conuenit, non illi quem cognovimus Syrum, nam quod retinet senem, confessionis genus est.

6. *Non manum abstinens? Mastigia.*]

Etiam injecisse manum, ut teneret Demeam, ex ipsius verbis cernitur.

7. *An tibi jam manus cerebrum dispergam hic.*] Ut apparet, baculo minatur. *Abiit.*] Quia prohiberi non potuit, demisso & desperanti vultu, quid factum sit, dicit, & abiisse pronuntiat.

8. *Ædepol commissatorem haud sane commodum.*] Τῶν χλευασμῶν, tantum inopinatus supervenit, ut omnia sic offendar, quemadmodum qui commissatum ingreditur: quia commissatoris est supervenire ad scortum, & vociferari aliquid in jocularum strepitum, quare totum falle, totum ad Demeam contulit.

9. *Præsertim Ctesiphoni.*] Bona exceptio, ut appareat omnibus incommodum, & in his *Æschino*, sed præcipue *Ctesiphoni*.

10. *Nisi dum hæc fiescunt turba.*] Non quæ jam sunt, sed quæ erunt.

11. *Hoc villi.*] Τὸ ποτόρουμα est vini: ut unus ullus, asinus asellus, vanus nullus, vinum villum.

IN SCENAM TERTIAM

ACTVS QVINTI.

P *Arata à nobis sunt, ita ut dixi. Solstrata, ubi vis.*] In hac scena collatio est personarum mitis parentis, ac savi.

1. *Parata à nobis sunt.*] De verbis abeuntis vult ostendere Poëta, quam orationem cum Solstrata habuerit ingressus Micio. & vides quas ἐλλείψεις interposuerit. Primo, *Parata à nobis sunt*: quæ, non dixit: sed, *Ita ut dixi* dicendo, significat se dixisse omnia. Deinde, *ubi vis*, Fiant nuptiæ: vel quid tale, aut omisit: aut dicturus hoc ipsum, audit vehementius fores esse pulsatas: & quod agebat abjecit.

2. *Quisnam à me pepulit.*] *A me, modo, id est, Meas, Tam graviter.*] Quia irati omnia concite faciunt, quum pulsantæ fores essent exituro foras Demeæ: hæc pulsavit, ut & his ipsis irasci videretur.

3. *Hei mihi, quid faciam? quid agam? quid clamem, aut querar?*] *Ø Cælum, Ø Terra, Ø Maria Neptuni!*] Multum laboravit Terentius, ut ἀσφαλῶς scriveret

in dolore Demeæ: quo major debet in *Ctesiphone* reprehensio esse, quam in delictis *Æschini*. Et nota, quod ubi non invenit quod dignum loqueretur, ab interjectione cœpit, *Hei mihi*. Et adhuc quum pro rei magnitudine oratio parva esset, *Quid faciam*, inquit. In alieno indignatus est: in suo *Quid faciam?* inquit. In alieno litigavit: hic ait, *Quid agam?* In alieno clamavit & questus est: hic in suo relinquitur, & præter ἀσφάλῳσιν in *Æschini* peccato Micionem accusavit: in *Ctesiphonis*, elementa cum Diis omnibus ac toto mundo. *Mira ὀύξισις*, & quam imitatur *Virgilius* in *Orpheo*, post amissam rursus *Eurydiden*, *Quid faceret?* inquit, omnia enim consumpserat primus dolor. *Quo se raptabis conjuge ferret?* nam quid præter omnes terras atque inferos loci remanebat? *Quo fletu manes?* per quem fletum manes; quasi omnes primis luctibus impleverat lachrymis. *Qua numina voce moveret?* cui nec ira quidem inexperta remanserat. Et vide hic gradus doloris & iracundiæ: in tantum autem, ut jam crescere non possint, quippe in initio fabulæ tantum tristis est *Demea*, nam sic audit à *Micione*, *Quid tristis es?* & ipse, *Rogas me (ubi nobis Æschinus fiet) quid tristis ego sim?* Inde mox procedit in pejus: adeo ut sic incipiat, *Disperii: Ctesiphonem audiui filium una fuisse in raptione cum Æschino.* Inde postea dicit, *Næ ego homo sum infelix.* Ad postremum, *Hei mihi quid faciam? quid agam?* Et naturali quodam modo, postquam summus furor ad extrema pervenit, repente senex mutatur, & mitis est.

4. *Ø Cælum, Ø terra, Ø maria Neptuni!*] *Neptunus*, quia medius sit inter cælum & inferos, dum utriusque regni particeps habetur, elementorum omnium potior, nam ideo tridentem habet, pro numero trium elementorum: ut apud *Virgilium* idcirco dicit, *Iam cælum terramque meo sine numine venti Miscere.* Et apud *Homer.* sicidem,

Ὡς εἰπὼν, σὺ μὲν γὰρ νεφέλας, ἐπέσειξες
ἢ πόντον,
Χερσὶ τεύωναν ἑλών, πάσις δὲ
ὀρθῶν ἀέρας

Καυτοίων ἀνέμων, οὐδ' ἴ νεπέρας
καλυψέ
Γαῖαν ὁμοῦ καὶ πόντον.

Et hoc est quod ait Horatius, in arte Poëtica. Interdum tamen & vocem comœdia tollit. In hæc enim tria, rerum natura dividitur. Ut Virgilius,

Principio maria, ac terras, cælumque profundum.

Et per hoc totum mundum accusavit. O cælum, ô terra, ô maria Neptuni! Utrum Deos elementa vocavit, quod Diis quoque irascitur, qui in iis commorantur, ut dolentes solent? An quia Deos esse non putat, ideo hæc omnia Neptuni dicit: quasi dicturus esset, Neptunia fiunt: nisi intercederet persona Micionis: quem videns, ad aliud conversus, desit diluvium & interitum rebus optare, objecto fratre, cui maxime irascitur, & propter quem detestabatur omnia, Tale est apud Virgilium:

Omnia vel medium fiant mare. An omnia accusat, ut indignantes solent? Ut,

Quem non incusavi amens hominumque, Deorumque?

Et ut, Atque Deos atque astra vocat crudelia mater.

Hem tibi.] Τῷ ἰδρωτισμῶ. Tibi.] Nulli enim Micio loquitur.

5. Id nunc clamat.] Id, ob id.

6. Scilicet parata lites.] Videtur & ipse pertinuissè, dicendo Scilicet, & Parata lites. Sed ut rursus confirmet se ipsam, quia Succurrendum est, ait, Succurrendum est, Cresiphoni scilicet.

7. Communis corruptela nostrum.] Qui communiter ambos corruerit. Communis corruptela nostrum liberum.] Major accusatio est ista quam prior: quippe quum jam modo de ambobus accusetur Micio, non de uno.

8. Tandem reprime iracundiam.] Mire. Quia reprehendere nequit irascentem, nimietatem reprehendit irati. Et Ira, de causa est: Iracundia, de moribus. Atque ad te redi.] Quia ira, ab eo quod est Ire dicitur, quod à se eat, qui irascitur & furit. Et, Ad te redi, proprie dixit, Virgil.

Verum ubi nulla fugam reperit fallacia, victus

In sese redit. — Et Cicero:

Redit ad se atque mores suos.

9. Repressi, redii.] Non quid dicitur, sed quo gestu dicatur, specta: & videbis neque adhuc repressissè iracundiam, neque ad se rediissè Demeam, sed quam mira est atque perspicua moralitas, in hujusmodi rebus, apparet.

10. Rem ipsam putemus.] Videtur paulo citius destomachatus, quam res etiam incertæ poscebant. Sed & hoc morale: nam iuste irati, ommissa sævitia, ad ratiocinationes sæpe festinant. & præterea illud accedit, quod non invenit jam, quod condigne dicat: simul etiam quia increpitus est à fratre, quod apud se jam non sit per iracundiam vehementem, Rem ipsam putemus.] Tractemus, purgemus, nam & hinc putamina, purgamenta dicta sunt: ut Plautus in Captivis ait, Nucleum amisi, retinui pignori putamina.

Et Virgilius, Multa putans, inquit, Putare proprie, est falsa & cassa à veris & utilibus rescare. unde arborum purgatores putatores. Et rem, causam ipsam litis ostendit: ut, Mitte ista, atque ad rem redi.

11. Ne tu curares meum.] Nam ambos curare, propemodum reposcere illum est, quem dedisti.

12. Factum est.] Apparet, Micionem invitum quidem fateri, sed facete contemnere objecta.

14. Cur emis amicam, Micio?] Inclamatio ista nominis, magnam invidiam significat. Ut,

Regnumne, Æschine, hic possides? Et,

— Pacem te poscimus omnes, Turne. —

Num qui minus mihi idem jus æquum esse.] Aut num, aut qui abundat. & est ordo, Qui minus æquum est esse idem jus mihi, &c. Qui ergo, quare vel cur significat.

17. Non.] Confidenter Non repetivit, non habens rationem quam subjiceret: nisi illi proverbium venisset in mentem. Nam quia se videt in malam causam

incidisse, totum vernaliter & facete agit: & subjicit aequitatem, ubi iusto se tueri non potest. Quod tamen à Demea statim convincitur, dicendo, Nunc demum isthac oratio nata, ut ostendat illum perturbatum contraria protulisse dictis suis superioribus.

18. Communia esse amicorum inter se omnia.] Inter Pythagoreos ortum dicitur.

19. Facete: nunc demum isthac nata oratio est.] Alii totum jungunt: alii separant. Et bene Nata est: nam sic dicimus de rebus repentinis: ut supra, E re nata melius fieri haud potuit, quam factum est, hera.

20. Ausculta paucis, nisi molestum est, Demea.] In duas partes dividitur tota persuasio: nihil passurum Demeam damni, nihil corruptelæ.

21. Principio si id te mordet, sumptum filii quem faciunt.] Figurativa locutio est: ut,

Eunuchum quem dedisti nobis, quas turbas dedit!

22. Quæso.] Modo objurgatorium est Quæso.

23. Pro re tollebat sua.] Pro patrimonio tui qualitate.

25. Et me tum uxorem credidisti, scilicet, ducturum.] Ἐπαγαγή.

27. Conserva, quare, parce, fac quam plurimum illis relinqua.] Hoc sic pronuntiandum, ut appareat hanc ipsam voluptatem displicere Micioni, Conserva Parca. Quare Nova. Parce Omnibus.

29. Vivantur sine.] Aut deest, His, ut sit, his utantur: aut mea utantur, antique locutus est.

30. De summa nihil decedet.] Rei tuæ sciucet.

33. Dempseris.] Pro demes.

34. Mitto rem.] Pecuniam. Et hæc exclamatio est moralis nimis adversum tardos ac non intelligentes homines. Consuetudinem ipsorum.] Loquor, aut quid tale, subaudiendum. Mitto rem, consuetudinem ipsorum.] Vel ab utilitate ad honestatem transit: vel à rebus ad illos ipsos, de quibus agitur. Cavetur enim ne aut rem perdant, aut ipsi pereant. Mane, scio: istuc ibam.] Moralis & faceta correptio, continens in se latenter blandi-

mentum, quo deliniatur auditor. 35. Multa in homine, Demea, signa insunt.] Obscurissimus sensus & re & verbis.

37. Duo quum idem faciunt.] Obscure locutus est, quum hic sit sensus: Duo idem faciunt, quorum uni licet facere, alteri non licet. Duo quidem idem faciunt.] Nam ambo & sapiunt, & intelligunt, & loco verentur, non ingenii vitium, sed ætatis est. Sæpe, ut possis dicere.] Melius est Sæpe ad superiora conjungere: nam possunt duo idem facere, & casu, non ut similitudinem facere videantur. tunc ergo erit signum, Sæpe idem faciunt. Dicere autem posuit, pro intelligere & scire: ab eo quod præcedit, id quod sequitur, ut, Fœneratum istuc beneficium pulchre tibi dices. & Me morem me dices esse & gratum.

39. Non quod dissimilis res sit.] An quia huic licet?

40. Qua ego esse in illis video.] Ordo & sensus hic est. Multa in homine, Demea, signa insunt, ex quibus conjectura facile fit: quæ ego illis inesse video, ut confidam fore ita ut volumus.

41. Intelligere, in loco vereri.] Non, In loco intelligere: sed, In loco vereri.

42. Inter se amare.] Cito dixit Inter se: quod est, quum alter alterum invicem amat.

44. Atenim metuas.] Ἀντίθεσις ad priorem tractatum pertinens, qui est habitus de consuetudine rei familiaris. Ne ab re sint tamen omissiores paulo.] Quia amant, potant, olent unguenta. Atenim metuas, ne ab re sint tamen omissiores paulo.] Oratorie paulo: nam non paulo omissiores fore, Demea, sed plurimum fore credit & metuit, & Ab re, à patrimonio.

45. Omissiores.] Ἀνιδόσι, ἀνετάροισι, negligentiores. Sic in Heautontim. Vbi te vidi animo esse omissio. O noster Demea?] Blanda & cum quodam complexu ejus, qui reprehenditur, incusatio, & de more sublati. Et sic hoc dixit tanquam dicturus esset, Multa te latent, simplex homo es. nam hujusmodi sententia latenter quandam dicentis auctoritatem fiduciamque designat.

46. Ad alia omnia atate sapimus re.

Ælius.] Præterquam ad avaritiam. & per hoc, quod optas liberis, vitium senectutis est.

48. *Attentiores sumus ad rem omnes.*] Proprie attentiores reddit omiffioribus. supra enim dixerat, *Ne ab re tamen sint omiffiores paulo. Quam sat est.*] Quasi dicat, attentos nos esse, non statim crimen est.

49. *Quod illos sat atas acuet.*] Μεταφορικῶς, acuet. *Ne nimium modo bona tua ista nos rationes, Micio, Et tuus iste animus æquus subvertit.*] Næ, valde subvertit, infra legendum est. Si ne, pro non, conjunctio est. *Subvertat* legendum est, ita ut subaudiamus *Timeo*, vel aliquid tale. Et *tua & ista* quod ait, significationem habent nulliusmodi rationem & ineptam: non apparet, non eas probari ab eo qui sic loquitur, ut supra, *Iam vero omite. Demæa, tuam istanc iracundiam.*

51. *Tace, non fiet.*] *Tace* nunc pro εὐφημισμῶ positum est, quasi diceret, Non subvertet, ne dixeris: quod mali ominis verbum est.

52. *Da te hodie mihi.*] Accommodate ipsum voluntati meæ. nam in animum transtulit quod est corporis, ut in Eunuchō: *Mihi sese dare, sermonem querere. Cicero. Cerviculam jactare. & populo se accommodare. Da te hodie mihi.*] Si non vis, inquit, propter te, vel propter me mitis esto.

53. *Expurge frontem.*] Quia contrahi in verbo dicitur. Et verbo isto ostenditur, quanto conatu opus sit, ad explicandam tantam contractionem senectutis & severitatis. *Scilicet, ita tempus fert, faciendum est.*] Vide si non hoc sit, quod Græci ΜΙΡΟΚΑΛΗΜΕΡΩΝ dicunt: nam sic, & *Ita tempus fert, & faciendum* dicendo, ostendit se magis cogi necessitatibus, ut paulo sit tranquillior: & cum tanta difficultate promittit, tantam mala subiturus sit. Atque adeo majorem partem secum disputat, necessario hoc velit nolit faciendum esse, ut sit lætior: & hoc quia tempus fert.

54. *Faciendum est.*] Satis mire: tanquam necessitate cogatur ad gaudendum agrestis senex & ΣΜΙΚΟΚΑΛΗΜΕ-

ROC. *Caterum rus cras cum filio cum primo lucu ibo hinc.*] Hoc ideo facit, quasi gaudere interim non possit, nisi se vicinæ lævitæ proximitate soletur.

55. *Cum primo lucu.*] Ἀπρωτόμοις. *Cum primo lucu.*] Veteres dicebant *lucum*, pro luce, pro sole ponentes. Ergo *Cum primo lucu*, quum primum sol cœperit illucescere. *Cum primo lucu.*] Veteres masculino genere dicebant, *lucem. Ibo hinc.*] Tanquam de malo loco. *De nocte.*] Abundat de.

56. *Fac te.*] Eodem verbo utitur, quo jam dudum: ut laborem ad lætitiā se convertentis ostendat: id est elabora ut sis hilaris. *Et istam psaltriam, una illuc mecum hinc abstraham.*] Vide singulas syllabas imbutas amaritudine rustica atque agresti. Nam *Istam* odium significat. *Psaltriam*: Savitia in nomine est, quam deliciosam esse oportet, & *Vna mecum*: quam cum adolescentibus esse convenerat. *Et Illuc*: ad quem locum psaltriam secum ire compellit. Deinde ne vel in itinere pœna cesset, *Cum filio ibo hinc*, inquit, *illam vero abstraham*, nam *Illuc* eo animo dixit, quo supra, *Ibo hinc*. Et apparet illum quasi mancipium ducturum puellam, non ut fidicinam. *Mecum hinc abstraham.*] Non abducam: sed quod est sævientiis, abstraham.

57. *Pugnaveris.*] Magnam rem feceris: Sic *Lucilius*,

Vicinus ô Socii, & magnam pugnavi-
mus pugnam.

58. *Eo pacto prorsum illic alligaris filium.*] Hæc cum risu dicit Micio, Et *ligare*, est injicere alicui vincula. *Quis vero dicitur alligari ad aliquid, sine quo esse non possit?* Ergo propriè ad amicam alligari adolescentem dixit amatorem. *Prorsus* autem, certe, recte, ac vere significat.

59. *Vt illam serves.*] Acuendum *Illam*: Hoc est, non jam filium, sed illam, serva, in qua utrumque retinueris. *Ego istuc videro.*] Hoc est, ut illam servem.

60. *Atque ibi favilla plena, fumi ac pollinis oquendo sit faxo, & molendo.*] Atqui molere prius est, quam coquere: sed illud prius posuit, quo pulchritudo magis fœdatur, an quia prius torreatur triticum, ut tundi possit: Ut *Virgilius*,

Et torrere parant flammis, & frangere saxo.

61. *Coquendo sit faxo, & molendo.*] Ne ametur scilicet, *Coquendo sit faxo, & molendo: præter hæc.*] Ἀπρωτόμοις octava. 62. *Meridie ipso.*] Quum sol vehementior est. Et nomen fecit de adverbio: *Meridie* dixerunt veteres, quasi mediædiem, R pro D posito, propter cognationem harum inter se literarum. *Vt stipulam colligat.*] Quod sub sole fieri necesse est.

63. *Tam excoctam reddam, atque atram.*] Ἰδιωτικῶς dixit *Reddam*, pro *faciam*, Et *excoctam*, ad tenuitatem siccitatis coloris: *Atram*, ad colorem retulit. Et vide quam aspera, quamque ingrata clausula sit, qua lævidici senis finitur oratio. *Placet, nunc mihi videre sapere*] Non contradicit: timet enim suavor, ne lætitiā rursus provocet ad jurgium.

64. *Atque equidem filium.*] Non solum suadet lætitiā, sed etiam ridere cogit invitum.

66. *Derides? fortunatus qui istoc animosus.*] Hoc verbum vultu Demææ sic profertur, ut subrisisse videatur in vitus. Sed rursus *Ego sentio*, amare severeque dixit. Et *Ridet*, qui simpliciter ridet; *Deridet*, qui cum alterius irrisione & contemptu ridet. *Fortunatus qui istoc animo fies.*] Non laudantis est quod ait, *Fortunatus*: sed moraliter reprehendentis, ut si dicas, quum te aliquid cura offenderit, fortunatos stultos qui nihil sentiant. At hoc quoque dixit in Eunuchō, *At ego infelix neque ridiculus esse, neque plagas pati possum.*

67. *Iam jam desino.*] Et hic velut necessitatem queritur imponi sibi.

68. *Et cui rei opus est.*] Cui rei credis, nisi nuptiis? hoc est, ludo atque lætitiæ, voto & gaudio nuptiali. *Hunc sumamus diem.*] Non accipiamus, sed impendamus, & consumamus. Unde & *sumptum* dicimus pecuniam, quæ insumenda est.

IN SCENAM QUARTAM

ACTVS QVINTI.

*N*umquam ita quisquam bene subducta ratione.] In hac scena exem-

plum inducitur hominum, qui virtutem radio deserunt. ob contemptum ejus quod apud omnes sanum esse, virtuosum sit. Et adeo farvet Terentius clementioribus ac mitissimis patribus, ut hunc quoque adducat ad sententiam Micionis, non tamen hoc sententem, quod ita fieri operiet; sed quod ita res cogat. Vult enim naturalem inesse veris patribus acrimoniam: sed eam semper invidiosam esse adolescentibus.

1. *Bene subducta ratione.*] Bene disposita, bene computata: *Ducere* enim est digitis computare, sed *Ducere* est apud alium & palam: *Subducere*, apud se ipsum & secreto, quo magis in verbo isto majoris attentionis & diligentis signum est.

2. *Quin res.*] *Quin*, modo, cur non significat. *Quin res, atas, usus.*] Tria posuit, ex quibus *Res* pro experientia ponitur: & hac dicit se esse mutatum, nam mox dicit, *Re ipsa repperi*, *Facilitate nihil esse homini melius, neque clementia.*

3. *Aliquid moneat.*] Σὺ δὲ μὴ τίς est per casus, subauditur enim *Quem*.

4. *Quæ tibi putaris prima.*] Ante alia eligenda: quæ & primo loco ponenda, ac per hoc optima.

5. *Vitam duram quam vixit.*] Ἀρχαῖος μὸς. ut *Lucilius*, *Magnam pugnavi mus pugnam.* Nam ego vitam duram, quam vixi usque adhuc.] Prius dixit quid faciat, quam cur faciat.

6. *Prope jam excursio spatio.*] Id est, ad calcem, propter ipsos decursus metatque vivendi, & est μεταφορῶς sumpta à cursoribus, *Excursio spatio.*] Id est, in summa senectute, *Id quamo'rem? re ipsa repperi.*] Quia secum loquitur, ideo multa reticet, & deest, *Faciam?* & *Se quis querat?* & *Dicam.*

7. *Facilitate.*] Jam facilem se infert. Inter *Facilitatem* & *Clementiam* hoc interest; *Facilis* enim, cujus ira cito solvitur; *Clemens*, qui non irascitur.

9. *Ille suam semper egit vitam.*] Hic jam quasi comparativa qualitas inducitur de utroque: & ut ille in initio fabulæ locutus est, sic in fine hic loquitur.

10. *Clemens, placidus, nulli ladere os.*] Mira varietas & in locis, & in partibus orationis. Et *clemens* est qui colit mentem suam, nec eam vexat irascendo.

Clemens, placidus.] *Clemens* est circa recte agentes: *Placidus* etiam circa delinquentes. Et *Clementis* est nulli laedere os: *Placidi* arridere omnibus. Et *clemens* animo, *placidus* vultu. *Nulli laedere os*] Id est, nullum praesentem laedere. Et vide quam grate à nominibus verba transeant. *Nulli laedere os, arridere omnibus.*] Voluptatis affectus est duplex: Aut enim ex quiete voluptas est, aut ex aliquo actu, ergo hic utrumque complexus est. *Et nulli laedere os.*] Adeo ut nulli se contristem faciat, & hæc est figura ἀνάθεμα, quum recurrimus per ea quæ diximus: & ἑξήπτης omnia repetita sunt.

12. *Ego ille agrestis.*] Bene addidit *Ille*, quasi jam notus, hoc ipso quod ferus atque agrestis. Et *Sævus* factis: *Tristis* animo: *Truculentus* vultu, & aliter dici potest, ut *Tristis* sit, qui dolet: *Truculentus* & sævus, qui terret: & ideo αἰζηνοῖς mira per ista decurrit.

13. *Duxi uxorem.*] Pendet, *Duxi uxorem*: sed *Etiā* cum magno significato addendum est: majore enim pondere subtrahitur conjunctio: nam, *Duxi etiam uxorem*, dicendum fuit. *Quam ibi miseriam vidi.*] *Ibi* inquit, quasi uxor locus sit, & hoc sine conjunctione, ut mala quæ enumerat, multa videantur.

14. *Alia cura.*] Non altera.

17. *Patria potitur.*] Accusativo casu extulit quod nos ablativo dicimus, id est, *patria potitur commodo. Accius* in *Clytemnestra*, *Feras* potiuntur *plagas*.

19. *Illum diligunt: apud illum sunt ambo: ego desertus sum.*] Hic ostendit *Terentius*, verum patrem & molestiorem & odiosum esse magis adolescentibus.

20. *Illum ut vivat optant.*] Σὺ δὲ μὴ τις. nam sic veteres loquebantur. Nos vero dicimus *Ille optant*, non *illum*. *Illum.*] *Micionem*.

23. *Nunc experiamur.*] Magis comice pluraliter *Experiamur* dixit, quam si diceret, *Experiar*.

24. *Quando eo provocat.*] Non addit quis: sed intelligimus, *Micionem* significari.

26. *Si id sit dando, atque obsequendo.*] Bene naturam secutus est, qui artem

ignorat, putans agi verbis omnia deberet, non dando & obsequendo. *Si id sit.*] Id est, *Jam à liberis si magni pendor, Non posteriores feram.*] Subauditur *Partes*, aut, *Non parvi faciam*, id est, non vincar à *Micione*. Et translatio est à partibus histrionum in fabula. *Non posteriores feram.*] Primus in his ero, inquit, in dando atque obsequendo.

27. *Deerit: id mea minime refert.*] Vide, remanere in *Demea* non penitus ejectam securitatem.

IN SCENAM QVINTAM ACTVS QVINTI.

*H*ENS *Demea*, rogat frater ne abeat longius. Hic ostendit Poeta, quam absurde blandans conetur esse, qui non solet: & quam immodica sit repentina largitas, ubi animus à paritate nimia in contrarium vitium profusionis excurrerit.

1. *Hens Demea, rogat frater, ne abeat longius.*] Ut apparet, jam edormivit crapulam *Syrus*. Et satis moraliter dixit *Frater*: nec addidit *Tuus, Frater.*] Moraliter, nam deest *Tuus*.

2. *O Syre noster, salve: quid sit?*] Jam non hæc blanda, sed dura sunt, nam *Salve* dixit ei, non solum quem saepe viderit, sed cum quo toties litigaverit. *Quid sit? quid agitur?*] Interrogat & quum sciat, & quum damnet actus ejus.

3. *Recte.*] Bene respondit *Recte*: hæc enim interrogationes de salute atque incolumitate ejus sunt, qui interrogatur. *Hæc tria.*] Deest *Verba*.

4. *Præter naturam.*] Plus dicit quam si diceret, *Præter consuetudinem*. *Iam nunc hæc tria primum addidi præter naturam*. *O noster, quid sit? quid agitur?*] Hoc pressius dictum est.

5. *Servum haud illiberalem.*] Dura & importuna repente commutatio ex tanta vituperatione in laudem *Syri*, ostendit contra naturam suam niti *Demeam* *Præbes te.*] Id est, te ostendis, factis probas. *Et tibi lubens bene faxim.*] Et bene ad quam rem adjectum est: an & bene hoc addidit. Quis enim credat tam subitis post sævitiam blandimentis, nisi factis quoque vera esse ostendatur? Et tibi

tibi lubens bene faxim.] Et additum est, ut ostendat hanc esse sententiam, Non solum te laudo, sed etiam juvo: illud dicendo, hoc faciendo. *Et tibi lubens bene faxim.*] Potest hoc & sic intelligi, Bene tibi faxim, & lubens, multi enim bene, sed non ex animo faciunt. Omnia ergo addidit, quæ placidum ostendant ipsum, atque clementem.

6. *Atqui, Syre.*] *Atqui* abundat per παρέλκον. *Syre.*] *Asseratio* est non creditus.

7. *Hoc verum est.*] Quasi falsum fuerit illud, quod jurgabat: & hoc sit verum, quod nunc dicit. *Propediem.*] Ἰσφέν. Nam *Propediem* adverbium est temporis: ut si diceret, *Cito*.

IN SCENAM SEXTAM ACTVS QVINTI.

1. *H*ERA, ego hinc ad hos proviso. Ad hos, ad *Micionem* & *Ælchinum* scilicet. *Proviso* duas res significat: procedo & video.

2. *Sed eccum.*] Hoc apud se.

3. *O, qui vocare?*] Hac interjectione utimur, ubi ex intervallo notos videmus. *O, qui vocare.*] Post *O*, nomine vocaturus, non habuit quod diceret: & ideo subjecit, *Qui vocare, Virgilius, O quam te memorem virgo: namque haud tibi vuluis*

Mortalis: nec vox hominem sonat, o Dea ceres,
An Phœbi soror? an Nympharum sanguinis una?

Moris est autem inferiores proprio nomine vocari, si blandiri velis, sed hic nominis oblitus, dum dubitat & inquit, inhæsit pronomini.

4. *Animo meo.*] Hoc est, secundum animi mei sententiam, & quantum ad animum meum pertinet.

5. *Nam is mihi est profecto servus.*] In hoc laudando quia non laborat, subjecit specialiter merita ejus: aut, ut existimo, nihil habuit quod diceret nisi laudem, sine ullius facti mentione. Et *mibi*, id est, quantum ad iudicium meum pertinet.

6. *Cui dominus cura est.*] Quum hic do-

minas habeat, *Dominum* dixit: quia prævalet masculinum, *Virgilius, Descendo, ac ducente Deo flammam inter & hostes*

Expeditior. —

Et præterea sententia generalis inducitur, quum nullum specialiter dominum significat. *Ita, ut tibi sensu, Getæ.*] Maximum delinimentum infert, eum nomine vocans, quod tantum superioribus est. Et vide quam grate, postquam ipse dixit, nomine appellavit *Getam*.

7. *Et tibi ob eam rem.*] Quid *Et tibi?* utrum quemadmodum aliis? an quemadmodum *Syro*? *Et tibi ob eam rem si quid usus venerit.*] Defectus quidam rusticici præter naturam blandientis, cogit dicta repetere sine gratia. Hæc autem promissiones ad hoc præmittuntur, ut quum in subjectis agi à *Demea* hujusmodi res cœperint, non sit absurdum spectatoribus, *Demeam* tam cito esse mutatum.

8. *Meditor esse affabilis.*] Sic hoc lenitius, ut illud supra, *Iam non tria hæc addidi præter naturam. O noster, quid sit? quid agitur?*

10. *Paulatim plebem.*] Moraliter inferiorum turbam, *Plebem* dixit: hoc est, ut in urbe vulgus, ita in familia servos. Et fit translatio ab iis qui honores dolose, ac non pro merito petunt, ambiciosique sunt. *Plebem primpulum facio meam.*] Hoc est, mihi faventem. Et è contrario *Virgilius,*

Vadimus immisti Danais, haud numine nostro.

IN SCENAM SEPTIMAM ACTVS QVINTI.

1. *O*ccidunt me quidem. *Adolescens* & *Demea* inter se affabiles, imaginem præbent. & quam dulcis sit junioribus assentatio, & quam ingrata censura. *Ἐδωπνός* autem dixit *Occidunt me*, pro *Nimis laidunt & cruciant me, Occidunt me quidem.*] *Quid m* pro expectatione est: tanquam in hac mora nullus alius occidatur, nisi qui amat, id est, ego. *Dum nimis sanctus.*] Et *nimis sanctus* ridicule additum est in ea ducenda, quæ

jam peperit, nam *Sanctum* est, quod omni observatione inviolatum est. Et bene additum est *Nimis*: quia *Nimum* pro vitio ponitur: juxta illam sententiam, qua dicitur: *Ne quid nimis*.

3. *Quid agitur, Æschine?*] Jam ipse docuit, *Quid sit*, & *Quid agitur?* blandimentum esse. Jam nunc hæc tria primum addidit præter naturam, O *noster*, *quid sit?* *quid agitur?* *Ehem pater.*] Non sine conternatione respondet Æschinus: etsi hic blande interrogat, & miti vultu: nam ex improvviso objectus est Demea, & insperanti.

4. *Tuus hercle verò & animo, & natura pater.*] Totum eripuit Micioni, cui ne animum quidem reliquit.

5. *Qui te amat plus quam hosce oculos.*] Magis comicum, quam *amo*. *Sed cur non domum uxorem accessis?*] Bene subjecit, quæ volenti esse credebat.

6. *Verum hoc mihi mora est, tibicina, & Hymenæum.*] Hoc est quod ait, *Dum nimis sanctas nuptias student facere. Hymenæum* quidem Liberi & Veneris filium dicunt esse, qui primus certas nuptias instituerit, ideo per laudem cantatu virginalibus nuptiis, ob hujusmodi meritum. Alii virum fortem Atticum dicunt fuisse, qui raptas prædonibus virgines, oppressis latronibus, intactas patriæ restituerit. Alii quod *ὑμένω* dicatur membrana quædam, qua est munita virginitas, quæ primo dirumpitur coitu, *Hymenæum* putant, veluti hymnum vocari virginalium nuptiarum. Ergo sic accipe *Hymenæum* in nuptiis, quemadmodum *ἄπλωον* in funere, vel in sacris hymnum.

8. *Vin' tu huic seni auscultare?*] Contempsit seipsum dicendo *Huic seni*: hoc solum afferens causæ cur audiendus non sit, quod sit senex. Et totum hoc apparet lætissimo vultu dici.

9. *Turbas lampadas, tibicinas.*] Bene totum pluraliter: ut qui reprehendit sic multa. *Plantus*, quos tu mihi parasitos, *luscos*, quos *Summanos somnias*? Hæc igitur vultu pronuntianda sunt, ut appareat ea displicere dicenti.

10. *Atque hanc in horto maceriam jube dirui.*] *Maceria* dicitur paries nunc aliqujus demacerata.

13. *Euge, jam lepidus vocor.*] Apparet Demeam experiendi causa assentari, non quod animo faciat.

14. *Fratri ades festo pervia.*] Elegantius quam *Fratri*.

16. *Ineo gratiam.*] In gratiam eo, hoc est, amicos comparo. *Ego lepidus.*] Irridens adolescentis animum, sic inquit, *Iube nunc jam.*] Insultantis est verbum *Iube*, tanquam præstet Micioni, hoc dicit Demea. Aut apud se dicit hoc, *Iube nunc.*] Quasi insultantes dicere solemus, nunc minari, nunc assistere, quem afflictum tenemus: ita & Micioni Demea dicit, *Iube nunc.* *Iube nunc jam dinumeret Babylo illi viginti minas.*] *Nimis morale*, est, quum de absente tanquam de præsentem agimus. Est autem, *Iube nunc jam* figura etiam apud *Plantum* frequentissima. *Iube nunc jam.*] *Iube* sic dicit, quemadmodum supra ille, qui quum alius nemo adesset alicui diceret.

17. *Dinumeret.*] *Dinumeret* dixit, quasi multum numeret. *Illi.*] Cui illi? *Ctesiphoni? Lenoni? an Æschino? an Syro? Babylo.*] Fratrem, *Babylonem* ob nimiam liberalitatem vocat: an *Æschinum* nimis prodigum?

18. *Syre, cessas ire ac facere?*] *ἰσχυρῶς* dicitur, *Dirue.*] Hoc vultu dicitur adhortante.

20. *Quum te video nostra familia tam ex animo factum velle.*] *Ex animo alicui facere*, est id facere, quod ille animo suo velit aut certe ex tota mente præstare, non perfunctorie, sed ex animo factum, bene factum intelligere debemus, ut sit, *Ex animo*, quasi ex sententia.

21. *Dignos arbitror.*] Multa desunt, & *Vos*, & *esse*, & *Qui fiant.*

22. *Quid tu ais?*] Eo vultu dicitur *Quid tu ais*, quo videmus loqui eos, qui interrogant gesticulante vultu, quid sentiant de consilio suo, quos sciunt approbaturus esse.

25. *Sic soleo.*] Potest *ἐργασία* videri quippe quando tale consilium probat Demea, quod probaret adolescens.



IN SCENAM OCTAVAM

ACTVS QVINTI.

1. *Iubet frater.*] Apparet Micionem dixisse, Cur diruis? *Syrum* respondisse, Quia hoc jubet frater tuus. *Iubet frater.*] Dirui maceriam scilicet. *Tune jubes hoc, Demea?*] Interrogative pronuntiandum totum, ita erit una persona. Et ostenditur breviter ex hujus verbis, quid prior dixerit Syrus, Et mirum initium, ne proœmio opus esset Demeæ, ad profitendam mutationem voluntatis.

2. *Hæc re.*] Maceriæ dissectione. *Et aliis omnibus.*] Ut nuptiis senilibus.

4. *Colere, adjuvare, adjungere.*] *Colere*, ad nurum pertinet: *Adjuvare*, ad Hegionem: *Adjungere*, ad Sofstratam. Et notandum *Coli* à superiore, ut, *Posthabita coluisse Samo, hic illius arma. Colere.*] Subauditur *Iubeo*, per *ἑδίστα*.

5. *Imo hercle ita nobis decet.*] Antiqui si addebant statim verbum, *Nos decet facere, nos decet dicere*: si non addebant, *Nobis decet*, dicebant.

6. *Primum hujus uxoris est mater.*] Incipit à persuasione, sed latentem, ita ut ea quæ proposito consilio dicenda erant, ante demonstravit, quam dicat quid fieri velit. Et hoc semper fit ab Oratoribus in his rebus, à quibus incipere non oportet, propter turpitudinem, aut incommoditatem rei, quæ persuadenda est. Considera adeo apud *Virgilium*, ubi persuadet Iris matribus, ut naves suas incendant: & invenies hoc ipsum consilium ultimum poni post argumenta quamplurima, *Quin agite, & mecum infaustas exuvie puppes*. Et initium à possibili factum est: nam dicit, *Hujus uxoris est mater*.

7. *Proba & modesta.*] Proba sibi: & Modesta apud alios. Et vide laudes consiliatoribus inventas & usitatas. *Ita aiunt.*] Hoc ita respondet, quasi dicat, *Sed quid mea.*

8. *Scio.*] Adhuc Micio non intelligit, quo res tendat: sed tamen vultu quodam admirantis, cur hoc dicatur, respondet, *Parere jam diu per annos hæc*

non potest.] Hoc autem addidit, ne contra filios Pater suadere videatur nuptias, si illis cohæredes esse procreandos suadeat. *Per annos hæc non potest.*] Bene *Per annos*: quia non est sterilis.

10. *Hanc te æquum est ducere.*] Te, Micio, scilicet. Et *te operam.*] Te, Æschine, nam ad illum conversus à Micione est. Et quare Æschinum operam dare æquum est? scilicet ut profit socrui.

11. *Me ducere autem!*] Magna vis in pronominibus posita est, nam *Me* ille sic dicit, quasi quem minime deceat, *Te*. Ille sic respondet, quasi quem maxime oporteat. *Ineptis.*] Verbum est, quod facit *Ineptio*, *ineptis*, *ineptit*, *Si tu sis homo.*] Non *Si es*, sed *Sis* dixit: quasi in eo se hominem sit Æschinus probaturus. *Si tu sis homo.*] Æschine. *Si sis*, pro, Si esse volueris, & si credi homo volueris. *Si tu sis homo.*] Hic facete & mire coëgit Æschinum ad persuadendum, non enim dixit, *Si tu sis homo, persuade*: sed sic, faciat: ubi ab illo non factum, sed effectum exigeret.

12. *Quid? tu huic, asine, auscultas?*] Aptum convitium grandi & fatuo. *Mi pater.*] *Mi* vocativus casus est, ab eo quod est *Meus*.

13. *Fieri aliter non potest.*] A necessario. *Deliras.*] Proprio vocabulo usus est, tanquam loquaci.

14. *Insanis: aufer.*] Congrue seni *Deliras*: juveni *Insanis*. Et *Aufer*, vel te, vel manum: nam rogans, manum admovet scilicet, dicens *Mi pater. Aufer.*] Aut te deest, aut manum, aut pro eo quod est *Abi*: ut sit, *Aufer te*.

15. *Ego novus maritus.*] Apud *Mendanum* senex de nuptiis non gravatur. Ergo *Terentius* *ὄγεντῆρας*. *Ego novus maritus anno demum quinto & sexagesimo sum, atque animum decrepitam ducam?*] *Hic deest & Quis, & Quid, & Quando, & Quomodo*: ut sit, *Quis?* ego. *Quid?* novus maritus. *Quando?* anno demum quinto & sexagesimo. *Quomodo?* animum decrepitam ducam. *Anno demum quinto & sexagesimo.*] Hæc ætas est, ut *Varro* ait, etiam comicorum senum. Et *Demum*, adverbium tarditatis est.

16. *Atque animum decrepitam ducam?*] Hoc facete addit, tanquam faciendum

hoc effert, si puella duceretur seni. *Id ne estis aures mibi?*] Hoc est, persuasores, ut *Virgil.*

Autor ego audenti. —

Decrepitam.] *Decrepitam*, aut stomacho anili & iracundo: aut *decrepitam*, obtusi animi & lætæ senectutis: aut *decrepitam*, cui sæpe moribundæ crepuerit planctu familia, id est clamaverit.

17. *Largitor.*] Verbum est imperativi modi, futuri temporis. *De te largi or puer.*] Acutius *De te* dictum est, quam *de tuo*. Et bene in eum, qui promiserat puellæ conjunctionem suam.

19. *Da veniam.*] Præsta beneficium, concede quod petitur. *Ne gravere.*] Ne te difficilem præbeas, quia *gravem se* dicitur *præstare*, qui id facile non præstat in beneficio, quod potest. *Da veniam ne gravere. fac. promitte.*] Altriuscus agentium, fatigantiumque verba sunt.

20. *Age, prolixè, Micio.*] Aut *Age prolixè*, id est, age benigne; ut sit *Prolixè* benigne, secundum veteres, aut per *ἀσώδην*, & *ἄλλῃ*, *Age*, correptivum: ut ad *Prolixè* subaudiatur, *Noster esto*, aut quid tale: & *Micio* velut insuavi dictum sit.

21. *Eis hoc mihi pravum, ineptum, absurdum.*] *Pravum*, si animum ducit nullo commodo suo. *Ineptum*, qui non voto filiorum ducat uxorem. *Absurdum*, homini qui nunquam duxerit, & nunquam ducere voluerit, seni duci uxorem, quæ adolescenti ducta non sit.

22. *Si vos, tantopere istuc vultis, fiat.*] Cur hic non vertitur de voluntate *Sotratæ*? An quia illam consentire necesse est, vel propter pauperiem, vel ob amorem filix suæ? *Si vos tantopere istuc vultis, fiat.*] Ridicule dixit & comice, uxorem se ducere, non quia vellet, aut debeat: sed ut obsequatur iubentibus.

23. *Hoc consistit quod volo.*] Perficitur inquit quod volo: ut sumptum & turbam domum recipiat *Micio*, & ego in eam gratiam.

24. *Quid nunc quod restat?*] *Quod restat*, pro *Quod sequitur*. An quod restat tanquam reliquiarum priorum, ac per hoc minimum? *Hæc his est cognatus proximus.*] Commendatio personæ quasi notæ: etiam *Micioni*, ob merita sua.

Et bene addidit *Proximus*: nam multi gradus & veluti rami sunt propinquitatis in affinitate & cognatione dispositi.

25. *Admis nobis.*] Recte, nam uxoris cognati, marito affines sunt. *Pauper.*] Jam hoc nomine apparet aliquid flagitari.

26. *Quod locitas foras.*] *Foras* dixit, locum pro persona ponens; quasi diceret, *Nescio cui alieno*, sic & nos dicimus, *Audi quid dicit * Ecce hæc*, pro *Ecce hic*, *Cicero*, *Hic tum aliusex alia parte*. Deest ergo aliquid, ut sit, *Quid locitas foras versum*. Aut si *foris*: *foris posito*, id est, alieno. *Sub urbe est paulum agelli hic.*] Torum cum contempione pronuntian-dum.

27. *Hic demus qui fruatur.*] Id est, qui fructum capiat, non proprietate potitur. Proprie ergo, & quasi de jure dixit *Fruatur*, est autem *Fruatur*, alatur: quia *Frumen* dicitur summa gula, per quam cibum lingua demittit in ventrem.

28. *Bonus est, noster est, recte datur.*] *Ἐπιπροχαιρός* hortantis, & *ἀσώδην* multa congerentis. *Bonus est.*] Potuit responderi, *Quid mea? Bonus est, noster est.*] Hæc omnia vultuose, tanquam invidiam parsimonix faciat *Micioni*. Et plus significat *Noster*, quam si addatur, *Quid noster. Noster est.*] Bene addidit, namque dixit, *Pro patre huic est. Recte datur.*] Quasi non quærat, an dandum sit: sed illud solum, an recte.

29. *Non meum illud verbum facio.*] Nunc *Verbum* pro *ἄξιωματι* posuit, quod uno stringitur verbo. Ergo *Verbum*, brevis sententia. *Non meum illud verbum facio.*] Nota *Verbum*, pro *sententia*, ut, *Vno verbo dic, si quid est quod me velis*. Et, *Miseram me, quod verbum audio? Verbum* dixit, veram sententiam, nam verba esse à veritate dicta testatur *Varro*.

31. *Hanc maculam nos decet effugere.*] *Maculam τῆς χλωροσύνης* dixit, irridens opinionem *Micionis*: quia parsimoniam, maculam putet & simul auxit, primo *Vitium*, deinde *Maculam* dicendo.

35. *Suo sibi hunc gladio jugulo.*] *Ἄλλήρωτα*, & non *suo*, sed *suo sibi*, moraliter & ut veteres solent loqui.

IN SCENAM NONAM

ACTVS QVINTI.

1. *Factum est quod iusti, Demea.*] Id est, diruta est maceria.

2. *Frugi homo es.*] Utilis, ut fruges. *Edepol hodie mea quidem sententia Iudico Syrum fieri esse æquum liberum.*] Hoc est quod jam dudum promiserat *Syro*: sed nunc opportune, videtur enim modo meritum præcessisse. Et, *Sententia iudico, περὶ λογία*.

4. *Quodnam ob factum.*] Jure, ascribi enim causas manumissionis, in jure formula est. *Multa.*] Oratorie maluit generaliter dicere, quam quærere specialiter, quod venire non possit. Et *Micio* singulariter unum quærit, hic pluraliter multa respondet. *Ædipol vir bonus.*] Jurat bonum: quia præter opinionem est.

5. *Ego istos vobis usque à pueris.*] Intelligit *Syrus*, laborantem pro se *Demeam* non habere quod dicat: & ideo ipse profectur ordinem meritorum: secundum quem apparet, pedagogum fuisse.

6. *Docui, monui, bene præcepi.*] Ridicule adduntur, & tantum consuetudine: quia imputantur etiam facta prave, pro bonis. *Qua potui omnia.*] Bene *Qua potui*: quasi plura vellet.

7. *Res apparer.*] Mire irridet *Demea*, sic tamen ut serio agere videatur.

8. *Apparere de die convivium.*] Id est, repente neque ante prædictum, nec pridie constitutum.

10. *Postremo: hodie in psaltria hæc emunda.*] Et hoc totum serio dicitur, ut magis ridiculum videatur. *Hic adjutor fuit.*] In re bona *Adjutores*, in re mala *Impulsores* dicuntur. Ergo hic *adjutor* dicitur à non irascente: à criminante autem & irato, *impulsor*. *Hic adjutor fuit, hic curavit.*] De more repetitum est hic: quum dicitur, *Hic adjutor fuit, hic curavit*. Sic enim solemus onerare audientem meritis ejus quem laudamus. Deinde quid non præstitit, qui & officium corporis, ut *adjutor*: & curam animi præbuit, ut *consultor*.

12. *Denique hic vult fieri.*] Abutitur

Demea sciens prodigam voluntatem adolescentuli.

13. *Syre, eho accede huc ad me.*] Utrum ut eundem manu emittat, an ut palama fiat, jube propius accedere, juris publici consuetudine ludens? Et vide quam comicam manumissionem, quam facete induxerit atque condigne.

14. *Et seorsum tibi prætereæ, Demea.*] Effecit *Demea* plus quam volebat, nam qui conabatur amari, præfertur etiam his qui amantur.

15. *Gaudeo. Æ S. & ego.*] Gratulantium *Syro* hæc verba sunt: quibus de more ille, *Credo*, respondet. *Vtinam hoc perpetuum fiat gaudium.*] Integrum, solidum, & nusquam interruptum.

16. *Phrygiam ut uxorem meam.*] Ut ipse *Syrus*, ita uxor *Phrygia*: secundum veteres, qui servis nomina à nationibus imponebant. *Vna mecum videam liberam.*] Hoc sic pronuntiandum est, quasi gaudeat se recordatum *Demeæ*: quod quum ultro cogitat habuisse* plene oblitus fuit.

18. *Hodie primam mammam dedit hæc.*] *Ridiculum meritum*: siquidem oportuerit primam esse quamcumque, an quia causa est, quod ingenui dicuntur serio à nutricibus liberis educandi? *Hercle vero serio.*] Adverbia sunt confirmantia, *περί λλον*.

20. *Ob eam rem?*] Hoc eo vultu dicit, quo rem veluti excutimus, & ostendimus momenti esse nullius. *Argentum, quanti est, sumito.*] Quanto pretio valet, *Argentum, quanti est, sumito.*] Hoc verbo utimur, ut faciunt qui persuadere aliquid cupiunt.

21. *Dii tibi, Demea, oro omnes semper omnia optata offerant.*] *Omnes omnia*: antiqua, elegantia & figurata.

22. *Processisti hodie pulchre.*] Nunc vere pulchre processit *Syrus*. *Siquid m porro, Micio, tu tuum officium facies.*] Hoc est *patroni*, ut liberum non deserat, sed ut alas manumissionem, *Plautus*, *Facis melius quam pars lenonum, qui libertos habent, & eos deserunt.*

24. *Vnde utatur.*] *Vtatur*, vivat: unde *usura*, vita dicitur, ut, *Vnius usuram hora gladiatori isti non dedisset*. An unde alatur, de quo usufructum capiat, &

eujus tibi sortem reddat? Et hoc melius: nam ideo addidit, *Reddet tibi cito. Istoc vilius.*] Hoc egit Terentius, ut con-
verſis officiis uſque adeo prodigum faceret Demeam; donec parcum redderet Micionem. *Istoc vilius.*] Quasi nihil minus: negatio enim est floccum ostendentis, aut quid tale, cum ἐλλείπει. quia subauditur *Quicquam, & Non dabo.*

26. *Faciet.*] Ne quid negatum in fine fabulæ videatur, addidit Demea *Faciet, & Faciet.* quod petis scilicet. quod irridens dixit, quasi de prodigo dicere videatur. Et mire *Faciet:* quia nec credibile erat statim consensurum qui negaverat, & perpetuo negatio esse in fine non debuit.

27. *Quid istuc? qua res tam repente mores mutavit tuos?*] Animadvertendum est, qua calliditate Terentius querens finem fabulæ, complere lætitiã per ipsum Demeam nititur in universos, qui in tota comœdia tristis ac sævus interurbavit & vociferatus est

28. *Quod prolubium?*] *Prolubium.* quod Græci προλυβίον, id est, promptus animus ad largiendum, *Subita est largitas.*] Repentina, ac per hoc ipsa est ingrata & immoderata: ut evenit, quum ex nimis parcis non largi & liberales, sed effusi prodigique redduntur.

29. *Vt id ostenderem.*] Abundat *Id.* aut ἐμφύσις est, pro *Per id.* *Quod te isti facilem, & festivum putant.*] Multum detraxit Micioni, dicendo *Te isti putant,* per quod significatur, errare adolescentes, & hunc non esse festivum. *Quod te isti facilem & festivum putant.*] Bene in postremo dignitas personæ hujus servata est, ut non perpetuo commutata videretur: ut Truculenti apud Plautum.

31. *Indulgento.*] Attende indulgentiam à Demea culpæ adscribi denuo. Et *largiendo Micio.*] Severe additum est nomen verbis ex animo plorantis.

33. *Quia non justa injusta, prorsus omnia omnino obsequor.*] Proverbiales sunt hujusmodi elocutiones, *fandæ nefandæ, digna indigna, velis nolis.*

34. *Effundite, emite, facite.*] *Effundite* ad Æschinum pertinet: *Emite*, ad Ctesiphonem; *Facite*, ad omnes, *Facite*

quod vobis lubet.] Proprie rediit rursus ad amaritudinem pristinam. Hæc ὀργισμένη est figura, qua invitos nos permittere ostendimus quod nolumus fieri.

35. *Qua vos potius præter adolescentiam minus videtis.*] Hic ostendit Terentius, magis Demeam simulasse mutatos mores, quam mutavisse.

36. *Minus videtis, magis impense cupitis, consulitis parum.*] Εἰσροφία, minus, magis, parum.

37. *Hæc reprehendere, & corrigere me, & secundare in loco.*] Tribus tria redduntur: & utraque ἀνεπίκως. Illa in malam partem superiora: hæc in bonam, quæ inferiora sunt. Non tantum enim culpæ est, minus providere; quam impense cupere, quantum parum consilere. Item reprehendere, bonum est; melius, corrigere: optimum, secundare. Nam qui reprehendit, non continuo corrigit: qui corrigit, non illico secundat, id est, lætissimum reddit & fidelissimum. Alii *Secundare*, obsequi dictum putant, & ideo additum esse in loco: quasi non semper faciendum sit. Ergo *Secundare*, vel in melius convertere, vel obsequi intelligimus.

38. *Tibi, pater, permittimus.*] Noluisset Terentius ab amoribus filiorum perpetuo repulsum patrem.

39. *Sino, habeat, in istac finem faciat.*] Hæc quidem permissio est: sed & exceptionem in se continet: & cum quodam stomacho, & velut minaci denuntiatione profertur. *In istac finem faciat.*] Hoc est, aut ne aliam amet, aut ne alteram comparet: ne post istam luxurietur ulterius.

40. *Istuc recte.*] Bene. Et Micio non discessit de proposito suo, qui ut peccasse alias ostenderet fratrem ob nimiam asperitatem, cum exceptione quadam laudans verba ejus, *Istuc recte* dixit. Quasi diceret, non ut cætera. Et simul reposuit ei, qui supra dixerat, *Vt id ostenderem, quod te isti facilem, & festivum putant.* id non fieri ex vera vita, neque adeo, ex æquo & bono, &c.

ÆLIUS DONATI V. C. ORATORIS URBIS
ROMÆ. COMMENT. IN TERENTIUM
ADELPHOS EXPLICIT.



ÆLII DONATI,

V. C. ORATORIS URBIS ROMÆ,

PRÆFATIO IN PHORMIONEM TERENTII.

HALIO nomine, manifestum est, prius ab Apollodoro sub
quam Latinè à Terentio Phormionem. Quamobrem nulla dubitatio
est, hanc solam esse cui nomen Poëta mutaverit: & errare eos qui
in hac Phormionem parasitum putant à formula litis, quam intendit,
nominatum: quum Græca lingua fîscus sparteus & stramen nau-
ticum sic dicatur: à cujus rei vel capacitate, vel utilitate, etiam ab
Apollodoro parasitus Phormionis nomine nuncupatur. Hæc igitur
proprie tota motoria est, & in affectibus constituta pene majoribus,
quam comicus stylus posceret: nisi quod arte Poëtæ omnia moderata
sunt. Primas in ea partes, ut ipse Poëta professus est, tenet Phor-
mio, secundas Geta, tertias Demipho: subinde cæteri, prout cujus-
que actus ostendit. Prologus Phormionis nimis concitatus est, adeo
ut ipse semet veluti reprehendat ob hanc ipsam pervicaciam, & simul
argumentum suæ purgationis inducat. Atque in ea quum & Protasis,
& Epitasis, & Catastrophe magni moliminis & negotii sint: ita variis
leporibus asperguntur, ut etiam rerum tristium gravitatem Poëta
lepidus comica serenitate tranquillet. Hæc acta est ludis Megalen-
sibus, Lucio Cornelio Merula Ædilio Curili, & L. Posthumio Albi-
no: agentibus L. Cassio Attilio, & L. Ambivio: modos faciente
Flacco Claudii filio tibiis Serranis, totaque diverbiis facetissimis, &
gestum desiderantibus scenicum, & suavissimis ornata canticis fuit.
Editaque est quarto loco, M. Valerio, & C. Fannio Coss. Persona
etiam in hujus protasi non una est, sed duæ: quarum altera extra ar-
gumentum posita est, cui narratur fabula: altera in argumento, quæ
narrat fabulam. Argumentum quoque non simplicis negotii habet:
nec unius adolescentis, ut in Hecyra: sed duorum, ut in cæteris fa-
bulis. Scire autem convenit, uno die transigi Phormionem: non, ut
Heautontimorumenon, duobus. Prologus correpte δὲ τὸ ἀπολογεῖν
dicitur, non producte δὲ τὸ ἀποτολογεῖν. nam officium prologi ante
actionem quidem rei semper est: verumtamen & post principium fa-
bulæ inducitur, ut apud Plautum in Milite glorioso, & apud cæteros
magnæ authoritatis veteres Poëtas.

ARGUMENTVM.

Quum Chremes Demiphonis frater, adscito sibi ad fallaciam nomine quo Stilphonem se dici fecerat, duas eodem tempore habuisset uxores, Athenis divitem, pauperem Lemni: ex divite suscipit filium, qui dictus est Phadria: ex paupere furtim suscepit atque educavit filiam, Phanium nomine, eamque consilio cum fratre habito destinavit filio eius Antiphoni uxorem dare. Quibus complacitis, uno tempore profecti Athenis senes, Demipho in Ciliciam, Chremes Lemnum ad accersendam filiam, qua jam illinc cum matre navigaverat, occasionem dederunt amandi adolescentibus. Nam statim Phadria Citharistria sub lenone cepit ardere: Antipho illam filiam patris Phanium desponsatam sibi, nesciens nescientem, mox ut Athenas venit, nec patrem reperit, falsa duplici eius nomine, matrem mortuam dum lamentatur, adamavit: consilioque & opera Parasiti, secundum leges Atheniensium, quasi sibi cognata esset, tanquam in jure victus & velut coactus, eam accepit uxorem per absentiam Patris. Qui quum advenisset, & vellet eam expellere: primo confutatur per impudentiam Parasiti. post cum suo Fratre sic decipitur, ut dum eam credit ab Antiphone posse disjungi, eam Parasitus ipse ducat uxorem: & dot ducturo xxx. minas presentis dotis, puella nomine: quas Phormio acceptas Phadriae dedit; ille lenoni ad Citharistria redimendam. Quibus gestis tandem Chremes agnoscit filiam suam conjunctam esse fratris filio. Quare dum mutato consilio xxx. minas à Phormione per rixam conatur exigere, per eundem proditus uxori sua Nausistrata est: & factus libidinis reus, non ante veniam meruit à matrefamilias, quam & xxx. minarum, & amoris Citharistriae veniam dedisset filio. Primus actus est in colloquio Davi & Getae: per quos discit populus argumentum. Secundi actus tenor continet adventum Senis turbulentum, & ejusdem jurgium adversus Getam & Phadriam. Tertio actui attribuitur litigium Senis & Phormionis, tum consultatio cum advocatis, tum Antiphonis in scenam reditus, colloquiumque cum Geta. tum lenonis & Phadriae colluctatio. tum adhortatio Getae de inveniendò argento ad redimendam Phadria Citharistria. Quartum actum ista concelebrant: adventus Chremetis, ejusdemque cum Fratre deliberatio per errorem de ejicienda Phanio. Getae verba de fallendis senibus. Antiphonis oratio apud semetipsum de amore tractantis. Getae rursus cum senibus callida, & mox cum Antiphone de eadem causa simplex disputatio: senum inter se colloquium de expulsiōne mulieris: & ad extremum verba Chremetis, agnoscentis nutricem, ac per eam filiam suam cum Antiphone conjunctam. In quinto actu per Demiphonis errorem Phormio accipit argentum dotis nomine: & convenitur Nausistrata, ut exire domo compellat Phanium. nuntiatur Antiphoni

phoni & Phormioni per Getam, Phanium à patre agnitam, permissamque ut uxor habeatur. qua quum ita nupta sit, exposcitur argentum à Phormione per rixam senum: à quibus ille oppressus, rem omnem aperit Nausistrata, ad quod primum irata, ut in tali re uxor, mox lenitur sine fabula, & tutissimum à patris iracundia prestat Phadriam.

IN PROLOGVM.

Postquam Poëta vetus Poëtam non potest.] Hoc initium à districtione persona adversarii sumitur, conjunctum cum insinuatione persona Terentiana.

1. Postquam Poëta vetus Poëtam non potest.] Nota, Postquam apud veteres non praterito modo, sed etiam presentis temporis adjungi. Ut,

Postquam nos Amaryllis habet, Galatea reliquit.

Quamquam sunt, qui Postquam simpliciter, pro Quoniam accipi velint. Postquam poëta vetus.] Qui jam diu est, non qui jam diu fuit. Ergo ut vinum, vetus: non vetus, ut Ennius, Postquam Poëta vetus Poëtam.] Jocunda repetitio, ut,

Divæ Deum.

Et, Notos pueri indue vultus.

Postquam Poëta vetus Poëtam non potest.]

Αντιφών priimum per σύνθημα priimam, ita ut extrinsecus novum audire Poëtam oporteat.

2. Retrabere à studio.] Sic loquitur, quasi rem scenicam magis lædere voluerit Luscius, quam Terentium. Transdere.] Transdere veteres sonantius, quod nos lenius dicimus Tradere: ut Tralatium, nos Translatium è contrario. Et transdere hominem.] Comice & venuste inferuit hominem: ut,

Levibus huic hamis consertam, auroque tralicem

Loricam: quam Demoleo detraxerat ipse

Victor, apud rapidum Simoënta sub Ilio alio:

Donat habere viro, decus & tutamen in armis.

3. Maledictis deterrere.] Sensus hic est: Ipse se, inquit, adversarius fatetur victum, qui à rebus exclusus, ad verba

delapsus est. Maledictis deterrere.] Decem Eum, ut,

Quarum, qua forma pulcherrima, Deiopeiam

Connubio jungam stabili.

4. Qui ita dicitans.] Impudentiam ostendit per frequentativum verbum. Quas antehac feci fabulas.] Et hic lenium accusatorem facit, qui praterita ingerat, & de quibus jam sit judicatum in melius.

5. Tenui esse oratione, & scriptura levi.] Imperitum inducit criminatorem, qui hoc objiciat, quod proprium debet esse comici styli. Revera autem hoc deterior Menandro Terentius judicabatur, quod minus sublimi oratione uteretur, quod ipsum nunc purgat, dicens in Tragedia altiora transire posse.

6. Quia nusquam insanum scripsit adolescentulum.] Ideo videmur leves, tenuelque, inquit, quia non in comædiis prodigia facta sunt, & tragedias concitavimus. Et callide hic non solum errorem reprehendentis, sed etiam imperite scripsisse ipsum ostendit Luscium Lavinium. Scripsit.] Legitur & Fecit, Adolescentulum.] Ut comicam personam ostenderet, artificiose imminuit adolescentulum, quo magis persona à sublimitate tragica discederet.

7. Cervam videre fugere, sectari canes.] Hic affectus à comædiis removendus est. Cervam videre fugere, sectari canes.] Ambiguitas per accusativum casum, perseverans usque ad ultimum de industria, ut etiam ipsa perplexitas odiosa sit.

8. Et eam plorare, orare, ut subvenias sibi.] Hæc omnis & tragicæ est: & ideo in comædia vitiose inducitur.

9. *Quum stetit olim nova.*] Bene hoc positum est, potuit enim responderi, Cur igitur stetit, & non exacta est à populo? *Quum stetit olim nova.*] Recte *Olim* quasi dicat, *Quum* adhuc *Terentius* non scriberet, penuria meliorum est probata. Deinde quod ait *Nova*, hoc significat, omnia carmina novitate ipsa commendari, etiam si nullius momenti sint.

10. *Actoris opera magis stetisse.*] Una opera & suffragium scenicorum comparat, & laedit adversarium.

11. *Minus multo audacter.*] Nove dictum, *Minus multo audacter*: ut cum dicamus nos, *minus audacter*.

13. *Nunc si quis est qui hoc dicat, aut sic cogitet.*] Omne quod in mentem venit, aut cogitamus, aut dicimus. *Ut Virgilius.*

--- *Et mihi jam multi crudele canebant Artificis scelus, & taciti ventura videbant.*

Hic sensus est, nunc si quis est, qui hoc dicat, aut censeat, *Improbis est Terentius*, qui omnes prologos de maledictis facit: habeat is hoc responsum sibi, adversarium coegisse, qui provocaverit. Nam quid faceret *Terentius*, quum de palma artis musicae certandum videat esse sibi.

14. *Laceffisset prior.*] Aut *Laceffisset* abundat, aut *Prior*.

15. *Nullum invenire prologum.*] *Prologum* modo, non hominem, sed verba significat. *Novus.*] Hic quod supra praetermisit, veteri supposuit novum.

16. *Nisi haberet cui malediceret.*] *Mirre*, haberet: quasi dubium non sit, maledicendum esse *Luscio*.

17. *Is sibi responsum hoc habeat.*] *Huic* rei per qualitatem respondet, adversarium cogere, ut sic agat. *In medio omnibus palmam esse positam.*] Sensus hic est, *Inveniret*, inquit: sed maluit, quum de palma certandum sit, adversario respondere laudenti. Verum oratorie, manifesta solve non curavit, hoc est, nullum invenire prologum potuisse *Terentium*, & hoc enim objiciendum fuit omnibus & novis, & veteribus Poëtis. *Palmam* pro causa certaminis posuit. Et ideo non est mirandum, si pugnant, qui-

bus causa certaminis praesto est.

18. *Qui artem tractant musicam.*] *Virgilius.*

--- *Nec quicquid ubique est, Gentis Dardania, magnum qua sparsa per orbem.*

Et *περὶ φερεσικὰς, ἀπὸ τῶν*, qui comœdias scribunt.

19. *Ille ad famem hunc ab studio.*] Hic maxime incipit solvere, quod sibi superius ipse proposuit. *Ille ad famem hunc ab studio.*] Nunc quid est, inquit, *Poëtam vituperare*, nisi ad famem rejicere? nam *Poëtae* prohi suas vendebant fabulas: & harum pretiis alebantur. *Ille ad famem hunc ab studio.*] Cur laceffitus respondes? certamen est, inquit. *Ab studio studuit.*] *Vetuste*: ut, *Luserat ludum & pugnam pugnavit.*

21. *Benedictis si certasset.*] *Quia* supra dixit, *In medio omnibus palmam esse positam*, quasi dicat, quicquid in certamen venerit, in eo vincendos æmulos esse. *Si certasset.*] *Certasset, aut non* provocasset; ab eo quod praecedit, id quod sequitur, *Virgilius.*

--- *Nec te certasse priorem*

Pœniteat. --- *Audisset bene.*] *Bene audire*, est bene dici, laudari.

22. *Quod ab ipso allatum est.*] Id est, maledictum. *Quod ab ipso allatum est, sibi esse id rellatum puter.*] Proverbiale est, *Quod dedit, recepit.* Et geminavit, *l, ut, Reliquias Danaum.*

23. *De illo jam finem faciam dicundi mihi.*] *Ἀπὸ τῆς ἐπιπέρας τῆς λέξεως.* *Dicundi mihi, Peccandi quum ipse de se finem non facit.*] Et *Mihi*, & *De se*, proprie positum est: & praeterea *ἀμφοτέρωθεν*.

24. *Peccandi.*] *Maledicendi, Peccandi cum ipse de se finem.*] *Prius*, inquit, ego de illo finem faciam, quam ipse de se. An, *Prius dicendi ego faciam, quam ille peccandi finem? Non facit*, pro non faciat: ut, *Mirum ni ego turpiter hodie dabo.*

25. *Nunc quid velim, animum attendite.*] *Decet*, *Quaritis*, ut sit, *Nunc quid velim, quaritis? animum attendite. Adporto novam.*] *Novam*, Latinam dicit.

26. *Epidicazomenon quam vocant ca-*

mediam.] Hic manifeste errat *Terentius*, nam hæc fabula quam transtulit, *Epidicazomenone* dicta est, à puella de qua iudicium est: quum sit alia *Epidicazomenos* ejusdem Apollodori. Debit ergo dicere *Epidicazomenen* Græce.

27. *Latini Phormionem nominant.*] *Ἐπιφών* tegiculum dicunt Græci, quo interitur pavementum: unde *Phormio* correpta prima syllaba apud Apollodorum est. Non ergo à formula, ut quidam putant, dictum est, Ergo inde parasitus, vilissimæ conditionis homo, nomen accepit.

28. *Quia primas partes qui aget.*] *Primas* nunc, maximas ad actorem enim retulit, *Cicero*, *Sape illum qui est secundarum aut tertiarum partium.* *Phormio parasitus.*] Si à formula esset nomen comœdiæ, primam produceremus syllabam: si à *Phormione*, corripere debemus.

29. *Per quem res agitur maxime.*] *Quia* prima partes etiam aliud significant, non ergo nunc primum actum dicit, sed summas partes. Et bene *maxime*: quia & per alios.

30. *Voluntas vestra si ad Poëtam accesserit, date operam.*] *Si voluntas accesserit*: pro, si fueritis, nove sic *Voluntatem*, pro favore ponit.

31. *Adeste aquo animo.*] Favor in comœdia silentium spectatoris est. Recte ergo addidit *per silentium.* *Æquo animo.*] Nunc propositio est.

32. *Ne simili utamur fortuna atque usumus.*] Ne populum læderet, fortunam maluit accusare.

33. *Quum per tumultum noster.*] Apparet *Hecyram* ante *Phormionem* actam esse: cui contigit id quod queritur, populum subaccusans. *Noster grex motus loco est.*] *Locus*, est distributio temporum, quæ cuique in spectaculum venturo attribuantur ab *Ædilibus*. Unde *loco motus* dicitur, qui suas horas non obtinuit inter præcedentes & consecuturos. Ergo proprie. Sic & *Cicero*, *Loco ille motus est, quum est ex urbe pulsus.*

34. *Quem actoris virtus.*] Ubique laudat actorem, est enim *Poëtae* utile. *Quem actoris virtus.*] Qui exclusus toties, animum non abjecerit, sed perseveraverit *agere*, ideo *virtus*. *Restituit locum.*]

Bene repetivit locum, ut *ἀμφοτέρωθεν* vitaret: ne *quem tumultum* dicere videretur.

35. *Bonitasque vestra adjutans, atque aquanimitas.*] *Bonitas* in omnibus generaliter rebus est: *Æquanimitas* in spectando. An *Bonitas* in probandis his quæ bona sunt, *Æquanimitas* in agnoscendis vitiis atque delictis? An *τὴν τολογίαν* est? An *Bonitas* circa omnes: *Æquanimitas* circa *Terentium*? *Bonitasque vestra.*] Ne totum actori tribuens, nihil populo præter culpam reliquisse videretur, honoris causa hoc addidit. *Adjutans.*] Sic veteres dicere maluerunt, quam *adjuvans*.

IN SCENAM PRIMAM

ACTVS PRIMI.

A Micus summus meus, & popularis.] *Quod in omnibus fere comœdiis, in quibus perplexa argumenta sunt, fieri solet, id in hac quoque Terentius servat: ut ἀεγτανικὸν ἀεγσῶμον, id est, personam extra argumentum, inducat: cui dum ob hoc ipsum, quod veluti aliena tota fabula est, gesta res narratur, discat populus textum ex continentia rerum, sique instructus ad cetera. In hac scena, qua docendi atque instruendi spectatoris causa inducitur, mire extrinsecus lepores facetiæque cernuntur & sales comici. Idem est artis Poëtica, ut quum narrationi argumenti detur opera: jam tamen res agi & comœdia spectari videatur.*

1. *Amicus summus meus, & popularis Geta.*] *Insinuatio* personæ ejus, quæ inducitur ad audiendum argumentum. Et vide servum ostendi *Davum*: & non ostendi cujus servus sit. *Amicus summus meus.*] *Causa* cur in scenam procedat *Davus*, *Amicus.*] *A* voluntate. *Popularis.*] *A* fortuna. *Popularis*, ejusdem conditionis gentisque. *Sallustius*, *Popularis sui sceleris*, *Et popularis* populo amatus, & *popularis* civis, & *popularis* humilis, & *popularis* vilis, & populoque factus: ut si quis dicat sordidum, *popularem civem.* *Amicus summus meus.*] *Davus* extra duas familias inducitur, quæ in hac sunt fabula, alienus, ac per hoc

ignarus, cui narret Geta argumentum.

2. *Heri ad me venit.*] Apparet heri fuisse nuptias. *Heri ad me venit.*] Propter cognationem E & I literarum, non dubitaverunt antiqui & *here* & *heri* dicere, & *mane* & *mani*, & *vespere* & *vesperi*. *Erat ei de ratiuncula.*] Decet nam: sed mire subtractum est. *Erat ei de ratiuncula.*] Opportuna diminutio in re servili, *Ratiuncula*, & *Pauxillulum*. *Erat ei de ratiuncula.*] Moraliter intulit, *erat ei*, magis enim facetum & comicum est, quum *αουδ'ετος* infertur, quam si diceret, *Nam erat ei*.

3. *Iampridem apud me reliquum.*] De argumento sumitur causa colloquii. Nam debui, inquit, Geta: & ille me exigit, ut muneretur domino ob nuptias factas, *Pauxillulum*.] Quartus gradus diminutionis, *paulum*, *pauillulum*, *pauxilulum*, *pauxilulum*.

4. *Id ut conficerem.*] Ἐμψυς prima. Et *Conficerem*, proprie: nam fieri pecunia dicebatur, *Sallustius*, *Qua pecunia ad Hispaniense bellum Metello facta erat. Conficerem.*] Quia in promptu non erat. *Confeci: adfero.*] Bene quasi reddendæ mortæ, non habere, causa fuerit.

5. *Nam herilem filium.*] Τερόμων Græci dicunt, atque haud scio, an Latini quoque *alumnium* dicere poterant, nisi hoc mallent. *Nam herilem filium ejus dixisse audio uxorem.*] Mire se applicat argumento.

6. *Ei credo munus hoc contraditur.*] Mire, *Heri* quidem fuerunt nuptiæ, sed adhuc munus contraditur: quia in nuptiis etiam septimus dies instaurationem voti habet, ut in funere nonus dies, quo parentalia concluduntur. *Ei credo.*] Uxori scilicet, *Munus hoc contraditur.*] Hoc pecuniæ scilicet munus erit. Et est figura ἑπισημασίας. *Credo.*] Pro vere scio, *Et ei*, an uxori, an absolute? ut sit, *ei res contraditur.*] Apta in verbo difficultas. Ut in Adelpis,

Minas decem contradit alicunde.

Et,

Contrasti omnia.

7. *Quam inique comparatum est!*] Miro *ἰδ'απ'αυτῷ* morem pro lege conqueritur. *Comparatum.*] Constitutum est lege. Et,

Hi qui minus habent, &, *Divitiaribus* dixit: ne diceret, servi dominis. vult enim latius patere quod dicit, & generalem esse sententiam. *Quam inique comparatum est! hi qui minus habent.*] *Garulos servos & sententiosos amat Comœdia: tristes & parce loquentes Tragicœdia.*

8. *Vi semper aliquid addant.*] Mire, non *Dant*, sed *Addant*: & non, *Aliquando*, sed *Semper*. *Divitiaribus.*] Pro, minus pauperibus.

9. *Quod ille.*] Docte ad singularem numerum transit à plurali. *Quod ille.*] Redit ad Getam. *Vnciatim.*] Sic veteres, *Multa unciatim*. Cum expensâ pecunia ferretur more veterum: non, ut nunc, annumeraretur: *Assis* libra erat: ejusque partes, *Vncia*. Rursum uncia unius duodecima pars, *Libella* dicebatur. Merito ergo non per singulos sestertios, neque per singulos denarios, neque per singulos asses: sed id quod *ἑξαβολικῆς* minimum fuit, per singulas uncias *unciatim* dixit. Et *Cicero*, *Ecquis Volcatio, si sua sponte venisset, libellam unam dedisset? Vnciatim.*] Vix potuit & unciatim, & cito constari peculium. Ut multa *pauillatim*, & cito fiunt maxima. Merito ergo additum est *Vix*. Sed quid si & *Vnciatim*. & *Vix*, & tamen de lucro dedit? *De demenso suo*, inquit. Quid si ex abundanti? *Suum defrudans genium*. Deinde, non *Acquisiuit*, sed *comparavit*. Et ad postremum, *miser*; ut iniquitas consuetudinis, comploatione finiretur. *De demenso suo.*] Servi quaternos modios accipiebant frumenti in mensem, & id *Demensum* dicebatur, & utrum à mense, an à metiendo, incertum est.

10. *Suum defrudans genium.*] Ut contra, *Genialia curare* dicitur, qui vivit lautius.

11. *Id illa.*] Nupta scilicet, *Vniversum abripit.*] Contra illud quod *Vnciatim* dixerat, *Vniversum abripit.*] Magna virtus pene in singulis syllabis: contra illud quod ait *ille*, *illa* retulit: contra *unciatim*, *vix*: & *de demenso suo*, *universum*. Contra id quod ait, *Munus contraditur*, *Abripit*. Contra, *suum defrudans genium*, & *comparavit miser*. *Hicud existimans quanto labore partum, Haud existimans.*] *Haud existimans*, vel intelligens, vel recogitans, ac reputans. *Haud existimans.*] Pro, æstimans. *Sallustius*, *Si Quirites, pacem existimaretis.*

12. *Quanto labore partum.*] Hoc sic pronuntiandum est, quasi nunc ei venit in mentem sapius passurum Getam, quod semel tolerare gravissimum judicaverit. *Quanto labore.*] Ut,

Reliquias Troja ex ardente receptas. Partum.] Proprie dicitur *Partum*, de eo quod labore quaesitum est: quia nullus partus sine dolore est ac labore. *Porro autem Geta ferietur.*] Ad paupertatem retulit *Ferietur*. nam & damnum *plaga*: & res, *sanguis* noster dicitur.

13. *Ferietur alio munere.*] Significanter, non *Fungetur* munere, sed *Ferietur*, dixit. *Ferietur alio munere.*] Ex consuetudine, *Ferietur*. Nam & *plagam*, damnum: & sumptum, *sanguinem* nostrum dicimus. *Vbi hera pepererit.*] Quæ supra illa dicta est.

14. *Porro alio autem.*] Et *alio*, quod dicit, pro multis pronuntiandum est. *Vbi erit puero natalis dies.*] Cum adjectione temporis, cujuslibet natalis dies melius dicitur: ut *natalis locus*. & *natale astrum*, sed *Virgilius*, servius personæ rustica, *Meus est natalis*, *Iola*, inquit: nec addidit, *Dies*.

15. *Vbi initiabunt.*] Hoc vultuose pronuntiandum, *Vbi initiabunt.*] Ut quidam cibo & potu: ut quidam, *facris*, *Vbi initiabunt.*] Legitur apud *Varronem*, initiari pueros *Eaulæ*, & *Poticæ*, & *Cubæ*, *Divis* edendi, & potandi, & cubandi: ubi primum à lacte & à cunis transferunt, quod *Virgilius*,

Nec Deus hunc mensa, Dea nec dignata cubili est.

Hoc adnotavit *Probus*. Sed *Terentius Apollodorum* sequitur, apud quem legitur, in insula *Samo*thracum, à certo tempore pueros initiari, more *Atheniensium*; quod, ut in palliata, probandum est magis, *Vbi initiabunt.*] Hoc sic inferendum est: non quasi hoc solum sit, sed quasi defatigatus sit enumerando occasiones dandorum munerum. *Omne hoc mater aufert.*] Hoc retulit ad offerentis irrisionem, qui purat se puero dare. *Mater*

aufert.] An nutrit? an vera mater? *Puer causa erit mittundi.*] Proprie dixit *Mittundi*, de muneribus.

16. *Sed videon' Getam?*] Locuturum ostendit *Getam*. *Sed videon' Getam?*] Apparet *Poëtam* nihil putasse amplius addendum, ad insinuandam populo personam *Davi*: & ideo jam induxit exeuntem *Getam*, ut sit causa commutandæ orationis.

IN SCENAM SECUNDAM

ACTVS PRIMII.

Si quis me quæret rufus.] Mire *Poëta* desideratum *Geta* ostendit *Davum*.

1. *Si quis me quæret rufus.*] De ipso loquitur, à quo reddi sibi debitum sperat. *Si quis me quæret rufus.*] Ἀπαιτήσεως secunda, non apparet plura dicturum fuisse. *Præsto est; desine.*] Tertia persona de se loquens usus est: quia ille nominativum prætulit.

2. *Atego obviam conabar tibi, Dave.*] *Conabar*, absolute. An ἔμψυς est, ut desit *iro*? Et est adverbium loci *obviam*. *Accipe.*] Prævenit petitionem, dicendo *Accipe*: & hoc cum gestu offerentis dicitur. Et hoc est quod ait, *Confuci; asfero*.

3. *Lectum est.*] Absolute, nam non dicit quid: utrum debitum, an argentum lectum. *Lucilius*, *Lecti omnes: Atticon hoc est. Lectum est: conveniet numerus.*] Ordinem servavit. prius enim qualitas, deinde numerus pecuniæ spectari solet. *Lectum est: conveniet numerus, quantum debui.*] Quippe tribus modis debitum pecuniarum solvitur. pensione, *Accipe*, spectatione, *Lectum est*, numero, *Conveniet numerus, quantum debui. Lectum est.*] *Lectum*, bonum, vel splendidum: Ut,

— *Arma Sevostus*

Lecta refert humeris. —
Quamvis quidam putant, *Lecta*, ab eo quod est *lego*, dictum. *Quantum debui.*] Pro, debitum tibi à me est.

4. *Amo te, & non neglexisse, habeo gratiam.*] Amat, quod reddiderit pecuniam: agit gratias, quod diligenter. Et

quare? utrum quia creditum non fefellerit? an quia lectum attulerit: & numero congruenti. Et recte dixit: nam redhibito debiti hoc agit, ut etiam gratias agamus. *Amo te & non neglexisse habeo gratiam.*] Hoc pro gratiarum actione ponitur: & ostenditur vere, necessariam fuisse pecuniam. *Non neglexisse.*] In Andria, *Et id gratum fuisse adversum te, habeo gratiam.*

5. *Præferim ut nunc sunt mores.*] Sic & illud dictum est.

— *Namque hoc tempore*

Obsequium amicos, veritas odium parit. Quia consuetudinis imago est, vituperare præsentia. *Adeo res redit.*] Figurate, pro, ita loqueris, *Adeo res redit*, dicitur, quum aliquid pejus expectatione contigit.

6. *Si quis quid reddit, magna habenda est gratia.*] Id est, etsi rem non magnam, tamen magna habenda est gratia: hoc enim significat, *quid reddit.* *Si quis quid reddit.*] Qui hoc interrogative pronuntia verit, parum belle explicat conceptam sententiam. *Habenda est gratia.*] Deest, *est.*

7. *Sed quid tu es tristis?*] Hic admonemur omnem ab initio sermonem Geræ, quasi fatagentis & anxii, pronuntiare, accommodatis præsertim ad vultum verbis. Nam &

Si quis me quart:

Et,

At ego obviam tibi conabar, Dave.

Et,

Amo te, & non neglexisse, habeo gratiam:

In se quoddam contractioris animi occupatique signum habent. *Sed quid tu es tristis?*] *Sed* particula, transitum significat ad mentionem alterius rei. *Sed quid tu es tristis? egone! nescis quo in metu.*] Descensus ad argumentum ab eo sermone, qui extrinsecus à Poëta informatus est, jam manifeste apparet. *Egone! nescis quo in metu.*] Ἰπὸ θεῶν comœdiæ, ne nuda appareat σύνθεσις. *Nescis quo in metu, & quanto in periculo sim.*] Pronuntiantis & interrogantis esse potest, *Nescis quo in metu.*] Duæ perturbatorum bigæ sunt: à malo una, ex cupitis altera. Ergo à mali bigis, præsentis tem-

poris periculum esse dicimus, & futurum metum. *Nescis quo in metu.*] Pronuntiative magis quam percontative effertur. *lic enim solemus de magnis rebus dicere, Nescis quo in metu, & quanto in periculo sim.*] Vix alterum sustineri potest eorum, quæ utraque posuit nunc, & metum & periculum.

8. *Quid istuc est?*] Fac hunc scire: & narrandi non erit locus. Necessario igitur ignarus inducitur Davus.

9. *Modo ut tacere possis.*] *Vt*, pro ne non, quod si est, subaudiendum est *Vide*, aut quid tale. *Modo ut tacere possis.*] Vere argumentum est, celari id, quod Antipho non coactus, sed volens duxit uxorem. *Modo ut tacere possis.*] *Modo*, pro tantummodo: ut, *Modo Iuppiter adsit. Abi sis insciens.*] Nunc pro inscito posuit, vel inscientem modo stultum dicit, alias ignarum.

10. *Cujus tu fidem in pecunia perspexeris.*] Sententiose dixit: quasi in omnibus credendum sit, servaturum fidem esse eum, qui in pecunia servaverit. Et hoc ideo interposuit, ne longus esset, dum suadet ut dicat: quemadmodum in aliis fabulis. *Cujus tu fidem in pecunia perspexeris.*] Proprie locutus est de pecunia, & fidem dicendo, & credere. Nam *fides*, est eorum, quibus datur: *Creditores* dicuntur ipsi qui dant. *In pecunia.*] A majore ad minus. *Perspexeris.*] Non *inspexeris*, sed *Perspexeris*, quod plus est, dixit.

11. *Verere verba ei credere?*] Verba cum pronuntiatione dicit, ut ostendat, multum distare inter pecuniam & verba. *Vbi quid mihi lucri est te fallere.*] Ab utili conjectura, & bene: quia servus nihil de honesto dicit. *Vbi quid.*] Significantius dixit *quid*, quam si diceret, *nihil.*

12. *Ergo auscultat.*] *Ergo* nunc velut increpatio tarde facientis est. Quia hic igitur obloquendo impediverat narraturum, ergo dixit. Sic *Virgilius*,

Ergo age, chare pater, cervici imponere nostræ.

Hanc operam tibi dico.] Auscultandi scilicet & audiendi. *Hanc operam tibi dico.*] Plus est *dico*, quam *do*. *Dicatur perpetuo, Datur ad tempus.*

13. *Senis nostri, Dave, fratrem majorem.*] Dicendo *Senis*, ostendit & adolescentem se dominum habere, dicendo *Nostri*, ostendit esse & alienum, dicendo *Fratrem*, non unum esse monstravit, dicendo *Majorem*, etiam minoris fecit indicium. Sic argumenti partem maximam nondum narrans, jam in ipsa interrogatione transegit. Hæc autem omnia propter populum sic aguntur. Ideo ille, *Quidni*, dixit, ne sit opus pluribus verbis. *Senis nostri, Dave, fratrem.*] Miram compendium narrationis, quasi per interrogationem, fecit, ne ex alto repeteret. Sic *Virgilius*,

Fando aliquid si forte tuas pervenit ad aures

Bélida nomen Palamedæ, & in clyta fama.

Et,

Nostri hanc quam amat frater?
In Eunuchis.

14. *Quid? ejus gnatum Phædriam?*] Non dixit, quid? Phædriam? sed addidit, *Ejus gnatum*, ut magis docere, quam interrogare videretur. *Quid? ejus gnatum Phædriam?*] Deest *nostri*.

15. *Tanquam te.*] O varietas: quidni? tanquam te. *Evenit, senibus ambobus simul iter.*] Non, evenit iter: sed, evenit ut iter esset. *Simul.*] Uno tempore.

16. *Illi in Lemnum ut esset.*] Recte tacetur cur Chremes ierit, & dicitur cur Demipho, utrumque pro argumento est.

17. *Ad hospitem antequam.*] Sic *Virg. Veteremque Anchisem agnovi amicam.* Hoc autem addidit, ut esset idonea causa navigandi seni. *Senem per epistolas pellexit.*] *Epistolas* dicendo, ostendit eum non semel scripsisse. *Pellexit.*] Induxit, sic *Virgilius*,

— *Pellacis Vlyssi.*

18. *Modo non montes auri pollicens.*] Proverbialis *κατεβολή* facta per exceptionem, aut per superlationem, aut æquam collationem. Ejusmodi est illud Demosthenis, *μὴ οὐ καὶ ποτὶ ἀφίεις.* *Modo non montes auri.*] *Sallustius, Maria montesque polliceri cepit. Modo non montes auri pollicens.*] More veterum: quia hospites hospitibus multa donabant.

19. *Cui tanta erat res.*] *Cui*, dativus calus est. *Dominone tuo*, inquit, polli-

cebatur hæc, cui tanta res erat? *Cui tanta erat res.*] Deest, *eum*, ut sit, *Eum pellexit*, cui tanta res erat? *Et supererat?*] Plus est *superesse*, quam *esse*. *Desinas: sic est ingenium.*] Necessaria est ad fabulæ *δὴ τὸν* avaritia Demiphonis: ut majore periculo, illo absente duxerit filius indotatam, nam mox dicturus est, *illene indotatam virginem, atque ignobilem daret illi? Sic est ingenium.*] Præparatio bona, qua & dives, & avarus describitur Demipho, ut indotatas nuptias filii ferre non possit.

20. *Sic est ingenium.*] Recte. non enim, inquit, fortuna avarus est, sed natura. *Sic est ingenium.*] Omnium? an domini? sed magis domini. *Ob! regem me esse oportuit.*] Ostendit pauperum affectiones, qui se solos uti divitiis scire aiunt, si eas habeant. *Ob! me regem esse oportuit.*] *Acue me.*

21. *Abeuntes ambo hinc tum.*] *Hinc & hic* legitur, & est ordo, Hic relinquunt filios. *Filiis.*] Propter filios.

22. *Relinquunt.*] Id est, non secum abducunt. *Quasi magistrum.*] Bene quasi: qui non complevit hoc ipsum, nec vult esse. *Magistrum.*] Sic Latini: quem Græci *παιδαγωγὸν* appellant. *O Geta, provinciam cepisti duram.*] Acquisitæ bello longè ab Italia regiones, *Provincia* dictæ sunt, à porro, vel procul, & vincendo, ad quas quia Prætores cum officio mittebantur, officia quoque *Provincia* nominantur. *O Geta, provinciam.*] *Splendide Provinciam* dixit.

24. *Memini relinqui me Deo irato meo.*] Sic *Virgilius*,

— *Nec DI texere Cupentum*

Ænea veniente sui. —

Hoc *Asper*. Sed mihi videtur ad hoc addidisse *meo*, ne esset ἀμφίβολον, cui diceret, *Irato Deo, Navius in Stalagmo, Deo meo propitio, meus homo est. Memini relinqui me Deo irato meo.*] *Domino* dixit: an vere Deo? Et bene *meo*, ne esset ἀμφίβολον. Et sic dixit, *Memini relinqui*, ut in Andria, *Memini me videre*, & *Memini me fieri parvum*, *Ennius*.

25. *Quid verbis opus est?*] Repente infertur, *Quid opus est verbis?* & satis moraliter.

26. *Seni fidelis dum sum.*] Opportune *Seni* dixit, ut ostendat quam itultum est, *seni* adversus juvenes fidelem esse. *Seni fidelis dum sum.*] *Filius* est amicus: *Fidelis* est servus. Plus est *perdidi*, quam si diceret, *Dolui*. Et bene retulit *Perdidi* *ωδης τῷ Fidelis*. *Fidelis* enim officium est, servare aliquid.

27. *Venere in mentem istac mihi.*] *Ve nire in mentem*, non ad recordationem tantum dicitur: sed ad reputationem & intelligentiam. *Nam quis inscitia est, ad versum stimulum calces?*] Hoc dictum & superiori persona esse potest, & alteri.

28. *Adversus stimulum calces.*] *Πα ρσιμια* cum ἐλλείψι: deest enim, *ja ctare*. *Stimulum* pro domino adolescente posuit, *Calces*.] *Modo calces*, non partes plantæ, sed percussiones pedum plagas que significat. Aliter *Virgilius*,

— *Calcemque terit jam calce Dioces.*

29. *Scisti uti foro.*] Secundum illos negotiatores, qui ante locum commercii, non præscribunt quanti vendant quæ advehunt: sed secundum annonam fori quam deprehenderit, consilium diven dendis aut non vendendis mercibus sumunt. *Scisti uti foro.*] *Forum* pro tribus intelligitur: loco, tempore, & persona. *Scisti*, inquit, his uti. Et est vulgare proverbium. Sensus hic est, *Scisti*, inquit, quid facere te oportet.

30. *Noster mali nihil quidquam.*] *Quar tum* *παρέλκον*. Ut in *Hecyra*: *Nam ne mo illorum quisquam, scito, ad te venit. Noster mali nihil quidquam.*] *Noster* *ωδης αὐπείθετον* *λω* *Phædræ*: qui non noster est. *Primo hic Phædræ*.] Bene additum *primo*: quia non perpetuo.

31. *Continuo quandam.*] Bene *Conti nuo*: quasi vix expectaverit profectio nem patris. *Puellulam citharistram.*] *Istis* hoc nominibus agit, ut causa amo ris & ex ætate, & ex arte puellæ viderentur: nam ideo puellam dixit.

32. *Amare cepit perditus.*] Legitur & *Perdite*. Et *Amare perditæ*, ut puta puellulam & citharistram.

33. *Ea serviebat lenoni.*] Et honeste, & cito dixit *serviebat*: *Lenoni impurissimo.*] Et quare non fuisset libera: & cu jus fuisset ancilla, & qualis hominis

fuisset, demonstravit. *Ea serviebat Le noni impurissimo.*] Magna preparatio ad rerum difficultatem imminentium: *Puel lula citharistria*, *Avarus leno*, *Amator perditus*, *Inopia*.

34. *Id curarant patres.*] *Expedite* dixit *Patres*: si enim Patrem ejus tantum dixisset: id restabat, ut ei per patrum filium succurreretur, ideo dixit ambos non habuisse.

35. *Nisi oculos pascere.*] Hoc enim so lum erat, quod leno non venderet.

36. *Seſtari, in ludum ducere & redu cere.*] Bene cavillatus est & joculariter in adolescentem, cui ætas ad festandos Philosophos apta erat. Hinc etiam Phi losophorum sectæ. Sed *Seſtari* proprie est, ut taurus buculam, ut aries ovem, *Virgilius*,

Trahit sua quemque voluptas. —

Reducere.] *Σύλληψις*, à ludo enim sub auditur.

37. *Nos otiosi operam dabamus Phæ dria.*] Cum *τῷ πρ* dixit *Nos*: velut ma gistrum excusans obsequentem ei, cui custos sit datus, & ideo addidit *Otiosi*. *Nos otiosi operam dabamus Phædræ*.] Re latio ad illud quod mox, otiosi non erunt. *Nos otiosi operam dabamus Phæ dria.*] Aut ad pudorem sumitur hoc pro nomen in singulari numero: aut ad dignitatem. sed potest *nos*, & propter Antiphonem dixisse. *Nos otiosi operam dabamus Phædræ*.] *Appollodor*, *ΝΑΛ ΚΕΙΣ* *δεσωμεγαλι μεΟΛ**. *Operam da bamus Phædræ*.] Ille amicæ, nos illi.

38. *In quo hæc discebat ludo.*] *Figurate*, *In quo hæc discebat ludo*, est additum, *Ex adversum ei loco.*] *Ei loco*, legitur & *elico*. Et adnotatur, ex abundanti additum, ut apud veteres multa sunt. *Ex ad versum ei loco.*] *Παρέλκον* quartum.

39. *Tonstrina erat.*] *Apta sedes otio sis*. *Tonstrina erat quadam.*] *Παρέλκον* tertium, *quadam*. *Hic solebamus fere plerumque.*] *Παρέλκον* tertium, *Fere plerumque*.

40. *Dum inde iret domum.*] Ad se scilicet. *Iret domum*, pro rediret, vel certe, iret. *Παρέλκον* figura.

41. *Dum sedemus.*] Proprie *Sedemus*, ut in *tonstrina*. *Illi intervenit.*] *Illi*, pro

prohibi, ut, *Illi mea tristitia facta*. Et nota *illi*, pro *illic*.

42. *Adolescens quidam lachrumans.*] *Appollodor* tonforem ipsum nuntium facit, qui dicat se nuper puellæ comam ob luctum abstulisse: quod *lcio* mutasse *Terentium*, ne externis moribus specta torem Romanum offenderet. *Nos mi rarier.*] Recte: mirum enim in adoles centibus lachrumæ, ut contra,

— *Tristisque senectus.*

Nos mirarier.] Ut,

— *Solam nam perfidus ille*

Te col. re. —

43. *Rogamus quid sit.*] *Quid* lachrumet: non, *Quid* sit ipse, ut stulti pu tant. *Nunquam æque, inquit, ac modo.*] *Mire* ostendit semper sibi hoc visum, quod dicit: sed nunquam æque.

44. *Paupertas mihi onus visum est.*] *Statim* fit mentio paupertatis, ut sit causa fallaciæ *Phormionis*.

45. *Modo quandam vidi virginem.*] Bene *Quandam*: ne ob familiaritatem laudari videretur. *Modo quandam vidi virginem.*] Vide sic agi, ut non tam morte mulieris, quam solitudine Pulchræ virginis moveatur affectus. Simul & ea describi, quæ matrona futura magis conveniant, quam quæ temere amanda sit. Nam hic obitus sceminæ, ad comicum exitum spectat: quandoquidem plus ex ejus morte securitatis, quam molestiæ, sentiat argumentum. *Hic viciniæ.*] *Adverbium* in loco est, *Hic viciniæ*: cujus ad locum, *Huc viciniæ*. Et statim proximitas insinuat, ut sit spes & causa videndi.

46. *Miseram.*] Ab affectu: & subdi stingendum est, ut ad virginem referatur. *Lamentari mortuam.*] A probitate, quæ piis adtribuitur. Et *Lamentari mortuam*, ambiguitas, sed sensu manifesta.

47. *Ea sita erat.*] *Sita*, pro posita. *Sallustius* cum adjectione in *H.* *cum præ dixero possum insula*. Et hoc ei recipro sum est. *Ea sita erat ex adversum.*] *Expositio* paupertatis, & quam facile virgo videri possit.

48. *Neque notus, neque cognatus.*] *Αὐξισ* fit: quia res minuitur, crescit sententia. *Sallustius*, *Non repugnantiibus*

modo: sed ne deditis quidem a b c m. *Ne que notus, neque cognatus, extra unam aniculam.*] Hæc præstruuntur: ut sit spes potiundæ virginis. *Neque notus, neque cognatus.*] Hæc descriptio paupertatis adjuvat argumentum, ut & visere audeant adolescentes virginem, & amict *Antipho*.

49. *Qui adjutaret sumus.*] *Ipsium* officium *Fumus* dixit. *Miserium est.*] Hoc est, misertus sum ejus. Et hic videtur ostendisse cur lachrumaverit.

50. *Virgo ipsa facie egregia.*] A forma indignatio. *Virgo ipsa.*] Bene *Ipsa*: quia quæ supra dixit, non ad ipsam, sed ad eventum ejus pertinebant. *Quid verbis opus est?*] Sic dicit *Terentius*, ubi ad effectum properat.

51. *Commorat omnes nos.*] *Figura* *συγκομι* pro *commoverat*. Et bene *Omnes*: quia res ad Antiphonem tantum spectat. *Ibi continuo Antipho.*] Hic redditur nomen adolescentis, & est *παρασκευη*.

52. *Voltisne eamus visere?*] Ut,

— *Populare penates*

Venimus. —

Voltisne eamus visere?] Ipse horrator inducitur, qui amaturus est. *Al. us, Censeo: eamus. duc nos sodes.*] Hæc omnia diversi dicunt. Et apparet tot esse homines, quot per *μυσησιν ἀσώδετα* demonstrantur. *Alius, Censeo.*] *Phædræ*, vel quilibet.

53. *Imus: venimus: videmus.*] *Ασώδετα* primum per *βραχυλογία*. *Imus, venimus, videmus.* *Με' ἐνεργείας.* Et, *Virgo pulchra, σωτομία* mirantis. *Duo* ingentia, & *Virgo*, & *Pulchra*.

54. *Virgo pulchra.*] Bene non dixit: *Videmus virginem pulchram*, sed *ὁ πό τις ἡγετιπληξείως, Virgo pulchra!*] *Illud* enim frigidius: hoc concitatus, & hoc magis demonstratur *δέματι*, quam relatione. *Et quid magis diceret.*] *Diceret*, pro crederet, ut, *Audacter dicitis*. *Sæpe Plautus.*

55. *Nihil aderat adjumenti.*] Proprie *Aderat*, *Adest* enim id, quod adjuvat.

56. *Capillus passus.*] Singularem numerum, pro plurali posuit. Sic & alibi, *Capillus pexus prolixus, circum caput reje-*

aus negligentem. Passus.] Temere dispersus. Ut magna pars, a Græca oratione profluxit hæc dictio. *Capillus passus, nudus pes.*] Facetius, quam si pluraliter dixisset. *Virgilius,*

— *Quibus acer Erix in prælia suctus
Ferre manum.* —

Ipsa horrida.] Quasi extra ipsam sit id quod dixit, *Capillus passus, nudus pes.* Tale est apud *Virgilium,*

Illum autem, quamvis aries sit candidus ipse,

Nigra subest udo cui tantum lingua palato,

Rejice. —

Et alibi de arbore,

Tum fortes late ramos, & brachia tendens

*Huc illuc, media ipsa ingentem sustinet
umbram.*

Et,

— *Domus sanie, dapibusque cruentis
Intus opaca, ingens: ipse arduus altaque pulsar.*

Sydæra. —

57. *Lachryma, vestitus turpis.*] *Α-σὺν δέ τοις* tertium. *Ipsa horrida & lacryma* ad luctum pertinent, *nudus pes & vestitus turpis* ad pauperiem. *Vt, ni vis boni.*] Plus est *vis boni*, quam *bonum*. Ut, *ni vis boni in ipsa inesset forma.*] Veteres ignem & calorem quemdam, quasi fervorem, dixerunt *Formam*: & ideo *Fornaces, forcipes, formam & formosos*: ex quibus ignis amoris exoritur. Laudandus est ergo *Terentius* proprietate servata: qui quum formam prætulisset, subjecit *extinguerent*. Ideo & *Virgilius* sic ait,

*At mihi sese offert uliro meus ignis
Amyntæ.*

58. *In ipsa inesset forma, hæc formam
extinguerent.*] Figura *πρόξιν*: aliud enim supra, aliud infra, *Forma* repetita significat. *In ipsa inesset forma.*] Geminavit præpositionem, ut alibi, *In amore hæc omnia insunt vitia. Extinguerent.*] Bene *extinguerent*: quia ab igne & calore forma dicta est.

59. *Ille, qui illam amabat.*] Bene *illam*: quia jam supra insinuavit personam citharistriæ. *Ille, qui illam amabat.*] Ratio cur amaverit virginem, *Fiduciam.*] *Supra, Citharistriam*, ergo indifferentem.

Tantummodo, Satis, inquit, scita est.] Sensus est, Laudavit tantummodo, non etiam captus est in amore.

60. *Satis, inquit, scita.*] Magna laus formæ, amanti aliam placuisse. *Satis, inquit, scita.*] *Scita*, bella, ut in *Andria*, *Scitus puer est natus à Pamphilo. Noster vero.*] *Αποσώματος* tertia: quæ succurrit, quotiens verba rebus maiora sunt.

61. *Amare cœpit.*] Ille, inquit, laudavit tantum: Hic amare cœpit. Et bene *Cœpit*, non *Amavit*: ut ostendat, vim amoris non parum esse, & rem, quæ se melius suscipi possit. *Scin' quam.*] *Αποσώματος*, qua in narrationibus in compendium *Terentius* uti solet. *Scin' quam.*] *Amare cœpit*, subauditur. *Quo evadat, vide.*] *Evadat*, perveniat. Nam *evadere*, est per obstantia pervenire.

62. *Postridie ad anum recta pergit.*] Hoc prætruens, anicula supra mentionem fecerat. Et bene memor & virginis, & honestæ, non ipsam adiri facit, sed anum: neque ab ipsa peti fructum voluptatis, ex cuius persona major desperatio nascebatur: sed à nutrice potius, per quam suaderi puellæ posse creditur, quicquid liber. *Postridie ad anum recta.*] *Εμπαρκως*, ad anum statim: ut qui posthabuerit omnia alia. *Recta.*] Quia non per nuntium.

63. *Vt sibi ejus faciat copiam.*] Vide ut nihil de virgine speret, qui omnia ab anicula petat. *Ille enim se negat.*] *Copiam* facturam, subauditur.

64. *Neque eum a quum ait facere.*] Non quod amet, sed quod hoc petat. *Neque eum.*] Quod peteret scilicet. *Illam civem esse Atticam.*] *Illam* cum *εμπαρκως* dixit: quasi dicat, quam sic contemnat.

65. *Civem bonam esse.*] *Civem*, quod ad jura pertinet: *bonam*, quod ad ipsam. *Bonam.*] Non vilem: quia boni non viles sunt: unde superlativus gradus *Optimates* facit: quia *Bonus*, melior, optimus dicitur. *Bonis prognatam.*] Quod ad majores ejus, *si uxorem velis.*] Recte subjunctum, *si uxorem velis*: postquam ea in virgine prætulit, quæ solent ornare nuptias.

66. *Lege id licere facere.*] Incerta distinctio est: utrum *uxorem velis* lege, an

lege id licere facere. Sin aliter, negat.] Et pudice anus, & tamen illecebrose, *licere facere* dixit, quod ille impudentius petit, ut sibi ejus faciat copiam. *Sin aliter, negat.*] *Σύνωπις* facta ex eo quod sequitur, *facere.*

67. *Noster quid ageret, nescire.*] Proposita deliberatio: cujus tamen altera pars vincet, nam ducturus est per absentiam patris. *Quid ageret, nescire.*] *Nesciebat*, sed recte sic ait: quia subjuncturus est.

68. *Cupiebat & metuebat.*] *Metuebat* proprie dixit. *Metuimus* enim eos qui nos amant: *Timemus* etiam inimicos. *Illam ducere cupiebat, & metuebat.*] Vide ambiguitatem, quam tamen sequentia tollunt.

69. *Non, si redisset pater, ei vcniam daret?*] Bene interrogat Davus, hoc enim sperari si possit, non opus erat fraudibus *Phormionis*. *Non, si redisset.*] *Si*, pro postquam, *Virgilius,*

*Præterea si nona diem mortalibus alnum
Aurora extulerit.* —

70. *Illene indotatam virginem.*] *Εμπαρκως* ille, de quo dixerat, *desinas: sic est ingenium*: & qui propter spem lucri navigarat senex. Insinuandum igitur fuit, hic enim erit omne periculum fabulæ. Et ordine *Terentius* prius insinavit personam senis, ut graviora fierent quæ dirimebant nuptias. *Illene indotatam virginem, atque ignobilem.*] Duo dixit, & *Indotatam*, & *Ignobilem*. Hæc enim duo principaliter petuntur; cum sint quatuor, quæ in sponsis quaruntur, forma, probitas, dos, nobilitas. Et manifestum est, cur de forma & probitate nihil dicat: quippe cum supra magnopere ea laudaverit in puella. *Virginem.*] Simpliciter accipimus, *Virginem*? an subaudimus, *Quamvis virginem.*

71. *Daret illi?*] Bono affectu dixit, *Daret illi?* Filius enim familiæ, non tam ducit uxorem, quam à patre accipit: quippe cum patri committatur puella potius in hujusmodi conditionibus, quam marito. *Daret illi? numquam faceret.*] *Αποσώματος* secunda, hic enim non transit ad aliud, sed instat in-

cepto: ut & per interrogationem diceret, *Daret illi?* & per responsum inferret, *Numquam faceret*. Et nota *numquam* pro *non*, in majorem negationis significationem poni semper. *Daret illi?*] *Mire daret*: ut ostenderet nihil esse potestatis in filio. *Quid sit denique?*] More suo *Terentius*, *denique* posuit in fine sensus. Et est adverbium ordinis. Sic in *Heautontimorumenos*, *Federe, aut arare, aut aliquid facere denique*, ut sit *denique*, vel deinde, vel ad postremum. *Quid fiat?*] *Deest*, *Rogitas?* & est *ἀποσώματος* quarta.

72. *Est parasitus quidam Phormio.*] *Phormio*, non a formula, sed *phormione* dicitur *sparteo*, quem nos *Erronem* dicimus trivialiter & pro consuetudine.

73. *Homo confidens.*] *Homo* comice additum: nam quis ignoret parasitum hominem esse? *Confidens.*] Hic *confidens*, pro improbo, audaci ac temerario posuit, ut, *O ingentem confidentiam! Qui, illum.*] *Qui*, utinam est, ut *Lucius* in secundo, *Qui te Momentane malum jam cetera perdat.* Aut, *Qui hoc consilium, quod dicam, dedit.* *Qui, illum* *DI omnes perduunt.*] *Qui* aut expletivum, aut pronomen: quo incipiens *Phormionem* describere, cohorrui consideratione ejus, & in hanc vocem, quasi confusus erupit, hoc autem certum genus est *παρρησιασως*.

74. *Quid is fecit?*] Servatur affectus tristis hominis, ut supra ait, *Sed quid tu es tristis? Quid is fecit?*] Correxit interrogatione errantem: ut rediret ad nominativum casum *Qui*, unde aberraverat, & *Illum* dixerat. *Hoc consilium, quod dicam, dedit.*] Secundum quosdam ordo est, *Qui hoc consilium, quod dicam, dedit.*

75. *Lex est.*] *Lex*, ut in palliata, recte ponitur: nam Græcorum fuit: ideo & in *Andria* sic ait, *Inopia & cognatorum negligentia coacta. Lex est.*] *Alia* narratio interponitur, & dicitur *παρρησιασως. Lex est.*] A causa litis, potuit enim dici, non habes causam. *Vt orba, qui sunt genere proximi, eis nubant.*] *Orba* proximo nubant, *Orbam* proximus ducat, *Atticum* jus est. Et ordo, *Lex est, ut*

orbæ eis nubant qui sint proximi.

76. *Et illos ducere.*] Bene additum: nihil enim ad rem, si ducendi necessitas non fuisset. *Eadem hæc lex jubet.*] Non duas res jubet hæc una lex: sed puellis permittit nubere: cognatos cogit ducere. *Eadem hæc lex jubet.*] Bene iubet: minorem enim vim habet ea lex, quæ aliquid permittit, quam illa quæ aliquid jubet.

77. *Ego te cognatum dicam, & tibi scribam dicam.*] A persona ejus cum quo agitur. Potuit enim dici, *Quid tecum est tibi?* Ego te cognatum dicam, & tibi scribam dicam.] *Ἀποσφῆν & ἠδονίαι.* Hæc narratio est, quam dicit Tullius constitutam: & ipse, *Tibi uni parcam*, inquit in Verrinis. repente enim transitur ad verba personarum ab earum descriptione: sed hoc ipsum ad commovendos auditores valet plurimum. *Et tibi scribam dicam.*] A denuntiatione in personam: ne diceret, Non mihi denuntiasti, *Et tibi scribam dicam.*] Cicero, *Scribitur Heraclio dica. Dicam.*] *Dicam* supra, verbum; infra, nomen est totidem literis, diverso accentu.

78. *Paternum amicum me assumula. ho virginis.*] A persona litigantis: potuit enim opponi, Personam non habes.

79. *Qui fuerit pater.*] *Qui* hic, pronomen est: infra, quomodo significat.

80. *Qua mater.*] Virginis scilicet. *Qui cognata tibi sit.*] *Qui*, quomodo, & quatione. *Omnia hæc confingam.*] *Omnia hæc*, non ex abundanti posuit: sed oratorie, quasi tam multa. & est *ἀρχαιοσύνης*, nam post enumerationem veteres hoc dicebant. *Salustius* in Jugurtha; *Hæc omnia præsidio adsunt.*

81. *Quod erit.*] Tuto confingam. *Quod erit mihi bonum, atque commodum.*] *Εὐφροσύνη.* Quod mihi, inquit, factum ac felix erit: hoc est, confingere atque mentiri. *Quod erit mihi bonum, atque commodum.*] Totum joculariter parafitus: quippe qui *Confingam* dicens, non solum non erubuerit de falso loquio, sed quasi præclari facinoris inceptionem etiam auspiciatus sit, omenque suscepit, dicendo, *Quod erit mihi bonum atque commodum.* Sic enim veteres, *Q V O D*

FAVSTVM FELIX QVE SIT. dicebant, aliquid aggressum.

82. *Quum tu horum nihil refelles.*] Hoc interrogative pronuntium est. *Refelles.*] Refutabis, redargues. Nam prolixius *Refellere*, est redarguere falsitatem.

83. *Pater aderit: mihi parata lites, quid mea?*] *Mire* ὁ *σοφοῦντος*, quod maxime aliter metueret, hoc pro ridicula re contempfit. *Pater aderit: mihi parata lites.*] Exquisite autem subjectum est, quum supra dixerit, *Mihi parata lites.* *Quid mea?* *Pater aderit: mihi parata lites.*] Ut Antiphoni formidanda ista sunt, ita ridicula parafito.

84. *Illæ quidem nostræ erit.*] *Ἡδονῆς* *Nostræ*, quum Antiphonis tantum esse debeat. *Iocularem audaciam.*] *Εἰρωνεία* *καὶ ἀπίθετον*: hoc est, minime jocularum. An quæ ex ludo & joco in periculum veniat? *Iocularem audaciam.*] *Deest; Audio ex te, aut Dicis.*

85. *Perfusa sit homini.*] Hic jam de Antiphone queritur: cui persuasum sit, *Factum est.*] Adeo audax Phormio. *Ventum est.*] *Ἐπιζήνητος*. Quo modo, factum est: ventum est: vincimur: duxit. *Factum est: ventum est: vincimur: duxit.*] *Ἄσωτον* ut supra, *Imus, venimus, videmus.* *Factum est: ventum est: vincimur: duxit.*] Amat hoc Terentius. ut, *Ita lavit, redit, & Imus, venimus, videmus & Fanus interim procedit: sequimur, ad sepulchrum venimus: in ignem posita est: fletur.*] Hic non modo brevis & comis narratio est: sed etiam auditoris animum, ad id quod restat, intendit.

86. *Quid narra?*] Admirantis vox est, non interrogantis. *O Geta, quid te futurum est?*] Sic pronuntia, quasi perituum contempleris Getam, & jam eum in certo interitu defleas. *O Geta, quid te futurum est?*] Scilicet qui magister relictus sis Antiphoni.

87. *Nescio hercle, unum hoc scio: Quod fors feret, feremus a quo animo.*] *Ἡδονῆς* desperatione rerum, foris est servus, & simul vigilavit Poëta, ne si & hic ejulare, res tota migraret in tragœdiam.

88. *Quod fors feret, feremus a quo animo.*] Hæc graves sententiæ, ex persona servorum quum dicuntur, ridiculæ sunt.

& eo consilio interponuntur. *Feremus a quo animo.*] Hoc secundum servos, qui futura contemnunt. Et mire meritum culpæ suæ ad fortunam retulit.

89. *Hem, istuc est viri officium.*] Compendium consolationis est, quod liciliter accepit: & ideo statim approbat. *In me omnis spes est mihi.*] Quo modo? an ut strenue se defendat? an ut fugiat? an ut patiens sit plagarum?

90. *Ad precatorem adeam credo.*] Bene Poëta omnia tractat, quæ in tali recanda sermo essent, nisi aliud posceret argumentum. *Ad precatorem adeam.*] Sic in Heautontimorumenno, *Nectum aram tibi, nec precatorem paravis. Qui mihi sic oret.*] Id est, pro me oret.

91. *Nunc amitte quæso hunc.*] *Μίμνηστος* dicitur, ubi non verba modo, verum etiam gestum vocemque fingimus alienam. *Nunc amitte quæso.*] Hoc quod nos dicimus *Dimittite*, antiqui etiam dicebant, *Amitte*. Virgilius, *Amisso hinc jam obliviscere Graios.* Et Sallustius, *Patitione amisso Publio legato.*

92. *Posthac si quidquam, nihil precor.*] Facile impetrat, qui non omnia extorquet. Ergo ars precatoria est, mitigare præsentia, futura permittere. Simul etiam, quia omnis causa in hoc est, ne videatur servus, ob impunitatem in delictis amplius peccaturus. *Posthac si quidquam.*] Ut solet, eleganter per *ἐμψυχόν*. Et simul, non, si tantumdem peccaverit: sed, si vel minimum. Tale est & illud, *Si sensero hodie quicquam in his te nuptiis fallacia conari, & Si quicquam invenies mentium, occidito. Nihil precor.*] *Nihil*, pro non: sed plena negatio, *Nihil*.

93. *Vbi ego hinc abiero.*] Hic ostendit, nullum precatorem ex animo postulare veniam servo. *Vel occidito.*] *Vel*, pro etiam. *Occidito.*] Tu tantum cedere volebas; ego dico, *Eriam occidito.*

94. *Quid ille padagogus, qui citharistram?*] Moraliter querit, volens audire de Phædria, postquam de Antiphone cognovit; maxime, quia hæc interrogatio responsum elicit, qua spectator instruitur ad cognoscenda cætera. *Quid ille padagogus, qui citharistram?*] Quia dixi, *Seçari*, in ludum ducere & reducere:

& quia *Puellulam* dixit, ab ætate: *padagogus est illi*, ait. *Quid ille padagogus, qui citharistram?*] Phædria scilicet, qui neque abscedit a custodia puellæ, neque illam ipse contingit. *Qui citharistram?*] *Ἐμψυχόν*. Sectatur, amat, vel quid talei subaudiendum est.

95. *Sic tenuiter.*] *Δειπνῶς*. Sic dicendum est, cum aliquo gestu. *Non multum habet quod det fortasse.*] Cum commiseratione amatoris adolescentis pronuntium est.

96. *Immo nihil, nisi spem meram.*] *Bene Spem*: quia amat, nemo enim sine spe amat. *Meram.*] *Solam*.

97. *Pater ejus rediit, an non?*] *Chremes* scilicet, *Nondum.*] Subaudi, *Venit, Jam non plena negatio est. Quid? senem quoad expectatis vestrum?*] *Animadvertite, Quid*, secundum morem quotidianum tum dici, quum sit transitus a mentione alterius rei ad alteram. Sic & supra, *Quid padagogus ille?*


98. *Quoad expectatis vestrum?*] *Quoad*, quamdiu. Et recte locutus est: quia adventus, finis est expectationis.

99. *Sed epistolam ab eo allatam esse ardivi.*] *Mire* paratur inopinatus subito adventus senis, nam ipse veniet, cujus epistolam sperat.

100. *Et ad portitores esse delatam.*] *Mores* veterum magistrum tributorum, id est, publicani, operam in portu dabant, inferendarum rerum & efferendarum vectigal exigentes. *Ad portitores.*] Ad eos qui in portu sunt. Et quo more hoc dixerit vide, Attico an Romano.

101. *Numquid, Geta, aliud me vis?*] *Abique illo argento*, quo tibi à me opus fuit. *Vt bene sit tibi.*] *Ἀρχαιοσύνης*, pro nihil.

102. *Puer heus: nemon' huc prodit?*] *Moralis* expressio, nam eos vocat, quibus initio egrediens dicebat, *Si quis me quaret rufus: Cape, da hoc Dorcio.*] Ad *κωρὸν ἀεγῶπων* loquitur, *Dorcio, Dorcium* fœmininum nomen est, ut *Planesium, Glycerium*.



IN SCENAM TERTIAM

ACTVS PRIMI.

1. **A** Deon' rem redisse, ut qui mihi consultum optime velit esse.] In hac scena color vita est eorum qui id, quod immodice concupierint, spernunt postquam euerint, quod apertiore sententia, ostendit Poëta, dicendo, Nostri nosmet poenitet. Adcon' rem redisse.] Comparativa qualitas in hac scena est, inter Antiphonis vitam, & Phædria, Genus causa demonstrativum: Contendunt autem, uter magis miser sit. Vt qui mihi consultum optime velit esse, Phædria.] Mira sententia, qua ostendit adolescentulos in peccatis neminem magis metuere, quam eos à quibus maxime diliguntur, Simulque inducitur rerum imminentium præstructio: in qua sic audax inducitur Phædria, ut defensor futurus sit: sic timidus Antipho, ut fugiurus sit. Vt qui mihi consultum optime velit esse, Phædria, patrem extimescam.] Ferienda pronuntiatio in eo quod ait, Qui mihi consultum optime velit esse, hoc enim magis mirum est, ideo patrem timeri, quia consultum optime velit.

2. **V**bi in mentem ejus adventi venit.] Nota, venire in mentem veteres, non recordationis causa tantum, sed etiam recogitationis considerationisque posuissent. Vbi in mentem ejus adventi venit.] Sic veteres genitivo casu proferebant. In mentem ejus adventi venit.] Cicero, Fac tibi paterna legis Acilia veniat in mentem. Adventi venit.] Multipliciter declinatur, & Adventi & Adventus, sic & in Andria, Nihil ornati, nihil tumulti. Venit.] Legitur & Adventi.

3. **I**ncogitans.] Temerarius. Probus, Incogitans, inquit, in usu est: at non eodem modo Cogitans. Ita eum expectarem, ut par fuit.] Expectarem nunc opperirer: alias, sperarem.

4. **Q**uid istuc est?] Hæc interrogatio stomachosa est, extenuare volentis metum fratris: diversa enim sentit ob diversum amoris eventum. Qui tam audacis facinoris mihi conscius sis?] Proprie ad terrorem, qui de facinore loquitur,

Conscium dixit, Rogitas! qui tam audacis facinoris.] Bene timens inducitur Antipho, ut sit causa fugiendi. Ad hoc enim fugiet, ne ad amittendam conjugem cogatur, à patre ante errorem fabulæ partefactum.

5. **Q**uod utinam ne Phormioni.] Gravissime non Phormioni succenset, sed Phormionis invento. Et vide, ut & ipse se culpæ subtrahat. Quod utinam.] Et familiare est, initia rerum accusare eos, quos alicujus negotii poenitet. Quod utinam ne Phormioni.] Vetus elocutio, utinam ne. Ennius in Medea, Utinam nememore Pelio securibus cæsa cecidisset abigna ad terram trabes. Et ne, non, accipiendum.

6. **N**eu me cupidum eo compulisset.] Bene hoc addidit ad excusationem, potuit enim dici, Non consentire. Eo compulisset. Eo. ad uxorem ducendam. an eo in tantum? Quod mihi est principium mali.] Bene, quasi caput mali non in amore sit, sed in nuptiis.

7. **N**on potius essem.] More hominum loquitur: credit enim ex sequenti satietate, quod potuerit abstinere amoribus suis. Non potius essem.] Ardum poëta, ποιομαχός. Non enim, sed potiri voluisti posuit: ut ille, Verum anceps pugna fuerat fortuna, Fuisse.] Hic enim utraque pars ponitur. Fuisse tum illos mihi agre aliquot dies.] Quidam totum interrogative pronuntiant: nempe, Fuisse tum illos mihi agre aliquot dies?

8. **A**t non quotidiana cura hac anget animum.] Quum amatorie loquatur Antipho, errant qui putant eum poenitere sui desiderii. nam si hoc est: nec maritus firmus videbitur fore. sed hoc dicit: facilius fuisse abstinere virgine intacta, quam ea cum qua jam consueverit. & ideo subjungit, Dum expecto quam mox veniat, qui hanc mihi adimat consuetudinem. Audio.] Audio per εἰσφορέαν dicitur modo à contempnente dictum Antiphonis. Audio.] Omnia deridet Phædria, cupiens fructum amoris vel periculis adipisci. Est ergo Audio εἰσφορέα, pro Non audio, hoc est, Nihil dicis.

9. **D**um expecto quam mox veniat.] Non Quando, sed Quam cito: quia timet. Qui adimat hanc mihi consuetudinem.

nem.] Mirè non amorem: tanquam amore carere potuerit, consuetudine non possit. Et nota proprietatem, nam Consuetudo specialiter de coitu dicitur.

10. **A**lius, quia desit, quod amant.] Magnificentius Alius dixit, quam si diceret Mihi, Tibi, quia superest, dolet.] Laboravit, ut ostenderet, plus esse Dolet, quam Ægre est. & ideo inlanum ait Antiphonem, qui in ea fortuna positus, quæ adversa & contraria est, idem patitur quod miser. & est figura ὑπὸ βουζύς. Nam ad utrumque, Ægre est, sufficere potuit. Scire autem debemus, & pronuntiative, & per interrogationem, hoc ipsum pronuntiarum posse. Tibi quia superest.] Id est, eo quod desideras, abundas. Ordo est, Tibi dolet, quia superest.

11. **A**more abundas, Antipho.] Sic hoc pronuntianum, quemadmodum solet cum stomacho dici vituperanti cibum, Non esuris, aut, Pleno ventre es, vult enim ostendere, satietatis hoc esse, non rationationis, quod nunc quaeritur Antipho. Amore abundas, Antipho.] Abundare dicitur, qui successu prospero affluit. Lucilius libero tertio,

— Ille alter abundans

Cum septem incolumis pinnis redit, ac recipit se.

Amore abundas, Antipho.] Hoc cum pronuntiatione infert.

12. **N**am tua quidem hercle certo vita hac expetenda.] Bene Certo: quia supra omnia cum εἰσφορέα dixit. Vita hac expetenda.] Vita dixit, ut ostenderet, etiam si non felicitas, sed vita dicatur, optanda esse. Vita autem & mores significat, & animam, & alimentum, & spatium vivendi, & fortunam accidentem viventibus: ut modo, Expetenda optandaque.] Proprie dixit, Expetenda, optandaque, omnia enim quæ amamus, aut industria, aut voto proveniunt: hoc est, aut in nobis sunt, aut in fortuna posita.

13. **I**ta me DI bene ament, ut mihi liceat.] Necessario jurat: quia quod dicturus est, solis amatoribus videtur esse credendum. Ita me DI bene ament, ut mihi liceat tam diu, quod amo, frui.] Opportunus locus, in quo ostendatur, quam magno amore sit possessus Phædria, cui par impenditur argumentum. Tam diu,

quod amo frui.] Quamdiu uxore fruitur Antipho. An tam diu, δεικνυμένως? Tam diu.] Tantisper, hoc est, vel tantillo tempore. Quod amo, frui.] Deest Eo: ut sit, eo, quod amo, frui.

14. **I**am depecisci morte cupio.] Pactionem transigere. Tu conjicito caetera.] Aut Caetera abundat: aut deest Per: ut sit, Per caetera.

15. **Q**uid ego ex hac inopia nunc capiam.] Infortunium scilicet. Et quid tu ex ista copia.] Fructum ac felicitatem.

16. **V**t ne addam.] Παράκλησις figura, in qua velut ex abundantia enumerantur adjecta. Vt ne addam.] Σχηματισμός. Quod Græci, ἴνα ἴνα. Ingenuam, liberalem nactus es.] Hoc naturalium, illud morum est. Sine sumptu, ingenuam, liberalem nactus es.] Contra ea quæ patitur, ista posuit omnia, hujus in amore copiam: suam inopiam, hujus desiderium nullo constituisse sumptu: sibi à lenone fuisse emendam puellam, hujus ingenuam: suam servam, hujus liberalem: suam citharistram, hunc nactum esse: se sectari tantum, hujus uxorem: amicam suam, hujus amorem maritalium esse: suum velut prodigi, velut scortatoris.

17. **Q**uod habes, ita ut voluisti.] Voluisti subdistingnuendum est, & sic legendum uxorem. Erit enim ἐμπαθηκόταρον. Vt voluisti, uxorem.] Bona præparatio uxoris futura.

18. **N**i unum hoc desit, animus qui modeste istac ferat.] Modeste, moderate. Sallustius libro secundo, Modestus ad omnia alia, nisi dominationem. Modeste.] Cum modo.

19. **E**t si tibi res sit cum eo lenone.] Et modo non connexiva, sed inceptiva conjunctio est. Sallustius libro secundo, Et Pæni ferunt adversus a n e m * Sentias.] Sic alibi, Sit rogas? sensi.

20. **I**ta plerique ingenio sumus omnes. Nostri nosmet poenitet.] Παράκλησις tertium in Andria, Quod plerique omnes faciunt adolescentuli. & est ἀπεισιμότης: ut, Accede ad ignem hunc, jam caleces plus satis. Nostri nosmet poenitet.] Poeniter eum, qui parum putat, ergo ipsi nos, inquit, nostra contempnimus. Sic & in

Heautontimorumenos, At enim hic dices. Me quantum hic operis fiat poenitet.

22. Cui de integro est potestas. Post, deinceps. An de integro, id est, integris rebus? Quid velis; retinere, amare, amittere. An conjuncte legendum est, Quid velis retinere? ut duo sint, Amare, Amittere: quia & infra duo reddit, Vt neque mihi sit ejus amittendi, neque retinendi copia, Amittendi, propter amorem, retinendi, propter patrem.

26. Hei timeo miser. Quam recte jam timet: quia in metu semper est praesaga mali mens. Et Hei interjectio ingemulgentis est, ut, — Hei mihi quantum Praesidium Ausonia, & quantum tu perdis Iule.

IN SCENAM QUARTAM

ACTVS PRIM I.

Nvllus es, Geta. In hac scena servi concurrentis officium est, tendens ad perturbationem Antiphonis, quem oportet abesse a conspectu patris usque ad cognitionem rerum, & καταστροφῆς fabula.

1. Consilium celere. Hoc celere neutraliter dicitur.

2. Subitotanta te impendent mala. Acusativo casu Impendent, aut ἀναστροφῆς, pro, In te pendent mala. Quum supra Nullus es, Geta, dixerit: hic transitum fecit ad primam personam.

3. Qui neque vii devitem, scio. Ruina aut vitanda est, aut extrahenda sunt ex ea, corpora quae oppresserit. Devitem. Ante quam irruant, Inde extraham. Quum irruerint.

4. Nam non potest caelari nostra diutius jam audacia. Bene Nostra: quia ipse partem maximam culpae sustinet, ut magister. Caelari. Nigidius, caelari. quærit utrum plenum sit, an pressum.

6. Quidnam ille commotus venit? Modo Commotus, perturbatus atque conterritus. Quidnam ille commotus. Hic ostendit Poeta, idcirco confusum Getam induci, ut de ejus metu Antipho terreatur.

7. Tum, temporis punctum mihi. Punctum, pro momentum, ut Lucilius in decimoquarto, Puncto uno, hora* & qui quoque invaluat. Punctum. Angustissimum spatium, Ad hanc rem. Ad deliberandum quod ago. Herus adest. Vultu tristi ac superciliis arduis hoc dicendum est, Quid istud mali est? Mire oportet, Herus adest, Quid istud mali est, posuit, ex persona Antiphonis: cui pro calamitate est patris adventus.

8. Quod quum audierit. Scilicet quod uxorem duxit Antipho. Quod quum audierit. Bene non addidit quid: secum enim loquitur. Quod ejus remedium inveniam iracundia? Plus est, quam si diceret, Nullum. Quod ejus remedium inveniam iracundia? Proprie, Remedium, quasi iracundia morbus sit.

9. Loquarne? incendam. Quia iracundia ignis est. Taceam? instigem. Instigari proprie fera dicitur. Loquarne? incendam, taceam? instigem. Σχῆμα ὑπερβολῆς. Duo sunt quae fieri in placando solent: aut loqui, aut tacere. Sed quid vult sibi, Purgem me? quum idem sit Loquar? an quia potest purgatio & per defensorem, patronumve induci? sic quidam putant. Sed melius est hoc, ut perturbata & servilis imperitæque personae verba sine arte esse, & vim significati non habere. Purgem me? laterem lavem. Παραομιλία, ἀλλήλων πλῆσις.

10. Quum mihi paveo. Quum, praeveo, quam quod significat modo. Tum Antipho me excruciat animi. Τῷ ἰδιωτικῷ, pro eo quod est, propter Antiphonem me excrucio. Me excruciat animi. Sic in Hecyra, Fecit, animi ut incertus foret, Genitivo enim casu veteres figurabant hanc locutionem.

11. Ejus me miseret: ei nunc timeo. Miseret, praeteritorum, Timeo de futuris. Ejus me miseret: ei nunc timeo: is nunc me retinet. Figura πολλῶπιων, Ejus, ei, is. Is nunc retinet. Si Retinet, quomodo Excruciat? Nam absque eo esset. Si ad eum res non pertineret: id est, si meum tantummodo peccatum esset hoc ipsum.

12. Recte ego mihi vidissem, & senis esse ultus iracundiam. Facete servus occasionem melioris conditionis esse existimat fugae causam, tanquam sibi per eam

eam & libertatis genus praestare posset, & praedam. Recte ego mihi vidissem. Ut dicimus, Vide tibi, & videte vobis. Et recte, Vidissem, ἀπὸ τῆς Προvidissem. Et senis esse ultus iracundiam. Senis maluit, quam Domini, dicere, ut in ipso nomine & hortamentum impune fugiendi appareat. & simul quia non Iram, sed Iracundiam dicturus erat, nam Ira de causa, Iracundia de moribus, Et senis ultus esse ultus iracundiam. Non dixit Evassissem, sed Ultus esse. faciunt enim servi fugiendo, ut dominos poeniteat iratos fuisse. Vltus esse. Si Virgilius, Vltu virum, poenas inimico à fratre recepi.

13. Aliquid convassissem. Figuratum est à colligendis vasis. Hinc me conjicerem. Recte ego mihi vidissem, Protinus in pedes. Protinam fuit: & sic Nigidius legit.

14. Quam hic fugam. Conjicerem in pedes, Aut furum parat? Aliquid convassissem. Quam hic fugam, aut furum parat? Secunda ἀπὸ εὐδοκίας, prius enim furtum, quam fuga occurrere debuit.

15. Sed ubi Antiphonem reperiam? Sed, pro ergo: ut sit, Ergo ubi Antiphonem reperiam. An sed, finis superioris sententiae est? ut Sallustius, Sed Metellus in ulteriore provincia, Reperiam. Si alicubi cessat, Aut qua quaerere institam via? Si alicubi ambulet, omnis enim qui quaeritur, aut cessat, aut ambulat.

16. Te nominat. Ad hoc diu auditur Geta, & ipse non videt adolescentes: ut plus illis terroris incutiat, dum secum loquitur. Nescio quod magnum hoc nuntio expecto malum. Diserte locutus est, Nescio quod magnum hoc nuntio expecto malum: pro eo quod est, Nescio quod magnum malum hunc mihi nuntiarum arbitror.

17. Domum ire pergam. Hoc nos ἐλαμπνῶς dicimus, Domum pergam. Ibi plurimum est. Ostendit ab initio se domum pergere, & sic videtur deliberasse, Ibi plurimum est. Scilicet propter amorem uxoris suae. Plurimum τὸ πλεῖστον. Revocemus hominem. Comice & moraliter addidit Hominem.

18. Sta illico. Ille, Revocemus ho-

minem, dixit: hic, non progredi iussit. 19. Satis pro imperio quisquis es. Hic ostendit, culpae conscientia nullam auctoritatem reliquam in magistro Geta. Satis pro imperio. Id est, imperiose.

20. Cedo, quid portas, obsecro, atque id se potes, verbo expedi. Mire expressit affectum de timore properantis, Cedo quid portas, obsecro? Ut; Si vera seram, si magna rependam. Nam Ferre & Portare; de negotiis majoribus dicitur. Verbo expedi. Deest uno.

21. Eloquere. Aliter ostendit, quid est, Verbo expedi, dicendo Eloquere. Modo apud portum. Patrem vidi, dicitur Geta, praeventus est ab eo, quem timor intelligentem fecerat, Hem. Propria, & sua cuique personae exhibuit: celeritatem ex praesagio metuenti Antiphoni: & tarditatem intellectus quieti pectoris securo Phaedria.

22. Quid agam? Jam sicut Antipho, & adhuc non intelligit Phaedria. Hujus patrem vidisse me, paruum tuum. Mire Poeta Antiphoni minus quam oportet, & Phaedria plus quam oportet, fecit loqui nuntium. Ille enim pene divinat ex metu: hunc tardum securitas facit. Hujus patrem vidisse me, paruum tuum. Reddit utrique proprium: ut & ille qui timebat, paucis intelligeret: & ille qui securus erat, pluribus edoceretur.

23. Nam quod ego huic nunc subito. Nam aut subjunctiva conjunctio est superiori dicto, quod ait, Quid agam? aut ἀναστροφῆς est, Nam quod, pro Quodnam. Huic subito exitio remedium. Subito, & adverbium, & nomen est. Quum subito assurgens fluctu nimbus Orion, inveniam miser. Quum ego supra dixerit, ἐμφοπνῶς addidit, Miser.

24. Quod si eo mea fortuna redeunt. Tragicæ amator hoc negotium fortunas omnes dixit esse. Fortuna redeunt. Bene Redeunt: quasi in pejus, & à processu retro, & in deterius. Phanium, abs te ut distrahatur. Amatoria ἀποστροφῆς per ἀποστροφῆς. Abs te ut distrahatur. Non dixit, A me detraheris. Et vide verbum vim coherentis ostendere.

25. Nulla est mihi vita expetenda. Nulla pro non. Aut nullius conditionis, quasi dicat, Ne Deorum quidem vita mihi

dulcis est sine te. *Nulla est mihi vita expectanda.*] Sine Phanio.

26. *Tanto magis te advigilare.*] Advim auctivam nunc habet: ut, *Adlaudabile, Admirabile. Fortis fortuna adiuvat.*] Πρωτομια. Et *Fortis* accusativus pluralis est.

27. *Non sum apud me.*] Id agitur, ut supra diximus, quemadmodum Antipho præfens non sit: quem neque convenit contra patrem aliquid dicere, neque rursus præsentem opprimi à patre ex argumento est. *Atqui opus est nunc quum maxime, ut sis, Antipho.*] Apud te subauditur.

28. *Nam si senserit te timidum pater esse, arbitrabitur commersisse culpam.*] Sic *Salustius* in *Historia*, *Ita fiducia, quam argumentis purgatores, dimittuntur. Nam si te senserit timidum.*] *Timidum*, pro timentem. Ut, *Addit se sociam, timidisque supervenit Ægle, Virgilius. Commersisse culpam.*] Pro *Commisisse*.

29. *Hoc verum est.*] Congruè fit, ut & *Geta* & *Phadria* audaciores sint, qui & absque amore sunt: & hos oportet obijci pro Antiphone irato seni. *Non possum immutari.*] Vim negantis hoc habet, quod ait *Immutari*: ostendit enim naturæ suæ timiditatem nullis adhortationibus ejici posse.

30. *Quid faceres si aliud gravius tibi nunc faciendum foret.*] Bene *Gravius*: quia hoc grave, ut videas, ipsam adhortationem vim habere concedentis, grave esse quod geritur.

31. *Quum hoc non possum, illud minus possem.*] Hoc intulit *προς αεροδοξιας*. Nam videbatur hac interrogatione adduci posse ad sententiam percontantis, & hæc ars est dialectica contra *επιρωγλω*, quum male respondendo, callide interrogantis interrumpimus argumentum. *Hoc nihil est Phadria: ilicet.*] *Utrum hoc relativum? an hoc cum contemptu, pro, Hic Antipho nihil est? Sic Cæro in Verrinis, Et si hoc nescio, quid nugatore sciebam? pro Hunc. Illicet.*] Semper *ilicet* finem rei significat, ut *Adum est. Illicet.*] Per *ουκωλυ*. Sic iudices de consilio dimittebantur, suprema dicta quum præco pronuntiaisset, *ilicet*: quod significat *Ire licet*.

32. *Quin abeo.*] Hic terrore commovet Antiphonem. & *Quin* dicit, pro *Cur non. Et quidem ego.*] Ordo, Et ego quidem. & deest *Ab eo*.

33. *Quid si assumulo?*] Audacem scilicet. *Observo, quid si assumulo? satin' est?*] Adeo morale vitium est ex conscientia pavor, ut ipse quoque Antipho nitatur contra, neque quicquam promoveat. *Satin' est?*] Hic locus actoris magis, quam lectoris est. ostenditur enim conari ad simulandam audaciam, quo magis ridicula est, formidolosa persona.

34. *Propemodum.*] Et hoc non plene contentionis est, quod ait *Propemodum, Sat est.*] Non dixit, *Bene est*, sed *Sat est*, & vide vix ad hoc ipsum esse perventum.

35. *Hem istuc serva.*] Dicendo *Serva*, ostendit jam incipere deperire, quod finxit atque assimilavit audaciæ. *Hem istuc serva: & verbum verbo, par pari ut respondeas.*] Animadverte, & quid doceat, & commachinetur artifex Poëta, qui debitum reddat rebus atque personis. *Verbum verbo, par pari.*] Duo dixit: non tantum *Verbum verbo*, sed *Par pari*.

36. *Ne te iratus suis savidicis dictis protelet.*] Causalem vim habet quod ait hoc, *Iratus*: hoc est, qui ob præsentem iram vehementius tecum agat. *Protelet* & *Protelum* à *προ* & *ελεω* dictum est, quod est *ante* & *trahere*. Alii ab assiduo telorum jactu existimant dici. ut *Lucretius*, *Vndique protelo plagarum continuo*, hoc est, tenore. *Protelet.*] Proturhat, præveniat, exagitet. *Scio.*] Apparet hoc verbum eo vultu dici, ut manifestum sit, absenti animo esse eum, qui loquitur.

37. *Vi coactum te esse invitum.*] Mira brevitatis, in qua tota defensio continetur, & subauditur, *Fac respondeas*, aut quid tale. *Invitum.*] Bene idem repetit ad confirmandam memoriam trepidantis, non enim diversa sunt, sed repetuntur, ut teneri possit id, quod causæ opus est. Nam *Vi coactum esse*, idem significat quod *Invitum*. An ideo *Vi coactum invitum*, jungendum est, quia interdum etiam ipsi nos cogimur propria voluntate: ut ipse in *Andria*, *Tu coactum tua*

voluntate es. Tenes?] Exquisite addidit *Tenes*: ut appareat, Antiphonem vultu ostendere, quod horum nihil perturbatus advertat.

38. *Sed quis hic est Senex.*] *Sed*, ut diximus, transitum significat ad aliam rem, ab ea quæ agebatur. *Quem video in ultima platea.*] Sic dixit *Ultima platea*, quemadmodum *Virgilius*,

— *imas*

Obsedere fores. —

Ipsus est.] Et quia timidior est: & quia postea de proximo ipse agnoscit magis.

39. *Non possum adesse.*] Apparet, ex conspectu patris magis confundi, quam ex nuntio adventus ejus, filium. *Quo avis.*] *Abis, Antipho?* Sic *Virgilius*:

Quo fugis, Ænea? —

Et,

Quo fugitis, socii? —

Sic enim loquitur, qui vult ostendere conditionem locorum, in qua perverfo modo alius petatur, alius linquatur. *Hæc, quid agis?*] Et turbati intercessoris est dicere, *Quid agis?* ut in *Andria*, *Mea Glycerium, inquit, quid agis? cur te is perditum.*

40. *Mane, mane, inquam.*] Omnia hæc habent singularem vim in se revocantis. *Egomet me novi, & peccatum meum.*] Duo dixit: & *Hominem pavidum, & peccatum grave.*

41. *Vobis commendo Phanium, & vitam meam.*] Comice, duobus duo retulit: Me & peccatum meum, Phanium & vitam meam. Et animadverte, quod amator prius ponit Phanium, quam vitam suam.

42. *Geta, quid nunc fiet?*] Apparet, hæc sic pronuntianda, quasi adhuc tute dicantur, *Tu jam lites audies: ego plectar pendens.*] Non intulit quod quærebatur: sed verba sunt hominis omnia desperantis. *Tu jam lites audies: ego plectar pendens.*] Tu audies, ego verberabor, ut alibi, *Tibi erunt parata verba, huic demum verbera.* Quod ipsum mire: non, *Facies lites*, sed *Audies. Ego plectar pendens.*] *Plectar*, feriatur: unde & *plectrum*, & *plaga* dictæ.

44. *Sed quod modo hic nos.*] Deest *Tamen*: ut sit, *Sed tamen.*

45. *Id nosinet ipsos facere oportet.*

Quia *Nos* supra dixit in significatione actus proprii, *Ipsos* addit.

46. *Aufer mihi: oportet.*] *Τὸ ἀπηναι* addidit mihi, sine hoc enim plena sententia est. *Quintu quod faciam, impera.*] Mire ad omnia paratum se indicat, qui *Impera* dicat servo.

47. *Meministin' olim ut fuerit vestra oratio.*] Mire & consilio & oratione compendiosus est: quo magis *Phædriam* propriis consiliis ac domesticis permoveret. *Vt fuerit vestra oratio.*] Ut magis excitaret, non *nostra* dixit, sed *vestra*.

48. *In re incipiunda.*] *Incipiunda* proprie, quasi de re magna, dixit. Sic alibi, *Vide quod inceptet facinus. Ad defendendam noxiam.*] *Noxiam* nunc culpam: alias pœnam. Et est *ἐπιπαισις*, ab eo quod est *Noxam*: & hoc factum est propter iambum.

49. *Iustam illam causam, facilem, vincibilem, optumam.*] Considera singula, & invenies & naturali ordine, & per *ἀξιων* dicta, *Causam* pro defensione posuit: & *Vincibilem*, quæ facile vincat.

50. *Nunc ipsa est opus ea.*] Causa scilicet.

51. *Meliore & callidior.*] Bene *Meliore & callidior*: quia tunc prolusio fuit, nunc ipsum prælium. *Fier sedulo.*] Παιρέλλον *Sedulo*, nam suffecerat, *Fier*.

52. *Nunc prior adito tu.*] *Adito*, quasi ad prælium, *Virgilius*.

— *Nec quisquam ex agmine tanto Audet adire virum.* —

Ego in insidiis hic ero.] Tota *μεταφορε* de re militari est.

53. *Succenturiatus.*] *Succenturiati* dicuntur, qui explendæ centuriæ gratia subjiciunt se ad supplementum ordinum. Et est translatio à re militari. *Age.*] Potuit dicere *Vero*, aut *Ita*, sed *Age* dixit, quod verbum vim hortantis maximam præbet.

IN SCENAM PRIMAM

ACTVS SECVNDI.

[Tane tandem uxorem duxit Antipho injussu meo?] In hac scena accusatio est & contradictio, per remotivam qualitatem, ergo controversa. Itane tandem

uxorem duxit Antipho?] Hic exemplum vita est: in quo spectatur, nullam esse tam justam, & gravem iracundiam patris, quam non & fiducia defensoris & intervallo temporis evanescat.

1. Itane tandem uxorem duxit Antipho in iussu meo?] Non potuit vehementius incipere, quam ut ipse crimen, quod objicit, miraretur. Itane tandem uxorem duxit.] Tandem, hic expletiva conjunctio: ut Cicero, Quousque tandem abutere, Catilina, patientia nostra? Itane tandem.] Hic totus versus in hoc est, an factum sit: quid factum sit: à quo factum sit: in cuius injuriam factum sit.

2. Nec meum imperium.] Rara ἀποσιώπησις: nam non sequitur sed. intulit enim Age. subauditur autem Reverei. Sic Lucretius, Nonne videre* Age, mitto imperium: non similitudinem meam.] Ζημία Σφροίας. ΜΗ Ο Ο Α Ο τωσι* Ut Virgilius,

Cujus ob auspicium infaustum, more sive sinistros. Age, mitto.] Legitur & taceo. Similitudo.] Jurgium, contentionem.

3. Non pudere?] Hoc absolutum est, & nulli adnexum. Non pudere?] Hic Nigidius adnotavit, neminem videri pudere ante delictum.

4. Vix tandem.] Convenit hoc dictum ei, qui jam pridem se male audire putat: & ideo sero videtur ad hunc senex pervenisse, quum ille metuens, se primum ad accusatorem crederet. An vix tandem, ad hoc pertinet, quia ille monitor dixit: quasi dicat, Vix tandem factum est, ut me senex laudare cepisset: quia Monitor, quamvis in contrarium dixerit, tamen est nomen laudis. Vix tandem.] Εἰς ὁρμήα, quasi dicat, Pene mei oblitus est. An, quia tarde ad ipsum pervenit senex, quem ille ob conscientiam à se cepturum esse crederat? Quid mihi dicent? aut quam causam reperient?] Quid dicent, si negare voluerint? quam causam reperient, si purgare. Omne enim crimen à defensore aut negatur, aut purgatur.

5. Demiror.] Pro nescio, nam admirationem ignorantia facit. Atqui reperi jam aliud cura.] Eo animo hoc dicit, quo

supra dixit vix tandem. Et quum ille pluraliter Reperient dixerit, hic singulariter Reperi respondit: quasi in se solo sit crimen.

6. Irvitus feci: lex coëgit.] Bene Poëta jam scire facit senem, quid isti dicturi sint, ut videatur frangi posse, qui jam partem defensoris admittit.

8. Illud durum.] Illud durum dicit, qui supra dixit: Atqui reperi jam. Causam tradere adversariis.] Hoc cum majore exclamatione dicitur, non enim dixit, concedere adversariis, sed quod prius esset, causam tradere. Ego expediam: sive.] Vide præparationem future defensionis: quam nisi hoc modo Terentius intulisset, incredibile videretur subito sedatum senem.

9. Incertum est quid agam.] Nonnihil jam fracta indignatio est. Nam in his verbis, non jam ira, sed admodum incertor est. Quia præter spem; atque incredibile hoc.] Virgilius,

Hunc ego si potui tantum sperare dolorem: Et perferre, soror, potero.

Atque incredibile hoc mihi obtigit.] Gravius est Incredible, quam Præter spem: & ideo posterius & in actu est. Obtigit.] Pro Accidit: cujus reciprocum est, si quis bonum accidisse dicat, non obtigisse.

10. Ita sum irritatus.] Irritatus, provocatus, in iram impulsus: hoc est commotus & perturbatus. Animum ut nequeam ad cogitandum instituire.] Bene instituire dixit: quo verbo quies ostenditur cogitativa mentis, quæ nunc non adest.

11. Quum secunda res sunt maxime, tum maxime.] Ut, Nudus ara, sere nudus: hyems ignava colono. Et bona sententia; tum maxime sapienti metuentium, quo tempore maxime securus est stultus.

12. Meditari secum oportet.] Bene ad dictum Secum: infani enim videbitur, hoc palam agere. Adversam arumnam forant.] Abundat Adversum.

13. Pericla, damna, exilia peregre rediens.] Superiora ἀνώτερα sunt, inferiora intermissis conjunctionibus. Salustius, Nam quidem à Pyrrho, Flammiabile, & aquore & terra. Peregre rediens semper cogitet.] Mire à genere ad speciem

non semel transit. Nam quum dicit, Peregre rediens, jam de se loquitur, sed latenter. Semper cogitet.] A singulari ad pluralem transit, supra dixit Omnes: at nunc Cogitet. Et est ordo, Semper peregre rediens, quicumque peregre redit.

14. Aut filii peccatum, aut uxoris mortem, aut morbum filia.] Quamvis iratus filio, non potuit tamen dicere, Filii mortem. Convenit autem seni, uxoris mortem non putare magnum incommodum, Aut filii peccatum, aut uxoris mortem, aut morbum filia.] Varie, post enumerationem conclusam, hæc etiam intulit, Virgilius,

Sed neque Medorum sylva, ditissima terra,

Nec pulcher Ganges, atque auro turbidus Hermus

Laudibus Italia certent: non Bactra, nec Indi,

Totaque thuriferis Panchaia pinguis arenis.

15. Communia esse hæc: fieri posse.] Ordo est, Semper cogitet, communia esse, & fieri posse, peccatum filii, uxoris mortem, filia morbum. Communia esse.] Commune est quod accidere omnibus potest.

16. Quiddam præter spem eveniat, omne id deputare esse in lucro.] Vide jam senem fractum, non culpam filii magnam ducere: sed ideo indignari, quod non crediderit peccaturum, in quo ipse se reprehendit, & quod à peccatoribus dici solebat, hoc dicit, Communia esse, & fieri posse.

17. Herum anteo sapientia.] Legitur & Anteo: sed pro conjunctivo pronuntiandum, Anteo pro Anteeam.

18. Meditata mihi sunt omnia mea incommoda.] Nimis conice, non clades, aut arumnas posuit servus, sed incommoda: molere in pistrino, vapulare, habere compedes, & cætera: quum hoc nomen leve quiddam significet: ut ipse in Euncho, Imo enim infeliciter: nam incommoda alia sunt dicenda, Parmeno. Herus si redierit.] Si aut pro cum, aut serviliter, ut dubitet ex voto suo utrum dominus redeat, an non: quod cupit.

19. Molendum usque in pistrino.] Facete enumerat servus universa supplicia

suæ conditionis, excepta cruce & furca: quarum poenam verbis extenuare non potuit, Habenda compedes.] Vitiosam locutionem servili personæ dedit Terentius, nam integra esset, si diceret, Habendas compedes, unde quidam non esse, sed usque legunt.

20. Opus ruri faciundum.] Varie, molendum, vapulandum, compedes habende, opus ruri faciundum, & supra, verba gerundia sunt: infra, participia. Horum nihil quidquam accidet animo novum.] Recte addidit Animo, omne enim quid quid acciderit, novum erit, sed non animo. Horum nihil quidquam.] Παράλογον quartum. Horum nihil quidquam accidet animo novum.] Tale est illud sapientis Aneæ:

— non ulla laborum,
O virgo, nova mi facies inopinave surgit.

Et,
Arma parate animis, & spe presumite bellum.

Et,
Nunc ego si potui tantum sperare dolorem,

Et perferre, soror, potero.

21. Quiddam præter spem eveniet, omne id deputabo esse in lucro.] Totidem verbis est usus, quot senex, ad irrisionem ejus. Sic & in Adelphis, Postremo tanquam in speculum in patinas, Demea, inspicere jubeo. Omne id deputabo esse in lucro.] Hoc idem senex oportere fieri dixit, quod hic facit: ergo sapientior Geta.

22. Sed quid cessus hominem adire.] Bene Adire, quasi terribilem, & pugnatum: ut Virgilius, Audet aare virum, & Hominem comice addidit. Et blande in principio alloqui?] Recte monuit, non perpetuo blande, sed in principio agendum: secundum præceptum Socratis, qui ait, μὴδὲ πρὸς τὰς ἴδ' ἠλλοτρῶν ὀργὰς παραχρῆς ἀπαυτῶν, ἀλλὰ δουλομεθόως καὶ ἀνωτῶς εἰκῶν, πᾶσι μὲν τοῖς ἴδ' ὁρῆς ὄπισθ' ἴσθων.

23. Phadriam mihi fratris.] Hæc verba ostendunt quam mihi pectore suscipiatur Phadria, Mi patris salve.] Mi, vim blandimenti habet: nam significat, meus.

24. Salve, sed ubi est Antipho?] Bene

expressit promptum animum ad litigandum, partim addita salute, & potius ad iurgium prævertendo.

25. *Salvum advenire.*] Ἐλπίεις, vel ἔπισηπσις secunda: gaudeo enim subauditur, quod nisi acceperis, non intelliges cur hic responderit, *Credo, Salvum advenire.* Iracundiam frangere conatur obsequio & mora. *Salvum advenire.* Altera salutatio & ad leniendum, & ad criminis dissimulationem: sed & tertio addit, *Satin' omnia ex sententia? Credo: hoc responde mihi.* Hoc, incerta distinctione pronuntiat.

26. *Valer.*] Hic oratorie dissimulat, atque ita respondet, quasi senex non iratus quærat, sed de salute sollicitus sit Antiphonis, *Sed satin' omnia ex sententia?* Quod vulgo, *Omnia recte?* Et deest *Quæris*, aut quid tale.

27. *Vellem quidem.*] Semper hoc verbum dolentis est, ac negantis evenire, quod voti sit. *Quid istuc?* Magnam vim habet contra iram huiusmodi interrogatio.

28. *Bonas me absente.*] Mire consuetudinem expressit, dicendo *Bonas me absente.* Summa criminis, *Bonas me absente hic consecistis nuptias!* Crimen in duobus esse demonstrat: quod non *bonas*, & quod *absente patre.*

29. *Eho, an id succentes nunc illi?*] Huc tendebat interrogatio, ut tam in regis rebus admiraretur irasci senem. *O artificem probum!* Εἰργονία, nam non est artifex, cujus deprehenditur jocus.

30. *Gestio.*] Plus *Gestio*, quam *Volo*.

31. *Dari mihi in conspectum.*] Non dixit *Venire*, ut filium: sed *Dari*, ut reum.

32. *Lenem patrem illum.*] O artificium Poëtæ: in media patris sævitia mentionem lenitatis induxit: ut ostendat quam facile placari possit. *Lenem patrem illum, factum me esse acerrimum.* Nota αὐτίστων, non enim leni asperitum, sed acerrimum reddidit, & mutavit gradum, positivo superlativum opponens. *Lenem patrem illum, factum.* Sic *Virgil.*

Quantum miratus ab illo
Hæbore? —

33. *Atqui nihil fecit, patrue.*] Sum-

ma contradictionis, & non dixit, *Leniter peccavit*: sed, *Nihil fecit*. Neque, quod punias, sed, quod succentes: id quod levissimum est.

34. *Ecce autem similia omnia.*] *Ecce autem*, vox est apta his, quæ nova & improvisa animo accidunt. Sic *Virgilius*,

Ecce autem gemini à Tenedo tranquilla per alta.

Similia omnia: omnes congruunt.] More stomachantis, *Omnia & Omnes*, de his dicit quæ ad duos pertinent.

35. *Vnum cognovis, omnes novis.*] Iterum non *Duos*, sed *Omnes*, & varie; *Cognovis, Novis, Vnum cognovis, omnes novis.*] Sic *Virgilius*,

Accipe nunc Danaum insidias, & crimine ab uno

Disce omnes. —

36. *Hic in noxia est: ille ad defendendam causam adest.*] Hoc Demipho non sine quadam delectatione dixit: quam tamen premit ob iram præsentem.

37. *Quum ille est, hic præsto est.*] Huic loco reddidit *Cicero* illum locum in *Verinis*: *Qui cives Romani erant, si Siculi essent, tum Siculos eorum legibus dari oporteret: qui Siculi, si cives Romani essent, Nam subauditur ad Qui cives Romani erant, iudices dabantur, ad Si Siculi essent, subauditur rei. Quum ille est*] Ἐπίστω, secundum, nam & hic subaudiendum est, *in noxia. Hic præsto est.*] Ad defendendam causam, subauditur.

38. *Probe eorum facta imprudens.*] Ideo *Imprudens*: quia nescit in amore citharistræ esse *Phædriam. Imprudens.*] Modò insciens.

39. *Nam ni hac ita essent, cum illo haud staves, Phædria.*] Vide quemadmodum jam præstruat Poëta ad ea quæ futura sunt, ad adjuvandum amorem *Phædriæ, Cum illo haud staves, Phædria.*] Cum Antiphone scilicet. Et *cum illo, ut nō pro illo.* In ejus parte stamus, pro quo facimus, Sic *Virgilius*,

Iupiter hic stat.

40. *Si est patrue, culpam ut Antipho in se admisit.*] Principium per insinuationem subtilem. Et honesta locutio, *Si est ut admisit*: pro, si admisit. *Si est, patrue, culpam ut Antipho.*] Oratorium principium δὲ δ. Ἐπιφάνειας τῆς

ἐπιφάνειας. *In se admisit.*] Bono ornatu addidit: *In se*, quum & sine hoc plenum videri possit. Et hic est, quem *Cicero* succent orationis appellat.

41. *Ex qua re minus rei foret aut fama.*] Nota; hic comparativa qualitas est pauperis, neque *Itrenui*. Et docuit, in negotio nuptiarum duabus rebus consuli, rei & famæ, hoc est, facultatibus dotis, honestatique natalium. *Ex qua re minus rei foret.*] Hæc tractatio est criminis oratoria: in qua defensor accusat crimen, reumque purgat. *Ex qua re.*] Haud venuste insertum *Re*, cum præpositus *culpam. Minus rei foret.*] Quia pauperem, *Fama.*] Quia ignobilem. *Temperans.*] Consulens, providens, moderatus, ut,

Iam sibi tum curvis male temperat unda carinis.

42. *Non causam dico.*] Non recuso, non deprecor. *Quum quod meritis sit, ferat.*] Rhetoricum δὲ ἄνεμα in huiusmodi exceptionibus: quo uti solet, qui proposita causa fiduciam gerit. Si hoc aut illud, non oro veniam, non deprecor pœnam. *Quum quod meritis sit.*] Hunc defensorem magis, & non iudicem dicam, sed hic colligitur patrocinantis auctoritas: non enim dixit, *Quod voluerit*, sed *Quod meritis sit*, manente eo, si peccaverit tamen.

43. *Sed si quis forte malitia fretus sua.*] Forte quasi non defensurus, sed simul causam cogniturus advenerit, nec contendit verum esse quod dicit, ne sollicitum faciat ad credendum. Sic apud *Virgilium* *Sinon*, *Dum vela darent, si forte dedissent.*

44. *Insidias nostræ fecit adolescentia.*] Bene se adiungit ad crimen, ut elevet culpam. *Insidias nostræ fecit adolescentia.*] Mire *Insidias* dixit: ut diu comparata causa, per ignorantiam dolosque capti videantur. *Adolescentia.*] Opportuna ætatis commemoratio. Πεδὺ τῶν ὑπὸ νότῳ.

45. *Nostrane ea culpa est, an iudicium.*] Potentior facta sententia est τῆς ἐπιφάνειας. Et oratorie, *Nostrane culpa, an iudicium?* duplex μετὰ δέξις, altera in accusatorem, altera in iudices. Et bene suam

miscuit personam, ut reum sublevet & suo merito, & multitudinē reorum. *Nostrane ea culpa, an iudicium.*] Mire alluxit in fiduciam defensoris, nam quum supra de Antiphone dixerit, nunc intulit *Nostrane*.

46. *Qui sape propter invidiam adimunt divitiis.*] Notum alteri * qui invident.

47. *Aut propter misericordiam addunt pauperi.*] Posteriori causam honestiorem posuit, ne non Antiphonem defendere, sed accusare iudices videretur. *Aut propter misericordiam.*] Primum ἀντίστων. Et oratorie naturam iudicium τῆς διαίτησιν expedit.

48. *Ni nossem causam, crederem verum hunc loqui.*] Suavissime laudavit oratorem: qui omnia ad persuadendum idonea advocans, solum conscium non adduxit ad credendum. *Ni nossem causam, crederem verum hunc loqui.*] Oblique Poëta se laudavit.

49. *An quisquam iudex est, qui possit. &c.*] Apparet, iam persuasum leni esse, verum adversarium fuisse Phormionem, non subjectum atque appositum Lycophantam, unde ad aliud transit ut accuset segnitiam in respondendo; quæ levior culpa est. Ita, ut cedentibus mos est, paulatim leni singula extorquentur e manibus.

50. *Tua iusta.*] Diserte magis & absolute, *Tua iusta*: quam si aliter diceret, *Vbi tute verbum.*] Non dixit, *Parum dicas*: sed *verbum*.

51. *Ita ut ille fecit.*] Unde scit? an illa Poëtæ virtus est, quod omnia ante inducit cognovisse: ne in scena, hæc ut nova audiens, tragicismoribus insaniret? *Functus adolescentuli est officium.*] Oratorie, quod objectum est, non purgavit modo, sed etiam ad laudem convertit, quod Rhetores ἐπίστων dicunt. Et hoc de Apollodoro. *Functus adolescentuli est officium liberalis.*] Derivatio causa: & est venialis status. *Functus adolescentuli est officium liberalis.*] Ingeniose non negavit hoc crimen, occasionem laudis de confessione sumpturus. *Officium liberalis.*] Potenter officium nominat, quod ille crimen appellat. Et nota, *Functus officium*, ac-

cusativo casu, quod nos ablativo.

52. *Postquam ad iudices ventum est, non potuit cogitata proloqui.*] Hæc apud oratores μεταθεσις αἰτίας, hoc est, translatio causæ facti: quem vulgo *colorem* nominant.

53. *Non potuit cogitata proloqui.*] Ergo quod cogitavit, industriæ est: quod nihil dixit, pudoris.

54. *Ita eum tum timidum.*] *Timidum*, perturbatum. *Plautus*, *Nam ut ex mari timida es*. Et ipse in *Adelphis*: *Me miseram! quidnam est quod sic video timidum, & properantem Getam.*

55. *Laudo hunc: sed cesso adire.*] Satis defensionis est, ubi Geta jam adire non timeat dominum.

56. *Here, salve: salvum te advenisse gaudeo.*] Principium à benevolentia. Et vide vernilitatem aptissimam servo calido. credasne hunc esse, qui supra dixerit, *Hæc si redierit, molendum esse in pistrino, vapulandum, &c.*

57. *Ho! bone custos, salve.*] Ab initio idem motus servatus est seni. nam idem hoc est quod supra dixit, *O Geta, monitor*, quamquam per ὠχνησις plus significat quod dicit, *Bone custos*: quam quod supra, *Monitor, Columna vero familiae*.] *Columna*, culmen, an *columna*, columna? unde *Columnella* apud veteres, dicti servi majores domus, *Lucil. xxxi.*

Servus neque infidus domino, neque inutilis cuiquam.

Lucili columella, hic situs est Metrophanes.

Subero: Hinc in millesimum annum eorum columine civitas continebitur. *Horatius* contra pro columine columnam, *Injurioso ne pede prorsus stantem columnam*, *Ennius x. Regni versatum, summamve columnam, Columna vero familiae*.] Sultentatio vel decus, unde *columna* dictæ. Et moralis ὠχνησις ἢ εἰρωνεία.

58. *Cui commendavi filium hinc abiens meum.*] Duplex excusatio est de eo quod fecerit. Hæc conveniunt in eas personas, quas spectare non oportuit.

59. *Iamdudum te omnes nos accusare audio immerito.*] Vide quam in his verbis etiam vultus quidam servi contumacis appareat, & versute mali. Et hoc est

quod dixerat, *Ego in insidiis hic ero suscenturiatus.*

60. *Immerito, & me omnium horum immeritissimo.*] Tantum impudentiæ superest: ut non solum se, sed alios etiam defendat. Horum omnium immeritissimo, ὁ πλείους. horum: & sic nos hanc & hunc dicimus. *Immeritissimo.*] Ut parvo, falso, de adverbis est in *O* definitibus.

61. *Nam quid me in hac re facere voluisti.*] Bona exceptione locutus est, quasi in aliis omnia fecerit. *In hac re voluisti tibi?*] Quam contemnat iram domini, ut hoc ipso purgator videatur, ex hoc apparet, quod addidit tibi. Sic enim dicere solemus, *Quid tibi vis faciam?* quum alieno negotio frustra nos ostendimus laborare.

62. *Servum hominem causam orare leges non sinunt.*] Hoc enim quasi ignorantia dicit: sed stomachosè admonet, velus stultum, qui rem manifestam non cogitet. *Servum hominem causam orare leges non sinunt.*] *Vesulte Hominem*, *Sallustius* in *Jurgutha*: *Quum interim Hiempsal reperiretur occultans se in tugurio mulieris ancilla. Servum hominem causam orare leges non sinunt.*] Mire extenuavit conditionem suam, dicendo non *Me*, sed *Servum*. Et addendo *Hominem*, moraliter locutus est. Sic *Virgilius*,

Venerat antiquis Coriti de sinibus Acron Grajus homo.

Causam orare.] Non improprie, Sic *Virg.* *Orabant causas melius.*

63. *Neque testimonii dictio est.*] Vis scire, inquit, quam non liceat servo pro domino dicere? nec testis loco produci potest. *Neque testimonii dictio est.*] *Varie*: non enim dixit, *Neque testimonium dicere. Mitto omnia.*] Et jam hoc perdidit senex, quod videbatur validum ad accusationem. Ita gradatim illi singula subducuntur, & accusationis impetus evanescit.

64. *Addo istuc, imprudens timuit adolescens.*] Hæc omnia verba, causalem ad argumentandam vim habent. *Imprudens timuit adolescens. sino.*] Σῆμα, ἀσυνείατος. Et singula pronuntianda, ut plura videantur. *Mitto, sino*, vim habent contra voluntatem concedentis.

65. T. II

65. *Tu servus! verum si cognata est maxime.*] Sub obtentum hujus propositionis, in qua pars legis ostenditur, jam Poëta præparat locum fallaciæ Phormionis, de dote accipienda. *Verum si cognata est maxime.*] Τῷ ἰδιωτικῷ τὸ addidit *Maxime*: nam sive est cognata, sive non est, non recipit τὸ μάλλον ἢ τὸ ἥσσον. hoc est, non dicitur maxime cognata, & cognata minime: sed, aut est, aut non est. Alii sic ordinant, Non fuit necesse maxime habere. Alii, sed id quod lex jubet, maxime dotem daretis.

66. *Sed id quod lex jubet, dotem daretis.*] Id quod lex jubet: ordo, sic *Virgilius*,

Verum, id quod multo tute ipse fatebere majus.

67. *Quareverit alium virum.*] *Quareverit*, quam idoneum est ad significationem odiorum? *Virgilius*,

Quarar sibi fœdera Turnus.

68. *Qua ratione inopem potius ducebat domum.*] Magno sonitu intulit, quod minus momenti habet adversus eos qui accusantur, quam illa superiora. *Inopem potius ducebat domum.*] Non *Inopem potius*, sed *potius ducebat* subdistinguentium est.

69. *Non ratio, verum argentum derrat.*] Hoc ita ludibundus absolvit Geta, ut etiam quasi per jocum respondeat.

70. *Alicunde! nihil est dictu facilius.*] Hoc quasi subridens, & averso ab illo vultu pronuntiavit Geta, quod genus actionis securitatem ostendit hominis, manifesta dicentis. *Alicunde!*] *Demipho Alicunde* ad facilitatem retulit: hic sic intelligere se fingit, ut, quasi non habens ipse *Demipho* de proximo à quod dicere incipiat, dixerit *alicunde*. *Nihil est dictu facilius.*] Mire, ut solet, proverbio uno dissolvit totam senis intentionem. ut in *Heautont*. *Quid si hoc pater resciverit? Quid si redeo ad illos qui aiunt, Quid si nunc cœlum ruat?*

71. *Postremo, si nullo alio pacto, vel senore.*] Ostendit se senex hæc perdere: quum ab his ad alia transcendit exclusus.

72. *Dixi pulchre, siquidem quisquam crederet.*] Vide quam non labore ad respondendum Geta; siquidem illi per

εἰρωνείαν respondit. *Crederet.*] Pecuniam committeret.

73. *Non, non sic futurum est: non potest.*] Hic jam palmæ locus est debita Poëtæ, siquidem & omnia objecerit *Demipho*, & omnia solverit Geta: quibus actis, sola irrationabilis exclamatio, relinquatur seni. *Non, non sic futurum est: non potest.*] *Moralis* abnegatio frequenti repetitione firmata.

74. *Egone illam cum illo ut patiar nuptiam unum diem?*] Hic est de quo supra dictum est, *Illene indotatam virginem atque ignobilem daret illi? nunquam faceret.* *Egone illam cum illo ut patiar nuptiam.*] Hic jam præstruitur, quam facile triginta minas perditurus sit *Demipho*, dum illam vult excludere.

75. *Nihil suave meritum est.*] Ordo & sensus hic est, Nihil mihi mercedis suave est, ut ego illam cum illo nuptiam feram. *Suave meritum enim*, suavem mercedem significat. *Hominem commonstraverit.*] Bono ordine pervenit ad *Phormionem*: à quo magis confutabitur.

76. *Aut ubi habitet, demonstraverit.*] Mire ostendit, quam hic senex contemnat *Phormionem* modo, à quo mox superabitur.

77. *Istum patronum mulieris?*] Hic & contemptum adversarii, & sui fiduciam monstrat.

78. *Iam saxo hic aderit.*] *Virgil.* *Haud sibi cum Danais rem saxo. & pube Pelasga.*

Antipho ubi nunc est?] Mitius nunc quærit ubi sit *Antipho*, & utrum amatae adhareat, subtiliter quærit, quod servus intelligens, respondit, *Foris, Foris.*] *Foris* dixit, quum fugisse eum sciat.

79. *Abi, Phædria: eum require, atque abduce huc.*] Opportuna & apta simplicitas attribuitur *Demipho*ni, nihil tale de *Phædria* suspicanti.

80. *Eo recta via equidem illuc.*] Et amatorem ostendit *Phædriam*: & simul id agit, ne in conspectum patris veniat *Antipho*. *Nempe ad Pamphilam.*] Nisi hoc Geta dixisset, non intelligerent spectatores quid dixisset *Phædria*.

81. *At ego Deos penateis hinc salutatum domum devortar.*] Nulla mentio fit

I. I. II

uxoris apud Demiphonem, non enim convenit argumento ut habeat, neque quid in Cilicia gesserit, demonstratur ideo, quia jam dictum est, *Noster in Ciliciam ad hospitem antiquum*, causa enim quaerita est cur abesset, dum uxorem ducat Antipho: & causa ex argento, id est, avaritia, quo minus videatur pati nurum pauperem, qui ob spem lucri ab Attica in Ciliciam navigavit, *Hinc salutatum*.] Ab hoc loco, *Salutatam*.] Adoratam prima post reditum prece.

82. *Devortar*.] Bene *Devortar*, quasi de via. *Atque aliquot mihi amicos advocabo*.] Jam praeparat ridiculam advocatorem: quia plures adhibendo Jurisconsultos incertior reddetur.

83. *Amicos advocabo*.] *Amicos* & pro testibus, & pro advocatis veteres posuerunt. *Adfient*.] Proprie *Adfient*. *Adesse* enim dicuntur advocati.

84. *Vt ne imparatus*.] Pro non.

IN SCENAM SECUNDAM

ACTVS SECVNDI.

I Tane Patris ais conspectum veritum hinc abiisse?] In hac scena de parasitis vilioribus Terentius proponit imaginem vita, ut in Eunuchio de potioribus, & his qui nuper processerint, id est, de assentatoribus. Animadvertendum autem, hujusmodi genus hominum magis à Terentio lacerari. Itane patris ais conspectum veritum hinc abiisse?] *Adhuc narratur fabula de Terentio & Ambivio ebrio: qui acturus hanc fabulam, oscitans temulenter, atque aurem minimo inscalpens digitulo, hos Terentio pronuntiavit veritus, quibus auditis exclamaverit Poeta, se talem quum scriberet, cogitasse parasitum: & ex indignatione, quod eum satutum potumque deprehenderat, delinquitus statim sit.*

1. *Itane patris ais*.] Hæc & labia lingens, ut ebrius: & ructans, utpote satur, pronuntiavit actor bonus. *Admodum*.] *Admodum* annuendi vim habet duntaxat modo: & subauditur veritum.

2. *Phanium relictam solam?*] Subauditur, *ais? Iratum senem?*] Iterum *ais* subauditur.

3. *Oppido*.] Non *ait*, sed iratum intellige. *Ad te summa solum*, *Phormio, rerum redit*.] Ideo velut expergefactus ad has causas accedit Phormio, quia non diu sollicitum convenit esse paratitum: nec quidquam aliud, nisi de convivio, vel propter convivium cogitare, adeo, nisi à Geta cogatur, modo etiam negotiorum Antiphonis negligens est, atque securus.

4. *Tute hoc intristi, tibi omne est exendum*.] *Παροιμία* apta parasito, quæ de cibo est. Hoc autem inter rusticos de alliato moretario dici solet. Et bene *Intristi*: proprie enim *inertia*, dicitur hujusmodi cibis, *Accingere*.] Apparat, atque expedi.

5. *Eccere, quid si reddet?*] Totum hoc quasi alia agens loquitur parasitus: ut ex hoc appareat quid interfit inter audaciam sycophantæ improbi, & patrisfamilias perturbationem minime litigiosi, nam ille in bona causa advocatos quaerit, & ipse sollicitus in toto actu est: hic in puncto temporis, se ad callumniam praeparavit.

6. *Quid si reddet?*] Bene jam ad illud respicit fabula, quod futurum est, propter Phædriam. *Quid si reddet?*] Hoc est, quid si respondebit? An, quid si mulierem reddet? *Sic opinor*.] Non ad *Tu impulisti* hoc pertinet: sed ad id, quod secum tacitus volvit Phormio.

7. *Cedo senem*.] Hic alii exclusisse torporem somni inducunt parasitum, alii translutisse quod in ore mandebat: quasi hoc moræ fuerit ad vincendum senem. *Cedo senem*.] Non parvi moliminis certamen impendat, quum senex dixerit, *Hominem monstrari mihi istum volo*: parasitus dicat, *Cedo senem*.

8. *Quid ages?*] Non interrogantis, sed metuentis hoc dictum est. *Quid vis, nisi ut maneat Phanium*.] Tria promittit, in quibus omnis causa Antiphonis est constituta, *Atque ex crimine hoc*.] Sic dixit, *Ex crimine eripiam*, quasi ex incendio. Considera, trium rerum, quas promittit, gradus per *ἀνεσση* esse servatos. *Phanium*.] Uxorem scilicet Antiphonis.

9. *Antiphonem eripiam*.] Bene *Eripiam* dixit: quo vim significat doli, pro eo qui

jam teneatur oppressus. *Virgilius*,

— *Tunc hinc spoliis indute meorum Eripiare mihi.* —

In me omnem iram derivem senis?] *Derivatio* dicitur inflexio criminis ab eo ad quem pertinebat, ad eum ad quem non pertinet.

10. *O vir fortis atque amicus!*] Ordine laudavit, plus est enim *Amicus*, quam *Vir fortis*. Et apparet, adversum Getam exclamasse: quod majorem vim habet, quam si *Amice* dixisset. *O vir fortis, atque amicus!*] Nominativum pro Vocativo posuit. *Verum hoc saepe Phormio*.] Bene *sæpe* addidit, ut sententiam faceret de speciali dicto.

11. *Verbor ne istac fortitudo in nervum erumpat denique*.] *Quid est istac?* nimium audax scilicet. Et convenit hoc dictum Getæ; qui & supra dixerat, *Est parasitus quidam Phormio, homo confidens, Verum hoc saepe, Phormio, Verbor, ne istac fortitudo in nervum erumpat*.] Et consuetudine Romana dixit: quia saepe in nervum conjiciebantur, ex aliquo maleficio in carcerem missi. An numquid proverbium à sagittariis natum est: quod immoderate plerumque vires, adducendo arcu non telum incitent, sed nervum rumpant? An ex eo, quod saepe fortius ferientes, nervum sibi aliquem lantant? Ergo fortitudine nimia saepe vinci, saepe decipi contigit. *In nervum erumpat denique*.] *Denique*, modo *παρέλκον*, Terentiana consuetudine, qui hanc particulam in ultima ponit sententia.

12. *Iam pedum visa est via*.] *Pedum* propedibus, & *visa* ἀπὸ τῆς προvisa. Et totum *ματαφορικῶς*.

13. *Quot me censes homines jam devertasse usque ad necem?*] Parasitice totum translationibus loquitur. hujusmodi est enim vis unibraticorum hominum, scurrillis oratio.

14. *Hospites, tum civis*.] *Ἀνακόλαστον* secundum: deest enim supra, *cum*. Et bene posterius posuit id quod majus est.

15. *Cedo dum, en unquam injuriarum audisti mihi scriptam dicam?*] Plus est, hoc per interrogationem intulisse, quam si diceret, Nunquam mihi scripta est injuriarum dica. *Injuriarum audisti mihi*

scriptam dicam?] *Ἀνερολογία*. sic enim & Tullius, *Scribitur Heraclio dica, Dica*.] *Dice* causa est Grace, quæ sit Latine *dica*: ut *Acte Acta*, *Calliope Calliope*.

16. *Quid istuc?*] Interrogare dicitur & fingitur Geta, ut parasitica progrediatur oratio. *Quia non rete accipitri tenditur, neque milvio*.] Rursus per *ἀλλήγοειαν* loquitur parasitus: ut totum triale sit, à conviviis escisque translatum. *Quia non rete accipitri tenditur, neque milvio*.] Legitur & *Tennitur*, habet enim N litera cum D communionem.

17. *Qui malefaciunt nobis*.] Ore & unguibus scilicet *illis qui nihil faciunt, tenditur*.] Non sic accipe, *Nihil faciunt*, quasi dicat, nec bene nec male: sed quum legeris *Nihil faciunt*, subaudito, *nobis male*.

18. *Quia enim in illis fructus est*.] *Παρέλκον* tertium: quo aut *Quia* (& sic enim subjungatur) aut ipsum enim super vacuum est, *In illis fructus est*.] *Quia nihil faciunt nobis male*. *Quia enim in illis fructus est*.] *Fructus*, cibus: quia *frumen* dicitur tractus gulæ, quia cibus in alvum demittitur, *In illis opera luditur*.] *Qui malefaciunt nobis, Luditur*.] *Exeretur*. An illuditur, id est, frustratur.

19. *Aliis aliunde est periculum, unde aliquid abradi potest*.] Utrum hic sensus est, quasi dixerit, Aliud aliis periculum affertur, à quibus aliquid auferri potest? An alii aliunde periclitantur, quam creduntur? est enim illis causa periculi, non quæ videtur, sed quia ab his aliquid auferri potest, *Vnde aliquid abradi*.] *Abradi*, per vim auferri.

20. *Mihi sciunt nihil esse*.] Rei scilicet, *Ducent damnatum domum*.] *Secundum* jus scilicet, quo oberari, quum solvendo non essent, ipsi manu capiebantur, *Ducent damnatum domum*.] Miris usus est verbis ad extenuandam pœnam, & rem ad commodum transferendam: nam quod oberatis inimicum est, id parasitus maxime optat, duci ab aliquo domum. Addidit autem, *Damnatum*, quasi qui irrideat genus damnationis, in qua victor pascere compellitur, & pascitur victus.

21. *Alere nolunt hominem edacem*.]

Sensus est, Sciunt edacem, & ideo nolunt alere. Et hoc sic pronuntiandum ut facere totum videatur illatum, quando obaratus sit sub huiusmodi pœna: nec accusari ab aliquo se queritur, neque damnari. *Hominem edacem.*] Se significat. *Sapiunt.*] Sibi consulunt.

22. *Pro maleficio si beneficium summum nolunt reddere.*] Parasitice *Beneficium summum* dixit alere. *Pro maleficio.*] Pro injuria. *Reddere.*] Retribuere, reponere.

23. *Non potest satis pro merito ab illo tibi referri gratia.*] Multum promittit Geta parasito, quum dicat, nihil futurum, quod pro merito possit accipere. *Non potest satis pro merito ab illo.*] Huiusmodi sententias inferunt Poëta pœnenthesi, cum his quæ volunt inferre. *Ab illo tibi referri gratia.*] Non ab eo, qui te damnatum duxerit: sed Antiphonæ, de quo sermo est.

24. *Imo enim nemo satis pro merito gratiam regi refert.*] Bene parasitus, quidquid præstat, debere se dicit. Et est proprium personæ inferioris. *Virgilius,*

Tu mihi quodcumque hoc regni, tu sceptrum Lovemque

Contulisti, tu das epulis accumbere dolum.

Gratiam.] Vicem. *Nemo satis pro merito gratiam regi refert.*] *Rex* alias regnator, alias dominus, alias dives significat. Sed nunc rationem habet nominis ad aliquid dicti, ad significandum parasitum, ut enim parasitus regis est, & libertus patroni; sic è contrario rex parasiti est, & patronus liberti, quod si non esset, non nemo tantummodo, sed *nemo parasitus* diceret.

25. *Tene a symbolum venire, unctum, atque lautum è balneis.*] Hæc non ab Apollodoro, sed è sexto saryrarum Ennii translata sunt omnia: *Quippe sine cura, letus, lautus, quum advenis, Infertis malis, & expedito brachio, Alacer, celsus, lupino expectans impetu, Mox cum alterius abliguriæ bona: quid Censes dominis esse animi? pro divum fidem! Ille tristis cibum dium servat, tu ridens voras. Tene a symbolum venire.*] Et hoc nomen constat inter parasitos confictum, atque compositum esse. Contra illud in Andria, *Symbolum dedit, cœnavit.*

26. *Otiosum ab animo.*] Πλεονασμός. Nam addidit *ab*, quum sufficeret *animo.* *Quum ille cura & sumptu absumitur.*] *Cura* in apparando, *Sumptu* in comendo.

27. *Dum tibi sit quod placeat.*] Acuenda vox in eo, quod ait *tibi.* Et hoc emittenter adjectum est, non sui curam, sed convivarum gerere illum qui vocat. *Ille ringitur, tu rideas.*] Poëtico lepore & iisdem syllabis diversa significancia prope invicem posuit, *Ringitur & Rideas, Ille ringitur, tu rideas.*] Varie, nam pronuntiativo conjunctivum miscuit. Non enim dixit, *Ringatur.* *Ringi* est stomachari tacitum, est enim translatio à canibus laturis.

28. *Prior bibas, prior decumbas.*] Hoc ad procacitatem parasitorum retulit. *Prior decumbas.*] Sic alibi, *Maturè veniunt, dissumbitur,* inquit. *Cœna dubia proponitur.*] Et hoc adeo parasiticum verbum est, ut id non intelligat Geta.

29. *Quid istuc verbi est?*] Ut intelligat populus, idcirco non intelligit, & vult doceri Geta. Ostendit autem Poëta, pro unaquaque re verba propria esse, neque communia cum iis, qui diversi sunt actus. *Vbi tu dubites, quid sumas potissimum.*] Non *Potius*, sed *Potissimum* dixit: ut in re omni aliis alia monstraret potiora. *Plautus.* *Scandum est in le, Eto, si quid de summo petas.*

30. *Hæc cum ratione in eas.*] Intelligas, æstimes. *Quam sint suavia, & quam cara sint.*] Nonnihil philosophatus est Poëta, ostendendo multis suavia esse quæ cara sint. *Cara.*] Magni pretii.

31. *Ea qui præbet, non tu hunc habeas plane presentem Deum?*] Hoc est quod ait, *Imo enim vero nemo satis pro merito gratiam regi refert. Non tu hunc habeas plane presentem Deum?*] *Præsentes* Dii sunt, vel qui statim præstant: vel qui coluntur & videntur, ut Sol & Luna. Alii *Præsentes* pro potentissimo accipiunt. ut *Virgil.*

— *Quo non præsentius ullum.*

32. *Senex adest: vide quid agas.*] Inter venit senex ultimo, & quidem, quod extra argumentum per inventionem dici potuit, consumptum est. *Vide quid agas.*] Non terrentis est, sed excitantis. *Prima coitio est acerrima.*] Translatio est

prælio, nam & congregi milites, & coire dicuntur.

33. *Si eam sustinueris.*] Multum de illo exigit, quando non dicit, si eam repuleris: sed potius, si eam sustinueris. *Postilla jam, ut lubet, ludas licet.*] In officio militari omne negotium vel pugna, vel ludus.

IN SCENAM TERTIAM

ACTVS SECVNDI.

EN unquam cuiquam contumeliosus audistis factam injuriam.] In hæc scena, ut rheoribus placet, veluti quædam controversia est, qua uno tempore ex utraque parte tractatur. *Vt si quis dicat, legem esse, ne de eadem re bis agatur; & item, ut orbam proximam ducat, quidam absente patre sub hoc nomine uxorem coactus est ducere: vult illam pater adveniens ejicere matrimonio: contradicitur. Memnisse autem debemus, in omni contentione ea maxime dici, qua simplici patrifamilias & calumnioso lycophanta, improbiusque parasito congruere, Poëta visa sunt.*

1. *En unquam cuiquam contumeliosus audistis factam injuriam.*] Jam instructi sunt advocati, & recte, longuna enim fuerat omnia hæc post scenam geri. *En unquam.*] En vim habet indignationis post enarratam injuriam.

2. *Quam hæc est mihi?*] *Facta injuria,* subauditur.

3. *Adeste queso.*] Interim advocati Demiphonem sequi inducuntur; & ridicule tacent prius, postea locuturi. Et *Adeste* proprie. *Adeste* enim causæ, proprii dicuntur patroni & amici. *Adeste queso.*] Proprie advocatis *Adeste* dixit. Et qui ipse properantius pergit, rogat ut assequerentur. *Iratius est.*] Hoc ad excitandum Phormionem dicitur. *Quin tu hoc age, st.*] Annuit ut taceat. *St* significat silentium.

4. *Iam ego hunc agitabo.*] Modo iam celeritatis est signum. *Hunc* cum contemptu dixit. *Agitabo,* perturbabo. *Pro Deum immortalium!*] Ἐλλας, deest *Fidem*, aut quid tale. *Cicero* in Oeconomico, *Quid igitur, pro Deum immortalium! primum eam docebas queso? Pro*

Deum immortalium!] Artificiose prior exclamat, ut Demipho qui injuriam passus est, ultro impetum accusationis incurrat.

5. *Negat Phanium esse hanc sibi cognatam?*] Additum pronomen est: quasi notam omnibus diceret. *Phanium esse hanc sibi cognatam.*] Magno ingenio Terentius impudentiam calumniatoris expressit, nam & prior incipit, & prior accusat. Et quia non potest dicere, expellit Phanium Demipho: *negat cognatam,* inquit. *Cognatam Demipho?*] Hæc est flagitatio, quæ etiam nomen tumultuose persequitur atque exagitat. Ideo callidus lycophanta patrifamilias proprium nomen non solum invidiose infert, sed etiam repetit.

6. *Negat.*] Una opera Geta in duplici versatur dolo, nam & audiente jam senæ, se ejus defensorem tanquam absentis, assumulat; & irritat ad vociferationem Phormionem, qui clamandi ulterius causam non haberet, si taceret Geta.

7. *Sequimini.*] Apparet, Demiphonem, ut patrifamilias, perturbari non mediocriter: quippe qui & advocatos conquiverit adversus hominem sine advocatis agentem, & progredi non audeat, nisi illi sequantur. *Sequimini.*] *Sequimini* dicit, qui properantius & concitatore gradu pergit iratus.

8. *Neque ejus patrem se scire, qui fuerit.*] Ambiguitas: quæ tamen sensu discernitur.

9. *Nec Stilphonem ipsum scire qui fuerit?*] Hæc asseveratio mentientis est, imitata veritatem. *Nec Stilphonem ipsum scire.*] Quam multa calumniatores clamandi causa dicunt, & vociferandi: ut ipso strepitu terreant. *Nec Stilphonem ipsum.*] Tantumdem quod supra, *Neque ejus patrem.* Scire debemus, hoc nomen non fictum à parasito, sed auditum à puella, quæ uxor ducta sit, dici. *Negat.*] Σύνδουλός prima, nam extrinsecus audiendum est, *Pater.*

10. *Quia egens relicta est misera.*] Communis locus in avaritiæ generalitate approbator, facilius enim hoc de omnibus, quam de Demiphone credatur: & ideo *Ignoratur* dixit, & *Negligi-*

tur: non, Ignorat; nec, Negligit Demiphono. *Ignoratur*.] Non agnoscitur, ignorarique fingitur, hoc enim significat modo. *Patens*.] Pater, nam ut variaret, *Parentem* dixit, quem supra dixerat *Patrem*. Patrem ergo dicit puellæ à Demiphone ignorari.

11. *Negligitur ipsa*.] Quia fieri potest, ut qui ignoret parentes puellæ, id est, ignorare se dicat, tamen ipsam non negligat puellam: utrumque conquestus est. *Avaritia vide quid facit!*] Hæc conversus ad circumum & coronam circumstantium dicit, & conqueritur. Nulla enim re magis populus concitatur, quam si quis egenum contemnat. inde & *Salust.* *Bonis invident, & malos extollunt. Avaritia vide.*] Proprie *Vide* stomachantibus convenit, qui indignatione coguntur quasi cum aliquo colloqui. Sic in Adelphis, *Illud sis vide, exemplum discipline.* Sunt qui putent illum alicui de corona circumstantium dicere moraliter.

12. *Si herum insimulabis avaritia.*] *Insimulare*, est crimen ingerere. *Si herum insimulabis.*] *Insimulatio* est & falsi & veri criminis inculatio, sic *Cicero*, *Nihil eorum qua Galli insimulabant, negarunt. Insimulo* genitivo jungitur. *Male audies.*] Scilicet à me.

13. *O audaciam!*] Hæc exclamatio ostendit quid absente patre defenderit filius. *O audaciam! etiam me ultro accusatum advenit!*] Hic jam ostenditur, persuasum esse Demiphoni, vim adhibitam filio suo, uxorem ducere: uno, quum hunc audacem appellat: altero, quod dicit *etiam*, quæ conjunctio & Antiphonem complectitur, & sic accusatum,

14. *Nam jam adolescenti nihil est quod succenseam.*] Sic subtiliter ac latenter purgatur à Phormione apud patrem Antiphono. nam quum dicit, *Nihil est quod succenseam adolescenti*: ostenditur, adhuc succenseam fuisse, & inimico fuisse animo. Quum autem addit, *Si illum minus norat*: ostenditur, contradixisse sibi, & restituisse iudicio; & sic dicit, quod si adolescens non agnoscens puellam, veniam non meruerit: pater negata cognata ferri non possit. *Nihil est quod succenseam.*] *Succensere* dicimus eum, qui quum amare

debeat, laesus irascitur. Et vide, ut veteratorie ostendat contradixisse adolescentem.

15. *Si illum minus norat.*] Non dixit non *Norat*: sed, *Minus norat*: quasi & ipse nosse debuerit. *Quippe homo.*] Repente transit ad nominativum, quum supra dixerit *illum*: & deest *erat*: quod assumitur ab inferiore. *Iam grandior*] Hic comparativus non habet significationem qua magis sive minus à positivo significet. Ut, *Iam senior, sed cruda Deo, viridisque senectus.* *Quippe homo iam grandior.*] Argumentalis narratio dicitur, quæ nunc subiecta est ad fidem faciendam, & constituendam personam defensoris. Et *Grandior*, non *grandis*: quasi dicat, qui grandior fuit, quam ut illum adolescens, optime nosse posset. *Iam grandior.*] Proprie *grandus* ad speciem refertur ætatis, ut *grandis puer, & grandis virgo: grandis natus*, senex dicitur.

16. *Cui opera vita erat.*] Hic ostendit quam pauper fuerit. & *opera* sexti casus est, & *vita* nominativi. *Cui opera, vita erat.*] *Opera* pro victu posuit, & *opera* hic ablativus casus est. *Ruri fere.*] Id est, Ruri opera faciendo quærebat cibum. Et bene addidit *fere*, non enim semper, sed plerumque. *Ruri fere se continebat.*] Expresse ostendit miseriam hominis, qui in urbe natus interdixerat sibi accessu ejus, ob pudorem inopiæ, nam hoc significat *continebat*: unde *contenti* dicuntur, in malis durantes. Hoc autem veteres faciebant nobiles, quum ad paupertatem redacti essent. *Ruri fere se continebat.*] *Continere se* dicitur, qui contra voluntatem se continet.

18. *Colendum habebat.*] *Virgilius*, *Conductaque pater tellure ferebat.* — *Sape interea mihi senex narrabat.*] *Miserabiliter & invidiose positum Senex*: & majore fide *Narrabat* dixit, non *Querebatur*. Et vide congestionem argumentorum. Et ordo est, *Sape narrabat senex hunc suum cognatum se negligere. Sape interea mihi senex narrabat.*] Habet misericordiam odiosa narratio.

19. *Se hunc negligere cognatum suum.*] *Ἀμοιβόλια*, sed in sensu dissolvitur. *Cognatum suum.*] Hoc crimen & causa est, quod *Cognatum* addidit.

20. *At quem virum!*] Qualitas injuria à dignitate personæ. multi enim tales sunt, ut cognitione abdicandi sint. *Quem ego viderim in vita optimum.*] *Modo* in vita ac moribus. Et *in vita*, hoc est, quum viveret, & in eo quod à vivo sit. *Quem ego viderim in vita optimum.*] *Modo in vita*, in actu, in moribus.

21. *Videas te, atque illum.*] Melius hoc clare dictum à servo accipimus, ut defendisse dominum videretur. *Videas te, atque illum, ut narras.*] Hoc est, parentem te illi existimo, atque illum tibi. An potius servus, sciens hanc personam fingi, vel certe etiam mortuum hominem induci, male precatur parasito: ut etiam ipse, aut nullquam sit, ut factus: aut pereat, ut mortuus? An sic accipiendum? ut servus submissa voce hoc per jocum dixerit, Tantum in vita te videas optimum, quana fuit ille quem narras. An sic intelligendum, ut servus hoc dicat, Si optimum est, victum opera quære, & in alieno agro esse, ita te videas atque illum videri, quem ad hunc modum narras vivere. Et alluse ad illud quod ait, *Quem ego viderim in vita optimum. Videas te, atque illum.*] Deest, *Vidisti*, scit enim illum non vera dicere. *In malam crucem.*] Adverbialiter, ut, *Huc viciniæ.*

22. *Nam ni ita eum existimasset.*] Ut vita optimum judicarem. *Nunquam tam gravis.*] Hoc non quasi timidus, sed quasi religiosus & fidelis loquitur Phormio. *Ob hanc.*] Tanquam præsens sit mulier, de qua lis est: sic demonstrativa particula usus est, dicendo *Hanc. Ob hanc.*] Id est, pro filia ipsius. *Inimicitias caperem.*] *Caperem* dicimus, quum id quod in nobis est, assumimus, unde *caperem* pro eligendo ponitur.

24. *Quam is aspernatur.*] Ordo est: ob hanc quam hic aspernatur. *Ἀπόδοσις.* quam enim supra revocavit, ad puellam referens, ut, *Quam regno Hesperio fraudo.* Et *Sallustius*: *Nam Sylla dominationem audebat.* Et interpositis quibusdam, *Necque est offensus dominationem Sylla. Quam is aspernatur nunc tam illiberaliter.*] *Aspernari* est averti, non solum corpore, sed etiam animo. *Aspernari*, recusare avertere, non agnoscere. Est autem dictum

à sperno. *Illiberaliter.*] Apud veteres *Illiberaliter* dicebant *factum*, si quis excessisset omne genus maleficii. Sic in Adelphis,

— *Factum à vobis duriter.*

Immisericorditer: atque etiam, si est, pater.

Dicendum magis aperte, illiberaliter.

Vides more *ἄνεργως* illiberaliter pro magno hic ultimum poni.

25. *Pergin' hero absenti male loqui.*] *Ἀπόστροφος* per *πρόσθεσιν*. *Male loqui*, pro male dicere. Et quærit *Probus*, quis ante *Terentium* dixerit. *Hero absenti.*] Argute *Hero absenti*: ut videatur fidelior, qui defendat absentem: quod præstans argumentum est, id in animo habuisse Getam, etiam peregrinante domino. *Impurissime.*] Improbissime.

26. *Dignum autem hoc illo est.*] Non negat male loqui: sed hoc esse dignum contendit malo homine. *Ain'.*] *Ἀπόστροφος* nota est, quæ separat E ab N. & intermittit S literæ sonum: est enim integrum, *aisne? Ain' tandem, carcer?*] Non carcerarium, sed carcerem asperius appellavit, sic *Lucilius*, *Carcer vix carcere dignus.* Et *Vix* pro *Non*.

27. *Bonorum extortor.*] Ingeniose de ipso negotio sunt inventa convitia. *Bonorum extortor, legum contortor.*] Fingit illi crimina de causa, & de negotio.

28. *Responde.*] Timuit Poëta; ne humilissimi vociferatio Getæ, quasi veram discordiam apud populum fingeret: & ideo facit jam, à Phormione ipsum admoneri. *Quis homo est?*] Mire servus finxit, se non vidisse senem: ut ea quæ dixerit, in Phormionem sincere dixisse credatur. Et mira dissimulatione addidit *Homo*: ut videatur nihil de præsentia domini cogitasse. *Absenti tibi.*] Tunc fidelis opera est, si absens aliquis defendatur: hoc ergo confirmat, velut indicando. Sic in *Andria*,

O Chreme, per tempus hic advenis, ausculia.

29. *Seque dignas contumelias.*] Id est, quas ipse debet audire.

30. *Ohe desine.*] Hac voce ostendit, plus justo pro se locutum videri Getam. nam *Ohe* interjectio est, satietatem usque ad fastidium designans. *Desine.*]

Imponit silentium Getæ: quasi validiora dicturus sit, & supra *Tace* dixit senex.

31. *Adolefcens primum abs te.*] Et hac autoritas in senibus, ut qui minoris ætatis fuerint, illos appellatione pueri, vel adolefcantis, vel juvenis etiam ostendant: ut hoc de nomine illis quidem detrahant, sibi vero autoritatem attribuant. Sic *Virgilius*:

O præstans animi juvenis, quantum ipse feroci

Virtute exsuperas. —

Bona venia.] Sine ira, sine discordia.

32. *Si tibi placere potis est.*] Pro *Potest.* *Mihi ut respondeas.*] Bene *Mihi*: utpote patri adolefcantis, vel domino Getæ, vel etiam seni, Et verbum est scrupulose aliquid interrogantium. Sic *Virgilius*,

Mihique hac ediffere vera roganti.

Et, *Dic mihi, Damocla, cujum pecus?*

33. *Quem amicum tuum ais fuisse?*] *Ais* dicimus de iis, qui vana loquuntur: *Dicere* autem dicimus de iis, qui validiora. *Explana.*] Manifesta, expone.

34. *Et qui cognatum.*] *Qui*, quomodo, unde.

35. *Proinde expiscare, quasi non nosset.*] *Proinde*, ita similitudinis adverbium est modo, non conjunctio, ut, *Proinde tonna eloquio solitum tibi.* *Expiscari*, est diligentissime querere, ubinam pisces lateant, ergo verbum est tractum à piscatoribus.

36. *Ego me nego: tu qui, ais.*] Subauditur ad omnia, *nosse*.

37. *Eho tu sobrinum tuum.*] Populari quadam, vulgarique fatigatione, utpote scurra, respondit.

38. *Nomen! maxime.*] Falsa non habent memoriam, hic ergo deest, nescio, vel necessarium est. *Quid nunc taces?*] Urget senex: quia intelligit eum nomen nescire.

40. *Subjice.*] Suggere.

41. *Non dico: quasi non noris.*] *Mire*: nam videretur arte celare id, quod invitus nesciebat.

42. *Stilpho.*] Στίλφης. nam reddit ad nominativum, est utique Stilpho, ut rursus ad accusativum, *Noveras*, *Stilphonem* scilicet.

43. *Stilphonem inquam noveras.*] Figura *ἐπιπροσώπου*. Est autem *ἐπιπροσώπου*

verborum super se invicem effusio, quæ fit adversarii causa turbandi. *Virgilius*:

— *Nec longe scilicet hostes*

Quærendi vobis, circumstant undique muros.

Imus in adversos? quid cessas? an tibi Mavors.

Ventosa in lingua, pedibusque fugacibus istis

Semper erit? —

Stilphonem inquam noveras.] Quasi dicat, *Convincam, si neges.*

46. *At si talentum rem reliquisset.*] Αξίοντος illud fecit. *At si talentum rem reliquisset decem.*] More Romanorum, apud quos hæreditas pecuniæ erat, *Talentum* autem quod dixit, more Græcorum admisit.

49. *Ita ut dicis.*] Ita sum, inquit, ut dicis, avarus & superbus. Et vide senem de injuria non agere: quia iusta confidit & nititur causa. Plerumque enim hac constantia animi fulciuntur, qui iuri confidunt. At contra, qui nullo jure freti sunt, litigant, & ad injurias proliunt: ut his saltem perturbent adversarium, qui jure non valent. Condone igitur, inquit, tibi omne contumeliæ genus. *Ego tum si advenissem.*] Deest *Adjudicium*: ut sit, *Quum ad judicium venissem.* *Qui mihi cognata.*] *Qui*, unde, quomodo.

51. *Eu! nosser, recte.*] Geta sic laudat senem, ut optet vincere Phormionem. *Eu! nosser, recte.*] Plaudit sibi Terentium, supposita persona: quasi recte dixisset.

52. *Quibus me oportuit iudicibus.*] Probavi iudicibus, inquit.

54. *Filius cur non refellit.*] *Refellere*, est arguendo falsum ostendere.

55. *Cujus de stultitia dici, ut dignum est.*] *Compendium* convictorum est, nihil dignum invenire, pro magna injuria quod respondeas.

58. *Quandoquidem solus regnum.*] *Quoniam* regnum solum legibus est, & opprimens libertatem. Sic alibi, *Regnum ne hic, Æschine, possides?*

59. *Hic de eadem causa.*] *Hic*, videlicet apud Athenas, ubi leges, ubi libertas omnibus communis est.

61. *Potius quam lites sceter, aut quam te audiam.*] Bis posuit *Quam*. Quod genus

genus figuræ primo *ζεύξασθαι* contrarium est. Ut in Heautontimoromeno, *Propter quam in summa infamia sum, & meo patri minus obsequens.* Item, *Cepi rationem, ut neque tu egeres, neque hoc posses perdere.*

62. *Id quod lex jubet dotem dare.*] *Id*, pro *Ob id*.

63. *Abduce hanc, minas quinque accipe.*] Modo id agit, quod reprehendit à filio non esse factum, *Dotem daretis, quæretet alium.* Et dotem voluit custodem esse pudoris.

64. *Hæ, hæ, hæ.*] Hic risu destruxit, quod serio intendebat senex. *Homo suavis.*] *Præscriptio*, quum jam alterum factum sit, fieri utrumque non posse.

65. *An ne hoc quidem adipiscar ego.*] Quia enim à lege stat, recitat tantum id quod scriptum est.

66. *Itane tandem, quæso?*] *Majora* argumenta sunt quæ per interrogationem proferuntur. *Vbi abusus sis.*] A scripti voluntate. *Vtimur cum honore, abutimur cum injuria.*

67. *Atque amittere.*] Bene *Amittere*: quia finis cupiditatis amissio est.

68. *An, ut nequid turpe civis in se admitteret.*] *Idoneum* testimonium est, bonorum esse natalium, Civem dixisse. Nam apud veteres peregrinæ mulieres in meretricum numero habebantur. Sic ipse alibi, *A deove est demens ex peregrina?* Et alibi, *Samia mihi mater fuit, ea habitabat Rhodi.* Et Parmeno comprobans respondit, *Potest taceri hoc.* id est, meretricem matrem te habuisse. *An, ut nequid civis turpe in se admitteret.*] A voluntate.

70. *Vi cum uno atatem degeret?*] *Quid* enim est pudicitia, nisi unius scientia viri?

72. *Actum, aiunt, ne agas.*] *Aiunt* dicimus, quum proverbium significamus. *Actares* est, de qua sententia prolata sit.

73. *Donec perfecero hoc.*] *Virgilius*:

— *Donec me flumine vivo.*

Abluero. —

Perfecero.] Pro *Perficiam*. *Ineptis.*] Ut à *Sapientia*, *Sapis* dicimus: ita ab *Inepria*, *ineptis*. *Sine modo.*] Hæc minantis sunt verba. & bene. imitatus est enim cominantem,

75. *Tuus est damnatus gnatus, non tu.*] *Ludit* Phormio quum dicit, *Non tu*: & contemptibiliorem in hac causa sibi senem, quam Antiphonem fuisse, dicit: simulque ætatem illius esse despectam. *Tuus est damnatus gnatus, non tu.*] Pro voluntate contententis est prolatio sententiæ.

77. *Illum putato, qua ego nunc dico, dicere.*] *Definitive* respondit.

78. *Cum uxore hæc.*] *Id est*, tali.

79. *Tute idem melius feceris.*] *Locus* est hic, ut ostendat Phormio, de compaeto egisse cum Antiphone. *Tute idem melius feceris.*] *Quidam* sic intelligunt, *Tute idem melius feceris*, ut senex potius exeat, quam ejiciat filium. Artificiose autem loquitur Phormio, ut adimat suspicionem seni consensionis & cohibentiæ inter parasitum & filium.

81. *Sedulo.*] *Sine dolo*, instanter.

82. *Dissimulat.*] *Fingit*, *mentitur*: *Quin quod est ferendum feras.*] *Cur non*, inquit, accommodas necessitati voluntatem?

86. *Qua tuam senectutem obledet.*] *Non Te*, sed *Senectutem tuam*.

88. *Minue vero iram.*] *Contemnentis* est dissuadere iracundiam. *Hoc age.*] *Annuentis* est.

90. *Dixi, Phormio.*] *Dixi* solent dicere perorata causa.

92. *Dixi, Demipho.*] *Mire* comminationem & ferocitatem ejus imitatus est simili verbo.

93. *Si quid opus fuerit.*] Hæc repentina discessio habet aliquam majorem litigaturi denuntiationem. Et bene breviter: ne multiloquio infringereur superior comminatio.

IN SCENAM QUARTAM

ACTVS SECVNDI.

Quanta me cura & solitudine.] Hæc deliberativa est, in qua tres advocati sunt: quorum unus suadet, aliter dissuadet, tertius, qui se alterutri addere debuisse, ejusmodi sententiam dicit, ut rursus à liberatione opus esse videatur.

1. *Quanta me cura & solitudine afficit Gnatus.*] *Cura* est in spe bonorum:

M M m m

Sollicitudo in metu malorum.

7. Ego Cratinum censo.] Potest Ego subdittingui: ut subaudiatur, Ego dicam.

9. Quae in rem tuam sunt.] Bene principio, ἀπὸ τῆς ΘΘΑΚΙΣ * ΑΑΙΤΟΥ συμβελλόντος, benevolentiam suam commendavit: & sic consilium dedit.

11. Equum est.] Ab honesto. Et bonum.] Ab utili.

12. Et id impetrabis.] A possibili. Et breviter deliberativae tres locos tetigit, justum, utile, & possibile.

13. Ego sedulo hunc dixisse credo.] Artificiose personam defendit, sententiam reprehensurus: ne si inimicus sit, adimat auctoritatem sententiae suae. Verum ita est.] Subjunctum locum ἀποδείξως oratoriae: ut invidiae contradicturus occurreret.

15. Mihi non videtur.] A possibili. Quod sit factum legibus.] Hic alio ordine locos suaviorum tetigit: primum a possibili, secundum ab honesto.

16. Et turpe incipit.] Ab honesto. Utilitatem autem praetermisit per artem, quae ubi non potest fieri, frustra spectatur.

18. Res magna est.] Causa ampliandi sententiam.

19. Incertior sum multo quam dudum.] Ex tribus enim unus suavit, alter dissuasit, tertius nihil dixit.

24. In tempore huc se recipere.] Ευχόμενος. Sallust. Maximeque ferocia regis Mithridatis in tempore bullatur.

IN SCENAM PRIMAM

ACTVS TERTII.

1. Nimvero, Antipho, multis modis cum istoc animo.] Cum isthoc animo: pro hujus animi. Ennius: Omnia cum pulchris animis Romana juvenit.

2. Itane hinc abisse, & vitam tuam.] Εν τῶν ἀποδείξων. ut, Invidisse Deos, patriis ut redditus oris conjugum optatum & pulchram Calydonam viderem?

Et, Servan' fortunas meas commississe futili? 3. Alios tuam rem.] Ab infinitivo ad

indicativum transitum fecit. Credidisti.] Pro Putasti.

5. Pateretur mali.] Legitur & Potiretur, quia potiri τῶν μισῶν fuit. Plautus, Hostium potius est.

6. Spes opeque sunt.] Haec quidem de his sunt; quae amant jungi. Spes opeque sunt.] Ut, Res fortunaque.

7. Qui abieris.] Mollius, quam Fugeris.

8. Sed ea causa.] Quia abieris. 10. Numquid patri subolet?] Sub convenientia sua & Phormionis dicit.

13. Confutavit verbis.] Convicit: ut si diceret, Refutavit, sed Refutatio in rem est: Confutatio in personam.

14. Eo quod potui porro.] De se mediocriter per ἐλαφιν, moraliter satis. Ego quod potui porro.] Ordine primo dominum, post Phormionem, ultimum se posuit.

18. Huc saluum nunc Patrum, Geta.] Non optat saluum patrum venire, secundum Apollodorum: & ostendit, non congruere salutem ejus cum commodo suo. An non dicit, malum esse & incommodum sibi, sed tantum magni terrois plenum adventum patrum?

20. A sua palaestra exit foras.] Bene palastram ejus dixit lenonis domum, in qua est exercitus amator assidue. Plautus Bacchid.

— Homo adolescens Penetrem hujusmodi in palastram, nuda damis desudascitur!

IN SCENAM SECUNDAM

ACTVS TERTII.

Dorio, audi, obsecro.] Hac scena in petitione, quae saepe admittit deliberativa locum.

1. Dorio, audi, obsecro.] Sunt qui sic legunt, ut Dorio Phaedria dicat, Audi leno: Obsecro iterum Phaedria. Quin omitte me.] Quin, modo corripiendi vel imperandi vim habet, ut, Quin age.

6. Hei metuo lenonem, nequid suo suat capiti.] Deest mali. Suat autem, appingat atque affigat. Suo suat capiti.] Ἀποδείξωσις. εἰς τὸν εὐφρημισμὸν, Suo capiti dixit, quum diciturus esset,

Prædixit, ut, Dardanique regum capitis. 8. Fœneratum.] Ab utili. Fœneratum istuc beneficium tibi.] Id est, mihi à te fœneratum.

9. Verum hercle hoc est.] Bene ipse dictum suum confirmavit.

10. Cantilenam eandem canis.] Ita dicit: ut, Vetus & vulgata cantio.

11. Tu mihi cognatus.] Ab honesto. Tu parens, tu amicus, tu.] Secunda ἀποδείξωσις.

15. Phaleratis dictis.] Honestis atque ornatis: quia dixit, Tu mihi cognatus, tu parens. Et quasi leno, irridet honestatem, & despicit.

16. Miseritum est.] Εἰς ὁμιλία. Hei veris vincor.] Hoc sibi dicit adolescens.

17. Neque, Antipho alia quum occupatus esset sollicitudine.] Hoc dolet Phaedria quod in eadem relaboraverit Antipho, id est, in amore: quodque amare contingerit. Neque, Antipho alia.] Minore aliqua sollicitudine quam haec est, quam nunc gerit. An Alia, praeter hanc, quam de me gerit? Ordo & sensus hic est, Neque tum esse mihi hoc objectum malum, quum Antipho alia sollicitudine esset occupatus levi quapiam, non hac de nuptiis, quae est gravissima.

20. Unquam usus venit.] Opus aut necesse fuit.

21. Auribus teneo lupum.] Graecum Proverbium, τῶν ὠτῶν ἔχω τὸν λύκον, οὐτ' ἔχειν, οὐτ' ἀφίναί δυνάμει.

23. Neque parum leno stes.] Ἐλαφίς. deest enim, Verevis?

26. Ere emptam suo.] Bene Suo, quasi de tertia persona.

31. Conduplicaverit.] Coniunctivum pro indicativo, id est, Conduplicabit. Hoc est aliter, Fœneratum istuc beneficium pulchre tibi dices.

36. Elenem, nihil ferentem.] Ὀμοιον τῶν γένης usitatum veteribus.

38. Tibi quidem olim est dies.] Hic Olim, futuri temporis. Nam leno de accipienda ab adolescente pecunia diem constituerat: & inventa meliori conditione, anticipaverat tempus cum adolescente praescriptum.

40. Iam ea prateriit?] Interrogative pronuntiandum, Non: verum ei haec an-

tecessit.] Urbane leno, Haec antececessit. ut alii putant, meretrix vendita: ut alii dies qua lenoni constitutum fuit. An aperte leno perfidus mentitur? unde sequitur, Non pudet vanitatis? Ergo plus est Antececessit, quam Praeteriit. Non pudet vanitatis?] Apparet, supra, lenonem de perfidia anticipati temporis esse confessum.

48. Mea lege utar.] Lenonia scilicet: in qua semper commodum est prius, quam fides.

IN SCENAM TERTIAM

ACTVS TERTII.

1. Quid faciam.] Οἰκονομία ad futurum exitum comediae.

2. Minus nibilo.] Ὑπεβολή.

4. Adjuverit.] Secundum u, pronuntiarum debet. Adjuverit comiter.] Comiter veteres dixerunt πρὸς τὸ κόσμος.

7. Quid faciam?] Comiter, quamvis uterque intelligat quid alteruter dicat, dissimulant tamen.

11. Ni etiam nunc me hujus causa quaerere in malo jubeas crucem?] Quasi dicat, In malo aliud malum.

14. Relinquatur precii.] Bene Precii.

19. Pedetentim.] Cautè. à pedibus & tentando. Pedetentim tamen.] Hoc quidam sic accipiunt, tanquam Geta dicas Antipho, ut caute aggrediatur senem fallere.

25. Istac vero vilis est.] Amatoriè.

30. Solus est homo amico amicus.] Apollodorus, Μόνος φιλεῖν τῶν φίλων ὁπίστανται.

IN SCENAM PRIMAM

ACTVS QVARTI.

Quid? quia profectus causa.] Haec est narratio simplex.

9. Senectus ipsa est morbus.] Apollodorus, Τὸ γῆρας ἔστιν αὐτὸ νόσος.

13. Hanc conditionem si cui tulero.] Κυβητολογία. quia ferre conditionem alicuius dicimus.

15. Te mihi fidelem esse aequè.] Mire admixtum ante completam sententiam.

de extraneo, Te mihi fidelem esse, &c.

17. Tacebit, dum intercedet familiaritas.] Incertum, quando proditum iri se dicat ante, an post nuptias.

20. Ut me excutiam.] Legitur &, Excutiat.

21. Meorum solus sum meus.] Apollo-dorus, εἰς τὸ γὰρ εἰ μὴ τῶν ἐμῶν ἐμὸς εἰμὸς.

24. Donec tibi id, quod pollicitus sum, effecero.] Virgilius,

— Donec me flumine vivo Abluero.

IN SCENAM SECUNDAM

ACTVS QVARTI.

2. Venio ad hominem.] Venuste re-petitur, Hominem.

15. Hum adoriar hospitem.] Astute Ho-spi-em, de eo qui supervenit: nomen aptum imprudenti rerum, atque alieno ab earum scientia. Sallustius, Vitam si-cuti peregrinantes transigere, &c.

IN SCENAM TERTIAM

ACTVS QVARTI.

Expeto, quam mox recipiat huc sese Geta.] Ad errorem ulandum, persona Antiphonis interponi: ut ei ad-aucto metu mittenda uxoris, major vis fiat repentina letitia.

5. Volup' est.] Hoc volup' nomen est, ut hoc facul: sic enim veteres per Σπορο-φῶν loquebantur.

6. Compluria.] Secundum regulam lo-cutus est, nam hoc complure, & hac com-pluria, Nova hic compluria.] Sic veteres, quod nostri dempta syllaba complura di-cunt. Sic Cato Originum secundo; Fa-ma hoc loco compluria. Cicero in Prota-gora, Confirmandi genera compluria. Cre-do quia veteres hoc plure, non hoc plus di-cebant.

9. Commodum.] Commoda æstimatio est temporis * Commodum, tantum quod Lucilius: Quod mihi commodum est, aut uia vestimenta deposueram.

13. Is qui istam.] Αποσιώμις tertia.

deest Obtrusit nobis, aut, Defendit, aut quid tale.

18. Fugitans litium.] Genitivo casu vim nominis habet Fugitans junctum: accusativo, vim tantum participii. Fu-gitans litium.] Quasi quod vult in domi-no facere, id jam in eo esse dicit: præ-parans hominem ad contemptum pecu-niæ, quæ poscetur statim.

29. Dari tibi in manum.] Datur ei in manum, qui furtim accipit sine arbitro, aut interprete: ut prævaricator, aut ju-dex corruptus.

30. Hæc hinc facessat.] Pro, Hinc se faciat, id est, abeat: Huc se faciat, huc accedat, significat. Hæc hinc facessat.] Pro Cedat, alias Faciat. Ergo duas res significat hoc unum verbum. An hinc facessat, proverbialiter, quasi hinc fa-ciat. Plautus, Argentum hinc facite. Huc te fac dicitur, pro, huc accede.

32. Aliquam partem.] Et si non totum, vel aliquam partem.

33. Tria non commutabitis verba hodie inter vos.] Sic dicebant, jurgium signifi-cantes. Proprie Verba commutare est, quod aliter dicitur dicimus.

38. Quid? nimium: quantum libuit.] Apud quosdam diversa personæ cum verbis singulis.

41. Parvi retulit.] Nihil interfuit: vel parum interfuit, id est, nihil profuit.

42. Non suscepisse: inventa est qua do-tem petat.] In Græca fabula senex hoc dicit, Quid interest me non suscepisse filiam, si modo dos dabitur alienæ?

49. Sed mihi.] Παρενθεσις prima. Sed mihi opus erat.] Indictio doli est, nam antequam petat, petendi causam ingerit.

50. Qua adferret, qui dissolverem.] Quia, si opum causa habendarum dota-tam quæreret, minor esset necessitas cap-tandæ opulentioris, Æs alienum addi-dit, cui rei nihil opponi potest.

52. Ab hac accipio qua sponsa est mihi.] Mire Accipio: non Accepturus sum. Et definitivum modum ponit, ne de sum-ma dotis superfit disputatio.

54. Vtrum stultitia facere.] Παρελαβ-tertium, hoc idem enim valet Vtrum, quod An.

55. Scientem, an imprudentem.] Απρά-

secundum, nam scienti impru-dentem reddidit.

56. Quid si animam debet?] Græcum proverbium, ἢ ἂν πῶ πῶ ψυχὴν ὀφεί-λῃ. Ager oppositus est pignori ob decem mi-nas.] Astute non protinus Triginta mi-nas dixit, sed paulatim colligit, ut par-tibus congestis in summa senex manus gravetur, nam si semel diceret, deterre-ret parcissimum senem. Denique audi-tis decem minis, statim respondet Da-bo, conceduntur ab alio decem. de reli-quis superest dubitatio; nam difficilis est ad dandum.

61. Sumptus adnuptias.] Opus est, Sub-auditur.

62. Pone sane, inquit, decem minas.] Bene, Sane: quasi plus quiddam exigat, sed hoc contentus sit.

63. Sexcentas proinde scribito jam mihi dicas.] Perficere hinc licet consuetudi-nem utriusque sermonis, nam Apollo-dorus multa dixit, pro multis. Et ut apud Græcos multa, ita apud nos Sex-centa dicere pro multis, usitatum est. Cicero, Sexcenta possum decreta proferre.

68. Mea causa ejicitur, me hoc æquom est amittere.] Ratio cur ipse viginti da-re debeat minas, dante Demiphone de-cem.

69. Quantum potes, me corriorem.] Fe-stinat Geta: scit enim dixisse lenonem, Mea lege utar, ut potior sit, qui prior ad-dandum est.

73. Quæ quidem illi res vortat male.] Non definit Poëta ostendere avaritiam Demiphonis, qui nec ideo libenter fert dari aliqua Phormioni, quia sic com-modum ei est. Virgilius,

Hos illi, quod nec bene vertat, mittimus hædos.

74. Argentum mecum aduli.] Comi-cum, argenti præsto est. & causa ad-ditur cur præsto, & unde sit, simul ira-cundia uxoris, & jurgio præparatur locus.

75. Fructum quem Lemni, &c.] Et Lemni. & Lemno legitur, Reddunt prædia.] Στῆμα ἐνεχέημοις. Et proprie de fru-ctu, reddunt.

76. Id sumam.] Non fructum, sed ar-gentum, Id sumam.] Impendam, unde & Sumptus dicitur. Vxori, tibi opus esse,

dixero.] Bene Esse, non Fuisse: ne jam repetendum videretur. Opus esse, dixero.] Adjunctivum, pro pronuntiativo, ut in Eunuchis, Perculeris jam tu me.

IN SCENAM QVARTAM

ACTVS QVARTI.

1. E Muxi argento senes.] Mire, quana è contrario dicatur Emunctus ho-mo, elegans & facetus: ut Horatius de Lucilio, Emuncta navis, inquit.

2. Satin' id est.] Hoc est, idne tibi vi-detur satis esse ad miseras meas? An quasi εἰπωρικὸς dicit, ut dicere solemus, Bene habet nunc: aut Ecce isti certe quod de-buisti. Ideo autem subambigue locutus est, ut nequaquam posset aliter interpreta-ti à Geta, qui respondebit, Nescio her-cle: tantum jussus sum.

9. Vlcus tangere.] Proverbiale: non εἰπωρικὸς dicit.

15. In nervum potius ibit.] Decipiet, à proverbio tracto à sagitariis: quum vis conatusque tendentis arcum, non in vo-latum teli, sed in ruptionem nervi ex-petatur.

17. Tu id quod boni est excerpis.] Ho-neste Excerpis dicit. & attende, quem-admodum dicat, Excerpi bona, quibus non utatur.

27. Gallinæ scinit.] Observatum est, in qua domo gallina canat, superiorem marito esse uxorem. Interdixit hariolus.] Hariolus est, qui divina mente vaticina-tur. Dicitur hariolus, quasi fariolus, à fa-tis & à fando, quum F pro H, & item H pro F, in multis locutionibus ponat-ur. An quod imitatur aspirationem in exhalando? nam halitu solent excludere velut mortalem animam, ut divinam recipiant, unde & vocem ejusmodi da-bant, que est oe: quod oe sonus exhalan-di vim præstat.

28. Haruspex vetuit.] Haruspex, ab haruga nominatur, nam haruga dicitur hostia, ab hara in qua concluditur & servatur. hara autem est, in qua pecora includuntur. Plautus, Rusticus, hircus, hara; Mostellaria. Ante brumam.] Arte irrisit homines Terentius, quibus religio sit aggredi negotium aliquod diebus de-

crefcentibus. *Ante brumam.*] Quod ante brumam dies decrescere incipiant.

30. *Fient, me vide.*] Respice, id est, vultus mei fiduciam gere: siquidem quia nullum periculum est. Sic Græci, nam aliter Latini. *Me vide.*] Quia in iure premitit, & interponit suam fidem: quod nos dicimus, *Me habes, Vide.*] Respice.

IN SCENAM QUINTAM

ACTVS QVARTI.

1. *Q*uietus esto, inquam: Ego curabo.] *Quietus*, id est, securus, ab eo quod præcedit, id quod sequitur.

3. *Ut canus est, ubi nihil opus est?*] Consultit, inquit, quemadmodum datur, ubi omnino dare non debuerit: siquidem argentum Phædræ datur sub nomine Phormionis.

4. *Dum liliis eadem hæc manet.*] Bene *Libidinem* posuit pro voluntate hominis incerti ac levis.

5. *Foris nos rejiciat.*] Mulierem scilicet. An vere *nos*, id est, negotium nostrum & conditionem?

6. *Rem ipsam putasti.*] Pro disputati modo.

11. *Quid tua, malum id refert?*] *Malum*, interjectio, & est ordo, *Quid tua id refert?* *Magni, Demipho.*] Nota, responsum contra *Quid refert*, non ad *Quid relatum*. Et quare quomodo dicitur, *Quid mea, quid tua?*] An deest ad: ut sit, *Ad mea*, aut *ad tua*?

15. *Illam reperire.*] Filiam & uxorem.

IN SCENAM PRIMAM

ACTVS QVINTI.

3. *A*udio violenter.] Quod Græci dicunt *ἀκούω*.

5. *Nam qua hæc est anus.*] *ἄνευ γοφῆ*. ut, *Nam quis te juvenum confidentissime.* Sed figura hæc apta commotis est aliqua re nova. *A fratre.*] Pro, *A domo fratris*, ut,

— *Iam proximus ardet*

Proalegon. —

6. *Egestas me impulit.*] *Venialis status.*

7. *Interea vita ut intuto foret.*] *Compensativa* qualitas.

8. *Nisi me animus fallit, aut parum oculi pressiciunt.*] Docte *Terentius*, nam *vita*, vel corporis, vel animi sunt: hoc est, rationis, vel sensus.

12. *Meum nomen.*] Mire suum nomen illa agnoscit: hic dissimulat.

14. *Paululum istorsum.*] Nunc *Istorsum* adverbium est loci: alias nomen.

16. *Quem semper te esse distrahi?*] *Esse* pro nominari antiquorum more dixit.

17. *Conclusam hic habeo uxorem servam.*] *Illaturus servam*, bene *Conclusam* prætulit: ut si diceret, *feram*,

19. *Effutiretis.*] *Eloqueremini*, evacuaretis, exinaniretis. *Effutiretis*, ab eo quod est effundere. *Translatio* est à vase, *Futili* nomine: quod patulo ore, fundo acuto instabile, nihil prorsus continet, unde *Futilis* dicitur ejusmodi, ut nihil intra se contineat, & semper inanis sit.

23. *Ex agritudine.*] *Infirmitate* ac morbo. *Ex agritudine miseram mors consecuta est.*] Bene *moderatus* est, ut neque nimis ægre ferat, neque rursus *ἀπαυδῆς* sit. Et hæc est *οἰκονομία*, ne in eadem urbe duæ uxores, plus mali ex sollicitudine afferant *Chremeti*, quam ex alterius morte tristitiæ. Neque in comœdia possunt nimis miserabiles mortes esse; ne res in tragœdiam transeat.

24. *Deserta, egens, ignota.*] Singula pronuntianda sunt, argumenta enim hæc, ad venialem statum proferuntur.

29. *Composito factum est.*] Sic veteres: nos, *Excomposito*, ut, *Composito rumpit vocem, & me destinat are.*

31. *Qua non audeas optare.*] Pro, quæ non audeat quis, ut, *Facile pro Eunucho probes. Offendi adveniens.*] Pro, quum advenissem, ut, *Ipse nemus linquens patrium, suaque arva Latinus.* Quia Latina lingua deficit hac declinatione.

34. *Hæc sola fecit.*] Si *Hic* legerimus, *Antiphonem* intelligimus: si *Hæc*, *Sophoniam*.

37. *Sed per Deos.*] *Adjurationis* genus est;

IN SCENAM SECUNDAM

ACTVS QVINTI.

1. *I*ta fugias, ne prater casam.] *Proverbium*, *Ita fugio, ne prater casam*. Hoc est, ne pratercas casam tuam, quæ sit tibi tutissimum receptaculum. Aut; *ita fugias, ne prater casam*: ubi custodiri magis, & prehendi fur, & multari verberibus potest. Aut *verbum* erat ipsius custodis furem exagitantis, & interea prohibentis, ne ante casam transeat, ne in praterendo etiam inde aliquid rapiat. Queritur senex se, dum avari infamiam fugeret, in stulti reprehensionem incidisse.

5. *Dum aliud aliquid.*] *Vetuste.*

8. *Modo ut hoc consilio possit discedi, ut istam discat.*] *Ne poeniteat* dominum pecuniam dedisse, terrorem servus iniecit.

15. *Vorsuram solvis.*] *Creditorem* mutas. *Vorsuram solvis.*] *Vorsuram* facere dicitur, qui æs alienum ex ære alieno solvit. Dicitur etiam *Vorsuram* facere, cum minore fœnore acceptam quis pecuniam majore occupat.

16. *Præfens quod fuerat malum, in diem abiit.*] *ἵπποβοεῖα*. *Plaga* crescant.] *ἄνδροποεῖα*.

IN SCENAM TERTIAM

ACTVS QVINTI.

2. *A*gedum ut soles, Nausistrata.] *Divitiis uxoris de marito licentius conquirentis hæc allocutio est, cum dispositione futurarum turbarum.*

3. *Ac dudum re opiulata es.*] *Supra* enim dixerat *Chremes*, *Id sumam: uxori, tibi opus esse, dixero.*

7. *Stat in capitebat.*] *Statim*, perpetuo, æqualiter, & quasi uno itatu. *Plautus*, *Ita statim sicut signa.* & habet primam longam, quando autem significat aliud, primam brevem habet.

28. *Vin' satis quasium.*] Hoc totum pro una persona quidam legunt, *Filia amici nostri.*] Hoc est, tua.

31. *Commodius esse in omnes.*] Et circa

illum qui duxit, & circa illam quæ ducta est, & circa te focerum.

32. *Perliberalis visa est, quum vidi, mihi.*] *Ordo* est, *Perliberalis visa est mihi.*

IN SCENAM QVARTAM

ACTVS QVINTI.

1. *L*ætus sum.] *Antiphonis* persona est.

2. *Parare animo.*] *Venuste* additum est, *Animo*. *Ennius* in sexto, *Sed quid ego hic animo lamentor?*

3. *Quum res adversa fuerit.*] *Quum* desiderata fuerint, id est, quum harum penuria fuerit.

6. *Si hoc celetur, in metu.*] *Ἀνακόλυτον* quartum. Nam cum proposuisset, *Si hoc celetur*: intulit, *sin patefit, In probro siem.*] *Apud patrem* scilicet.

IN SCENAM QVINTAM

ACTVS QVINTI.

1. *A*rgentum accepi.] *laetantia* hic inducitur *Phormionis*, qui in omni scena, prout in se jactatur, insultat.

2. *Propria ea Phædræ.*] *Virgil.* *Connubio jungam stabili, propriamque dicabo.*

7. *Vicissim partes tuas acturus est.*] *Secundum* illud quod dictum est, *Tradunt operas mutuas.*

8. *Te suam rogavit rursus ut ageres.*] *Partem* iterum subaudiamus, & est *ἔδωκα* à superiore.

9. *Senibus.*] *Ob fallaciam* mire exultat.

IN SCENAM SEXTAM

ACTVS QVINTI.

1. *O* Fors fortuna!] *Fortuna* dicta est incerta res: *Fors fortuna*, eventus fortunæ bonus. *Fors fortuna!*] Aliud *Fortuna* est, aliud *Fors fortuna*, nam *Fors fortuna*, est cujus diem festum colunt, qui sine arte aliqua vivunt, hujus ædes trans Tiberim est.

4. *Hunc onero pallio.*] Recte : quia palliata fabula est, non togata.

9. *Pergit hercle.*] Potest distingui hic, *Pergit* : & conjuncte legi, *Hercle tu nunquam odio tuo me vinctes.*

10. *Id tibi quidem jam fiet.*] Id quod sibi dici auditur, minuitur. Et est conveniens error festinanti.

14. *Sine controversa.*] Sine ambiguitate.

16. *Si te delibutum gaudio redao?*] Ad animum transtulit, quod est corporis. Nam *delibutus*, unctus dicitur.

19. *Vt modo argentum.*] Vide narrationem coeptam unde opus est.

20. *Mittis herus me ad uxorem tuam.*] Conversus ad Antiphonem hoc dicit.

29. *Pulcherrimum facinus audiui.*] Hujusmodi locos Poeta actoribus indulgent : quod in his actoris est commendatio.

32. *Patrius tuus est pater inventus Phanio uxoris tuae.*] Ut *Sallustius* in primo, *Liberis ejus avunculus erat.*

37. *Atque hercle ego quoque illam inaudiui fabulam.*] *Plautus* in *Milite Glorioso*, *Nam hoc cognomen Poeta esse inaudiui barbaro.*

46. *Curam adimere argentariam.*] Variè, pro, adimendi occasio est.

IN SCENAM SEPTIMAM

ACTVS QVINTI.

4. *Prorsusquam dilapidet.*] Disperdat.
6. *Visam, ut, quod.*] *Ἀποσώματος* secunda.

9. *Ne non id facerem quod recepissim semel.*] Et deest, *ad me.* ut in *Heautontim.* *Ad me recipio : faciat.*

11. *Adhuc curavi.*] *Τὸ ἀρχαῖοσφι* addidit *Adhuc* : quum potuisset sine hoc integer sensus esse.

21. *Qua tunc dudum coram me incusa veras.*] Nova locutio *Coram me incusa veras* : non *Qua hic incusa veras.* *Coram me incusa veras.*] Belle : ut si quid neget, contra se ipsum sentire videatur.

22. *Satin' superbe illudis me.*] Et dativum & accusativum casum regit *Illudo.*

29. *Iube rursus rescribi, Phormio.*] *Rescribi*, reddi, seu per mensae scripturam dari, *Iube rescribi.*] Quoniam ad nume-

rationem pecuniae antecedit scriptura ; *Rescribere* dicebant, pro renumerare. Et sic infert, *Ne ego perscripsi porro illis quibus debui.* Haec est ergo figura, in qua secunda de primis significantiam sumunt. *Iube rescribi.*] Per scripturam, id est, de mensae scriptura dari, unde hodie dicitur chirographis, *Domo ex arca sua, vel ex mensae scriptura.*

30. *Ne ego perscripsi.*] Multis per scripturam reddidi, multis dedi, ut apud *Virgilium*,

Diditur hic subito Trojana per agmina rumor.

42. *Quem tu mihi argentum cedo.*] Hoc ab utroque cum clamore dici accipendum est.

43. *In jus ambula.*] Ad judicem eamus scilicet. nam *Jus*, pro loco est, *Cicero*, *Quandoquidem te in jure conspicio.*

44. *Enimvero si porro odiosi esse pergitis.*] Vultu juvandum est, & pronuntiatione, hoc, quod tam minaciter suspenditur. *Enimvero.*] *Enimvero*, principium est aliquid per iracundiam dicturi : ut, *Hic tum alius ex alta parte enimvero hoc feret ? &c.*

45. *Indotatis.*] Hoc est, ut *Phanio*,

47. *Etiam dotatis soleo.*] Ut *Nausistratae*;

49. *Nullus sum.*] *Perii*, mortuus sum.

50. *Sepultus sum.*] *Ἀδένος*, nam plus est, quam *Nullus sum*.

53. *Quid vis tibi? argentum quod habes? condonamus te.*] *Vis* iterum subaudiendum est : ut sit, *Vis argentum quod habes?* & est *ἀσώδης* inferendum *Condonamus te.* Sic est illud apud *Virgilium*.

Vultis & his mecum pariter considerare regnis?

Urbem quam statuo, vestra est. —

54. *Condonamus te.*] *Condo*, ablativo junxit : ut in *Eunucho*, *Habeo alia multa, quae nunc condonabitur.*

55. *Malum, ergo me sic; &c.*] *Malum* adverbium est interpositae indignationis.

57. *Nolo, volo: volo, nolo rursus.*] Primo singula separatim : deinde simul utraque pronuntianda sunt.

64. *Animo virili.*] A necessario adhortatur.

69. *Nostro modo ulcisci.*] Ingenio scilicet.

71. *Hi gladiatorio animo.*] Parato ad periculum, hoc est, ita perditio ac temerario, ut non sibi caveant, dummodo vulneretur, ut *Sallustius*, *Avidius alter alterum sauciare, quam semet tegere. Ad me affectant viam.*] *Affectant viam*, plenum : quod nos *ἐπιπείθεως*.

72. *Vt placari possit.*] *Vt* pro *Ne non*.

74. *Quum de medio excessit.*] Pro quia, *De meo excessit.*] Et ad dictum, & ad rationem dicti, comicum est.

75. *Astute aggredimini.*] *Εἰσβολαί.* Et proprie *Aggredi*, accedere ad dimicandum est. Bene ergo servavit translationem à gladiatoribus coeptam.

77. *An tu? ubi peregre.*] Modo ad *Chremetem* cum invective conversus est.

80. *Lantum peccatum tuum.*] Ut *laves*, ut maculam.

82. *Lachrymis si extillaveris.*] *Stillare*, est guttas emittere ex corpore. *Extillare*, ipsum corpus guttatim finiri. Ergo quasi totum in lachrymas converti, & ex toto stillare corpore.

85. *Publicitius.*] Id est, publica cura atque consilio.

86. *In solas terras.*] *Virgilius*, *Pastorum & solis exegit montibus avum.*

Et *Sallustius* in primo, *Solis viis.*

88. *In jus eamus.*] Ad praetoris sellam, modo enim, locum significat. *In jus! huc, siquid lubet.*] Apparet parasitum nitiad domum *Chremetis*, senes vero ad forum conari attrahere.

90. *Etenim solus nequeo.*] *Etenim*, pro *ut* posuit : ut *turbatum* ostenderet. Sic alibi, *Etenim non sinam. Vna injuria est.*] Id est, actio injuriarum ex lege.

91. *Lege agito ergo.*] *Lege agito* dicebatur ei, cujus intentio contentibilis adversario videbatur : *Plautus* in *Aulularia*, *Lege agito mecum, molestus ne sis; & cenam coque. Altera.*] *Quam fecisti dotatae uxori.*

95. *Pugnos in ventremingere.*] *Urbane* *In ventrem*, quasi parasito. An *Ventrem*, torum parasitum dicit : ut *Lucilius* in secundo, *Vivite, lurcones, comedones; vivite, ventres.* An simpliciter? quia qui resistit, ne sequatur trahentem, collo-

obtorto repandum se facit, & ventrem projicit, quum autem in ventrem feritur, curvatur & sequitur.

IN SCENAM OCTAVAM

ACTVS QVINTI.

1. *Vis nominat me?*] *Hic* velut *controversia* est : in qua reus sit *maritus mala tractationis.* & est status qualitatis venialis.

8. *Delirat miser timore.*] Graviter utrumque : *Delirat*, & *Timore*, nam *deliratio* senectuti convenit, *timor* concitientiae.

16. *Mi homo, Di melius dunt.*] *Quærit* *Probus*, an *matrona* tam familiariter *Mi homo*, recte dicat alieno : sed frustra, nam *foeminarum oratio*, etsi non blanditur, blanda est.

18. *Quid agimus?*] *Facere dictum.*

21. *Qui mihi.*] *Eleganter insertum* *Mihi*, ut in *Heautont.* *Is mihi, ubi adhibet plus paulo, sua qua narrat facinora? Ad uxores ventum est, tum sunt senes.*] *Eleganter Fieri* dixit. Et generaliter invidiosius, quam si unum accusaret senem.

25. *Ego, Nausistrata.*] *Qualitas venialis* à concessione.

26. *Verba sunt mortuo.*] Non est passus parasitus, ut totam sententiam senex explicaret.

27. *Nam neque negligentia tua, neque id odio fecit tuo.*] *Locus* in hac causa principalis est, *ὅτι τὸ συγγνώμης ἔξ ἐνοίας.* & ideo in duo divisit, nec negligentia circa te, nec odio inquit factum. *Præterea & ἀπίστωσως* addidit defensionem, *Violentus, fere abhinc annos quindecim, mulserculam, &c.* ab aetate ejus, à tempore criminis, à diminutione contemptique pellicis, ab eventu, ab animo facientis : quod mortua est, postremo & à precibus. Et epilogum *ὅτι τὸ ἐνοίας τὸ ἐνθάσως* fecit, admonens illam oratorie mansuetudinis suae.

28. *Violentus.*] Ab imprudentia defensionis. *Abhinc annos quindecim.*] A tempore defensionis.

29. *Eam compressit.*] Bene dixit *Compressit*, quod interdum est non amoris,

sed injuriæ. Neque post illa unquam attigit.] Ita facti poenituit. Hic locus *ἄρτι* & *ἄρτι* est, id est, ab eo quod futurum sit, facilius enim ignoscitur non ultra peccaturis.

32. *Defungier.*] *Defungi*, desinere.

33. *Etate porro minus peccatum putem?*] Quia dixit, *Abhinc annos quindecim.*

34. *Senectus si verecundos facit.*] Modeste & graviter.

36. *Quid mihi nunc adfers.*] Callidius nra est ad ultimum *πρὸς ἑαυτὴν*, converso ad ipsum defensorem mariti, de qua vi contradictionis exultat parasitus, tanquam confecto mortuoque adversario suo.

37. *Exequias Chremeti.*] Bono ordine. primo, *Delirat miser timore. post, Verba sunt mortuo. ad ultimum, Exequias Chremeti.* delirat, moritur, effertur.

38. *Age nunc, age: Phormionem, qui vobis, lacesto.*] Virgilius,

Degeneremque Neoptolemum narrare memento

39. *Faxo tali eum mastratum.*] Pro eo quod est *Eum* * sic frequenter veteres *Ennius*.

Omnes corde patrem præbent, animoque benigno

Circumsum. —

46. *Ignosce. orat. confiterur: purgat.*] Verba venialis status sunt, *Ignosce, confiterur.*

59. *Tu tuum nomen dic.*] Bene *Tu* pro nomine utitur; quia non habet nomen. Nam potentiorum blandimentum circa inferiores hoc fuit, ut nomina eorum quaerent; & quum audissent, ipsis nominibus eos compellarent statim. Tale est in Adelphis, *Qui vocare? Getæ, hominem maxum præti, &c.*


60. *Vestra familia hercle amicus.*] Hoc propter Antiphonis amicitiam dixit. *Et tuo summus Phadria.*] *Amicus*, iterum subaudiendum.

64. *Me ad cenam voca.*] Facete ex persona parasitica beneficii optio facta est; quod promiserat mulier.

65. *Sed ubi est Phadria iudex noster?*] Bene *Iudex*: ad illum enim mulieris delata sententia est, ut quum ita agitur, tuta sint marito omnia. Et per *εἰ γὰρ ἄλλο* ridicule dicitur ab ea. quæ irata erat.

66. *Iudex noster?*] Nihil facitius quam iudicem capi adversus crimen voluptatis paternæ, & amatorem filium, & fratrem Antiphonem, cui nubet furtiva filia. *Iudex noster?*] Terribilis scilicet censor paternarum deliciarum. Videt igitur hinc omnino sublatam uxoris iracundiam.

ÆLII DONATI, V. C. ORATORIS URBS ROMÆ
Roma. Comment. in TERENTII
PHORMIONEM explicat.



ÆLII DONATI,

V. C. ORATORIS URBS ROMÆ,

PRÆFATIO IN HECYRAM TERENTII.

HÆc fabula Apollodori esse dicitur Græca: nam & ipsa & Phormio ab eodem dicuntur esse translata: quum reliquæ quatuor sint Menandri Comici. Hecyra autem dicitur, ideo, quia per socrus & soceros in ea aguntur multa. Nam & *ἑκείνη* & *ἑκείνη*, soceri nomen socrusque significant. Est autem mixta motoris actibus ac statariis: multumque sententiarum & figurarum continet in toto stylo. Unde quum delectet plurimum, non minus utilitatis adfert spectantibus. Atque in hac primæ partes sunt Lachetis, secundæ Pamphili, tertiæ Phidippi, quartæ Parmenonis, ac deinceps aliarum personarum, quæ his adjunctæ sunt. Divisa est autem, ut cæteræ, quinque actibus legitimis: quos in subditis distinguemus. In hac prologus est & multiplex, & rhetoricus nimis, propterea quod sæpe exclusa hæc comœdia, diligentissima defensione indigebat. Atque in hac Protasis turbulenta est, Epitasis mollior, lenis Catastrophe. Acta sane est ludis Megalensibus, Sexto Julio, C. Rabirio Aedilibus Curulibus: Egitque L. Ambivius. Modulatus est eam Flaccus Claudius tibiis paribus. Tota Græca est, factaque & edita quinto loco, Cn. Octavio, T. Manlio Coss. Cantica & diverbia summo in hac favore suscepta sunt. *πρόστυλον* in hac *πρόστυλον*, id est, personæ, extra argumentum duæ sunt, Philotidis & Syræ. In tota comœdia hoc agitur, ut res novæ fiant, nec tamen abhorreant à consuetudine. Inducuntur enim benevolæ socrus, verecunda nurus, lenissimus in uxorem maritus, & itidem deditus matri suæ, meretrix bona.

ARGUMENTVM.

Vitiatam in tenebris ante nuptias, cui annulum extorserat, meretricem amans, dum ignorat Pamphilus, duxit uxorem gravidam ex compressu suo. Quam peregre profectus, quum reliquisset domi, rediens parientem offendit furtim & apud matrem suam. Quare commotus, dum repudium invitis parentibus, & causam repudii nescientibus parat, per meretricem, apud quam annulus inventus est, cognoscit tandem ita, à se vitiatam uxorem, & ex se natum filium. Pri-

mus actus colloquium continet meretricis Philotidis ac lena Syra inter se primum, deinde cum Parmenone: ut per harum personas, que *ομοειπία* dicuntur, argumentum spectatori addiscat. Secundi actus tenor in hoc est: Immeritam uxorem, veluti malam socrum, accusat Laches: & convenit Phidippum de eadem causa. Statim post quorum colloquium conquestio inducitur Sostrata, quod falsum crimen invidiosumque sustineat. Tertio actui hæc adscribuntur; Conquestio Pamphili peregre redeuntis, de amore suo circa uxorem. Paritudo Philumena. Sostrata verba super egritudinem nurus, quam morbo credit afflictam. Fletus Pamphili errantis, quum putat non ex se filium natum esse. Colloquium Parmenonis cum pueris à navi venientibus, ut mox loquatur cum ipso Pamphilo; à quo in arcem mittitur. Item Lachetis, Phidippique, & Pamphili verba de reconcilianda illi conjugè: & eorum ab invicem litigiosa dissensio. Quartum actum hæc complent: Perturbatio Myrrhina ex interventu mariti: & ejusdem cum eo nimis calida ac muliebris astutia disceptatio: Sostrata, Pamphili, Lachetisque colloquium: Inclamatio patris & soceri adversum Pamphilum uxorem recusantem: Conventio meretricis promittentis se iusjurandum matronis exhibituram de non admissio ad se Pamphilo. In quinto actu Bacchidis narratio de intus gestis, & colloquium cum Parmenone inducitur: quem nuntium mittit ad Pamphilum: Pamphilique ad ultimum actio gratiarum apud ipsam Bacchidem. Docet autem Varro, neque in hac fabula, neque in aliis esse mirandum, quod actus impares scenarum paginarumque sint numero: quum hæc distributio in rerum descriptione, non in numero versuum constituta sit; non apud Latinos modo, verum etiam apud Græcos ipsos.

IN PROLOGVM.

Hecyra est huic nomen fabula.] Totus hic prologus subtilem conquestionem continet, ob hoc, ne aperte populum neglecta fabule reum faciat, & facile revocet in favorem.

1. Hecyra est huic nomen fabula.] A nomine cœpit, ut incognitam probaret, & ideo spectandam. Hecyra est huic nomen fabula.] Nominativo casu figuravit: quum in usu sit, ut dativo dicamus, quamvis præsto sint exempla, quibus veteres per omnes fere casus hoc genus locutionis enuntiabant. Hecyra est huic nomen fabula.] Hæc primo data est sine prologo, ludis Megalensibus: quo Sex. Julius, & Cornelius Dola-

bella ediderunt: sed occupato populo studio funambuli, displicuit. Postea data est ludis Funebribus L. Emilii Pauli: quos fecerunt Q. Fabius Maximus, & Cornelius Africanus. Tunc quoque non peracta est, per studium populi circa gladiatores. Tertio ad postremum introducta, Q. Fulvio, L. Martio ædilibus: virtute actorum L. Ambivii, & L. Turpionis est commendata. Hæc quum data est nova.] Ita dicitur, Data est fabula, ut data est cœna, datum est prandium. Et editur, à dato descendit. Hæc quum data est nova, novum intervenit vitium.] Sic & Homerus,

Κῆρσ μέγας μεγαλωσὶ λελασμένος ἰπποουάων.

Et Dari dicitur fabula, quum agitur: stare, quum placet. Hæc quum data est nova, novum intervenit vitium.] *Σύλας* prima: deest enim Huic: & est figura παρανομασία, Nova, novum.

2. Vitium & calamitas.] Bene secundum augures. Vitium enim est, si tonet tantum: vitium & calamitas, si tonet & grandinet simul, & etiam fulminet. Vitium & calamitas.] Translatio est ab augurio: & vitio creati dicuntur consules. Calamitas παρὰ τὸ καλὰ μὲν dicitur: clades, quia clamatur: ut aliud sit grandinis culmum frangentis, aliud furti aut doli mali. Sic Probus.

3. Ut neque spectari.] Vitium, quod non spectata est: Calamitas, quod non cognita. Ut neque spectari, neque cognosci.] Mira defensio. siquidem non iudicio comœdia exacta est, si spectari cognoscique non potuerit: placitura scilicet, si audiretur. Ut neque spectari, neque cognosci.] Ideo theatrum, ideo spectatores, ideo actores: quia major pars in gestu est, quam in verbis. Cognosci.] Vel probari, vel sciri: an Hecyra sciri dicatur, quæ scita sit nomine.

4. Ita populus studio stupidus.] A derivatione causa. Non quia mala, inquit, exclusa est: sed quia populus funambuli admiratione obtupuit: quod infra de gladiatoribus dicit, ad commutationem causa inducendam. Ita populus studio stupidus.] Hic excusatur & populus, qui neque iudicavit de fabula, neque tamen stulte erravit. Stupidus, pro stupens, ut,

Timidisque supervenit Ægle.

5. Pro nova.] Recte: jam enim non est nova.

6. Et is qui scripsit hanc, ob eam rem.] Id est, ob eam causam, quasi dicat non iterum acta est sine causa. Cur ergo non post funambulorum relata est, ubi ille cessaret? in quo maluit avarum Poëtam populo inducere, quam suo operi diffidentem.

7. Iterum referre.] Supervacuum est iterum. Ut iterum possit vendere.] Aliis scilicet ludis. hoc, ut diximus, ad lau-

dem fabulæ referatur: postquam tantum fiducia Poëtæ dedit.

8. Alias cognoscis ejus; quæso nunc hanc noscite.] Mire illi favorem petit ex aliis, quæ spectatori notæ sunt. Ejus.] Poëtæ. Quasi hæc omnino nota sit. At in Andria, quæ omnium prima est, aliter ait,

Ut pernoscat & quid spei sit reliquum: Posthac quas faciet de integro comœdias. Spectanda, an exigenda sint vobis prius.

IN ALTERUM PROLOGVM.

Orator ad vos venio ornatu prologi.] Magna arte hic prologus scriptus est, & nimis oratorie. Nam toriens expulsa fabula, quomodo honeste revocari potuit in proscenium, nisi primo ipsa impudentia pro fiducia proferretur? deinde actor peritissimus ipse Ambivius, probaret & Poëtam & comœdiam, cujus autoritas elucet ex verbis: tum deinde subtiliter novo Poëtæ, à vetusto & magna autoritatis Cæcilio, peteretur exemplum, & peteretur ingeniosissime? Nam quod rudi Terentio contigit, accidisse memoratur veteri Cæcilio: quod huic semel, illi sæpe: quod huic in aliis numquam, hoc illi fere in omnibus, quod huic præter Hecyram & actæ, & probatæ sunt cæteræ: illi partim exactæ, partim vix probatæ. Itaque his omnibus argumentis id actum est, ut neque desperandum sit de Terentio, quod explosus est: ut nihilominus illi tantum attribuendum sit, ut aut par Cæcilio, magno tunc Poëtæ: aut ultro melior etiam esse possit. Hic autem L. Ambivius histrio, fuit actor comœdiarum.

9. Orator ad vos venio.] Oratorem audire oportere, jus gentium est, oratorem non licet injuriam pati. Ideo ergo ne expellatur, non se prologum, sed oratorem nominat. Plautus: Impia sacrete oratorem verberas.

10. Sinite exorator ut sim.] Orator est, dum agit: Exorator quum impetraverit. Ita illud, dicentis: hoc, jam effecti significationem habet. Et orator est, cui causa defendenda mandatur. Eodem ut jure uti senem liceat.] Ut,

Me licent casus miserari infontis amici.

11. *Quo jure sum usus adolescentior.*] Tanquam aliud agens affert exempla, quibus ostendat, turpe non esse Terentio, exclusam esse unam illius fabulam, quum multorum Poëtarum multæ exactæ sint: & in his *Cacili*, cujus illo tempore magna autoritas fuit. *Adolescentior.*] Hæc comparatio minus à positivo sonat, & vim diminutivam exprimit: ut,

Iam senior, sed cruda Deo, viridisque senectus.

12. *Novus qui exactas feci ut inveterascerent.*] Σύνθησις. *Inveterascerent*, denuo agerentur: quia nondum acta, nova dicitur fabula. *Exactas.*] Expulsas. *Inveterascerent.*] In consuetudinem venirent, spectarentur, amarentur.

13. *Ne cum Poëta scriptura evanesceret.*] Causa facti honestior est, non se Poëtae unius, sed ipsius Poëmatis causa laborare:

14. *In his, quas primum Cacili didici novas.*] A simili argumentum, quod fit per comparationem artificiosam & oratoriam rerum ac personarum.

15. *Partim sum earum exactus, partim vix steti.*] Vide, plus esse in exemplo: siquidem partim exactæ sunt *Cacili* fabulæ, partim vix admittæ: quum una *Hecyra* exclusa sit. Et est sensus, aut displicui, inquit, aut in aliquibus vix placui. *Partim sum earum exactus.*] Pro, in aliis. Et simul splendida locutio est. *Partim* adverbium est. Et proprie locutus est. Nam *fabula* aut *agi* dicuntur, aut *stare*.

16. *Quia sciebam dubiam fortunam.*] Non igitur Poëtae culpa, sed casus est, nam ideo fortunæ eventum extulit.

17. *Spe incerta certum mihi laborem sustuli.*] Sententiose, & verum, nam ubi certa spes est, nihil opus est labore certo ac vehementi. *Spe incerta.*] Pro, spei incertæ, an deest in? *Incerta certum.*] Honestæ figura, quæ dicitur ἀπίθεσις.

18. *Easdem.*] Exactas. *Cæpi.*] Difficultatem facti & molimen ostendit. *Ab eodem.*] Cæcilio scilicet.

19. *Novus studiose, ne illum ab studio.*] Πράξιμος. *Ne illum ab studio abânserim.*] Iterum causa honestatis;

20. *Perfeci ut spectarentur.*] Attende quantum pondus habeat, quod non feci dixit, sed potius *perfeci*: ut molem difficultatis ostenderet.

21. *Placita sunt.*] Nota participium sine origine verbi. *Vbi sunt cognita, placita sunt.*] Elegans promissio, & hanc placituram si cognoscat, & est conjectura à futuro tempore. *Ita Poëtam restitui in locum.*] Mire non *Cacili*um, sed Poëtam: ut hoc generaliter populo præstitisse, non uni homini videatur. *Restitui in locum.*] Quia remotum & exclusum, dixit.

22. *Prope jam remmotum.*] Geminavit secundum antiquos, qui omnes in verbis liquidas duplicabant.

23. *Ab studio, atque ab labore.*] Bene ostendit se populo profuisse, *Cacili*um Poëtam ad laborem revocando. *Atque arte musica.*] Ab tertio commode subaudiendum est: ut,

Hic portas alii effodiunt, hic alta theatri Fundamenta locant alii, immaneque columnas

Rupibus excidunt, scanis decora alta sustur.

24. *In presentia.*] Statim ut à populo ejiciebatur.

26. *Vt in otio esset portus quam in negotio.*] Ex ipsis rerum nominibus ostendit facilitatem deterrendi.

28. *Nunc quid petam, mea causa.*] Bene petam & mea causa, quasi orator. *Mea causa a quo animo attendite.*] Commendatio personæ lævis, per aliam personam gravem, secundum præcepta in Rhetoricis;

29. *Hecyram ad vos refero.*] A causa principium narrationis inducitur. *Hecyram ad vos refero.*] Principium à principali questione, an cognita sit, & an spectanda sit. *Quam mihi.*] A persona dicentis.

30. *Ita eam oppressi calamitas.*] Hoc succedit pro illo, quod est à persona adversariorum. Simul ad fortunam reulit culpam populi: non enim dixit quod præsto erat.

31. *Eam calamitatem.*] *Calamitatem* repetit; ne nos fabulam illum dicere putarem. *Vestra intelligentia.*] Ab audientium persona;

32. *Nostri industria.*] Rursus à sua, & bene *πειραξασί* usus est: ne diceret, vos nobis.

33. *Quum primum eam agere cæpi.*] Jam hinc narratio subtilis inducitur, & ut non lædat populum, & ut defendat Poëtam. *Pugilum gloria.*] Πειραξασίς ἀπὸ τῶν pugiles etiam gloriosi: ut minus turpe sit, anelatos eos esse. Sicut *Virgilius*,

— vastis cum viribus effert
Ora Dares, magnoque virum se murmure tollit,
Solum qui Paridem solitus contendere con-

tra.
Hæc est gloria pugilum, gratia funambuli. *Pugilum gloria.*] *Pugil* dictus est à pugna: & *pugna* à pugno. Veteres namque ante usum ferri & armorum, pugnis & calcibus, & moribus, corporumque luctatione certabant. *Pugilum gloria, funambuli eodem accessit expectatio.*] Πολυλογία. *Funambuli eodem accessit expectatio.*] Duplex causa ad unam exclusionem adhibetur. *Accessit expectatio.*] Narratio cur exclusa sit, hoc est, non Poëtae culpa dejecta est, nec iudicio populi: & ideo nunc admittenda est. *Expectatio.*] Desiderium, ut *Virgil*.

— Expectate venis.
35. *Comitum conventus.*] Utrum eos comites dicit, qui sunt pugilum affectatores? an servos, qui dominos sequuntur? *Studium.*] Certamen diversis fauentium. *Clamor mulierum.*] Bene mulierum: non enim timet eas, quibus suffragari vel reflagari non licet in theatro.

36. *Vt ante tempus exirem foras.*] Τὸ πρότερον, ne gravem passus videatur injuriam.

37. *Vetere in nova.*] Ἀπίθετον primum. *Vetere in nova cæpi uti consuetudine.*] Nisi novam comœdiam intellexisset, non erit aperta sententia, nam & supra dixit, *Nunc hac plane est pro nova.* An à Terentio nova ideo dictum est, quia nunquam alias exclusus est? Et bene *vetere*: ut ostendat, turpe non esse, quod & aliis Poëtis sæpe contigerit.

38. *Refero demmo.*] Aut re abundat, aut denur.

39. *Primo actu placeo.*] Rationabiliter dixit primo: quia quinque sunt actus, partes fabulæ. *Placeo.*] *Placeo* dixit pro eo quod est, fabula placet, aut *Terentius*. Et mire, Non diu, inquit, pependit iudicium, sed statim placuit: ut quod sequitur, non iudicio, sed perturbatione factum sit. *Cum interea rumor venit datum iri gladiatores.*] Hoc abhorret à nostra consuetudine: veruntamen apud antiquos, gladiatores in theatro spectabantur.

40. *Datum iri.*] *Iri* dixit, ut fabulam commendat: ut & omnia spectatori & populo dicantur.

42. *Non potui tutari locum.*] Facete repetit locum.

43. *Nunc turba nulla est.*] Ἄνταπόδοσις αἰεὶ τὸ tumultuantur. *Turba*, id est, ὄργος. *Nunc turba nulla est: otium & silentium est.*] *Turbam* reulit ad id quod supra dixit, *Clamor mulierum. Otium, αἰεὶ τὸ pugnant. Silentium, αἰεὶ τὸ clamant.* *Nunc turba nulla est: otium & silentium est.*] Quæ adhortatio per enumerationem.

44. *Agendi tempus mihi datum est.*] Ab Edilibus scilicet.

45. *Vobis datur potestas condecorandi ludos scenicos.*] Quasi & aliquid agat populus, quum spectet.

46. *Nolite sinere per vos.*] Σχῆμα ὕποψου, ἢ τὸ εὐκὸν ἐπιπληξίς. *Artem musicam.*] Oratorie: quasi non Terentii causa agatur, sed artis musicæ.

48. *Mea auctoritati.*] Quia jam senex est, *Mea auctoritati faulrix, adjuvrixque sit.*] Qua Terentium probo, & est figura ἀναλογία. Vult autem se esse ejus auctoritatis, ut & populo placere jam debeat, qui ipsi placet.

49. *Si nunquam avaro.*] Commendatio ab ante dictis, id est, à personæ adtributis. *Si nunquam avaro.*] A meritis defensoris argumentum ad laudem fabulæ. *Si nunquam avaro.*] Per hæc verba Terentius vult demonstrare, quam gravis author sit, qui suas comœdias prober. Sic *Horatius*,

— ea quum respondere coneris
Quæ gravis Æsopus, qua doctus Roscius egit.

50. *Et eum esse quæstum, in animum induxi.*] Modo non nunquam subauditur: sed si, ut sit, Et si eum esse, &c. *Maximum, quam maxime.*] Inique Iniqui, παρόμοιον.

51. *Quam maxime servire vestris commodis.*] Plus dixit *Commodis*, quam si diceret *Voluptatibus*.

52. *Sinite impetrare me, qui in tutelam meam.*] Ordo est, Sinite impetrare me, ne eum circumventum inique iniqui irrideant, qui in tutelam meam studium suum, & se in vestram commisit fidem.

55. *Mea causa.*] Quasi orator, *causam* dixit. *Mea causa, causam* hanc accipite.] Hoc oratorie, sic enim fit, quum persona ad commendationem affertur. *Mea causa, causam.*] Παρομοία Et *Date silentium*] Quasi fabulæ Poëtæ.

56. *Vi libeat scribere aliis.*] Oratoriæ. *δοῦν δ' * ε' CATHOS.* *Mihique ut discere novas expediat.*] Proprie *Discere*, docet enim Poëta, discit scenicus.

57. *Novas expediat posthac.*] Ab utili argumentatio est, & bene, *Vi expediat*: tanquam facturus sit, & si non expeditur, dum quæstum maximum servire populo putat. *Pretio emptas meo.*] Æstimatione à me facta, quantum Ædiles darent: & proinde me periclitante, si abjecta fabula, à me pretium, quod Poëtæ numeraverint, repetant. Ergo *meo*, à me facto, à me statuto. nam quomodo alibi dixit, *Postquam Ædiles emerunt.* Et bene, ut sequatur populus iudicium ejus, qui æstimare verè fabulas potuerit. *Pretio emptas meo.*] Ut quidam volunt, periculo.

IN SCENAM PRIMAM

ACTVS PRIMVS.

Per pol quam paucos reperias meretricibus fideleis. Novo genere hic utraque αὐτῶν τῆς αἰσώσεως inducuntur. Nam & Philotis & Syra non pertinent ad argumentum fabulæ. Hoc autem maluit Terentius, quam aut per prologum narraret argumentum, aut δὲν δὲν μνησθεὶς induceret loqui.

1. *Per pol quam paucos reperias.*] Hæc personæ Terentii more extrinsecus allumuntur, ut sic argumenti obscuritatem spectator effugiat. *Per pol quam paucos.*] Animadvertendum est in hac fabula, Terentium, bonam meretricem inducituram, ne id contra morem videatur facere, etiam aliam meretricem non malam inducere: ut id exemplis fiat tritius, & usu verisimile. *Per pol quam paucos.*] Ordo est, *Pol perquam paucos reperias.* Nam *per pol*, non est Latinum, sed τῆς πῶλον *perquam*, id est, nimio. *Quam paucos.*] Quidam non paucos, sed paucis legunt. sic enim Apollodorus ἀπὸ ICHPAS THC rei IONHNC THRAICCI ΠαρρησιαίωC * *Reperias.*] Aprum verbum ad raritatem, & ideo non dixit *pauci sunt*, sed *paucos reperias*: quasi quærens. Non autem reperitur, nisi quod quæritur: non quæritur, nisi quod præsto non sit.

2. *Fideleis.*] Hujusmodi sententias rhetores *ἔγνωτας* vocant. Et mire, non *Esse*, sed *Evenire* dixit: ut non rationis, sed casus sit id, quod rarissimum est. *Fideles.*] *Fidi*, in maximis: *Fideles*, in minoribus negotiis.

3. *Vel hic Pamphilus.*] Transitus à generali sententia ad specialem. *Vel.*] Nunc. *veluti*: alias conjunctio disjunctiva est, alias correptionem significat: ut apud Ciceronem, *Vel optimam Messana vitam.* *Virgilius.*

Carmina vel caelo possunt deducere lumen.

Aut vel, ut modo. Jurabat quoties Bacchidi quam sancte?] Tria sunt: quod jurabat, & quoties, & quam sancte. Quod totum de more amatorum & meretricum dixit, quæ jurejurando teneant, quos lege non possunt.

4. *Vi quisvis.*] Non modo Bacchis, quæ amica erat.

5. *Numquam illâ vivâ ducturum uxorem.*] ΠαρρησιαίωC prima, jurabat numquam illâ vivâ uxorem ducturum.

6. *Hem! duxit.*] Pronuntia ut mirantem ostendas. *Hem duxit.*] *Hem* adverbium demonstrantis est: ut, *Hem aliter.* Ergo propterea.] Modo ergo affectum exprimit reprehendentis, tarde sibi consentientem, vel sic *Virgilius.*

Ergo

Ergo age, chare pater, cervici imponere nostræ.

Propterea sedulo.] *Sedulo*, instanter, & ex animo: sine dolo.

7. *Et moneo, & hortor.*] *Moneo* consilio, *Hortor* impulsu. *Ne cuiusquam misereat.*] *Deest te.*

8. *Quin spoliis, mutilis, laceres.*] *Quin* pro quominus. Et magna persuasio est ad malefaciendum. *Spolies.*] *Spoliare* est, non minimam partem auferre. *Mutilare*, aliquid detrahere, sine quo res esse non possit. *Lacerare* autem, quum omnino non habeas, quod imminuas. *Mutiles*, imminuas: unde *mutili* dicti sunt boves, aut capri, sine cornibus. nam male, quia multa putant dici. & inde *Mulciber* Vulcanus quod sit mutilatus ac debilis: id est, claudus. nam proprie *Mulciber* dictus est, quod omnia mulceat, id est, molliat ac vincat.

9. *Vtin' eximium neminem habeam?*] *Vtin'* pro *ut ne*. ἀπό τῆς ὀφῆς. Et perseverat in ὀμνῶν. Nam *eximia* pecora dicuntur, quæ à grege excepta sunt ad usus dominorum suorum: ut uberius pascantur. Sed proprie *eximii* sunt porci majores, qui ad sacrificandum excepti liberius pascuntur. Etenim boves, qui ad hoc electi sunt, egregii dicuntur. Et *oves lectæ*, ut *Virgilius.*

— *Mactant lectas de more bidentes.* Ita & porci *eximii*. *Vtin' eximium.*] *Deest, Censes:* ut sit, *Censes* ut eximium neminem habeam? vel certe, *doces?* *Vtin' eximium.*] Separatum ex omnibus, Proprie *eximius* porcus est, exemptus à grege, atque signatus macula aut nota. *Habeam.*] *Deest Censes*, aut *Vis*, aut *Mones*.

10. *Nam nemo quisquam.*] ΠαρρησιαίωC tertium. nam abundat *Quisquam*. *Scito, ad te venit.*] Bene additum est *Scito*: & moraliter, & acutius pronuntiandum, est enim verbum illorum, qui familiares corrigunt.

11. *Quin ita paret se.*] Hoc verbum *Paret*, adversum munificos & segnes sumitur. Ut alibi, *Piane te parasti, ut spes nulla reliqua in te fiet tibi?* *Abi te.*] Pro, ex te

12. *Suam voluptatem expleat.*] Bene *expleat*, quod contrarium meretrici est,

amatorem voluptate fatiari.

13. *Hiscine.*] Ἐρώτησις. Id est, talibus, & vide si pulchra meretrix puella est. *Insiabiare.*] *Insiabiari* malum est: sed contra *insidiari*, justum est.

14. *Tamen eandem pol esse omnibus injuriam est.*] Idem aliter, & vehementius intalit, nam pejus est eandem esse omnibus, quam nullum excipere. *Injurium.*] *Iniquum.* *Injurium* autem indignantis modo significatio est: & vim adverbii habet.

15. *Vlcisci adversarios.*] De more *Adversarios* mutato nomine posuit, dum venim fuerat, si amatores diceret.

16. *Qua via te capient.*] *Qui* te capiant sæpe, tu eos vel semel cape.

17. *Eheu me miseram!*] Bene, quia non persuasit: sed affectum doloris expressit. Intelligitur enim ex vultu ejus, non eam persuasisse quod voluit. *Eheu me miseram! cur non aut istac mihi atas, & forma est.*] Ἐμπαθῶς ait, quod reliquum est: quia quod volebat, persuadere non potuit, & bene *istac atas & forma*: quia utrumque non habet, & mire è contrario descripta est deformitas Lenæ, & formam & voluntatem malam gerentis. *Aut tibi hac sententia?*] Δεικτικῶς, simulque, ostendit secundum φυσικῶς μικρῶς, difficile deformem reperiri bonam.

IN SCENAM SECUNDAM

ACTVS PRIMVS.

Senex si quæret me, modo esse dicito.] Hoc servus dixit, in scenam de proscenio respiciens. *Dua conjectura sunt in hac scena: an vere sint nuptia: & an verisimile sit, abstinere potuisse adolescentem à virgine sibi nuptum tradita.*

1. *Senex si quæret me.*] Magis expressit consuetudinem, dicendo *Senex*: quam si diceret, *Dominus major*. *Senex si quæret me.*] Ut ex verbis suis tam meretrix, quam lena descripta est: ita & Parmeno ipse qualis sit, ostenditur ex sua locutione. Exeundi autem causa de argumento sumitur: quia Pamphilus absens est, & expectatur in dies ejus adventus. *Senex si quæret me, modo esse dicito ad per-*

○○○○

rum.] Hæc omnia submissa & veloci pronuntiatione efferenda sunt, hoc enim desiderant hujusmodi verba, utpote & ferri & festinantis.

2. *Percontatum adventum Pamphili.*] Honestam causam dixit, id est, Pamphili adventum. Et *percunctatum*, & *percontatum* scribitur, sed *percontatum* à con- to dicitur, quo nautæ utuntur ad explo- randa loca navibus opportuna. si vero *percunctatum*, ab eo quod à cunctis per- quiratur, dicitur.

3. *Audin', quid dicam, Scirte?*] *Audis*: modo, sentis, intelligis, ut *Virgilius*, *Progeniem sed enim Trojano, à sanguine duci*

Audierat —
Item alibi,

— *Neque audit curvus habenas.*
Audin', quid dicam, Scirte?] *Audis* mo- do pro advertis. *Audin', quid dicam, Scirte?*] Convenit nomen servo puero, *παῖς τὸ κριτῆν*, quod est gestire & lu- dere. *Scirte.*] *Κάρον ἐξωσῶν* inducitur.

4. *Nullus.*] Pro non.

5. *Alias ut uti possim.*] Inter *alias* & *alia*, hoc interest: quod *alias*, alio tem- pore significat: *alia* aliter, aut per alia. *Integra.*] Non dicta.

6. *Sed videon' ego Philotium?*] Mire inventa est causa narrandi ideo, quia pe- regre venit meretrix: alioquin si Athe- nis esset, omnia sciret. *Sed videon' ego Philotium?*] Sic solet dubitari, adve- nientibus ipsis, quos post multum tem- poris intervallum vident. *Vnde hac ad- venit?*] Cum quodam contemptu ejus, *Hæc dicit Parmeno.*

8. *Salve mecastor, Parmeno.*] Olim salutantes addebant jusjurandum, ut hoc sedulo facere viderentur. *Me.*] Aut ad- jectio est, & abundat: aut positum est pro *μα* syllaba: ut Græci *μα* & *ἄπολ- λονα* dicunt. *Et tu adepol, Syra.*] Irrit- fit ad *Mecastor*, addendo *adepol*, & quod illa *Parmeno*, ille hæc addidit *Syra, Syra.*] *Sura* veteres legerunt, *Y* pro *Y* pōnen- tes: ut *Musia*; *Suria*.

9. *Dic mihi, Philoti.*] Vide licen- tiam: supra *Philotium*, hic *Philotis* di- xit, *Vbi te oblectasti tam diu?*] Facete di- ctum meretrici: non, *Vbi fuisti?* sed, *Vbi te oblectasti.*

10. *Minime equidem me oblectavi.*] *Me* acutius proferendum est: & responderet *ὄχι τὸ τε.*

11. *Corinthum hinc sum profecta.*] *Hinc* magnum ostendit dolorem habere Phi- lotion, quod relictis Athenis Corinthi habitaverit. *Cum milite Corinthum hinc sum profecta inhumanissimo.*] Multa dixit: & *milite*, & *hinc*, & *inhumanissimo*. *In- humanissimo.*] Quid potuit de milite dici, nisi in superlativo? namque omnis miles inhumanus: hic vero inhumanif- simus. *Corinthum hinc sum profecta.*] Hæc argumenta sunt, an se oblectare potuerit à persona, quia miles inhu- manissimus, a loco, quod hinc profecta: à tempore, quod biennium: à re, id est, ab injuria quam tulit.

12. *Biennium ibi perpetuum.*] Ut con- tinuationem sui casus ostenderet, *perpe- tuum* dixit. *Miseria.*] Muliebris inter- positio, *Tò Misera. Illum tuli.*] Non, cum illo fui, sed *Tuli*: adeo non me oblectavi.

13. *Desiderium Athenarum.*] Quod Co- rinthum profecta es. *Athenarum arbi- tror.*] Quod dixit *hinc* ante *πεδίκω* & *Athenarum*, & *ἀμφιβολία* te *deside- rium cepisse. Edepol te desiderium Athe- narum arbitror cepisse sepe.*] Quod cum milite inhumanissimo.

15. *Consilium contempnisse.*] Poenitudine esse possessam.

16. *Huc redeundi.*] Iterum à loco. *Abeundi à milite.*] A persona. *Vosque hic videndi.*] A re. *Redeundi, abeundi, vos- que hic videndi.*] Oratoric unam rem in tria divisit, *Huc redeundi, Abeundi à milite, Vosque hic videndi*: ut diceret, *Huc veniendi.*

18. *Agitare inter vos libere convi- vium.*] Inter *agere* & *agitare* hoc inter- est: quod *Agere*, est aliquid vel neces- sarium facere: *Agitare*, voluptarium. Ergo *Agitare*, exercerem.

19. *Nam illic haud licebat nisi præsinito loqui.*] Legitur & *illi*: ut sit circumfle- xus accentus, & significet illic: ut, *illi mea tristitia facta*, & absolutum est, *Præsinito.*] Deest tempore aut quid tale. *Nisi præsinito loqui.*] A tempore. Hic ostendit, quid dixit supra, *tuli*, & quid sit:

Agitare convivium libere.

Nisi præsinito loqui qua illi placerent.] Duo dixit: & *Præsinito*, & *Qua illi placerent*: ut neque quantum velles, neque quod velles, diceres. *Haud opinor commode.*] *Commode*, pro blande, & bene: ut, *Nunquam tam dices commode.*

21. *Finem statuisse orationi militem.*] *Argute militem*: quia quasi inimicus sit orationi, quæ in pace plurimum potest.

22. *Sed quid hoc negoti est?*] Hic ad ar- gumentum nunc descendit. In Phor- mione, *Sed quid tu es tristis?* prælati sci- licet allocutionibus, & separatarum & permistarum personarum: ne jejune ad argumentum veniens, non agere fabu- lam, sed narrare videretur. *Quid hoc ne- goti est?*] Bene addidit *negoti*, ut augeter invidiam facti, nam potuit dicere, *Quid hoc est?* Sed, ut diximus, ad invidiam & magnitudinem rei, *Negoti* dixit, *Qua narravit mihi.*] *Qua*, qualia scilicet, & quanta. *Modo quod narravit mihi.*] *Qua*, legendum est: ut sit, qualia & quanta: & hoc *ἔρ. ἰσοκρίσει.*

23. *Quod ego numquam credidi.*] Hoc totum cum invidia pronuntian- dum ex animo meretricis, quæ facinus indignum nuptias putat.

24. *Vt hac ille viva posset.*] Mire offen- dit ex eisdem verbis eandem hanc esse, quam supra dixit, *Numquam illa viva uxorem ducturum posset animum indu- cere.*] *Quasi*: in rem duram & imma- nem.

25. *Habere autem?*] Ostendit pronun- tiatione, quod prope est, ut non habeat.

26. *Sed firma ha vereor ut sint nuptia.*] Bene pro persona servi, qui vult domi- num uxorium esse magis, quam amato- rem Bacchidis, *Sed firma vereor.*] Ani- madverte *Terentium* in nuptiis hoc di- ctum servare, utrum firmas an infirmas dicat nuptias. *Vt.*] Ne non.

27. *Si in rem est Bacchidis.*] Bene ad- ditum, *Si in rem est Bacchidis*: ut osten- deret, se non malignitatis, sed benevo- lentia causa, talia vota suscipere. *In rem.*] Pro, utilitatem: *Abre*, contra utilitatem.

28. *Sed qui istuc credam?*] Id est, nu- ptias esse infirmas. *Sed qui istuc credam, ita esse? dic mihi, Parmeno.*] Superiore voto excusavit crimen curiositatis: jam

videtur post Bacchidem audire velle.

29. *Non est opus prolato: hoc percontarier desiste.*] Vide quam convenienter Poëta, quum id agat, ut narrantem Par- menonem inducat, tamen multis diver- ticulis morales facetias internectat. *Non est opus prolato: hoc percontarier desiste.*] Incerta distinctio, utrum, *prolato hoc*, an *hoc percontarier*.

31. *Ita me DI bene amabunt.*] Pro a- ment: ut,

— *donec regina sacerdos*

Marte gravis geminam partu dabit Iliis prolem.

32. *Vt hoc proferam.*] Prodam, Bac- chidi scilicet, vel cuilibet. *Mecum gaud- deam.*] *Mecum*, intra me, *Virgil:*

Hæc secum. —

33. *Nunquam dices tam commode.*] Hæc pronuntiatio ejusmodi esse debet, ut ex ea appareat prope delinitum Par- menonem, vix se posse continere quin narret. *Numquam dices tam commode.*] Quasi ex parte labefactus est: sic enim loquitur.

34. *Ab noli, Parmeno.*] Artificiose se- fingit audire nolle, ut tacitura credatur, si audierit: quia curiositas signum est loquacitatis. Sic *Horat.*

Percontatorem fugito, nam garrulus idem est.

35. *Quasi non tu multo malis.*] Deest, *Ita dicit*: ut sit, *Ita dicitis quasi.* Et nunc *Philotis* non est instantior hac calliditate, ut magis servum ad dicendum pro- vocet. *Quasi non tu multo malis narrare hoc mihi.*] *Ἐλάτεις*: deest enim, *Ita gravaris dicere*, aut *Ita negas te esse locutu- rum.*

37. *Et illud mihi vitium est maximum.*] Servile vitium est, tacere non posse. *Vera hac prædicat. Et illud mihi maximum vi- tium est.*] Hæc lentius apud sese: illud clare, *Si mihi fidem das*, Etiam alia se habere vitia, exceptione significat, in hoc quod dicit, *Illud mihi vitium ma- ximum est. Si mihi fidem das.*] Animad- verte, his dilationibus etiam spectato- rem suspendi, quo libentius audiat, *Si mihi fidem das.*] Fideliter, pro *des*.

38. *Ad ingenium redis.*] Quia à se dis- cesserat, si taceret. *Cicero, Rediit ad se.*

39. *Hanc Bacchidem amabat, ut cum*

maxime.] Eiusmodi est hæc tota narratio, ut defensionem adolescentis continere videatur: quod meretricem amicam necessitate coactus deseruerit. Mire igitur, unde quaestio est, inde coepit: *Amabat*, inquit, *Bacchidem*. Sic & in secundo *Virgilius*, an fortiores Græci Trojanis:

-- *fracti bello*, inquit, *fatisque repulsi*
Ductores Danaum. ---

40. *Bacchidem amabat.*] Ordo & sensus hic est, Hanc Bacchidem tum amabat Pamphilus, ut cum maximè amabat, quum pater uxorem, ut ducat, orare occipit. Et *Vi* positam pro *quemadmodum*. Et *maxime* bis numero subauditur. Et *cum maxime*, una pars orationis est: aut *cum maxime*, pro nimis.

41. *Quum pater.*] *Quum*, modo adverbium est temporis, pro *quando*. *Orare occipit.*] Maxima necessitas est, orans pater.

42. *Et hæc, communia omnium.*] Quid si injustum est, quod orabatur? ostendit iustum, & frequentatum, quod dicebat pater.

43. *Sese senem esse dicere.*] Omnem causam adolescentis senex amputavit, pro suo senili commodo rogans: potuisset enim adolescens dicere, *Quam pro me curam geris, hanc precor pro me deponas. Senem esse dicere.*] Illud possit agere amator contra utilitatem suam: sed non poterat filius contra utilitatem patris. Ergo ut cogeret pater, suam causam interponebat.

44. *Prasidium velle se senectuti suæ.*] *Prasidium senectutis*, sobolem & successorem dicit.

45. *Ille primo se negare.*] Utrum deest *ducere*? an *negare se nuptiis*. *Sed postquam acrius pater instat.*] Tria dicit, & *Acrius*, & *Pater*, & *instat*. *Sed postquam acrius pater instat.*] Postquam, inquit, acrius instat, non compulsus est Pamphilus, sed tantum deliberavit. *Pater instat.*] Major vis est quum pater instat, quam quum rogat.

47. *Pudorine, anne amori obsequeretur magis.*] Sic ostendit in utramque partem, ut tantum in animo honesti adolescentis pudor amorem vincere debuisset. *Pudorine anne amori.*] *Ἀνακόλουτος.*

non enim præposito *utrum* intulit *anne, Pudorine, anne amori.*] Latens excusationis ratio explicata est. *Pudori*, Patris scilicet: *Amori*, Meretricis.

48. *Tundendo, atque odio.*] *Tundere*, est sapius idem repetere: translatio à fabricorum malleo. *Odio.*] Assiduitate, attendenda est difficultas uniuscujusque verbi. *Tundendo, atque odio denique effecit.*] Denique temporis longitudinem significat. *Effecimus* vero, quod cum magno conatu & molimine facimus, vixque per nos finem accipit. *Tundendo, atque odio denique effecit senex.*] Mire interposuit moras, ad postremum confesurus uxorem ductam. Primo, inquit, negavit: post, deliberavit: ad postremum, duxit. Non, inquit, ipse: sed effecit hoc senex. Ita mutatione personæ totam voluntatem adolescentis absoluit. *Denique effecit.*] Oratorie tempus apposuit: nam hoc significat *Denique, Odio.*] Hoc est, instantia.

49. *Respondit ei gnatam.*] Vide, non hic dici, *Duxit uxorem Pamphilus*: sed totum ad patrem referri.

50. *Neuiquam.*] Non nimis.

51. *Donec jam in ipsis nuptiis.*] Nota locutionem sensu magis, quam verbis manifestam. *Donec jam in ipsis nuptiis.*] Deest, Positus constitutusve ita doluit, & ægre tulit. Aut repetere debemus sic, In ipsis inquam nuptiis. *Donec jam in ipsis nuptiis.*] In mentione nuptiarum effervescit animus amatoris.

52. *Nec moram ullam, quin ducat, dari.*] Ubi nec aliquam dieculam vel dilationem videt ad nuptias. *Quin.*] *Quominus.*

53. *Ibi demum.*] Denique, postremo. Et mire additum est *Ibi*: quia male pendebat, *In ipsis nuptiis*. & sic est, quasi dixisset, *In ipsis inquam nuptiis*. *Demum ita ægre tulit, ut ipsam Bacchidem, si adesset, credo ibi ejus commiseresceret.*] Hoc *ἄνευ Γοινοῦς*, ut *Virgilius*, Vel *Priamo miseranda manus*. Ut *ipsam R. Bacchidem*.] Quæ nunc accusatrix est. Et est argumentum ab animo. *Ægrè tulit.*] Idem *Virgilius*:

--- *quis talia fando,*
Myrmidonum Dolopumve, aut duri
miles Ulyssis.

Temperet à lachrymis? ---

54. *Credo ibi.*] *Ibi*, pro *Tum*.

56. *Vi colloqui mecum una posset.*] *Παράλλω* tertium. Et argumentum à persona, quod ait, *Mecum. Parmeno, perit.*] Argumentum à dictis: quod ait, *Parmeno, perit.* Moraliter, & antonomastice nomē repetit. Et significanter fecit, non addendo *Dicebat*, & in *ῥωυπηκὸν à διηγηματικῶν* transeundo. Et mire interposuit nomen, ut affectum doloris ostenderet. Sic *Virgilius*:

Anna: fatebor enim. ---

58. *Parmeno. Ecce. Parmeno.*] *Ἐν ἡδὲ* repetit nomen.

59. *At te Di Deaque perduint.*] Obtinuit & persuasit servus, nam jam meretrix seni irascitur, non Pamphilo. *Cum istoc odio.*] Cum instantia ac molestia.

60. *Ad pauca ut redeam.*] Tanquam multa sint, quæ de Pamphili amore dici possint. *Ad pauca ut redeam.*] Præceptum oratorum in longa narratione, pro veritatis inquisitione, reddit enim auditori acriorem, quem spes finis recipit fatigatum. *Vxorem deducit domum.*] *Vxor* dicitur, vel ab unguendis postibus, & fingenda lana: id est, quod quum puellæ nuberent, maritorum postes ungebant, ibique lanam figebant, vel quod lotos maritos ipsæ ungebant, cujus rei testis *Ennius*:

Exit Tarquinium bona fœmina lavit & unxit.

61. *Nocte illa prima.*] Pronuntian- dum acutius *illa prima*: quasi dicat, plena desiderii, plena cupiditatis. Similiter addidit *Virginem*, & expresse, *Non attigit nocte illa prima*. Quasi dicat, plena amoris & plena dulcedinis: ut mirum sit quod inferatur, *Non tactam virginem*. Et hic argumentum est, quanta fecerit Pamphilus erga amicam suam. *Virginem non attigit.*] *Virginem ἐμπαῖος* est: quamvis non amatam, virginem tamen, & non dixit, non amplexus est: sed, *Ne attigit quidem*.

62. *Qua consecuta est nox*] Eam primam noctem scilicet. *Nihilo magis.*] Quasi in nihilo possit esse magis aut minus. Et *nihilo magis*, asseverationis est.

63. *Quid ais? cum virgine una.*] Inve-

nitur quasi interjectio *una*, id est, simul uno loco. *Cum virgine.*] A persona, *Vna.*] A loco, *Adolescens.*] A persona, *Cubuerit.*] Ab habitu & occasione, *Cum virgine una adolescens cubuerit.*] Argumenta in conjecturam necessario posita: quibus *Terentius* ex utraque parte disputans, τὸ ἀπὸ Δαίμονος purgat, ne quis illum stulte hæc posuisse judicaret. Hæc enim meretrix tarde credit argumentis, ne à Parmenone vincatur. Hinc est quod ait *Horatius*,

Vincere Cacilius gravitate, Terentius arte.

64. *Plus potus.*] Ab impulsione, & ex accidentibus.

65. *Non verisimile dicis.*] *Ἀδύνατος* perversa: prius est enim verum, deinde verisimile. Sed ideo sic dicit, quia est sæpe non verisimile, verum tamen: ut, *Decios pro alieno commodo mori voluisse. Non verisimile dicis.*] Hoc jam plus est, tantum eum amasse Bacchidem, quantum non possit credi.

66. *Credo ita videri tibi: nam nemo ad te venit.*] Magno compendio usus est, non ostendens cur hoc falsum sit, quod putet meretrix, sed cur hoc putet. ita ex ejus persona totum refellitur, quod objicit.

67. *Ille invitus.*] *Invitus* dicendo, quasi admonet iterum iterumque, ut *Virgilius*,

--- *Italiam non sponte sequor.*

68. *Quid deinde fit?*] Interponitur persona ad exitum festinans: ut alibi, *Quam metui quorsum evaderes. Diebus sane pauculis post.*] Hic exitus est.

69. *Pamphilus me solum seducit foras.*] Ne testis quisquam & arbiter secretorum interveniat. *Me solum seducit foras.*] Familiaris in servo jactantia, de dominorum familiaritate, simul quia decens est, ut per eum, quid gestum sit, spectatores sciant.

70. *Narratque, ut virgo à se integra etiam tum set.*] Hoc est illud quod supra dixerat, *Nocte illa prima virginem non attigit.*

71. *Seque ante, quam eam uxorem duxisset domum.*] Bonus color purgationis: diceretur enim, Quare si illam odio habebat, ducebat uxorem.

72. *Tolerare posse.*] *Tolerare*, verbum est male patientis.

73. *Quam decreverim me non posse diutius habere.*] *Ἀποστροφὴ καὶ ἠδυστοία, ἀνυμνήσεως εἰς μὴ μνηστέω.* *Decreverim.*] Statuerim & defixerim.

74. *Eam ludibrio haberi.*] *Honesto verbo & pudoris pleno usus est: & nove pro vitari.*

75. *Quin.*] *Quominus. Integram.*] Id est, honestam. non enim dixit, *Spoliatam virginem* aut mulierem, *Ut accipi à suis.*] *Vigilanter* quidem *integram* specificat: id est, talem, qualem accepit à suis, potuit enim vitiatam accepisse, ut saepe evenit. Ergo non abundat, *Ut accipi à suis*, sed habet significationem.

77. *Pium ac pudicum ingenium narras Pamphili.*] *Erga meretricem Pium. Pudicum* erga virginem. *Cogitur pium dicere Pamphilum*, quem perjurum putabat. *Pium & pudicum ingenium narras Pamphili.*] An simul erga virginem & pium & pudicum? an pium erga meretricem, pudicum erga virginem.

78. *Hoc ego proferre.*] *Verba Pamphili sunt: non ut quidam putant, ad personam Parmenonis referentes. Hoc ego proferre.*] *Amorem scilicet meretricis.*

79. *Cui nihil dicas vitii.*] *Nunc Vitii, culpa uxoria.*

81. *Abiuram denique.*] *Denique*, moram significat, & postremam tarditatem, itaque postremo, vel sero abiuram indicat.

82. *Quid interea.*] *Exultantis est, & gestantis audire. Interea.*] *Inter eos dies.*

83. *Postquam hunc alienum ab sese videt.*] *Pro Alienatum* dixit, ut in Phormione, *Quid ego vobis. Geta, alienus sum?* Nam quomodo *Alienum*, si amabat, dixisset? *Postquam hunc alienum.*] *Oratorie*, non jam *Bacchidem* excusat, quam à verisimili causa vult inducere, quod ipsa sit in Pamphilum durior. *Alienum ab sese videt.*] *Id est. maritum: nam hoc nomen à meretricibus alienum est.*

84. *Maligna multo.*] *Maligna*, difficilis ac superba. *Malignus* est, qui difficultatem sui ostendit. *Procax.*] *Dispoliatrix & petax. Procax* enim, est petese. *Virgil.*

— *Procacibus austeris.*

id est, impudentibus. nam qui multa petit, impudens est & procax. Unde & *Proci* dicti sunt, qui filias alienas in matrimonium petierunt.

87. *Non ad pol mirum.*] *Obtinuit quod volebat Parmeno. nam credidit Philotis injuriam factam Pamphilo. Atque ea res multo maxime.*] *Opportune concitatus Pamphilum defendit Parmeno, postquam Philotis inducta est, ut fateretur injuriam factam. Atque ea res.*] *Atque, imo. Legitur & Atque.*

87. *Et illam.*] *Meretricem malam. Et hanc, qua domi erat.*] *Uxorem modestam. Et illam, & hanc qua domi erat.*] *Illam* quæ meretrix esset: *Hanc*, id est, uxorem. *Cognovit.*] *Diligentius & attentius consideravit, nam Cognoscere, est diligenter & attente considerare. Cognovit satis.*] *Bene satis, ex ipsius moribus, & ex meretricis.*

88. *Ad exemplum.*] *Quasi ad imaginem, & collationem, & speciem comparationis. Existimans.*] *Intelligens.*

89. *Hæc, ita ut liberali esse ingenio decet.*] *Qualitas comparativa.*

90. *Pudens modesta.*] *Hæc contra vitia meretricia posuit. Pudens hæc, illa procax: modesta hæc, illa maligna, reliqua vero superadduntur ornamenta, uxoris matronæque laudes. Incommoda atque injurias viri omnes ferre.*] *Figura ἄλλοις. Tegere.*] *Hoc plus est, quam ferre. & Tegere, quod meretricem amaret. Et plus dixit Tegere, quam celare. Tegere enim ad hoc dixit: ut non solum cuiquam non ediceret, sed & ne quis sciret.*

92. *Hic animus.*] *Oratorie dixit, non enim Pamphilum dixit: sed animum Pamphili. Hic, animus.*] *Hic pro Tum, Virgilius.*

Hic annis gravis, atque animi maturus Aletbes.

Vxoris misericordia.] *Ἀμφοκόλια. Vxoris misericordia.*] *Recte, quia ex misericordia amor nascitur. Sic & in Phormione, Miserrum est, virgo ipsa facie egregia, Virgilius.*

— *hæc quibus ille iactans satis!* —

93. *Devinctus, partim victus.*] *De proximo repetit *παρόμοιον*, Devinctus, victus. Partim victus hujuscæ injuriis.*] *Qualitas relativa.*

94. *Paulatim elapsus.*] *Adeo est tardus amor Pamphili & magnus, ut etiam post injurias difficile discedat. Elapsus.*] *Animus, non Pamphilus.*

95. *Postquam par ingenium nactus est.*] *An sibi par? an absolute bonum? ut dicimus, Sic par est facere te. Ergo aut sibi par, aut uxori: id est, liberali foemina. Par ingenium nactus est.*] *Par ingenium, eandem voluntatem. Sallustius, Quos eadem odisse, & eadem metuere in unum coegit. Idem alibi: Nam idem velle, atque idem nolle, ea demum firma amicitia est.*

96. *Interea in Imbro moritur cognatus senex.*] *Bene causa abitionis Pamphili narratur. Moritur cognatus senex.*] *Bene quod ait senex: nam acerbum funus non conveniebat fabulæ. In comœdia itaque apud Terentium, aut meretrix molesta, aut ex duabus una uxor moritur, aut senex. Ita ex hujusmodi mortibus, vel incommodum vitatur, vel lucrum insuper nascitur, ut non sit causa lugendi.*

97. *Horum.*] *Maluit Horum, quam Dominorum, dicere. Ad hos redibat lege hereditas.*] *Verbo juris usus est: ea enim legitima est hereditas, quæ familiæ debebatur.*

98. *Eo amantem.*] *Modo jam uxorem: non enim amicam. Invitum Pamphilum extrudit pater.*] *Invitum recessisse vis verbi demonstrat. Nam proprie Extrudere dicitur, qui manibus expellit: sed hic translatione usus est, ut ostenderet, tantum importunitatis verbis senis fuisset, quantum impulsio manuum efficere potuisset. Extrudit.*] *Verbum necessitatis & aptum importunitati.*

99. *Relinquit.*] *Inertia præsentis temporis. Legitur & Relinquit. Relinquit cum matre hic uxorem.*] *Præparatio ad futurum errorem.*

100. *Nam senex rus abdidit se.*] *Nam hic inceptiva particula est, ut, Nam meus conseruus est homo hand magni pretii. Plau-*

tus in Milite glorioso. Rus abdidit se.] *Verbum reprehendentis senem: quod, Se abdidit, dixit. Huc raro in urbem commeat.*] *Huc bene dixit, ut ostendat Parmenonem in urbe esse. Mira οἰκονομία. fac enim præsentem, & nullus error in fabula est. Commeat.*] *Commeare est abesse inde, ubi te esse oporteat. Ergo hoc dicto ostendit, quam raro ad urbem veniat senex, quippe Commeatus est ex aliqua commoratione temporalis abscessus.*

101. *Quid adhuc habent infirmitatis nuptiæ?*] *Bene usque adhuc suspensa narratio est. & in hac interrogatione quasi subtomachatur Philotis decepta, quod nihil videat infirmitatis in nuptiis, quod optaverit. Quid adhuc habent?*] *Hoc tristior meretrix dixit.*

102. *Nunc audies.*] *Sic ait, quasi jam dudum audire cupienti, vel quasi ad molestam percontatricem.*

103. *Bene conveniebat sane.*] *Bene, pro multum: & sane, valide, quia qui sanus, idem & validus.*

104. *Interim miris modis odisse.*] *Huc usque Parmenonem Poëta verba passus est dicere: cætera actibus servaturus. Interim miris modis.*] *Mire ad finem comœdiæ rerum explanatio reservatur, namque si quæras, fallitur Parmeno, quum non odio focrus, sed pudore similitatem adversus focrum Philumena simulaverit. Interim.*] *Modo repente: & est adverbium temporis. Miris modis.*] *Miris exemplis.*

105. *Postulatio.*] *Expostulatio, querela, sed proprie Expostulatio est apud illum ipsum, qui peccaverit: Postulatio, de illo apud alterum.*

106. *Quid igitur?*] *Recte dixit, si hoc non fuit, quid ergo? Postulatio, querela & quasi iusta interpositio querelarum.*

107. *Fugere è conspectu illico.*] *Bene E conspectu: utpote, quæ caveret gravisda intelligi. Sed tamen subjungit, Videre nolle: ut ignorantia Parmenonis appareat, qui argumentum odiorum credit, quod Philumena neque videri vellet, neque videre. Fugere è conspectu.*] *Ne videretur.*

108. *Videre nolle.*] *Ne videret. Denique, ubi non quit pati.*] *Pati & sustinere.*

& sustineri intelligi potest hoc loco, u- rum postquam non potuit sustinere focrum? an postquam illam focrus ferre non potuit, sic se celantem nurum? Po- test etiam sic intelligi, Ubi non potuit argumenta odii sui ipsa nurus pati & continere, migravit ad focrum. Non quit pati.] Tolerare aut tolerari: quia Patior commune est, nam Patior te, & a te, di- cimur,

109. Abiit.] Proprie Abiit: quia non expectavit ut mitteretur.

110. Vbi illic dies est complures.] Ap- ptochos dies, non diebus dixit. Accersi ju- ber.] Non addidit Quia, quia intelligitur.

111. Dixere causam tunc, nescio quam.] Ideo Nescio quam, quia nullius momen- ti ac falsam.

112. Nemo remisit.] Hic jam apertius odium videtur, ubi nec jam fingitur causa. Postquam accersunt.] Subauditur Nostri, id est, missi a focru. Postquam accersunt.] Id est, missi a nobis scilicet, Et mira varietas;

114. It visere.] Ut, — populare penates Venimus. —

It visere ad eam.] Visere, officii est: Vi- dere, quarentis aliquem. Admisit nemo.] Injuriosa etiam ipsa pronuntiatio est. Hoc ubi senex rescivit.] Scimus quæ ad nos deferuntur: Rescimus celata.

115. Hæri ea causa.] Bene Ea causa: quippe qui se ruti abdidisset.

117. Nondum etiam scio.] Παρέλκον tertium: & deest scire, Et est σύνληψις, Scio scire, cum ἀναέσσει. Nondum etiam.] Recte servavit reliquis partibus fabulæ pendulum & attentum spectatorem.

118. Nisi sane cura est, quorsum eventu- rum hoc fiet.] Bene, quia curiosus est Parmeno, & idem garrulus, nam per to- tam fabulam talis inducitur. Quorsum eventurum.] Ἐλλειψις. deest scire.

119. Habes omnem rem.] Quasi dicat, quam audire expetisti, Pergam quo cæpi hoc iter.] Pergam hoc iter: ut, Tendere iter pennis. —

Quo cæpi hoc iter.] Ad portum scilicet.

120. Nam constitui cum quodam hospi- te.] Dicit causam cur in reliqua fabula non appareat persona hujus meretricis, Constitui.] Constitui proprie, nam de hu-

jusmodi rebus dicitur convenire & cons- tituere, de cujusmodi rebus apud extra- neos meretrices agunt.

121. DI voriant bene quod agas.] Sape enim res eveniunt aliter, quam volu- mus: & ideo Vertumnus colitur, qui præest rebus vertentibus.

IN SCENAM PRIMAM

ACTVS SECVNDI.

P Rò Deum atque Hominum fidem!] In hac scena accusatio focrus est: qua se conjecturaliter defendit, dicens nihil a se factum in perniciem nurus.

1. Prò Deum atque Hominum fidem!]

Ἐμπροσθεν ab exclamatione cœpta sce- na est, Senex enim est difficilis & iratus, Quod hoc genus est? qua hæc est conjura- tio? Conatur Terentius adversus famam focrum bonam reperire, & incipit a ge- nerali exclamatione, quo vehementior sit ejus accusatio: paulatimque ad spe- ciale crimen descendit. Quod hoc genus.] Accusatio a persona: cui accidit ex sexu, & quod focrus est, Conjuratio.] Confessio bonæ rei est: Conjuratio malæ, & inde conjuratio Catilinæ dicta est, Qua hæc conjuratio.] Accusatio a re.

2. Ut omnes mulieres eadem aequi- deant.] Bono argumento utitur, Læstini nurum, quia focrus es: & nulla focrus diligit nurum. Ut omnes mulieres.] Ac- cusatio a causa eadem, Studeant.] Majo- ris operis est studere, quam velle.

3. Neque declinatam quidquam.] Id est, flexam vel inflexam, ab eo quod de- clinaverit: ne parum sit, diversam vel dissimilem dixisse, ut est illud, Illum tu- multum inflexit.

4. Itaque adeo uno animo.] Nescias an ex sententia hac, vel adeo ex hæ sce- na nomen fabulæ sit inventum. Itaque adeo.] Necessaria sententiæ ἀμφιβολία, ad describendam utranque personam.

5. Viris esse adversæ.] Aliud argu- mentum: Læstini nuram, ut mihi ad- versarieris, nam mulieres, & mulieres omnes adversantur viris. Aequè studium est.] Studium, est voluntas hominis at- tentior atque impensior. Similis perti- nacia est.] Ἀντιστοιχία. nam studium & bo- num

num est: Pertinacia vero nunquam non mala.

6. In eodemque omnes mihi videntur ludo docta ad malitiam.] Tria in accusa- tione posuit, ex quibus duo sunt commu- nia, unum ipsius, quod mulier est, & quod focrus, communia: quod ipsa specialiter magistra est ad malitiam So- strata, Ex his colligit injuriam passam nurum per conjecturam.

7. Et ei ludo: si ullus est, magistram.] Magna amplificatio criminis, dubitat an sit ludus malitiæ: & magistram non du- bitat Solstratam, sed Certo scio inquit.

8. Me miseram.] Et hæc ἐμπεδωτός cœpit, sed ad misericordiam spectat de- fendentis oratio.] Quia nunc, quamobrem accuset, nescio. Oratorie pro se loquitur mulier, siquidem majoris innocentia est rescire crimen, quam defendere, & his verbis ostenditur, sine noxa esse etiam Philumenam: non solum hanc, quæ lo- quitur, Solstratam.

9. Non, ita me DI ament, mi Laches.] Modo Mi Laches non est blandientis, sed ejus qui periclitetur innoxius. Non, ita me DI bene ament.] Ἀπεχθός πιστός per iusjurandum. Non, ita me DI bene ament.] Animadvertendum, veteres, non minus ἐπισημίων in verbis, quam κακισμάτων neglectisse: velut hic, Ita me DI bene ament.

10. Itaque.] Modo duæ partes sunt ora- tionis, DI mala prohibeant.] Seniliter odit uxorem, cujus amor optabilis fuit in adolescentia, DI mala prohibeant.] Ut una inter nos agamus ætatem.

11. Postmodum rescisces.] Hæc figura ab oratoribus ἐπιγύγνια nominatur: in qua aliquid promittimus iudicibus nos probaturos, quum metuimus, ne quid illis temere persuasum sit. Postmodum rescisces.] Fiducia innocentia, Resciscere est, quum quod de industria celatur, vix argumentorum vi agnoscitur.

12. An quidquam pro istis factis.] A- mare; πρὸς ἀποδοχίαν.

13. Qua me, & te, & familiam.] Jam sic accusat, quasi probaverit crimen, & est amplificatio. Qua me, & te, & fa- miliam.] Hæc exaggeratio est, quæ δι- τήσις appellatur: quum ex uno malici-

cio multa fiunt ab oratoribus crimina. Dedecoras.] Dedecoratur, quod hone- stum est: Turpatur, quod honestum est corporale.

15. Dignum, suos cui liberos committe- rent.] Multum sonanter, & accusatorio strepitu, nec masculinum genus nec fœ- mininum posuit: nec unam, sed libe- ros. Sic Cicero, En cui tuos liberos commit- tas: quum de uno ageret. &, Habemus enim liberos: de puella, Dignum.] Sic dixit dignum, ut honoris genus sit, ac- cipere uxorem meruisse. Suos cui liberos committerent.] Nota liberos in significa- tione etiam unius filia.

16. Tu sola exorere.] Emergis, repe- riris, Verbum hoc impudentiam notat. Cicero, Exortus est servus, qui quum in ecu- leo appellare non posset, eum accuset solutus, Exorere.] Existis, Exoriri dicitur, qui non expectatus invadit in aliquem.

17. Tu inquam mulier, qua me omnino lapidem, non hominem putas.] Tu mulier, ἐμπεδωτόν malitia habet, & omnino ex- pressio consuetudinis est ad indignatio- nem. Et lapis nunquam utilis, nisi ad telum, quem magis ad injuriam dele- git, nam saxum melius, quam lapis. Ut Virgilius:

Saxaque subvectare humeris. — Tu inquam mulier.] Sic Euripides: Πολλὰς ἀπὸ δούρας μνηστῆρας, γυνή γ' ἔσθ'.

& Virgilius: — varium & mutabile semper Fœmina. —

Lapidem, haud hominem.] Sufficeret, La- pidem putas: sed de stomacho, Haud ho- minem, additum est, Plantus, Herus meus, elephantis corio circumiectus est, non suo, Haud hominem putas.] Ἐν ἡδύ. Sic Apol- lodorus: Ζῦ μὲ πᾶσι τᾶσι πᾶσι * εἰς ἄλλοις.

18. An quia ruri esse crebro soleo.] Me- mor sui est, qui dixerat, Rurabis.

19. Quo quisque pacto hic vitam vestro- rum.] Vestrorum, pro vestrum, sic veteres.

20. Multo melius hic qua fiunt.] Τᾶσφ- ἑσθ' usus est, ut in Adelphis, An non prius totis sex mensibus olfecissem.

21. Ideo, quia, ut vos mihi domi eritis.] Mire confirmat, unde sciat: ne suspi-

ciose crimen obijcere videretur. Et bene *Mibi*: quia commoditas familiaræ ad hunc redundatura est.

22. *Pridem equidem audivi cepisse odium tui Philumenam.*] Primo obijurgatio est *Sostratæ*, cur non amet *nurum*. Secundo, cur non ametur à *nuru*. Tertio, cur usque adeo puella nupta deserat domum.

23. *Minimeque adeo mirum.*] Satis amare, pro merito dicit odium, contra meritum amoremque: simul excusatur *nurum*, quæ oderit talem *focrum*: & simul prævenit, *Quid si non læsa est*, sed odio me habet.

24. *Sed non credidi adeo.*] Deest *Osium* fuisse.

26. *At vide, quam immerito aegritudo hac mihi oritur abs te, Sostrata.*] *Hæmæ* post acrem invectionem, se ipsum miseratur, ut invidiam duræ inclamationis in ipsam convertat. Sic in *Andria*.

Age nunc: jam ego pol hodie, si vivo, tibi ostendam, hærum quid sit periculi fallere. Et continuo,

Chreme.

Pietatem gnati! nonne te miseret mei. Tantum laborem capere ob talem filium? Quam immerito aegritudo hac oritur mihi abs te, Sostrata.] Postquam de injuria dixit, de persona ejus cujus fama est, id est, cum *Aegritudo* hac oritur, *Oritur*, & magnitudinem rei significat, & repentinum impetum, ut supra, *Tu sola exorere*.

27. *Res habitatum abii.*] Quia dixit, *Senex rus sese abdidit, Concedens vobis.*] Ne diceretur, quod sit voluptatis causa. *Vobis*, melius pluraliter, quam si diceret *Cui*. *Concedens vobis*, & *rei serviens*.] *Concedens vobis*, id est, ut vos in urbe essetis. *Rei serviens*.] Res servit divitiibus, quia abundant: rei serviunt pauperes, quia se coartant ad angustias rei. Ita ergo res pro qualitate sua & servit, & ei rei servitur. *Horatius*.

Imperat aut servit collecta pecunia cuique.

28. *Vestros sumptus, otiumque.*] *Sumptus vestros*, idem quod alibi, *Otium vitam urbanam*. Vel quod nihil acquiris, ut in *Adelphis*, *Hanc ego clementem vitam urbanam, atque otium sequuntur*.

sum, Otiumque.] Hoc est, amorem: quæ nihil agentibus. *Vt nostras res posses pati.*] *Mediocris* scilicet: ut comici patres familias.

29. *Præter æquum, atque ætatem meam.*] *Præter æquum*, quia vos estis domini: vel quia vos fruiimini, quum ego dolerim. *Ætatem*.] Quia senex, *Virgil*,

--- vires ultra, sortemque senecta.

30. *Non te pro his curasse rebus.*] *Mirus* sensus: Pro his, inquit, tot rebus unam & facilem redderis: curares, ne quid ægre esset mihi. Et *Te* sic pronuntiandum, quasi dicat, *Esti alii non curarent, curare debuisti*.

31. *Non mea opera, neque pol culpa.*] Vellet dicere, *Nurus* culpa evenit: sed melius dixit, *Non mea*: ne accusando confirmaret, quod dixit *senex*, *Omnes focrus oderunt nurus. Neque pol culpa evenit.*] Bene additum, *Neque pol culpa*. Potuit enim fieri ut non fecerit ipsa injuriam: sed tamen permiserit fieri, mire tamen nec ipsa accusat *nurum*. *Non mea opera, neque pol culpa.*] Videtur unum dixisse *Opera & Culpa*: & tamen non est idem. *Opera* enim est, si scientes læserimus: *Culpa*, si nescientes: quorum alterum sceleris, alterum stultitiæ est.

32. *Sola hic fuisti.*] *Ratio*, & deest enim: ut sit, *Sola* enim hic fuisti, quod ad *filium* & *maritum* pertinet: nam non sola, cum qua *nurus*, *Sola hic fuisti.*] *Sola*, quantum pertinet ad regendam domum: cæterum & *filius*, & *nurus* erant: sed *sola*, id est, sine me. *In te omni hæret culpa.*] *Esti* in *nuru* culpa aliqua, in te omnis est tamen, *Sostrata*. *Sola*, *Sostrata*.] Optime geminavit *sola*, more irascentium: nondum nomen posuit, & *Sostrata* additura ad amaritudinem in-clamantis.

33. *Quum ego vos solvi curis cæteris.*] *Vos*, pro *Te*: ut,

Desiste manum committere Teucris.

Quum ego vos solvi.] Nova figura, *Solvi vos*.

34. *Cum puella animum suscepisse inimicitias.*] Hoc dicit, tanquam concesserit etiam *nurum* iniquam esse. *Cum puella*, *Puellam* blande dixit: ita hanc cum amaritudine, *animum*.

35. *Illius dices culpa factum.*] *Præter-*

mit defensionem: & eam sic pronuntia-vit ut crimen. *Haud equidem dico, mi Laches.*] *Mi Laches* modo dixit, quasi gravissimum accusatorem arguens, & quasi defatigata & delassata ejus in-clamationibus. Non ergo blandientis est modo *Mi*: sed invidiose rogitantis.

36. *Gaudeo (ita me Di ament) gnati causa.*] Quod similis filius non sit, an quod talem uxorem habeat, quam nec inimica accusare possit? Et *gnati causa*, dixit: quia talem uxorem habens, sua causa quid gaudeat, non habet. *Nam de te quidem satis scio.*] Id est, nihil detrimenti sit, si tu pecces, id est, nunquam, inquit, peccando peior fieri potes: sed es eadem quæ semper es. Sensus est: Jam talis es, ut peior fieri non possis. Sic *Cicero*, *Est idem Verres, qui fuit semper*.

37. *Peccando detrimenti.*] *Servas*, inquit, numerum peccatorum, nec fit ul-lum copiarum detrimentum. sed quam plurimum delinquas, tantundem semper admittitur. *Peccando detrimenti.*] Hic sensus obscurus est: attamen hic dum, quantumcunque inquit sceleris admiseris, id est, quantumcunque peccaveris, nihil de tua existimatione minuitur, nihil de pudore derogatur: eadem es quæ fuisti, quia peior fieri non potes. *Peccando detrimenti.*] Quidam hanc putant *εἰς ὀνείρας*: quasi dicat, Certus sum, quod ex nullo peccato tuo damnum pati possumus: sed male.

38. *Quæ scis, an ea causa, mi vit.*] Defensio à derivatione causæ, in qua ostenditur non hanc esse, quam obijcit causam *senex*, cur abierit *nurus* ad matrem suam.

39. *Vt cum matre.*] Deest *sua*. *Vt cum matre una plus esset?*] *Ἰδιωννάδης* dixit: id est, diu, ac majorem partem.

40. *Quod heri nemo voluit.*] Bene infirmavit defensionem *senex*, dicendo, Si propter matrem abiit, cur tu exclusus es, quum venires?

41. *Enim lassam oppido.*] Infirmius defenditur *focrus*, ut error senis usque ad *ἡττα* perseveret. *Enim lassam oppido.*] Pro, *Oppido* enim dixit, *Supervacua* ponitur interdum hæc conjunctio,

aut pro altera conjunctione, *Oppido*.] Valde, translatio à rusticis, qui interrogati, quemadmodum fruges provenissent, respondebant, *Oppido*, id est, quæ sibi & *oppido* sufficere potuissent. *Eo*.] Propterea, ideo.

42. *Tuos esse illi mores.*] Acerbissime instituit *senex* & accusationi uxoris, & defensionem *nurus*: siquidem hoc sensu dicat, *nurus* nec mendacii culpam incurere, quæ vere ægroter ex moribus malæ *focrus*.

43. *Nam vostrarum nulla est.*] Pro *Vestrum*, hoc enim venit ab eo quod est *Vestra*. *Quin gnatum velit.*] *Quin*, quæ non.

44. *Et quæ vobis placita conditio est, datur.*] Imago hic quædam argumentationis, quæ dicitur *αὐτῶν ἀρχῆς ἀχαι τῶν λόγων*: quod Latine dicitur, *Ab initio ad finem*, & ut generaliter coepit invectionem, ita generaliter conclusit in *focrus*, & est sensus, *Eo* improbius facitis, quod illas, quas elegeritis, odistis.

45. *Vbi duxere impulsu vestro.*] Bene verba eadem stomachose, & significanter repetivit, ut improbitas ex proximo appareat impulsu. *Vbi duxere impulsu.*] Videtur, ut supra diximus, hæc tota scena ad hoc interposita, ut fabulæ nomen hinc intelligeremus inventum. Et impudentiam *focrum*, impulsus repetitio demonstravit. *Impulsu vestro.*] Sic in *Heautontimor*, *Scortari crebro nolunt, nolunt crebro convivari*.

IN SCENAM SECUNDAM

ACTVS SECVNDI.

Esti scio ego, Philumena, meum jus esse.] In hac scena moralis allocutio *Phidippi* est ad *filiam*, mitissimi patris colorem ostendens.

1. *Esti scio.*] Apparet & hic multiprius patri suo *Philumenam* locuturam fuisse. Ergo hæc responsio est, non principium. *Scio meum jus esse ut te cogam.*] Hoc idem in *Adelphis*, *Non necesse habeo omnia pro meo jure agere. Vt te cogam.*] Etiam invitam scilicet.

2. *Patrio animo victus.*] Bene *Victus* quia non ratione facio. *Victus* est undecunque, qui recedit à jure.

3. *Neque tua libidini.*] Libido est quælibet voluntas temere suscepta. Et bene *Libidini*: est enim non æquum, domo mariti abesse nuptam. Et si enim pro voluntate posuit *Libidinem*: tamen sub accusavit hoc nomine.

4. *Optume.*] Opportune. *Ex hoc jam scibo.*] Legitur & *Hinc*, locale adverbium, & quasi comminatur uxori, modò se inventurum, ipsam peccasse non nolum. *Quid fiet?*] Utrum quid sit rei? an quid fiet nurus? utrum innocens, an iniqua? Et videtur hoc Socrata dicere: nam vicini sunt inter se proximi Laches & Phidippus.

5. *Phidippe, etsi ego meis.*] Expostulatio Lachetis apud Phidippum, accusationem continens, tanquam causam injuriarum intendat. *Scio me esse adprime obsequentem.*] Principium à persona ejus cum quo agitur, & sua: & an utile sit, nimis obsequi hominem suis. *Adprime.*] Vehementissime.

6. *Sed non adeo ut mea facilitas.*] *Facilitas*, indulgentia. *Sed non adeo, ut mea facilitas.*] Decet *Tamen*, & est, ἀνακόλυτον tertium.

8. *Nunc video.*] Jucunde temperat ejus culpam, quem accusat, quum dicat illum coactum à suis facere sibi injurias. *Eia vero.*] Modo adverbium corripientis. *Eia vero.*] παρέλεγον.

9. *Adi te heri de filia.*] Narratio, & memoriter Poëta: quia dixit *Heri*, ea causa rurè huc advenit, patrem continuo Philumenæ convenit. *Itidem incertum amisti.*] Pro *amisti*, οὐκ ᾔσκη. Et *Itidem*, quid est? an id? Incertum amisti, ut ad te incertus veni? Jungendum ergo *Vt veni, itidem*, ut sit, *Ut veni, amisti itidem incertum*. Incertus inquit veni: incertus à te recessi.

10. *Haud ita decet.*] Non usque adeo decet, & est confirmatio. *Haud ita decet.*] Bene additum est *ita*: etsi enimcelandæ iræ: non usque adeo tamen, ut discordiam pariant.

12. *Aut ea refellendo, aut purgando.*] *Refellit* qui negat: *Purgat* qui fatetur, & sic defendit. Ergo *Refellimus*: per conjecturam: *Purgamus* per ceteros status. *Vobis corrigemus.*] Plus dixit *Vobis*, quam *Tibi*.

13. *Te judice ipso.*] *Virgilius*: *Pan Deus Arcadia mecum si judice ceter.* Quid enim est *te ipso*, nisi scilicet reo culpæ, & tibi ipsi ac tuis faventi? vel qui me speres vincere. *Sin ea est causa retinendi apud vos.*] Reprehensio.

14. *Arbitror.* *Phidippe.*] Bene addidit nomen, excitans audientem.

15. *Satis ut mea domi curetur diligenter.*] *Vt*, ne non, & jungendum est. *Satis diligenter*, non enim, *Meis satis*.

16. *At, ita me DI ament.* *haud.*] Ad didit jusjurandum: vix enim credibile est tantundem amare focerum, quantum patrem. *Etsi illi pater es.*] *Sallustius* in primo libro, *Et liberis equus avunculus erat.* *Etsi illi pater es.*] Compendium attulit *Virgilius*:

Heu fuge nate Dea. ---
Hoc enim sentit, *Quamquam natus Dea sis*: fuge tamen.

17. *Id adeo gnati causa.*] Honeste amoris rationem subjecit piam. Nam non continuo rectum est, nimis amari à focero nurum, nisi propter filium diligatur. Bene ergo *Gnati causa*, incredibile est enim, patrem non patris pietate superari.

18. *Quem ego intellexi.*] Et causam sui amoris ostendit, & mariti nullam erga conjugem culpam: quippe qui amet, & à Parmenone dictum, *Eo amantem invitum Pamphilum extrudit pater.* *Quem ego intellexi illam haud minus, quam se ipsum magni facere.*] Hic subtiliter oneratur culpa nurus: si quidem indigne injuriam faciat focero & marito.

19. *Neque adeo clam me est, quam esse.*] Ingeniosissime Poëta jam præparat causam simulaturò ob hanc rem iracundiam Pamphilo.

20. *Hæc prius, quam ille ut redeat.*] Hic subtiliter etiam terrorem iniecit iracundiæ mariti.

21. *Laches, & diligentiam vestram.*] Principium similiter à persona est factum, *Lachés*, & *diligentiam vestram*.] Remotivo statu agit Phidippus pro persona sua, nam in filiam remoyet culpam, cur non redeat: & relativam simul tenet qualitatem, potest enim videri, eam injuria focrus ad hanc voluntatem esse compulsam. *Lachés*, & *diligentiam ve-*

stram.] Ab eo cœpit, quo maxime motus est, & quod in primis purgandum sibi fuit: ne suspectam aut voluntatem, aut diligentiam habere videatur affirmum. Et cum affectu quodam & gemitu dixit *Laches*, quod ille ait *Phidippe*, & bene à nomine cœpit, ut consentire illi videatur. *Et diligentiam*, quod ille ait; *Sin metuis, satis ut mea domi.* &c. Et *Vestram* melius, quam *Tuam*: quum ille dixerit de se tantum. Et *benignitatem*, quod ait, *Haud tibi concedo, etsi illi pater es, ut tu illam.* &c. Et *diligentiam vestram*, & *benignitatem*.] *Ἀπόδοσις* ad utrumque. *Diligentiam*: quia dixit, *Si metuis, satis ut mea domi curetur diligenter.* *Benignitatem*: quia dixit, *Haud tibi concedo, etsi illi pater es, ut tu illam salvam magis velis, quam ego.*

22. *Et qua dicis, omnia esse, ut dicis.*] Quod juravit: & quod dixit gnati causa, & quod addidit, *Quod illam amet Pamphilus.*

23. *Et te hoc mihi cupio credere.*] Melius, quam si & hic juraret. *Et te hoc mihi cupio credere.*] Bene collegit ex vicissitudine, quod volebat,

24. *Si facere possim.*] Hic est remotio, *Si facere possim ullo modo.* & mollius dixit, quam si *Nec facere possim*, dixisset, hoc enim vult intelligi, *Volo, & non possum facere.*

25. *Eho, numquidnam accusat virum?*] Gesticulatio quædam, secretiora querentis, sæpe enim de maritis puellæ parentibus queri solent aliquid ejusmodi, quod solis ipsis committendum est. *Eho, num quidnam accusat virum?*] *Eho*, interjectio ponentis aurem propiorem. nam illa querit, quæ solent de maritis puellæ matribus queri. *Nam postquam adtendi.*] *Institi*, Et vide, num desit *animum*: ut sit, *Adtendi animum*. Non enim plenum est, sed nudum. Adverti enim oculos, aut animum subauditur.

26. *Sancitè adjurat.*] *Tò Ad*, nunc auctivum est: significat enim *Valde*.

27. *Non posse apud vos Pamphilo se absente perdurare.*] Bene hæc addidit Poëta verba Philumenæ, ad quæ Phidippus respondet: quum diceret: *Etsi scio ego, Philumena, meum jus esse.* &c. *Non posse apud vos Pamphilo se absente perdurare.*]

Magnifice contra illud quod Laches dixit, agre laturum Pamphilum, & ita locutus est, quasi hoc Pamphilo gratus esse debeat. *Perdurare.*] Proprie & muliebriter dixit.

28. *Aliud fortasse aliis vitii est.*] Sic dixit, ne diceret, *Sed coge ut redeat, & mollius dixit aliis, quam si tibi dixisset.* *Ego sum animo leni natus.*] Hoc contra illud quod primum dictum est. Etsi ego meis omnibus scio me esse apprime obsequentem: sed non adeo, ut facilitas mea illorum corrumpat animos. *Ego sum animo leni.*] *Qualitas venialis.* *Animo leni natus.*] Hoc est plenum, nam *Sum animo leni*, quum dicimus, ἐπιεικής profertur.

29. *Non possum.*] Conclusio. *Hem Sostrata.*] Quæ dixisti, *Non mea opera neque pol culpa evenit.* *Heu me miseram.*] Ad se rediri toriens, quasi delassata, conqueritur.

30. *Certumne est istoc?*] Quod Philumena non redeat. *Num quid vis?*] Discedentis verbum.

31. *Transire.*] Citò ire.

IN SCENAM TERTIAM

ACTVS SECVNDI.

Ædèpol ne nos mulieres sumus inique aque omnes.] In hac scena est allocutio qua inducitur secum loquens anus: per quam orationem mores ejus, & animus mitis intelligi possit.

1. *Ædèpol ne nos mulieres.*] Laches generaliter incusavit focrus; hæc plurimas defendit. Causa accusationis iniquæ, Non enim omnes sumus malæ. *Inique aque.*] Comicum παρόμοιον. Et vide sententiam, defensionem accusatarum focrum continentem: contra illud quod ait, *Itaque uno animo omnes focrus oderunt nurus.* Officium enim boni Poëtæ est, nullum genus hominum specialiter lædere. Sic *Virgilius*:

--- *Quod sæpe mala legere noverca.*
Id est, non omnes novercæ, sed tantum malæ.

3. *Nam ita me DI ament.*] Bene jurat, nam sine jurejurando incredibile est, sit bona focrus. *Quod me accusat.*] Decet

in eo, ut sit; In eo quod me accusat nunc vir, sum extra noxiam. An *Quod*, propter quod.

4. *Ita animum induxerunt.*] *Inducere animum* est ita tenere, ut non amittant: id est, persuadere animo suo.

5. *Socrus omnes esse iniquas.*] Intelligitur, quibus iniquas, id est nuribus: quia *locrus* nomen est ad aliquid dictum. *Haud pol me quidem.*] Esse inquam subaudiendum est à superiore, ut sit *Pol*, pro pleno iurejurando. *Haud pol me quidem.*] Subaudiendum *Scio esse*, aut *Novi esse*, aut tale quid, secundum *ἐν δὲ*, quæ familiaris est his, qui secum loquuntur.

6. *Nec, qui hoc mihi eveniat.*] *Qui*, unde.

7. *Multis modis.*] Vehementer. *Iam expecto, ut redeat domum.*] Quia nihil mirum in matre est: expectare ut filius redeat: idcirco additum *Multis modis*.

IN SCENAM PRIMAM

ACTVS TERTII.

*N*emini ego plura acerba.] *Hic allocutio est per conquestionem.* Et bene non se amatoribus modo, sed infelicibus amatoribus comparavit: *Ex principium est à summa totius mali.*

1. *Nemini ego plura acerba.*] Ab eo loco conquestionis, in quo dicitur, quod nulli fere talia adversa contigerint. *Nemini ego plura acerba.*] Nimis cothurnati & tragici in hac scena dolores essent, non comici, nisi adderet, *Ex amore.* *Nemini ego plura acerba esse credo.*] *Acerba dupliciter evenerunt Pamphilo.* ex præterito, de meretrice: ex præterito, de uxore.

2. *Heu me infelicem!*] Ab ipsi simplici exclamatione. *Heu me infelicem!*] *Lachrymans* hoc dicit. *Hancine ego vitam?*] Ab eo quod ab adversis ad adversa delatus sit. *Parvi perdere?*] *Parco*, conseruo, *parvi* facit: *Parco*, veniam do, *perci*. *Modo ergo continui, abstinui* significat.

3. *Cupidus redeundi domum.*] Ab eo quod contra spem contigit malum.

4. *Vbivis gentium agere atatem.*] *A* malorum suorum comparatione. *Vbivis gentium agere atatem.*] *Magna detestatio præsentis loci, eligere* quasvis terras, vel quamvis gentem potius, quam eam in qua est. *Virgilius:*

Tollite me, Teucris, quasunque abducta terras:

Et *Gentium* hic abundat. Et bene, *Vbivis gentium agere atatem*: quia supra dixerat, *Hancine ego vitam parvi perdere?* *Nimis enim tragicum fieret, Satius erat in mari perire.*

5. *Atque hac ita esse miserum me resciscere.*] *Quod ait, lachrymantis est. Resciscere,* est vix reperire, quod de industria fuerat celatum.

6. *Nam nos omnes, quibus est alicunde.*] *Aut deest apud, ut sit, Apud nos omnes, Aut nos omnes, pro nobis omnibus, Nam nos omnes,*] *Ratio superioris sensus, & deest apud, aut penes, aut quid tale. Nam nos omnes, quibus est.*] *Constat hanc*

οὐκ ἔστιν esse, retulit enim *Lucro est*, non ad nos omnes, sed ad quibus est alicunde: ut sit ordo, *Nam quibus est alicunde, aliquis objectus labos, lucro est tempus, hoc est, nos omnes. Nam omnes, quibus est.*] *Hac figura usus est etiam*

*Tullius pro Murena, Prætor quoque ne se pulchrum ac beatum putaret, ei quoque carmen compositum est. Nam ille dativum casum subiecit, cum præposuisset nominativum. Et totum Apollodori est, qui sic ait * ΟΙΓΑΡ ΑCΙCΟΤΝΙΕΓ ΤΟΝ Χ ΡΩ C Ν Ο Τ ΔΙΕΝΤΙΚΗ ΚΟΤΗC.*

* *Quibus est alicunde.*] *Hoc genus locutionis absolutum dicitur. Tale est apud Virgilium:*

Craffina lux, mea si non irrita dicta paravis,

Ingentes Rutula spectabis cadis æcervos.

7. *Rescitum est.*] *Σχῆμα ἀεγῆ- ΝΟΝ.**

8. *At sic.*] *Sed sic. At sic, citius qui te expediam arumnis, reperiam.*] *At hoc modo, quod venisti, & discordias esse celerius reperire poteris: & quo modo his ærumnis te absolvas. Et bene Expedias arumnis, aut enim solvunt nos curæ abeuntes, aut impediunt & ligant advenientes. Ut,*

Solvite corde metum, Teucris, secludite curas.

At sic, citius qui.] *Sententia contraria, nam supra sic collegit, Si ignorare mala sua unicuique bonum est: sequitur ut malum sit, ea cito cognovisse. Hic per contrarium, Si in adversis suis succurrere unicuique quamprimum bonum est: sequitur, ut cito ea cognovisse, sit quam optimum.*

10. *Sed nunc adventum tuum ambas.*] *Ne accusare alteram altera audeat.*

11. *Rem cognosces.*] *Melius est rem, quam ditem. Rem cognosces.*] *Iræ expedies: rursum in gratiam restitues. Τεῖκωλος* sententia. Et bono ordine usus est. *Prius enim sit querela, deinde ponitur iracundia, postremo reditur in consilium.*

12. *Levia sunt hac qua tu pergravia esse.*] *Genus consolationis, non à substantia sed à quantitate, non dicit non esse causam sollicitudinis, sed levem dicit. Qua tu pergravia esse.*] *Bene additum contra Levia, non gravia, sed pergravia. Levia sunt.*] *A quantitate. In animum induxit tuum.*] *Id est persuasisti tibi.*

13. *Quid consolare me? an quisquam unquam.*] *Ut solet in vero angore, ipsa consolatione agrefcit dolor. Et ingeniose, non inquit Dicis, sed Consolaris me: & hoc ipso ostendis scirete, quod miser sum.*

14. *Prius quam hanc uxorem duxi.*] *Hoc refert ad illud caput in quo ait, Nemini ego plura acerba esse credo ex amore homini unquam oblata. Prius quam hanc uxorem duxi.*] *Ante rem. Habebam alibi animum amori deditum.*] *An miser sit in amore α.π. ἀπὸς ἀχρῆ τῆδους, Ante rem, in re, & post rem. Habebam alibi.*] *Gravius dixit alibi, quam si in meretrice diceret, & maluit alibi dicere, quam ad meretricem.*

16. *Quam mihi obrudit.*] *Recte enim dici potuit, Quomodo ergo uxorem duxit, si amabat? Et bene, Obrudit, quia invito. Sic alibi, Aliquid monstri alunt: ea quoniam nemini obrudi potest. itur ad me. Et Obrudit, pro obrudebat, ἐπέσχευε temporis.*

17. *Vix me illino abstraxi.*] *Vix, vel*

κόλις, vel statim significat. Atque expedivi animum meum.] *Curæ, ut diximus, aut ligant, aut solvunt, ut Virgilius,*

Qua mihi reddat eum, vel eo me solvat amantem,

amatoris enim curæ vincula dicuntur.

18. *Vixque huc.*] *Maluit Huc, quam Ad uxorem dicere. Hæc nova res orta est, porro.*] *Porro, deinde, & vim habet deinde modo implicationem continuationis miseriarum referentis.*

20. *Quod cum ita esse invenero, quid restat nisi porro ut fiam miser.*] *Ordinem servavit allocutionis, in quo à præteritis, à præsentibus, à futuris inducitur personæ loquentis oratio. Nisi porro ut fiam.*] *Porro, postea, vel in postremum, Alii conjunctionem putant.*

21. *Pietas iubet.*] *Apte, quia Ferre dixit, addit Iubet.*

22. *Tum uxori obnoxius sum.*] *Matris cum dixisset, non intulit Uxor, sed mutavit casus. Ita olim suo me ingenio pertulit.*] *Olim, ad diurnitatem retulit, non ad spatium præteriti temporis.*

23. *Tot meas injurias.*] *Hæ sunt injuriæ, quas supra dixit, Næste illa prima virginem non attigit: qua consecuta est nox, eam nihilo magis. Et deinde, Quid interea? ibatne ab Bacchidem? Quotidie. Tot meas injurias.*] *Aliam vim habet quod dixit, Me pertulit: aliam quod adjecit, Injurias meas: aliam, quod reticuit. Qua nunquam ullo profecit loco.*] *Non dixit Quas, sed Quæ, ut ad omnia, non ad injurias, referatur extrema conclusio.*

24. *Sed magnum nescio quid necesse est.*] *Bene de ambabus sentiens, putat magnam causam esse, quæ iram fecerit, & iram diurnam.*

25. *Quæ tam permansit diu.*] *Et à re, & à tempore.*

26. *Haud quidem hercle parum est.*] *Servilis ratio & sordida: & non his respondens omnibus quæ dixit Pamphilius, sed tantum novissimæ parti, Parum.*] *Subaudiendum necesse est evenisse, vel evenit, nam consequens sententia tollit, quod ille dixit, Necesse est. Si vis vero veram rationem exequi.*] *Vero, vel nomen est, vel conjunctio, vel adverbium.*

27. *Non maximas, quæ maxima sunt*

interdum ira, injurias faciunt.] Injuria faciunt iras, non ira injurias, sed hic *Faciunt ὑπαλλεγκτικῶς* dixit, secundum superiorem rationem increpans errorem Pamphili, qui de ira magnitudine æstimet injuriæ quantitatem. Alii *Faciunt*, probant, ostendunt, intelligunt. Caute dixit *Interdum*: plerumque enim sic. *Non maxumas, qua maxuma sunt.*] Sensus est, In quo primum, Non ira injurias faciunt: accipiendum est, secundum, Non maxumas maxumæ; *Faciunt*, pro ostendunt.

29. *Cum de eadem causa.*] Rectum erat si diceret, *cum in hisdem rebus*, adjiciendo *causa* obscuravit elocutionem suam, sed convenit sermo hæc humilitas orationis, nam plenum erat si diceret: Nam sæpe est, quibus in rebus alius ne iratus quidem est, cum de iisdem rebus est iracundus factus inimicissimus. *Est* autem pro evenit dixit, & est ordo: Sæpe est, cum quibus in rebus alius ne iratus quidem est: de eadem causa iracundus factus est inimicissimus. *Iracundus factus inimicissimus.*] *Iratus* quidem est, qui ex aliqua re laceffitus irascitur. *Iracundus*, qui ex parva nullave causa præcedente irascitur.

30. *Pueri inter sese.*] Argumentum à simili. *Quam pro levibus noxiis.*] Interrogative. *Noxiis*, injuriis, culpis.

31. *Quapropter.*] *Διαλεκτικῶς* interrogat. *Quia enim qui eos gubernat animus.*] *Ἀπολογικῶς ἀπεκρίσας*: *Infirmum gerunt.*] *Ἐχρηματισμένος, ὡς τὸ ἴδιον*, *Infirmus est.* Sed *ἀνεκλογιστὰ* ista convenit sermo.

32. *Itidem illa mulieres sunt ferme ut pueri.*] Artificiose *Mulieres* à persona: à similitudine, *Pueri*: à factis, *Iras gerunt*: ab accidentibus similitudinis, *Animus infirmus*: à collatione personæ mulieris accidentium, *Levi sententia*: à factis, *Fortasse unum aliquod verbum inter eas iram in hanc conciverit*, qua sententia totum hic sublatum est, quod ait: *Sed magnam nescio quid necesse est evenisse, Parmeno, unde ira inter eas intercessit. Itidem ille mulieres.*] Sexus alius ad ingenium, & sensus, idem est. Et mire similitudinem contulit ad id quod agitur.

33. *Fortasse unum aliquod verbum inter eas iram hanc conciverit.*] Sic *Plautus*, *Fortasse te amare suspicabere.* Nam veteres infinitivo modo adungebant *Fortasse, Conciverit.*] *Commoverit, Iram hanc conciverit.*] *Legitur & conscivisse, & rem conscivisse*, est rem novam fecisse. *Conciverit.*] *Decreverit, fecerit.*

35. *Trepidari sensio, curvari rursus prorsum.*] *Trepidatio*, ad vocem refertur loquentium: *Curvatio*, ad sonum pedum. *Et trepidatur primo* ab his, qui morbum putant: *curvatur* ab his, qui partum sciunt. *Curvari rursus, prorsum.*] *Rursus* proprie retro: *prorsum, ante* significat, & est proverbiale, ut dicimus, *Sursus deorsum, intro foras, hac illac*, & similia: Græci *ἄνω κατω*.

37. *Tute loqueris, me vetas?*] *Mire* expressus est mos aufcultantium.

38. *Tace obsecro, meagnata.*] *Non solum* hic Juno Lucina non inducitur, sed etiam silentium parturienti insuper imponitur: quia furtivâ conceptio est, & tamen ejusmodi verba sunt matris, ut duntaxat argumentum scientibus manifesta sint: Pamphilo vero & Parmenoni, tanquam ægram continentis filiam videantur. *Tace, obsecro, mea gnata.*] *Conceptum furtivum furtim* convenit nasci. *Matris vox visa est.*] *Omnia hæc* quæ sensu percipi possunt, *visa* dicimus. *Virgilius*.

--*Visaque canes ululare per umbram.*

39. *Nullus sum.*] *Rursus* se infelicem & miserum appellavit hic. *Nullus sum.*] *Ἀόξητικῶς.* *Quia perii.*] *Satis amatorie.*

40. *Vxorem Parmeniam pavitare.*] *Pavitare*, τὸ ἔχθρα τισιν.

41. *Pavitare nescio quid.*] *Pavere & timere*, & ad corporis, & ad animi perturbationem veteres referebant. *Plautus* in *Bacchidibus*: *nam ut in mari ventas, credos timida es.* Ergo, *pavitare*, agrotare: quia sic horruisse visa ac palpitate venis, &c.

42. *Quia non poteram una omnia.*] *Deest, Dicere.* *Quia non poteram una omnia.*] *Cum stomacho pronuntiavit: & deest, dicere.*

45. *Nemone medicum adduxit?*] *Scilicet* ex quo scire posses. *Nescio.*] *Perturbatus Parmeno idem* re, etit verbum. & verbum

verbum aptum est personæ servili.

44. *Cesso hinc ire intro.*] *In vultu* proloquium. *Sic autem* dixit *Poëta*, ut gravem morbum in uxore suspectans maritus, protinus ingrediatur, & partum improvisus offendat.

45. *Quoniam modo, Philumena?*] *Amatoria ἀποσπορῶν.* *Sic* in *Phormione*, *Quod se eomea fortuna redeunt; Phanium, abs te ut distrahar, nulla est mihi via expectanda. Offendam affectum?*] *Lastam* possessamque morbo, ab eo quod est affici: unde affectus dicuntur, propter quos afficimur.

46. *Nam si periculum ullum in te inest.*] *Multum* dixit, *Si in te periculum inest*, me periisse non dubito. *Tantus autem affectus* non est mariti tantum, sed amatoris quoque. *Nam si periculum ullum.*] *Non permittit amor* dicere *Perituras*: sed *Si periculum.*

47. *Non usus factis est mihi.*] *Vide artificem Terentium*, quemadmodum alias per *Pamphilum*, alias per ipsum *Parmenonem* invenit, quemadmodum nesciat à cæteris virginem ante nuptias ab ipso *Pamphilo* vitiatam esse. *Non usus factis.*] *Non utile. Factis* abundat.

48. *Nam invisos omnes nos esse illis sentio.*] *Acute* ejusmodi causam repetit, quæ vel hominem curiosum contineret: quæque non *Parmenonem* modo, sed *mox etiam Sofstratam* arceat ab ingressu.

49. *Hæc nemo voluit Sofstratam.*] *Quasi* alius dixerit, *Vnde intelligis. Hæc nemo voluit Sofstratam.*] *Argumentum odii.*

51. *Maxime hæc causa mei.*] *Bene Maxime*: qui & propter ipsam, vel propter invidiam focrus non velit fieri graviolem morbum.

52. *Servum ilico introisse.*] *Mire*, ut criminosus, suspiciosumque sit: non *Lachetis* aut *Pamphili* servum, sed *Sofstratæ*: nec *Parmenonem* saltem.

53. *Commiscentur.*] *Dicent*, cum confinxerint.

54. *Capiti atque atati illorum.*] *Bene τὸ ἐνοημισμῶν* maluit *illorum*, quam *pellæ* dicere: quod utique intelligitur. *Qui.*] *Qui*, unde.

55. *Hæc in crimen.*] *Sofstrata* in *litem*.

Ego vero in magnum malum.] *In quaestitionis tormenta.*

IN SCENAM SECUNDAM

ACTVS TERTII.

1. *Nescio quid jam dudum hic audio tumultuari.*] *In hac scena quasi* quadam deliberatio est, continens *suasionis dissuasionisque partes*, quas in *subditis considerabimus. Hic.*] *Quia nimis vicini sunt.*

2. *Male metuo, ne Philumena magis.*] *Instat Terentius bonam focrum facere*, ut bonam meretricem faciat. *Magis morbus adgravescat.*] *Grauior* fiat. *Proprie*, quia morbi graves sunt dicti. *Virgilius*, *Ubi aut morbo gravis, aut jam senior annis.*

Deficit. — *Sallust.* *Morbigraves ob inedia insolita vescentibus.*

3. *Quod te Æsculapi, & te Salus.*] *Deest* propter: ut sit, *Propter quod.*

4. *Nunc ad eam visam.*] *Sic Virgil.* *Respice ad hæc.* —

Hem.] *Interjectio* est novæ res audientis. *Hem Sofstrata.*] *Vide* quemadmodum per se ipsum *Parmenonem*, per *Parmenonem* arceatur *Sofstrata*: quæ neque deesse propter officium, neque ingredi propter focrum inducitur. *Iterum istinc excludere.*] *Bene Iterum*: ut illi pudorem incuteret repetitione injuriæ, & memoriter, jam enim dixit, *Nostra* ilico it visere ad eam, admittit nemo. *Et simul* vide, quam vehementius ad injuriam sonet *Excludi*, quam *Non admitti.*

5. *Ehem Parmeno.*] *Ehem*, interjectio est ejus, quæ commota sit nova re.

6. *Non visam uxorem Pamphili.*] *Uc* dixit supra, *Servum Sofstratæ*, non *Parmenonem*: sic hic, *Vxorem Pamphili* dixit magis, quam *Philumenam*: ut *animam & officium ejusdem focrus*, & *matris* breviter demonstraret.

7. *Non visas.*] *Unam* rem *Sofstratæ* consuluit, hic de duabus respondet: namque & illam non vult ingredi, & cavet ne ipse mittatur, & bene, *Quam*: ne aperte pro se loqui videatur.

8. *Nam qui amat, cui odio ipse est.*] *Aliam causam* subjunxit: quia durum

fuerat ipsi Softrax dici, quod supra dictum est. Nam qui amat.] Una causa a sententia morali. Cui odio ipse est.] Deest eam, vel eum.

9. Laborem inanem ipse capit, & illi molestiam adfert.] Hoc validissimum ad dissuadendum fuit. Et illi molestiam adfert.] Bene hoc adjecit: ne qui amat, hoc dicat, Laborem, dum promerear, quem amo.

10. Tum autem filius.] Alia causa ab eventu. Videre, ut venit, quid agat.] Quod supra, visere. An visere, officii est apud aegros: Videre, cognitionis: & ideo additum, Quid agat.

11. An venit Pamphilus?] Bene imitatur affectum.

12. Hem.] Interjectio foemina ac matronalis. Ex corde excessit.] Geminavit prapositionem.

13. Hunc nunc intro ire nolo.] Cur si venit Pamphilus, non sit introeundum, causa narratur.

14. Nam si remittent quippiam.] Verbum activum quasi neutrum posuit. Philumena dolores.] Δεσμαπικως errat, non enim vere dolor morbi est, cum sit partus.

15. Scio. continuo sola soli.] Ut, --- Haud (credo) in visus caelestibus, erras.

Vitales carpis. --- Et sic, Sola soli dicitur, quomodo Praesens praesenti, sic Virgilius.

--- Illum absens absentem auditque videtque

16. Unde ortum est.] Pro sit. Αναλόουδον tertium, Qua inter vos intervenit.] Melius sic, quam si diceret, Qua illi feceris.

17. Quam tristis est!] Χαεραμελειως locuturi Pamphili. O mi gnate.] Ordo est, O mi gnate, gaudeo te salvum venisse. sed intercedit Pamphilus tristis.

18. Salvan' philumena est?] Cito probat Pamphilo se amare nurum, cum post salutationem nihil prius, quam de salute uxoris ejus inquirat. Salvan' Philumena est?] Mire obviam sibi exeuntem filium nihil aliud, nisi de Philumena interrogavit: ut ostenderet ejus morbum curae sibi esse.

19. Meliusculae est.] Verum est, quan-

tum ad morbum pertinet. Meliusculae est.] Hoc & ad morbum, & ad eventum paritudoem verum est. ita non mentitur Pamphilus matri. Utinam istuc ita DI faxint.] Diligentiore officio loquitur, ut rea apud filium focrus.

20. Quid tu igitur lachrumus?] Locus ab eo quod agitur: quo significat, Si ita est, quare ergo tu tristis es? Recte, mater.] Sic dicimus, cum sine injuria interrogantis aliquid reticemus. Et bene additum Maier; ut duritia reticentiae blando nomine molliretur. Alii Recte sic accipiunt, ut intelligant, Nihil est mali.

21. Quid fuit tumulti?] Antiqui sic declinaverunt: tumuli, senati. ut Sallustius, Decretum senati sit. Dic mihi.] Dic, verbum est instantis audire, & curiosus interrogantis. Virgilius,

Dic mihi, Damoceta, cuius pecus? Dolor repente invasit.] Proprie Invasit, quia repente.

22. Ita factum est.] Moris est assentiri ad dicta interrogantium, qui quae vera sunt celant. Ita aiunt.] Bene aliis adscripsit: si falsum sit, ut ipsis adscribatur mendacium. Ita aiunt.] In hac tota interrogatione & responsione, colorem induxit secretum, aegre objurgantis. Ita aiunt.] Religiose mendacium ad rumorem retulit. Aiunt inquit, ne ipse falsum dicere videretur.

23. I sodes intro.] Metuit, ne ingrediatur mater ad focros: & ideo dicit, I sodes intro. Et apparet intro dicentem, manu annuere, ut domum redeat: & simul quo magis faciat addit causam. Consequar jam te, mea mater.] Adjecit & tempus, Iam, Mea.] Necessario additum: Mea mater. Et Sodes: quia I intro, durum est. Fiat.] Abiens dixit hoc mater. Fiat: ne omnino jussis alienis parere videatur, quasi imperemus & nos, quae nos ipsi facturi sumus.

24. Tu pueris curre, Parmeno, obviam.] Probabilis causa, qua ablegat etiam Parmenonem, dum jubet eum pueris occurrere. Et simul notandum, quod in hac fabula ridicule vexatur usque ad ultimum servus & ablegatur, cum sit & piger & curiosus. Atque eis onera adjuncta.] Locutio antiqua figurata. Et est

καλλανη, pro, ipsos onera portantes, eis onera adjuncta.

25. Quid? non sciunt ipsi viam, domum qua redeant.] Jam vide quemadmodum servetur Parmenoni persona loquacis, curiosi, pigri. Domum, adverbiale est. Domum qua redeant.] Qua si locum significet, videbitur reliquum praecipuum servus non audivisse. Sin audivit, Quae, quomodo intelligemus, id est, quemadmodum onus portent de navi, ut, Quid fieret, & qua feret. Cessus?] De industria omnes ablegavit suos, ut non audirent quae intus post scenam sunt acta: quae tamen populo est narraturus.

IN SCENAM TERTIAM ACTVS TERTII.

Nequeo mearum rerum initium ultimum invenire idoneum.] In hac scena conquectio est ad deliberationem descendens, an habeat Pamphilus, an excludat uxorem: in qua tota oratio Pamphili ad argumentum spectans, amatoriam magis, quam maritalis est. nam aliter non perveniretur ad ultimam cognitionem omnium rerum, nisi adolecens furtivum conceptum uxoris, & partum, aliquando lenius, quam conjugalit dolor expetit, toleravisset.

1. Nequeo mearum.] Haec est Homericilla Ἐξ ἀπορίας.

τί ποθεν, τί δ' ἐπειτα, τί δ' ὕστερον καταλέξω;

Nequeo mearum rerum initium.] Hoc principium magna ἀπορίσει oneratur: ut ostendantur ærumnae & multae & graves, Idoneum.] Aptum, conveniens.

2. Unde.] A quo.

3. Partim qua perspexi his oculis.] His, quasi miseris, vult intelligi, quibus perspexi, vel audivi mala. An sic dictum est, ut apud Virgilium, Vocemque his auribus hausit.

4. Qua me propter exanimatum.] Inter Exanimatum & Exanimatum hoc interest: Exanimatus, est contreritus, conturbatus. Ut, Sed quidnam Pamphilum exanimatum video?

Et Virgilius, Exanimata sequens impingeret agmina muris,

Exanimus vero, est occisus. Virgil. Corpus ubi exanimi positum Pallantis Aetes

Servabat senior.

5. Me intro ut corripui.] Raptim ingressus sum. Timidus.] Pro timens, nomen loco participii.

6. Morbo me visurum affectam.] Quia & hic morbus est. Hei mihi!] Interjectio dolentis est. Virgilius,

Eloquar, an silicam? ---

Et dicitur haec figura ὀπιμονή. Hei mihi?] Mire interposuit ἔπλισμόν.

8. Id quod me repente.] Deest propter, ut sit, Propter id: ac per hoc, Ideo. Id quod me repente aspexerant.] Causa cur laeta exclamaverint. Id ergo, ob id.

9. Sed continuo voluit earum sensu immutari omnium.] Mire Pamphilus etiam ancillarum metu impellitur, ut alienum nasci puerum suspicetur: nec ullo modo in memoriam redeat, hanc se puellam, vel hujusmodi vitasse. Voluit earum.] Quae viderint.

10. Fors obtulerat.] Offerri dicuntur tam bona quam mala, si insperata obiciantur aspectibus. Obtulerat.] Oblatum dicitur in utramque partem, quidquid expectationem praeventit.

12. Ego ejus videndi cupidus.] Non erit plena vis repentini doloris, si aliquid praesentens suspicatur. & ideo addidit, Ego ejus videndi cupidus. Recta consequor.] Absolute, & sine adiectione. non enim addidit via.

13. Exemplo ejus morbum.] Morbum mitiore animo, quam vitium dixit, aut probrum. Et recte: quia dixit, Alio me suspicans morbo visurum affectam, ac sensu esse uxorem.

14. Spatium.] Moram.

15. Ac res monebat.] Partus.

16. O facinus indignum!] Facinus indignum, non ad illam, hoc est, Philumenam, sed ad authorem vitii refertur. Et corripui illico.] Ardens scilicet dolore. Et est causa cur cito exierit.

17. Lachrumans.] Non furens, sed lachrumans: non iratus, sed misertus. Atque atroci.] Id est, vehementi.

18. *Mater consequitur : jam ut limen exirem.*] Ostendit affectum misericordiae suae, *Matrem* potius dicendo, quam *Myrrhinam*, & addendo *Miserram*, *Ad gremium accidit.*] *Accidere*, est gestu corporis ostendere humilitatem cadentis: propter *ad*, quod est iuxta, & *cadere*. *Sallustius* autem sine praepositione dixit, *Qua accidam, aut quo.*

19. *Lachrumans misera.*] Miserabiliter se habens. *Miseritum est.*] Ut recte supra dictum sit de illo, *Pium & pudicum ingenium narras Pamphili. Miseritum est.*] Hoc ipse sibi.

20. *Omnibus nobis ut res dant sese, ita magni atque humiles sumus.*] Mire dixit *Dant sese*. *Homerus* :

Τόος γ' ἦρός ἔστιν ὀπιχθονίων ἀνδρῶπων,

Ὀϊόν ἐπ' ἠμερ ἄγχοι πατρὸς ἀνδρῶων
τε δ' ὄν τε.

Sed hic *sese* illo & validius dixit, & est haec *καθολικὴ* sententia. *Apollodorus* : *ἔπος ἐκείνου δ' ἐπὶ τὰ πρῶτα συμνός ἢ τῆς τυπεινός.*

21. *O mi Pamphile, abs te quamobrem haec abierit.*] A nomine & blandimento, mire: quia secreta confitetur. Ut *Virg.*

Anna, fatebor enim miseri post fata *Sichar*.

A principio idem elaboravit, ut adversus pudorem conscientia & voce & confessione duraret. *O mi Pamphile, abs te quamobrem haec abierit.*] Venialis status, in quo confessio est & precatio. *Abs te quamobrem.*] Morale blandimentum ante confessionem.

23. *Non vitium.*] Est confessio. *Nam vitium est oblatum.*] Coepit à causa. *Oblatum.*] Ad repentina pertinere superius annotavimus. & *Oblatum*, quasi non expectanti & nolenti. *Virgini.*] Quasi quae falli posset. *Olim.*] Recte *Olim*: quia facilis venia circa vetera jam delicta, unde tentat temporis longinquitate extenuare peccatum. *Olim* ergo, ante mentes no vem. *Ab nescio quo improbo.*] Mire contempsit personam, dicendo *Nescio quo*, id est, nescio quem dixit, ut ostendat ignobilem, ita abjectum, nam si no men illi est, habet & dignitatem: ut,

--- Et nos aliquod nomenque decusque

Gessimus. ---
Et ne placere videatur is qui fecit, *Improbum* dixit,

25. *Sed quum orata ejus.*] Bona *πρόνοις*. *Nequeo quin lacrumam miser.*] Videtur quasi distillantem fletus detergere. *Nequeo.*] Deest continere.

26. *Quaeque fors fortuna.*] *Τρόχον*, id est, subita fortuna. Et *Fortuna*, in incerto: *Fors fortuna*, in bono ponitur, *Virgilius*,

--- Si qua in te fortuna fuisset.

Et ipse, *O fors fortuna.*

27. *Per eam te obestamur.*] Oratorie inducuntur & pro tacentibus preces. *Per eam te obestamur amba.*] *Obestatio*, est precatio cum mentione earum rerum, per quas petimus: ut,

--- Per eversa genitor sumantia Troia

Excidia obestor. ---

Si jus, si fas est.] Utrum hoc invidiose an qualifcemina, quae leges nesciat.

28. *Vti adversa ejus.*] Mire non crimen: sed *Adversa*. *Per te tecta, tacitaque.*] *Tecta*, si reclusio: *Tacita*, si repudias sub alia excusatione. An idem significant? an potius, Neque re, neque verbo indices? An *Tecta*, ne videantur: *Tacita*, ne dicantur? *Tecta, tacitaque.*] *Tecta* sint, ne haec alii sciant: *Tacita*, ne ipse indicet.

29. *Si umquam erga te.*] *Virgilius*, *Si concessa peto, si dant ea moenia Parca;* *Terentius* in *Andr.* *Si te in Germani fratris dilexi loco, sive hac te solum semper fecit maximi. Si umquam erga te.*] Ab antea da vita.

30. *Vti sibi das, pro illa.*] Subauditur, *gratia.*

31. *Ceterum de reducenda.*] Tentat etiam hoc persuadere, sed oratorie & verecunde. Et mire, *De reducenda* dixit, non *De respicienda*. *Quod in rem sit tuam.*] Nam nisi reducatur, reddenda dos erit.

32. *Solus conscius.*] A possibili, nam hoc nomine ostendit tacere eum posse, quod conscius sit ipse solus.

33. *Nam aiunt.*] Honestius *Aiunt*, pro *Ait* dixit, nam quis aut scire, aut dicere potuit, nisi *Philumena*? ergo recte, *Aiunt* enim potius honestum est, quam *Ait*. *Post duobus concubuisse eam mensibus.*] *Post duobus*, simpliciter acci-

piendum, non post duos, est enim *ἀπὸ τῆς ἡμέρας*, pro *duobus post*, id est, non ita- tum ut nupta sit, sed postquam nupta est, post duos menses nuptiarum: ut sint reliqui quinque menses. Et hinc apparet, ante duos menses, priusquam cum *Pamphilo* concumberet, vitiatam, quatuor mensibus cum *Pamphilo* fuisse: ex quibus duobus posterioribus amatam esse, reliquis tribus peregrinatum fuisse *Pamphilum*. An *post duobus*, pro *post duos*? ut *Plautus*: *Post principio denique, & post paulo.*

35. *Quod te scire ipsa indicat res.*] *Quia* contristatus corripuisti te foras.

39. *Partus eveniat.*] *Philumenae* scilicet.

38. *Abortum esse.*] Non est Latinum *aborsa* est: sed, *Abortum fecit. Abortum esse.*] Deest, *natum*, vel *factum*, vel *absoluto*, quomodo dicimus, *de re nata*: vel quemadmodum dicimus, *ex te mihi orta est injuria. Dicam abortum esse.*] Rationabiliter dixit, sit enim abortus mense septimo sine pernicie foeminae, *Suspensum fore.*] *Suspicabilem*, suspiciosum.

39. *Ex te recte eum natum putent.*] Nove dixit *Natum abortum*: quasi abortus nascatur. *Natum* ergo pro facto, conceptoque dixit.

40. *Exponetur.*] Ad mortem scilicet. *Hic tibi nihil est quidquam incommodi.*] *Quum* alienus exponitur, & non tollitur pro tuo. Et mire necandi pueri non fit mentio: quia *Pamphili* filius invenitur, quum ei etiam per patrem puelle *Poeta* succurrit. *Hic tibi nihil est quidquam incommodi.*] Ab utili, & est *παρὰ τὸν* quartum: ut, *nihil vidi quidquam latius.*

41. *Et illi misera indigne.*] Ut non sit *ἀνεκλόγητος*. Superiori versui *Id* Et addendum est: ut sit, *Et tibi nihil est quidquam incommodi. Et illi misera.*] Conclusio per enumerationem. Et non *lædētis* inquit, & *prodētis* miseræ. *Factam injuriam.*] Mire *Injuriam* dixit: ut non contemnenda sit, sed tollenda.

42. *Pollicitus sum.*] Plus quam promissi. *Quod dixi.*] Quod promissi.

43. *Id vero neuiquam honestum esse arbitror.*] *Neuiquam*, non est omnino ne-

gativum, sed aliquid assensionis habet. Est enim *Neuiquam*, non nimis, non valde.

44. *Nec faciam.*] Bene addidit, *nec faciam*, multa enim etiam inhonesta amore suspicimus. *Etsi amor me graviter, consuetudoque tenet.*] Hoc cum gemitu. *Etsi* non complexivum, neque praepositivum, sed subiectivum, id est, pro tametsi. *Amor me graviter, consuetudoque.*] Quae duae res contra honestum & utile validissime. Et bene *tenet*, non tenuit.

45. *Lachrumo, qua posthac futura est vita.*] Bene propensior in affectum est, ut verisimile fiat potuisse reticere. Et *Lachrumo* non pendet à superiori: sed interpositis diu fletibus dixit, *Lachrumo, qua posthac.*] *Qua*, modo vim pronominis non tenet, sed querelæ. Et *lachrumo*, sic dixit ut *Virgil.*

Sic affata, sinum lacrumis implevit abortis.

Et est ordo, *Lachrumo, cum in mentem venit.*

46. *O fortuna.*] Hic *Fortunam* pro bona posuit. *Vt nunquam perpetuo es bona.*] Legitur & *data*, nam & sic pro bona intelligitur necessario.

48. *Idem nunc operam huic dabo.*] *Si idem*, ego, si *idem*, hoc est amori. *Operam dabo.*] Difficultatem rei ostendit, dicendo *operam dabo*.

49. *Adest Parmeno cum pueris.*] Quia idem *Parmeno* est secretorum conscius, addidit, *Cum pueris. Minime est opus.*] Id est, omnino non est opus.

53. *Aliquo mihi est hinc ablegandus, dum parit Philumena.*] In tota comœdia non cessabit, cum sit piger; nec resciscet aliquid, cum sit curiosus *Parmeno*.

54. *Dum parit Philumena.*] *Dum*, alias, dummodo: alias, donec: nunc, quamdiu.

IN SCENAM QUARTAM

ACTVS TERTII.

A In tu tibi hoc incommodum evenisse iter?] *Alia ratio est, currentis ad argumenta: alia actuum Comitorum. Sed perfecti Poeta est ita servare argumento,*

ut tamen spectator novis delectationibus remeatur. Nam in hac scena, donec perveniat ad Pamphilum Parmeno, hoc eūgenia inducitur, cum hoc ostenditur, quid mali sit navigatio.

1. *Ain' tu.*] Pro *aisne tu*. Et sic jam aliquid dixisse magni in præcedenti oratione ex respondentis sermone demonstratur. *Ain' tu.*] In scena nascitur oratio, aut in scenam defertur.

3. *Tantum quam re ipsa navigare incommodum est.*] *Ανακόλυθον* quartum, non enim intulit quantum. Ut *Virg.* Sed quanto ille magis formas se vertet in omnes:

Tanto, nate, magis contendet enacia vincula.

4. O fortunate, nescis quid malipræterieris.] Bene majori affectu, dicens O fortunate, quam si responderet, Ita.

5. *Qui numquam es ingressus mare.*] Proprie dixit, *Ingressus*, nam qui jam navigavit, *egressus* dicitur, sic *Virgil.* *Egressi optata potiuntur Troes arena.*

6. *Nam aliam ut mistam miserias.*] *Παρολιη* oratoria. Et *Miserias*, navigationes scilicet.

7. *Dies triginta.*] Accusativus casus plenum numerum & continuationem rei significat. *Dies triginta, aut plus eo, in navifui.*] Hoc exitiosum vel sine periculo videri potest. Sed vide quid addat, *Aut plus eo, in navi.* Absolute eo, ut alibi, *Annos sexaginta natus es, aut plus eo, ut conjicio.*

8. *Semper mortem expectabam miser.*] Dura est expectatio mali. *Virgilius.* *Inclusi pœnam expectant.* ---

Semper mortem expectabam.] Id est, horis omnibus, cum continuatione triginta dierum.

9. *Ita usque.*] *Usque*, vel diu, vel valde.

10. *Odiotum.*] Esse scilicet in mari triginta dies. Et nomen pro adverbio posuit: *Odiotum* pro odiose. *Haud clam me est.*] *Αιτιως*. pro Ego maxime intelligo, quam odiosum sit. Nam qui jungunt, & sic legunt, errant & non intelligunt. *Aufugerim.*] Sic veteres, quod nos, *Fugerim.*

12. *Olim quidem te causa impellebant*

leves.] Mire in servum fugitivum, qui ob vitium huiusmodi, non ob causam fugiat. Et bene *Leves* dixit: hæc enim non est levis.

13. *Quod nunc minitare facere.*] Ut sit ordo, Olim quidem te causæ impellebant leves, Sofia, ut faceres quod nunc minitaris facere hac occasione. Artificiose. Et in Audria sic ait reculanti perjurium servo Mysis,

Nova nunc religio in te incesst? Facere.] Ut faceres. Comicum est & Terentianum.

14. *Sed Pamphilum ipsum video.*] *Ipsum* à quo missus sum: vel dominum, ut Græci dicunt *αὐτόν*.

15. *Ego hunc adibo.*] Vel nova curiositate ait Parmeno.

16. *Equidem te expecto.*] Bene excipit Pamphilus Parmenonem, ut videatur vera dicturus. *Equidem te expecto.*] Apparet Pamphilum Parmenonis absentiam desiderare: eo quod nunc prior Parmenonem alloquitur.

17. *In arcem transcurso opus est.*] Ostendit quam longe sit, cum *In arcem* dicat. Et bene *In arcem*, quam Minerva condidit. *In arcem.*] Pronuntia, ut ostendat quam longe sit in arcem transcurrere. *Transcurso.*] Pro transcurrere. *Cui homini?*] Hæc verba cum sua pronuntiatione vim reculationis in se continent. *Cui homini?*] Cum reculatione pronuntiantium, & est pigri responsio, laborem ad alium transferentis.

19. *Qui mecum una advectus est.*] Apparet eum cum eo aliquid negotii habere, cum dicit, *Qui mecum una est advectus.*

20. *Vovisse hunc dicam, si salvos domum Redisset unquam.*] Facete dixit. More enim hoc fit eorum, qui longis itineribus maris periclitati, vovent aliquid si pervenerint. Et convenit hoc Pamphilo quem supra male navigasse audierat.

22. *Quid vis dicam? an conveniam modo?*] Non enim mandaverat quicquam, qui sine causa mittebat, oblitus bene dissimulare: ut qui mentiuntur. Et sic pronuntiantium, *An conveniam modo:* ut reprehendere dominum Parmeno videatur. *An conveniam modo.*] *Εἰσρωμινας* dixit. Nam non hoc interrogantis simpliciter.

23. *Imo quod constitui me hodie.*] Deest, *nuntia:* ut sit, imo nuntia, & sumitur à superiori sententia, qua dixit, *Quid vis dicam? Imo, quod constitui me hodie.*] Apparet eum hanc conquistam, & vix corrasam invenisse causam.

24. *Vola.*] *Ἡδυνή* *καὶ* *κολῆ* usus est. Ita curras, ut volare magis, quam currere videaris. Et antea transcurrere iusserat: nunc adjecit imperio, non *Curre*, sed *vola.*

25. *At non novi hominis faciem.*] Moraliter expressio pigræ, in tot excusationibus posita est. *At faciam ut noveris.*] Stomachose pronuntiantium, *At*, quod & Pamphilus repetit dicens, *At faciam ut noveris.*

26. *Magnus, rubicundus, crispus, castus, crassus.*] *Properatio*, *συναδροσιμος*. & acervo sine conjunctivo est usus. *Magnus, rubicundus.*] Imperite *Terentium* de Myconio crispum dixisse aiunt, cum Apollodoros calvum dixerit, quod proprium Myconis est, ut *Lucilius*, *Myconi calva omnis juvenis.* Unde etiam proverbium Græcum; *Μυκόνιος φαλακρός*. Sed ego *Terentium* puto scientem facietius Myconium crispum dixisse. *Castus.*] *Glaucis oculis*, quasi felis oculos habens & glaucos.

27. *Cadaverosa facie.*] Sublivida, ac personata rubore & livore. *Rubicundi* enim & crassiores faciem sæpe habent: quod est proprium cadaveris. Potest & pulposa intelligi & crassa, quasi carnosæ: *Caro* enim dicta est, eo quod careat anima. Et *Caro* proprie dicitur mortuorum, *Virgilius:*

— *Et corpora luce carentum.*

Unde *Carnifices* dicti, quod carnes ex homine faciant. *Pulpa* vero, proprie ea quæ manducatur, eo quod pullsetur & concindatur. Potest & R pro D poni, ut *Caro* sit dicta quasi *cado*, ut *Virg.*

Belloque caduci Dardanide. Quod jam scilicet sine anima sit & cadat. *Dii illum perduunt.*] More pigrorum, male optat ei, propter quem mittitur.

28. *Quid si non venierit?*] Omnia dicit, ne eat.

29. *Maneto: curre.*] Etiam Pamphilus tanquam de industria perseverat. *Non*

queo: ita defessus sum.] Hoc in gestu, & spectaculo plus est: nam incessu & author exprimit lassitudinem.

30. *Ille abiit.*] Quasi dicat, licet jam loqui. *Ille abiit.*] Quasi cum difficultate completam rem ostendit hoc dicto.

32. *Sua gnata partum.*] *Ἐπιζημιος.* *Quod potero, faciam.*] Id est, celabo quantum potero, an quasi projiciens curas, & fessus angore dixit, *Quod potero, faciam:* id est, si potero, cedam amori: & rursus, tanquam pietatis admonitus, adjecit exceptionem, *Tamen ut pietatem colam.* Servat enim in illo amorem Poëta: cujus non poenitebit, re cognita, & errore sublato.

33. *Quod potero, faciam.*] Id est, amori obsequar, nam misericordia mulieris de amore descendit. *Quod potero, faciam.*] Apparet, hoc dictum, defectus esse, non virtutis, *Tamen ut pietatem colam.*] Recordatus est læsam matrem esse ab uxore: hoc enim credit, & ideo se ad exceptionem revocavit: Ita se amori cedere oportere, ut non obliviscatur omnino pietatis. Et bene in eam causam contulit necessitatem non reducendæ uxoris, quæ invenietur nulla esse. Sunt tamen qui, manente eadem sententia, totum hoc jungunt: *Quod potero, faciam, tamen ut pietatem colam:* hoc est, in quantum potero, dabo operam adversus amorem, ut omisso eo, pietatem colam. Et subjungitur causa, *Tamen ut pietatem colam.*] Deest ita: ut sit *Tamen* pro duntaxat. Ut sit, Ita ut pietatem colam. Dixerat enim, *Quod potero:* & ideo addidit exceptionem, *Tamen ut pietatem colam:* id est, non sum oblitus & marris. *Tamen.*] Pro ita tamen.

34. *Nam me parenti potius, quam amori.*] *Amori*, scilicet uxoris, quia dixit, *Quod potero, faciam.* & hoc est quod dixerat, *Quod potero, faciam.*

35. *Atat.*] Interjectio est conterrenti & conturbati.

36. *Horsum pergunt.*] *Modo pergunt.* pro eunt, alias perseverant.

IN SCENAM QUINTAM

ACTVS TERTII.

Dixit' dudum, dixisse illam, se expectare. Facite principium est interrogantis ita, ut sciat quid sibi responsurus sit. quem interrogat. Illaturus est enim argumentum per ερωτησένω.

1. Dixit' dudum.] Quia dixerat, Sane ad jurat non posse Pamphilo se absente perdurare. Dixit' dudum.] Captiosa interrogatione coepit, dicturus, Venisse aiunt: redeat.

2. Factum.] Id est, Dixisse illum, aut me. Et deest est: ut sit, Factum est.

3. Quamobrem non reducam, nescio.] Habet causam: sed non vult veram dicere, & præterea non vult cum invidia matris suæ loqui: si in illam conferat, ut uxorem non reducat domum. Quem ego hic audivi loqui.] Ut solet, primo personas inducit secum loquentes: deinde ipsas convenire invicem: ut alibi, Quis hic loquitur? Mysis, salve.

4. Certum obfirmare est viam me.] Adversus omnia obstinate agere, id est, contra omnes. Obfirmare est viam me, quam decrevi persequi.] Id est, ut matri potius, quam amori, morem gerat.

7. Atque adeo, quod maximum est, salvum atque validum.] Ordo est, primum Advenisse deinde salvum, postremo validum. Αὐθένος ad salutem. Validus namque, robustus & habitior corpore. Quod maximum est.] Legitur & Quod maxime est. Creditur.] Minus blande respondet, de repudio locuturus.

8. Advenis modo.] Difficile invenitur presentis temporis modo. Atque ut ostendat esse momentum etiam presentis temporis, dixit admodum: quod est minus. Advenis modo.] Virgilius,

...vigila, ne Deum gens Aenea? vigila. Admodum.] Excusatio cur adhuc non viderit patrem. Cedo, quid reliquit Phania consobrinus noster.] Utrum jactanter Laches de hereditate loquitur presente socero, ut illum cupidiorum faciat ad revocandam filiam: & fit sæpe hoc, ut ex alio principio pervenire quæramus ad ea, quæ volumus dicere. An ideo, ut

sciat rem, & divitias suas: cupidiorum socerum redditurus.

9. Consobrinus noster.] Quasi sororinus. Sobrini, sunt ex duabus sororibus, Consobrini, ex fratre & sorore. Et propinquitate Terentius frequentata movetur, ut heredum. Co. sobrinus noster.] Quum de fratre natus est alter, & alter ex sorore, Consobrini: quum ex fratribus, Parvules dicuntur. Sane hercle homo voluptati obsequens fuit.] Sane, satis, valide, nam qui sanus, & validus est. Voluptati obsequens fuit.] Contra facit Pamphilus: disjungi enim volens, nihil dicit vel parum relictum.

10. Haud multum heredem juvant.] Parum consulunt heredi.

11. Sibi vero hanc laudem relinquunt: Vixit, dum vixit, bene.] Bene & facete, Nihil heredi relinquunt, sibi vero relinquunt, Vixit, dum vixit, bene.] Προυά, unum vixit aliud significat: & alterum vixit, aliud, Vixit, dum vixit, bene.] Sententia est hortantis ad delicate vendendum. Vixit, dum vixit, bene.] Hoc enim scilicet reliquit.

12. Vna sententia.] Expressit animum avari senis.

13. Quidquid est id, quod reliquit, profuit.] Quidquid, & ad parvitatem refertur, ut, Atenim id mihi satis est, quod est de me opinionis, quidquid est. Quidquid est id quod reliquit.] Nullum in hoc senis fuit doloris officium, antequam sciret aliquid relictum. Profuit.] Id est, pro nobis fuit: ac per hoc nostrum est: potest enim ipse profuisse, potest res ejus. Imo obsuit.] Morem eorum expressit, quibus relinquitur: qui quum audierint sibi aliquid esse relictum, tunc tristes se fingunt.

14. Nam illum vivum, & salvum vellem.] Non idem Vivum, quod Salvum. Impune optare istuc licet.] Bene impune: quia heredi poena est, mortuos reviviscere. An sine detrimento optas? ut quum medicus dicit de jam mortuo, Ego si illum curarem, viveret. Impune optare.] Si optata evenirent, numquam, inquit, optares ut ille revivisceret.

15. Ille reviviscet, jam numquam.] Mire Poëta his verbis Phidippum quod subinvitens indicat. Plus est Numquam

quam, quam Non. Et tamen utrum malis, scio.] Mortuum illum magis, quam ut reviviscat denuo. Et tamen utrum malis scio.] Quid malis de duobus, scio: utrum illum mortuum permanere, an reviviscere.

16. Heri Philumenam.] Hoc erat, quo omnis tendebat oratio. Ad se accersi hic iussit.] Bene & Accersi & Iussit, ut nihil uxor sua sponte fecerit. Heri Philumenam ad se accersi hic iussit.] Et Heri & Iussit, bene: ut breve tempus sit, & coacta videatur exisse. Et non Adaudi, sed Accersi: nec A nobis, sed Ad se.

18. Omnem rem scio ut sit gesta.] Virgilius: Trojanas ut opes & lamentabile regnum, &c.

19. At istos invidos DI perdant.] Bene Invidos, qui matrimonio invident: ergo revocanda uxor est, & adeo non puduit mendacii honeste deprehensum senem, ut invidos faceret, qui vera prodiderant.

20. Ego me scio cavisse.] Principium à tempore, à dictis, factisque, tam suis quam adversariorum: & ab antea acta vita & presenti. Ego scio me cavisse, ne ulla merito contumelia.] Mire addidit Merito, non enim cavere, inquit, ne fieret ea, potui: igitur, ne merito fieret, quod in me fuit.

21. Idque si nunc.] Ab antea acta vita. Et clementi fui.] Pro fuerim, indicativum pro conjunctivo posuit.

23. Ni te ex ipsa hac magis velim resciscere. Παρά ληψίς.

24. Namque eo pacto maxime apud te meo erit ingenio fides.] Bene, non dictis, sed Ingenio.

25. Quum illa qua nunc in me iniqua est, aqua.] Iniqua aqua, παρανομαστει sunt Terentianæ. Et bonum argumentum. Nam & Virgil.

Ipse hostis Teucros insigni laude ferebat, inquit, & Cicero, Te ipso teste iniquo, atque improbo: verum ad hanc rem satis idoneo: te, inquam, teste, dicam. In me iniqua est, aqua de me dixerit.] Quia adversarii testimonium, si contra se dicat, tam grave est, quam vel boni viri.

26. Neque mea culpa hoc dissidium evenisse.] Non ergo quid fiat, verum per

quos fiat, quærendum est. Et nimis abrupte dixit Evenisse, non Evenire. Hoc evenisse dissidium.] Ad confirmationem, non Evenire, sed Evenisse dixit.

27. Sed quando sese esse indignam.] Hoc sic profert, ut eam ostendat causam esse dissidii: & hoc ipso tentat, utrum doctem relinquere possit, & ideo supra, Neque mea culpa hoc dissidium evenisse, Id testor Deos, inquit.

Deputat matrem meam, cui concedat.] Fortasse ergo indigna est, & recte deputat: mihi tamen mater colenda est, hoc sentit, Deputat matrem meam, cui concedat.] Έρτωνελοσ Matrem meam, ut idonea sit causa repudii.

28. Cujusque mores toleret.] Hoc melius, quam obsequatur, aut inserviat. Mores toleret, Bene Mores, ut anicula: notat enim pravitatem, unde senes, morosus appellantur. Horatius, Donec virenti canities abest Morosa. Mores toleret sua modestia.] O temperamentum! Mores potius quam Injuria dixit.

29. Neque alio pacto componi potest.] Nisi ut concedat matri, toleretque mores ejus.

30. Segreganda aut Mater est à me Phidippe.] Bene tanquam ex deliberatione colligit, quod facturus est. Et mollius Segreganda, quam Excludenda.

31. Nunc me pietas matris potius commodum suadet sequi.] Quam mollibus verbis repudium nuntiatum est à Pamphilo.

32. Ad aures haud invito.] Optime dictum, Haud invito, non enim in totum volenti, quippe de dissidio: sed tamen quia piè locutus est, mediocriter approbavit. Pamphile, ad aures haud invito.] Gravis oratio est à nomine incepta. Virgilius,

O præstans animi juvenis, ---

Et est figura Αιτωνίς. Sic Virgil.

Posthabui tamen illorum mea seria ludo. Haud invito sermo mihi accessit tuus.] Senili loquacitate: pro, Recte locutus es.

33. Omnes res.] Plus dixit, quam si Vxorem diceret. Pra parente intellego.] Bene Parente, quod nomen commune & cum patre est, & cum omnibus, quos hæc necessitudo conjungit. Melius ergo,

quam si diceret Matrem.

34. *Verum vide, ne impulsus ira prave insistas, Pamphile.*] Leniter & suadenter. *Ira.*] Non ergo iudicio. *Insistere*, Pamphile.] Non enim incipere, sed Insistere hic malum est.

35. *Quibus iris impulsus.*] Non dixit Quaira, ne superbe loqueretur, sed *Quibus iris*: ut hoc ipsum per *εἰς ὧν ἔλασεν* dederet, quod pater dixit, *Impulsus ira.* An iris matris, aut meæ uxoris, & mea? an omnium trium? *Quibus iris impulsus.*] Recte non vult iram esse, ne peccasse videatur uxor. Sic enim quasi nec ipsa peccaverit. *Quibus iris.*] Ille *Iram* singulariter dixit, hic *Iras* pluraliter: ne videatur unius iræ causâ mittere uxorem.

36. *Quæ numquam quidquam erga me commerita est, Pater.*] Averte, proprietatem expressit commerendi & merendi.

37. *Et sape, quod vellem, meritam scio.*] Mereri bona dicimus. *Commereri* mala: id est, delinquere, peccare. Ergo hic *Meritam*, pro Præstitisse dixit. *Virgilius,*

--- Ego se qua plurima fando

Enumerare vales, nunquam, regina, negabo.

Promeritam, ---

38. *Amoque, & laudo.*] Non itacim qui amantur, & laudantur: nec qui laudantur, etiam continuo desiderantur. Multa ergo dixit, *Amoque, & laudo, & vehementer desidero.* Et vide, amoris impulsus nimius hic est circa uxorem: & quasi oblitus suæ matris & vitiatæ, loquitur. sed tali opus est Pamphilo ad ejusmodi argumentum, donec perveniat ad *κατὰ σπουδὴν*, in qua uxorem reduci necesse est.

39. *Nam fuisse erga me.*] Quantum valet quod *Fuisse* dixit, & non *Esse*: quasi re transacta. *Erga me.*] Hoc rotum repudiaturus inaniter diceret, nisi ad exitum fabulæ Poëta respiciens, reducturi animum in Pamphilo reservaret. Et nota repudiantem eam, quam laudat, pietate sola compulsum.

40. *Ut reliquam vitam exigat.*] Satis flebiliter dixit, *Reliquam exigat.* *Virgilius:*

Omnes ut mecum, meritis pro talibus, annos

Exigat. ---

41. *Cum eo viro.*] Non invidere, jam non est mariti.

42. *Quandoquidem illam à me distrahit necessitas.*] Omnis conclusio verborum Pamphili, repudiî confirmationem continet: plus tamen sententia significante, quam verbis. *Quandoquidem illam à me distrahit necessitas.*] Excusatio in necessitate, quæ est inexorabilis. Et *Necessitas*, partus scilicet, quam necessitatem domi offendit: quod ex alio scilicet peperit. Sed modo vult necessitatem, matris videri iracundiam, quæ ad nuru ita offensa fit.

43. *Tibi id in manu est, ne fiat.*] Hoc opposuit, quod minime vult Pamphilus videri, & quod prodest focero. *Si sanus sis, jube illam redire.* Pro, *Si sanus es*: nam aliter lubeas dicere debuit, *Si sanus sis.*] Bene pater supra *Iram* dixit: nunc *Insaniam* significat ineffe Pamphilo. *Si sanus sis.*] Non ergo culpa est, cui ut redeat jubere potest.

44. *Non est confisium.*] Durius erat, *Nolo reducere*, ergo hoc lenius dixit.

45. *Matris seruido commodis.*] Hoc verbo necessitatem, qua cogatur, ostendit. *Quo abis?*] Factum Pamphili ex patris verbis ostenditur, quod discessit, & bene: nam ulterius præiente patre resistere durum fuit.

46. *Mane, inquam, quò abis?*] Bene *Quo abis?* quia patrem deseris & uxorem. *Qua hac est pertinacia?*] Sicut decuit focerum, & subindignatur, quia coram sibi fit contumelia.

47. *Dixine, Phidippe.*] Artificiose Laches, ut minus miretur, & minus indignetur focer, irasci Pamphilum dicit: quando & prædictum est, & sic oportuit. *Dixine, Phidippe, hanc rem egre laturum esse eum?*] Renovavit verba sua eidem personæ. nam ita dixerat, *Neque adeo me clam est, quam esse eum graviter laturum credam*, hoc si resciverit.

48. *Quamobrem te orabam, ut filiam remitteres.*] Invidiose adversum Phidippum, tanquam in illo sit, unde se putget, & non accuset Pamphilum.

49. *Adeo inhumanum fore.*] Bene,

quasi iratus, inhumanum esse inquit. *Non credidi adeo.*] Potuit enim dicere, *Non credidi inhumanum fore*: sed acerbe addidit *Adeo*.

50. *Ita nunc is sibi me.*] Sibi & Me magno pondere legendum est utrumque pronomen, ut, *Cantando tu illum?* Id est, genero focerum, vel Pamphilo Phidippum, vel si quid tale inveneris. *Supplicaturum.*] Parum est *Satis facturum*; *Supplicaturum* addidit.

51. *Sin alio est animo, renumeret dotem huc; eat.*] Hoc recte focer, non tam ut dotem recipiat, quam ut terreat, hoc dicit. Et *Renumeret*, proprie, quia dos, pecunia est. Et *ἰδὼ πατρὸς* irascentis est, & exigentis debitum. *Eat* vero mire dictum: quasi ipse projiciatur, qui jubetur ire. & simul in hoc verbo quasi renuntiatio caritatis est. *Renumeret dotem huc; eat.*] Terrorem repetendæ dotis ostendit, quum dicit, *Renumeret dotem*: simul cum injuria, *Huc*: & iracunde, *Eat*.

53. *Ecce autem tu quoque proterve iracundus es.*] Addendo *Quoque*, non nihil assensus est: quasi dicat, *Quomodo Pamphilus, proterve iracundus es.*] *Proterve*, immoderate, & superbe, dictum est id eo, quod proterat alium, qui protervus est. Nam *Protervus* est, qui dum ailus obvius est; proterit: quod faciunt & tauri in appetitu coitus foeminarum, in quas calent.

54. *Percontumax redisti.*] Proprie *Contumax* dicitur contemptor priorum. *Percontumax redisti huc nobis, Pamphile?*] Magnæ indignationis est, absentes alloqui: ut alibi, *O Æschine, pol' haud patrem istuc dedisti. Nobis, Pamphile.*] *Ἰὸ ἀτίμιον.* nam aut abundat, aut significatu adjuvat pronuntiationem.

55. *Decedet jam ira.*] Quasi in ira sit culpa: non, *Deponetur ira*, inquit, sed *Decedet*.

56. *Quia paululum vobis accessit pecunia.*] Facere: quasi dicat, *Quia habetis unde dotem reddatis*, aut, *Quia nullam causam habeatis repudiî, sed ditiores queratis conjunctionem, Quia paululum vobis accessit pecunia, sublatis animi sunt.*] Et non, Major est factus Pamphilus, simul majore stomacho, quod cum la-

bore celabat, aperte ostendit.

57. *Sublati animi.*] Pro *Elati, Sublati* dixit. Et hoc proprie ferarum est. ut, *Attollitque animos: Pœnorum qualis in arvis, Saucius ille gravi venantium vulnere peccus,*

Tum demum movet arma leo, &c.

Nam bestia pro animi qualitate vel erigunt corpora, vel deponunt, ait *Cicero*. *Etiam mecum litigas?*] Belle: & illum ex invidia iracundiorem, & hoc ad se dicentem, quod propter Pamphilum dicebat, effecit. *Etiam mecum litigas?*] Invidiose, quasi jam cum Pamphilo litigaverit.

58. *Deliberet, renuntietque hodie.*] Ferocius quam focerum deceret: attamen mature, quod *Deliberet* dixit.

59. *Vt alii, si huic non sit, fiet.*] Magna fiducia conditionem filiaæ asserit: quoniam jam si Pamphilus nolit, paratum alterum dicit esse. *Si huic non sit.*] Subauditur *uxor*. Sed dura dictu reticuit, ut debebat.

60. *Phidippe, ades.*] Nomine appellat: quod facere solemus, iratos mitigare conantes.

61. *Postremo inter se transigant.*] Non enim hæc votiva sunt, quibus interesse delectet.

62. *Quando nec gnatus, neque hic.*] Invidiose *Gnatus*, & *Non obtemperant*, & *Hic non familiariter* dictum, quasi ab irato.

63. *Qua dico, parvipendunt.*] Quia obtemperamus etiam tacita voluntari. *Porto hoc jurgium ad uxorem: cujus, &c.*] Bene rursus in errorem reditur: ne quæ vera sunt, contra fabulæ propositum cognoscantur. *Porto hoc jurgium.*] *Porto*, quasi aliquid magnum.

64. *Cujus hoc sunt consilio omnia.*] Non transacta obijciuntur uxori, sed quæ nunc aguntur. *Consilio.*] Utrum dispositione: an *εἰς ὧν ἔλασεν* est in male consulentem.

65. *Atque in eam hoc omne, quod mihi agre est.*] Non *Quod irascor*, sed *Quod mihi agre est*, dixit. *Evomam.*] Bene: quia ægritudinem solet vomitus relevare: sic *Cicero* in *Carilinam*, quum dicit, *Qua quidem latari mihi videtur, quod tantam pestem evomuerit, forasque projecit.*

IN SCENAM PRIMAM

ACTVS QVARTI.

Perit! quid.] Mire in hac scena iterum rixa est senis atque anus : & tamē varie & alio modo , ut mores inter se diversos , & tamen notos possimus agnoscere.

1. Perit! quid agam?] Hæc proloqui oportet Myrrhinam , ut ex ejus persona reminiscatur spectator gestæ rei : simulque ex hujus personæ verbis , quid agat altera persona , monstratur. Nam per scrutari Phidippum universa conclavia , & ire per totam domum cognito partu filix suæ , apparet ex præsentibus dictis. Perit! quid agam?] Singula ita pronuntia , ut perturbatum ostendas. Quid agam? quo me vocatam?] Figura ἄσπαστος , apta turbatis.

2. Nam audisse vocem pueri visus est vagientis.] Virgilius ,
Continuo audita voces , vagitus & ingens ,
Infantiumque animæ flentes in limine primo.

Et est ὀνομασπορία. nam vox ipsa sic est , ut quasi vagitus sæpius sonet. Pueri visus est vagientis.] Proprie dixit Vagientis ; & infantium est. Visus est.] Quomodo , Audire vocem visa sum modo militis.

3. Ita corripuit derepente.] Raptina intulit. Et Derepente , una pars orationis est , ut Desessus. adverbis etiam præpositiones separatim non adduntur. Derepente.] Τὸν. Nam si separaveris , non est Latinum , De repente.

4. Quod si.] Quod , pro nam , aut Itaque. sed & nos in hujusmodi significatione sic dicimus. Quod si te rescierit.] Scimus manifesta : Rescimus occulta Id qua causa.] Id , hoc ipsum , peperisse eam.

5. Non adepol scio.] Ideo quia vera causa dici non potest.

6. Sed ostium concrepuit.] Plus est quam Crepuit : nam con modo auditivum est. Ad me.] Bene Ad me , quasi litigaturum.

7. Vbi me ad filium ire sensit.] Hoc an-

te rem : & simul argumentum delicti est , quod exiit a filia marito ingresso mulier. Vxor ubi me ad filiam.] Mirantis est gestus & dictum. Se duxit foras.] Ordo , Duxit se. Et verbis usus est , intra domesticos parietes , artis , τῶν ἰδιωποῦ. Se duxit , pro Abiit.

8. Atque eccam video.] Apparet mulierem fugere , & viri averfari præsentiam , & ideo hoc separatim pronuntiandum. Heus , tibi dico.] Ostendit Myrrhinam avertentem se : quasi nihil inveniat quod dicat de filia. Mihine , mi Vir?] Sic & in Andria , Nihil respondes? quum turbatum se ostendit Davus. Vir.] Ad maritalium conditionem reculit , non ad sexum , ut Virgilius in Bucolicis ,
Vir gregis ipse caper. ---

9. Tu virum me.] Accusatio ab increpatione incipiens. Aut hominem deputas adeo esse?] Ἀὐθέντος perverfa. Adeo autem abundat. Virgil.

Tuque adeo , quem mox qua sint habitura Deorum

Concilia incertum est. ---

10. Nam si virum vis horum.] Vir aut homo. Mulier , unquam tibi visus forem.] Acerbe Mulier : ut supra , Tu , inquam , Mulier , me qua omnino lapidem , non hominem putas.

11. Quibus?] Callide mulier , & quasi nullius quippe conscia? Quibus dixit : Et Quibus , factis scilicet. At rogitas?] Bene irascitur interroganti ; Nam interrogare quæ sciat , impudentiæ est.

12. Peperit filia?] Propositio criminis. Hem! taces?] Non Taces nunc : sed Taces , celas. Ex quo?] Bene Ex quo , quia argumentum impudicitix est puerperium taciturnum. Istuc patrem.] Mira calliditas. Rea mulier hoc solo defenditur , quod accusat. Istuc patrem rogare est æquum?] Ex sua interrogatione accusavit accusatorem.

13. Perit , ex quo censes.] Mire additum ad effectum Perit. Nisi ex illo , cui data.] A verisimili argumentum. Nisi ex illo , cui data est nuptum?] Solutio criminis per fiduciam respondentis. Sallustius , Ita fiducia , quam argumentis purgator es.

14. Credo , neque adeo arbitrari.] Ab accusatione maritus ad defensionem sui conversus , omisit quod cœperat. Sed esse

miron quid sit.] Mollior factus , jam non irascitur , sed miratur. Adeo vides Phidippum nulla re alia , quam mulieris correptione lenitum. Demiror.] Valdemiror : quod minus est quam irascor. 15. Quamobrem tantopere.] Alia intentio criminis. Omnes nos celare volueris.] Antiqua locutio. Illam rem celo te.

16. Præsertim quum & recte , & tempore suo pepererit.] Vide , duæ causæ sunt celandi partus , si non tempore suo venerit , quod indicium stupri est : & si non recte venerit : hoc est , monstri aliquid natum fuerit. Hic autem & tempore suo , & recte natum prædicat. Præsertim quum & recte.] Attulit mulieri compendium credulitas senis semel correpti , ne aliter suspiceretur. Præsertim quum & recte , & tempore suo.] Recte , ad illud pertinet , Quod non monitrum peperit. Tempore suo , ad spatium , quo prægnantes esse consueverunt , id est , ad mensium dinumerationem : quia & septimo mense nasci solent.

17. Adeo pervicaci esse animo.] Invenio. Adeo pervicaci esse.] Pervicax est perseverans cum quadam vi. Vt puerum praoptares perire.] Ab ætate infantis , invidia.

18. Ex quo firmiorem inter nos fore amicitiam posthac scires.] Ab accidentibus , Invidia. Et bene additur Scires : quia imprudentia in delicto veniam frequenter extorsit.

19. Potius , quam adversum animi tui libidinem.] A voluntate peccantis , invidia. Animi tui libidinem dixit , ut minima causa magnis sceleribus subjecta esset. Effet cum illo nupta.] Antiqui non Illi nupta : sed , Cum illo nupta. Ergo ambo sibi invicem nubunt.

20. Ego etiam illorum esse hanc culpam.] Bene , Etiam illorum ; non enim hoc se errasse ait , quod illorum putaverit culpam , quæ minor est : sed , Etiam illorum : ut commune peccatum fuerit , sed nunc quidem totum credit esse Myrrhinæ. An Etiam , pro Adhuc , ut major sit dolor , qui nec opinanti acciderit.

21. Utinam sciam ita esse istuc.] Te miseram esse. Alibi , Miserum quem minus credere est. Et erit sensus , Utinam vere sis misera. Utinam sciam ita esse

istuc.] Hoc quidam sic accipiunt , quasi Phidippus dicat , penes te culpa est , quam illorum esse credebam : & utinam quod credo , penes te esse culpam , ita non esse certo sciam , quia dixit , se miseram : & miseros non nisi innocentes dicimus. Ille enim hoc responderet : Utinam in hoc negotio miseram te , non scelestam reperiam. Sic Sallustius , Atque ea cogentes , non coactos : scelestos magis , quam miseros distringi. Et ideo sequitur , Sed nunc mihi in mentem venit. Argumentum ex antecedentibus dictis & factis. Nunc mihi in mentem venit.] Recte Nunc : quasi alias nihil suspicanti.

22. Quod locuta es olim.] Pro Ante. Quum illum generum cepimus.] Ut Arbitrum capere dicimus , id est , eligere. & cum laude locutus est Pamphili. Cepimus.] Elegimus. Virgilius ,
Ante locum capies oculis. ---

24. Cum eo.] Viro. Qui meretricem amaret : qui pernoctaret foris.] Non in hoc est accusatio , quod hæc locuta sit : sed argumentum est , quod celare voluerit partum , quæ hoc olim dixerit. Qui pernoctaret.] Propter illud quod dixerat , Quid interea? ibatne ad Bacchidem? Quotidie. Et nota , familiariter hoc verbum poni à Terentio. Sic in Adelphis , Sed se hic pernocto , cause quid dicam , Syre?

25. Quamvis causam.] Hoc propter spectatorem dicitur , ut gestorum meminerit. Quam ipsam veram.] Quia sola ex omnibus defendi non potest.

26. Multo prius scivi , quam tu.] Bene pergit : quia taciturnitas pro confessione accepta est.

27. Verum id vitium.] Hoc intelligi non potest , nisi vitium : bis numero subaudieris. Adolescentia.] Melius dixit Adolescentia , quam Pamphili : ut quod in ætate fuerat , non timeret ingenio.

28. Nam id omnibus immatum est.] Amare in Adolescentia. At pol jam aderit , se quoque quum oderit.] Mire senectutem acculat senex , quum & velocem ostendit his verbis , Iam aderit : & addit , Se quoque oderit : quasi dicat , Non solum non amabit , sed & odio habebit : & non alienas mulieres modo , nec uxorem quoque , sed etiam se ipsum : Plus ergo illarum , quam ratio deposcebat : sed mire ad affectum senis exprimen-

dum. *Se quoque etiam quum oderit.*] Id est, ut poeniteat eum sui facti. Sed plus dixit, quam si diceret, *Facta sua.*

29. *Sed, ut olim te ostendisti.*] Quum superiora dicta sunt.

30. *Vt filiam ab eo abduceres.*] Vehementius dixit, quam si diceret, *Ut filiam ei non redderes. Neu, quod ego egissem, esset ratum.*] Quod ab eo abducis non bona focrus: quod filiam, non bona mater: quod irrita facis quæ gessi, non bona uxores, inquit.

31. *Nunc res indicium facit.*] Hoc est, quod celavisti partum. *Id nunc res.*] Quasi dixerit, *Vnde scio. Quo pacto factum volueris.*] Non solum quod fecit, sed etiam quod voluit, objicit. *Quo pacto factum volueris.*] Deest *Fieri.*

32. *Pervicacem.*] Per vim agentem, perniciosam me esse censet. *Cui.*] Deest *Et*, vel *Circa eam. Cui mater sem.*] Rursus à verisimili: an mater contra filiam faciat.

33. *Si ex usu esset nostro hoc matrimonium?*] Callide mulier, ex his quæ dixit senex, defensionem arripuit. Nam ille sic ait: *Negabis posse filiam tuam te pati cum eo, qui meretricem amaret, qui pernoctaret foris. Ex usu nostro.*] Modo, utile: si pro nostra esset utilitate.

34. *Tunc prospicere.*] A persona. *Aut judicare.*] *Prospicere* futura: *Judicare* presentia.

35. *Audisti ex aliquo fortasse.*] Ἐκ τινός satis & oratorie. *Aliquo.*] Non à certa persona. Bene *aliquo*: ademit iudicibus auctoritatem. *Qui vidisse eum diceret.*] Non *Qui vidisset.*

36. *Exeuntem, aut introentem.*] Sic *Cicero*, *Tibi autem Balbe respondebo: primum precario, si licet, si fas est defendi à me eum, qui in hortis fuerit, qui unguenta sumpserit, qui Baias viderit.* Non enim dixit, *Amplectentem amicam. Aut introentem.*] Σύνελκς prima. *In ludum ducere & reducere. Exeuntem aut introentem.*] Σύνελκς ἑξυγίας & mollis est quia iudicatur de sequentibus ad amicam, ἑξυγίας criminis, de consuetudine. *Quid tum postea.*] Ἰδιωτισμός, quo contemnimus crimina leviora.

37. *Si modeste.*] Adhibito modo: vel

certe cum pudore ac modestia, ut celatum voluerit. *Nonne ea dissimulare nos.*] Duobus modis feruntur peccata: vel ignoscendo, vel cohibendo. Modo *dissimulare*, est ignorantiam fingere.

38. *Magis humanum est.*] Bene, quia & illud humanum dissimulare, an magis humanum dissimulare: quia & irasci, & arguere humanum est? *Magis humanum.*] Nota, pro *Humanus*, Terentiano more. *Qui nos oderit.*] *Qui*, unde vel quamobrem. Et recte, nemo enim dolens quod non ametur, id facit quo magis odio sit.

39. *Nam si is posset ab ea sese de repente avellere.*] Oratorie non contentus defendisse Pamphilum, hoc ipso illum, quo accusatus est, laudat. *De repente.*] Una pars orationis est.

40. *Quicum tot consueisset annos.*] Laudat ubique eos *Terentius*, qui consuetudine vincuntur. Et alibi, *Hic parva consuetudinis causa, huius mortem tam fert familiariter.* Et mox, *Vt neque me consuetudo, neque amor, neque pudor commoveat, neque commoneat, ut servem fidem?* Ergo ferus, quem longa consuetudo non commovet. *Quicum tot consueisset annos.*] Non *Quicum*, sed *Quicum*: ut *A* quibus, & non *A* quis. Et *Consueisset* proprie dicitur in stupro. *Non enim hominem ducere.*] Non solum, inquit, homo non esset, id quod forsitan nihil nostra intererat: sed quod nobis maximum est, vir stabilis filiae esse non posset. *Non enim hominem ducere. nec virum satis firmum gnata.*] Potest & sic intelligi, Non enim hominem ducere, qui consuetudinem longi temporis temere abrumperet.

41. *Nec virum.*] *Vir* modo maritus, *Nec virum satis firmum gnata.*] Quem res veneræ non moverent, nam *firmum* etiam hoc possumus intelligere, validum in officio coitus. Sic *Horatius*,

---- *Fortique marito*

Destinet uxorem. ---

Mute adolescentem, obsecro.] His verbis solemus commentitia argumenta contemnere: ut,

Miser cordia, animus maternus: sivo. Et alibi,

Mitto omnia. Adde istuc, Imprudens tui munit adolescens: sivo, tu servus.

Mitte adolescentem.] Etenim ille dixerat:

Verum id vitium nunquam decrevi esse ego adolescentia.

Ad eon pervicaci esse animo, ut puerum propterea perire

potius, quam adversus animi tui lubricitatem esset cum illo nupta?

42. *Et qua me peccasse ais, abi: solus solum conveni.*] Recte hæc dicit mulier, utpote memor quod cum Pamphilo sit locuta. Et *solus solum* ideo quia metuit, ne orata sua non servet Pamphilus, & ideo multi sciant.

43. *Roga, velirne uxorem, an non.*] Verba quibus cum Pamphilo loquatur loquer: ne si aliter agat, respondeatur à genero.

44. *Recte consului meæ.*] Illum, inquit, nolle, signum erit me providisse filia.

45. *Siquidem ille ipse non vult, & tu sensit.*] Animadvertendum, quemadmodum omnia, quibus se defenderit Myrrha, in malam partem accipit Phidippus: & hinc magis accusat, unde illa se purgat.

46. *Cujus consilio ea par fuerat prospici.*] Non dixit, *cujus consilio repudium daretur Pamphilo*, ita ad bonum omnia exitum spectant.

47. *Esse ausum facere hæc te injussu meo.*] Abducere filiam, celare partum, exponere puerum.

48. *Interdico.*] Inter *Edico* & *Interdico*, hoc interest: *Edicimus*, quod jubemus fieri: *Interdicimus*, quod vetamus fieri: *Edicimus* etiam uni generi hominum. *Interdicimus* diversis. Itaque *Prætoris edicta* & *interdicta* dicuntur. *Interdico*, separatim dicendum legendumque: quia *Interdico* ne velis, non est integrum. *Interdico* ne extulisse extra ades.] Id agitur, ne sub incerto intercipiatur puer, & tragœdia fiat ex comœdia.

49. *Meis dictis parere hanc qui postulem.*] Demonstrative & accusatorie dicit *Hanc*, quasi tam contumacem. *Hanc qui postulem.*] Quid est *Hanc*? utrum mulierem? an uxorem, an contumacem foeminam?

50. *Ibo intro.*] Sibi ipsi hoc dicit *πῶς ἰδωτισμός.* *Edicam servis, ne quoniam efferni simant.*] Ex hoc recte Poëta, quia ita opus est, ne compleat Myrrha, quod promissit de exponendo puero.

Ait enim, *Dein continuo exponetur.*

52. *Nam ut hic laturus hoc sit.*] Sic ostenditur causa, cur perpetuo celandum sit seni vitium virginis. *Nam ut hic.*] Quantum iracundiæ habiturus sit, quantum furoris: hoc enim significat *Vt*. Et simul Poëta, quod alibi obscure facit, hic aperte demonstrat, quod periculum sit in fabula, nisi καταστροφή succurrat.

53. *Non adepol clam me est.*] Id est, scio.

54. *Nec qua via sententia ejus possit mutari, scio.*] Nescio quo modo ex iracundo placidus fiat. *Sententia ejus.*] De puero non exponendo.

55. *Hoc mihi unum.*] Hoc adhuc, inquit, malum non mihi venerat, quoniam evenerint multa. Et vide, an *si puerum ut tollat cogit*, quasi cum gemitu & percontative pronuntiandum sit, etenim *si*, obscuram locutionem facit: nisi forte *cum*, vel quod significat, *Hoc mihi unum ex plurimis miseris reliquum fuerat malum.*] Ex omnibus malis reliquum quum dicat, maximum malum significat. Nam non mediocre est, quod omnium miseriarum est ultimum, & inter mala multa reliquum, quod sic accipimus. Possumus & nos interrogative pronuntiare.

56. *Puerum ut tollam cogit.*] Recte *Tollam*, quæstio, unde fit.

57. *Forma in tenebris nostri non quita est.*] Ab activo *Queo*, passivum fecit *Queor*, retinendo participium, *Quita est*, sed antique dixit.

58. *Neque detrahitum.*] Solet enim fieri.

59. *Ipse eripuit.*] Hic ad exitum spectat *παραστροφή*, quia per anulum fiet cognitio. *Ipse eripuit.*] E contrario, inquit, factum est, ipsa ut non eriperet, sed ipsi eriperetur.

60. *Simul vereor Pamphilum, ne orata nostra.*] Scilicet si sustulerimus cogente sene eum puerum, quem expositum iri Pamphilo paulo ante promissit.

61. *Quum sciet alienum puerum tolli pro suo.*] Non solum, inquit, tolli ægre feret alienum, verum etiam pro suo.

IN SCENAM SECUNDAM

ACTVS QVARTI.

Non clam me est, Gnate mi.] In hac scena velut qualitas negotialis in disputationem venit: iustumne sit repudiari conjugem causa matris, & omnino quid fieri debeat.

1. Non clam.] Vero ordine à purgatione sui incipit mater abitura: ne, quod discedit, iracundiæ videatur. Tibi me esse suspectam.] Id est, in suspicionem venisse.

2. Vxorem tuam propter meos mores hinc abisse.] Blandius Vxorem significat, quam si diceret Philumenam. Et Adores, proprium dicuntur: unde Senectus morosa, & Morosi homines, qui sui cuiusdam moris sunt. Etsi ea dissimulas sedulo.] Ea, id est, quæ scio: & Ea pro eam rem, sed absolute occurrit supra lata sententia, & genere neutro, & est ordo, Etsi ea dissimulas sedulo, non clam me est, &c.

3. Verum ita me DI ament.] Conjectura, quæ solvitur iurejurando. Itaque obtingant ex te.] Pro se jurat, & ita rem Pamphilo probat, ut blanda sit. Itaque.] Duæ partes orationis.

4. Numquam sciens commerui.] Bona exceptio: quia possumus aliquem inscienter laderet, quæ res ad veniam pertinet. Vt nunquam sciens.] Hic ordo est iurisjurandi, ut quum præposuerit Ita, sequatur ut. Cicero, Ita velim mihi Deos propitios, ut quum illius temporis mihi venit in mentem, &c. Merito ut caperet odium illa mei.] Bene dixit Merito: nam ut nos immerito quis non oderit, non est in nostra manu, hæc est exceptio. Plautus in Trinummo, Quin dicant, non est: merito ut ne dicant, id est. Merito ut caperet odium illa mei.] Id enim est culpa sine merito.

5. Teque ante quam me.] Deest Tam, ut sit ordo: Et quam te amare merebar, tantum firmasti fidem ei rei. Teque ante quam me amare rebar, ei rei firmasti fidem.] Ordo & sensus hic est, Et quod ante rebar, ei rei firmasti fidem meam: neque me fefellit, quod ante rebar, te me amare. nam ei rei hodie firmasti fidem, id

est, probationem attulisti.

6. Nam mihi intus tuus pater.] Dixit enim supra, Atque in eam hoc omne quod mihi egre est, evemam. potuit enim evomendo narrare, quod matrem filius præposuisset uxori. Tuus pater.] Familiaris, quam si diceret, Laches.

7. Præpositam amori tuo.] Plus dixit, Amori tuo, quam si Vxori tuæ, diceret.

8. Vt apud me præmium esse positum pietatis scias.] Laborat mulier, ne quod dictura est, odio aut dolore, aut certe ira facere videatur. Præmium esse positum pietatis.] Sic Virgilius,

Hic pietatis honos, sunt hic sua præmia laudi.

9. Mi Pamphile, hoc & vobis, & mea commodum.] Rem duram dictura, vide quantis præblanditur verbis, remque præmolliat, Nunc tibi me certum est contra gratiam. Contra nunc vicissim, Et mea commodum fama.] Ab honesto. Mi Pamphile, hoc & vobis & mea.] Principium hoc aliquid est, precantis fœminæ. A blandimento ergo incipit, ut libenter audiat.

10. Ego rus abituram hinc cum tuo me esse certo decrevi patre.] Certo dixit, ne sit dissuadendi locus. Cum tuo me esse certo decrevi.] Ad hoc addidit, Certo decrevi: ut non audeat dissuadere filiis.

11. Ne mea præsentia.] Non dixit jam Culpa, sed Præsentia.

12. Quid istuc consilii est.] Bene: quia illa Decrevi, dixerat.

13. Illius.] A persona. Stultitia.] A causa. Vicia.] Non enim volens. Vrbe.] A loco. Tu.] A persona. Habitatum.] A facto. Illius stultitia vicia, ex urbe tuus habitatum migres?] Vide quam oratorie omnia congeserit, à personis, à causis, à locis, à factis. Illius stultitia.] Ab utili. Mire autem, & Rus, & Ex Vrbe, & Habitatum, dixit.

14. Non facies: neque sinam.] Primo, Non facies: deinde, Si facere perseveraveris, non sinam. Et, non facies, non est interdicens, sed quasi dicat, Scio te non facturam rem tam pravam. Sunt autem qui neque sinam jungant anterioribus: sunt qui totum contexte legant, Non facies, usque Modestia, Vt qui nobis, mater, maledictum velit.] Ab honesto.

15. Mea

15. Mea pertinacia esse dicit factum.] Bene retinet, quum vult sua interesse ne fiat.

16. Tum tuas amicas te.] In dissuadendo commiscuit & honestatem & utilitatem.

17. Mea causa nolo.] Non est superbum Nolo: sed consuetudine dicitur. Nihil jam mihi istac res.] Contra omnia. Et ab ultimis incipit, Istac res.] Amicæ, cognatæ, dies festi.

18. Dum atatis tempus tulit.] Tulit, pro passum est, permisit. & in bonis enim, & in malis dicitur. Dum atatis tempus tulit, perfunctâ satis sum.] Si, inquit, meæ voluptatis causa exercenda sunt, jam non delectant: si officii ac religionis, jam non possum, quæ sim anus. Necessaria divisio: quia ille & religionem incusserat festorum dierum. Dum atatis tempus tulit.] Non, inquit, reprehendat, quæ quum potuerim, perfunctâ satis sum. Sic Virgilius,

Sat patria, Priamoque datum ---
Satias me jam tenet.] Nimis maternæ atque aniliter.

19. Hac mihi nunc cura est maxuma.] Hoc nimis serio pronuntiandum, & Ne cui odiose, ne Tibi diceret, Vt ne cui mea longinquitas atatis obstet.] Hoc ad numerum, expectationem ad filium refert, hinc enim odio digni parentes, Expectati appellantur.

20. Longinquitas atatis obstet mortemve expectet meam.] Quum sedulo agat socrus, ne quid per iracundiam statuisse videatur. Vide tamen ut intermiscetur indignatio, & multa dolore deprompta sint: quod Poëta non invitus facit, ad mores exprimendos, personasque reddendas.

21. Hic video me esse invisam immerito.] Quia rus decrevi pergere: non quasi numerum vitatura, sed locum, Et mire Invisam, & non addidit cui: sed dixit, Tempus est concedere. Quia anus sum? an quia nurus in domo? Omnes causas præcidam omnibus.] Bene Omnibus: ne specialiter læsisset nurum. Et generaliter dixit.

22. Et illis morem gesserō.] Mire Illis, non Nurus. Et Morem gesserō, acriter dictum: ut ostendat, hoc illos olim voluisse, ut expelleretur domo. ut si dicas,

inimicum tibi morem gessisse, quod se suspenderit.

24. Sine me obsecro effugere.] Quia dixerat maritus ejus, Omnes socrus oderunt nurus. Sine me obsecro hoc effugere.] Potentissimum est ad extorquendum aliquod argumentum, quum illis quibus chari esse debemus, nostra causa potius, quam illorum, dicimus velle nos, aut nolle quod facimus. Nam & Pamphilus supra sic dixit, Non facies, neque sinam. Quod male audit.] Supra dixit, ab honesto.

25. Absque una hac foret.] Absque, extra: ut sit adverbium magis, quam præpositio. & Vna, Res subaudienda, Et totum & ἑκὼν εἶσι, statimque jungendum, Hanc matrem habestalem, illam autem uxorem. Vel certe, Absque foret, pro abesset. Alii Hac, de uxore dici putant, ut Absque, sit præpositio.

27. Non tute incommodam rem, ut quæque est, in animum inducas patri. Horat.

Durum, sed levius sit patientia.

Quidquid corrigere est nefas.

28. Si cetera sunt.] Bene Cetera, absque uno dicenti. Itaque ut esse ego illam existimo.] Quia potuit dici ei, O socrus, ergo dubitas de integritate nurus: addidit, Itaque ut esse ego illam existimo.

29. Da veniam hanc mihi.] Mihi, propter quam putas non reducendam, Va misero mihi!] Nec negat, nec promittit: sed intumescit, utpote qui penitus dolore commotus, æstum animi dissimulare jam non potest. Va misero mihi.] Nihil potuit pro rerum qualitate respondere, nisi ut ingemisceret.

30. Et mihi quidem.] Ἄχθος. quid enim, Et mihi? an ei? multa sic in usu nostro sunt.

IN SCENAM TERTIAM

ACTVS QVARTI.

1. **Q**uem cum istoc sermonem habueris.] In hoc colloquio reconciliatio senum est post iurgium, mista disputatione Pamphili de non reducenda. Procul.] Procul, nunc prope, Hinc stans accipi, uxor.] Accipi, audiui. Et modo, Vxor, ante Mulier: & de uxore, DI malaprohibeant.

S S ff

2. *Istuc est sapere.*] *Tò Istuc*, exceptivè dictum: quasi cetera stulte fecerit, & simul stomachum retinet, quo reprehendat cetera. *Qui, ubicunque opus sit.*] *Qui pro qua*, interdum abundat. *Animum possis flectere.*] Modo non alienum animum, sed suum flectere, & unde flectere? à jurgio ad modestiam, ex concessione ex domo. *Animum flectere.*] Ad hoc *Flectere animum* dixit, ut ostenderet, ne nunc quidem purgaram apud se Soltratum de praterita culpa.

3. *Quod faciendum sit post fortasse.*] Hæc etiam sententia videri potest generalis: & deest *ad id*: ut sit; flectere ad id quod faciendum. Potest & absolute accipi *Quod*, pro, quæ res facienda sit. *Quod faciendum sit post fortasse.*] Id est, concedendum, & vim necessitatis hoc verbum exprimit.

4. *Fors suat pol.*] *Fortuna faveat*: quasi τὸ εὐφροσύνη adversus triste dictum uia est, nam Fors fortuna bona est, Et *Fuat*, *fit* significat, dixerat enim ille, *Quod faciendum sit fortasse.* *Fors suat pol.*] Id est, bona eveniat, quasi τὸ εὐφροσύνη dicat, Bona dicito potius. An bona fortuna sit per Pollucem? *Abi rus.*] Hortantis est ad celeritatem, *Virgilius*:
Ergo age, chare pater, cervici imponere nostræ.

Ibi ego te, & tu me feres.] Non dixit, Ibi nos invicem delectabimus: sed quia senex atque anus est, *Ego te, & tu me feres*, dixit, Et simul, quia nuper incusaverat mores senum, revocare vult causam abscissionis suæ & ad filii culpam aut nurus. *Ibi ego te, & tu me feres.*] Aut quia noti inter nos sunt mores nostri: aut quia utrique una ætas est, & sic pronuntia, quasi hoc ipsum necessitate decernat senex, cum dicit *Abi rus.* Ergo hinc; *Ibi ego te, & tu me feres*, ipsa pronuntiatio querelam continet de filiis & senectute.

5. *Spero ecastor.*] Mire non confirmavit mulier, sed sperare se dixit, memor jurgii pristini, & senilis amaritudinis: maxime quod & ille non dixit, Ibi nobis jucunde erit: sed, *Ibi ego te, & tu me feres.* I ergo intro, & compone qua simul tecum ferantur.] Καμικὸν χερατῆρ, & ulu quotidiano, satisque moraliter:

quia *Mulieres dum moluntur, & dum comuntur annus est.*

6. *Dixi.*] Denuntiatio est confirmanda sententiæ, nec mutanda: & translata est de foro & causidicis. *Cicero*: *præco dixisse pronuntiat.* *Dixi.*] Hoc verbum in fine additum superiora confirmat: & est proprium his, qui peroraverunt causam. *Pater.*] Ipsum nomen dehortationem significat, adjecta pronuntiatione. *Pater.*] Sic pronuntia, ut hoc vultuose dictum sit, *Hinc abire matrem.*

7. *Quid vis, Pamphile?*] Facete præsto *Quid vis*, respondit. *Quid ita istuc vis?*] Rem supra audivit & personam; nunc causam quærit, quasi dicat, *Esse ut nolis: quid tantopere non vis?*

8. *Incertus sum etiam quid sim factururus.*] Non, *quid faciam*, dixit: sed *Quid sim factururus*: ut incerta molimina etiam verbis posset ostendere. *Quid est?*] Et *Quid ita istuc vis, & Quod est*, eo vultu pronuntiantur, ut consilium ejus & verba videatur contemnere pater.

9. *Quid vis facere, nisi reducere?*] Sic loquitur Laches, ut aliud Pamphilus respondere non audeat, & ideo dicit, *E quidem cupio, & vix contineor*: ut reducam scilicet. Adeo magna causa est non reducendi ut cum velim, non possim.

10. *Sed non minusam meum consilium.*] Cautè satis, reducendi inquit cupiditas est, non reducendi consilium, *Id persequar.*] Non *sequar*, sed *persequar* ait, ut constantiam demonstraret.

11. *Credo ea gratia concordēs magis.*] Sententiose dixit, tunc posse inter se congruere & concordare mulieres, quum senia esse deserit focrus, & illa nurus, hæc enim inter illas est dissidiosa conjunctio. Et satis ingeniose dictum. Tolle enim inter mulieres proximitatem, & nulla causa discordiæ est, *Concordēs magis.*] Non magis concordēs, verum pro minus discordibus dixit, an ut ferviret sententiæ.

12. *Nescias.*] Utrum concordēs futuræ sint, an discordēs, *Verum id inha refert nihil.*] Hoc verbum ex aliqua parte confirmantis est & consentientis, *Vtrum illa fecerint.*] Utrum consentientes sint, aut dissentientes, *Vtrum.*] Unam de duobus significat.

13. *Odiōsa hæc est ætas adolescentulis.*] Supra in personam focrus culpam iratus contulerat discordiæ: nunc & uxori placatus, & nurui parcens, odiorum causam à personis, transtulit ad ætates: sed ita tamen, ut magis juniores accusaret, ej de adolescentibus questus, quum miseratur senes. *Odiōsa hæc est ætas.*] Hæc, cum gemitu pronuntiandum est.

14. *E medio æquum est excedere.*] Utrum ex urbe rus, an ex vita in mortem. Et satis moraliter, nam in *Medio stare* dicitur supervacuum vel molestus. Et cum stomacho dixit senili.

15. *Senex atque anus.*] Hæc duo nomina, ut posita sunt, caput indicant & inceptionem hujusmodi fabularum, *Iam nos fabula sumus, senex atque anus.*] Pronuntia *Senex, atque anus*, quasi initium fabulæ, τὸ ἰδιωτικὸν additum, *Pamphile.*

tempore tibi, id est, & mihi & tibi commode evenisti.

5. *In ipso tempore ostendis.*] Ostenditur nobis id quod quærebamus, *Opportune, & in ipso tempore*, non est idem, Etenim *Opportune* dicimus, quum, verbigratia, invitati ad ipsum tempus incipientis prandii venimus: *In ipso tempore*, cum jam prandio apposito.

6. *Aut quo pacto hoc aperiam?*] Hoc modo ostendit, nec esse quod simulet: nec id quod verum est, dicendum sibi esse.

7. *Dic filia rus concessuram Soltratum.*] Blande non addidit *Tua*: quasi dicat communi filia. Et bene, non solum, sed Soltratum.

8. *Ne revereatur.*] Bene *revereatur*: ne odisse Soltratum, sed metuere videatur: & quasi ipsa focrus non odium meruerit, sed reverentiam, *Adinus jam quo redeat domum.*] Τῆσσις cum ἀναστροφῆ. ut sit ordo, Quo minus redeat.

9. *Nullam de his rebus culpam.*] Relatio criminis potest videri, *Tua.*] Deest uxor: quod nomen inferius posuit, *Tua.*] Cum percussione audiendum est, ut subaudiatur uxor, ab eo quod dicturus est uxore.

11. *Mutatio fit.*] Mutationem, suspicionem dicit, erroremque jurgantium, *Mutatio.*] Deest quarum rerum mutatio, ergo mutatio criminum, aut culpæ. *Mutatio fit.*] Criminis scilicet & peccati, id est, vel mea uxor crimen tuæ sustinet: vel tua ad meam translata est culpam. *Ea nos perturbat, Laches.*] *Ea*: non ea mutatio, sed uxor, hoc est, Myrshina.

12. *Dum ne reducam, turbent porro.*] Quomodo est pius erga matrem Pamphilus, si parvi facit, utrum focrus sua perturbetur? an mater à senibus? Solvitur sic: quia *Quam*, non est generis fœminini, sed est, *Quantum*. *Turbent*, errent & tumultuentur, significat: vel turbentur, *Turbent porro quam velint.*] Quantum velint: aut eam, quam velint, mulierem, sed melius est quod supra diximus.

13. *Ego, Pamphile.*] Hoc pronomen initium continet orationis graviter inceptæ: ut, *Ego postquam emi te à parvulo.*

IN SCENAM QUARTAM

ACTVS QVARTI.

Tibi quoque adepol.] In hac scena ultimus error est vicinus τὸ πᾶσις.

1. *Tibi quoque adepol sum iratus.*] Quasi dicat, Non solum matri tuæ, aut etiam focru tuæ, *Tibi quoque adepol.*] Recte: nam & amicos incusamus leniter incipientes, & graviora inferentes. Hanc ergo partus causa leniter incusat: deinde confirmat, inferendo, *Graviter quidem*, & statim causam subjungit, cur quidem ei irascatur.

2. *Factum est turpiter.*] Quod absceritit domo mariti.

3. *Ei sit tibi causa est de hac re.*] *Causam* more suo pro defensione posuit. Sic in Phormione, *Quid mihi dicent, aut quam causam reperient, demiror.* Et quæ causa fuerit, ipse dicit, *Mater te impulit, Mater te impulit*, absolute: deest enim *nam*, ut sit, Nam mater te impulit, *Mater te impulit.*] Qualitas remota.

4. *Huic vero.*] Ipsi matri scilicet, *Opportune te mihi Phidippe in ipso tempore.*] Utrum τὸ ἰδιωτικὸν est? an *Opportune*, quia volebam: & in tempore, quomodo volebam? an, *Opportune*, mihi: *In ipso*

Si fieri potest, Interposuit, ut supercilium loceri demonstraret. *Si fieri potest.* Recte additum, *Si fieri potest*: quia non convenit rogari à focero generum, ut supra dixit.

14. *Hanc sane perpetuam volo.* Jam enim est confirmata: sed perpetuam cupit.

15. *Sin est, ut aliter tua fiet sententia.* Τὸ ἐναντιοῦσθαι vitavit illud quod est ominosum, ne dissidium diceret, ut *Virgilius*.

--- Gravior ne nuncius aures

Verberet, ---

16. *Accipias puerum.* Jure, quia liberi patrem sequuntur. Et mire hoc maxime adjecit, quod maxime recusat Pamphilus: & propter quod uxor quoque non reducitur. Et *Accipias*, pro accipe: ut *Quiescas*, pro quiesce. *Sensit peperisse. Occidi.* Hoc maxime inopinatum est Pamphilo: quia focrus promiserat omnes ignoraturos. *Sensit.* Proprie sic.

17. *Puerum! quem puerum?* Moraliter primo dubitat quid audierit: deinde quasi certus quid audierit, admiratur, dicendo *Quem puerum? Puerum! quem puerum?* Bene cum consternatione animi: quod nunquam fando acceperat. *Natus est nobis.* Bene, quia ambo avi.

18. *Nam abducta à vobis.* Bene, non *Abierat*, sed *Abducta fuerat*: ut magis sit culpa matris. *A vobis.* Pro, a Pamphilo. *Nam abducta à vobis pragnans fuerat.* Hoc totum cum indignatione in uxorem pronuntiandum est.

19. *Neque fuisse pragnantem.* Pragnans est ante gnatum, vel ante genetricem: est enim *Pro*, ante.

20. *Bene, ita me Di ament.* Agit gratias nuntianti: gratulatur ob susceptum nepotem: gaudet liberatam nurum.

21. *Natum illum, & tibi illam salvam.* Proprium affectum refert, sibi nepotem, illi filiam esse servatam. Et *tibi illam salvam.* Recte *Tibi*, quia pater puerperæ est cui dicit. *Sed quid mulieris uxorem habes?* *Quid mulieris*, dixit: ne diceret, qualem mulierem, aut aliquid gravius. Et totum percunctative potius, quam pronuntiaret, & diceret, *Pessimam mulierem*, & male mo-

ratam uxorem habes. Et reprehensio est cum contemptu. sic &, *Quid hominis?* ut *Virgilius*,

Tu mihi quodcumque hoc regni, ---

At contra cum honore sic dicimus, *Quem hominem habes? Moratam.* Id est, institutam. & est participium sine verbo.

23. *Nosne hoc celatos.* Non partum celatos dicit: sed pragnantem filiam fuisse. *Nequeo satis, &c. proloqui.* Magna exaggeratio.

24. *Quam hoc mihi videtur factum prave.* Totum modeste, quamvis indigne: quia apud maritum uxor non est vehementius accusanda. *Quam hoc mihi.* Quod pragnans fuerit filia: non quod natus est puer.

25. *Non tibi illud factum minus placet, quam mihi, Laches.* Utrum quia minus & magis, quoniam sequitur * an *εἰπαμένα* est? ut sit ordo, Non minus mihi placet, quam tibi. Et placet, pro displicet intelligamus: ut alibi, *Nunc me hospitem lites sequi, &c.*

atque utile, aliorum exempla commonent, Non tibi illud factum. Sub *εἰρωμένη* est dictum, hoc enim ait, Tantundem tibi placet hoc factum, quam mihi. Alibi, *Nunc me hospitem lites sequi, &c.*

27. *Quum eam consequitur alienus puer.* Alienus: quod feniles gratulantur, id maxime lædit Pamphilum. *Consequitur alienus puer.* Μεταφορὰ à pecoribus, quæ ut mox nata fuerint, matres sequuntur. *Virgilius*,

Atque ipsæ memores redeunt in teeta, suosque

Deducunt, ---

28. *Nulla tibi Pamphile hic jam consiliatio est.* De reducenda scilicet uxore.

29. *Perii!* Hoc sibi ipse Pamphilus dicit.

30. *Cum ex te esset aliquis qui te appellaret patrem.* Bene hoc putavit, quod Pamphilo non videtur: hoc est, ex illo esse quod natum est.

31. *Evenit.* Proprie *Evenit*, ideo & bonorum eventus dicitur. *Nullus sum!* Ipse sibi iterum hoc ulterius est, quam *perii*: quia quum aliquis perit, reliquum vel cadaver est.

32. *Ac noli adversari mihi.* Causam

interposuit senex, quo magis facere filius non recuset.

33. *Si ex me illa liberos vellet sibi.* Ut apparet, tantum commentus est causam. *Si ex me illa liberos vellet sibi.* Nactus est Pamphilus ex verbis senis causam aliam dissidii.

34. *Aut se esse mecum nuptam.* *Vultu Mecum nuptam*, dixit. Et recte: quia partus confirmat nuptias. Et melius, *Nuptam mecum*: quasi rectam & operatam uno cubiculo mecum. *Nubere* enim, est operari tegique: unde & *Nubes*, quod tegere solent cœlum, dicuntur. *Virgilius*,

Arsuraque comas obnubit amictu.

35. *Non me clam haberet.* Id est, non tacuisset, partumque celasset. *Quod celasse intelligo.* Non dixit, natum filium: ne interposito affectu molliretur iratus.

36. *Nunc quum ejus alienum esse à me animum sentiam.* A presenti tempore.

37. *Nec conventurum.* A futuro.

38. *Quamobrem reducam?* Firmior conclusio facta est per interrogationem, quam si esset pronuntiativa. *Mater quod suasti sua.* A derivatione causæ defensionis: & præterea status est venialis, ab imprudentia descendens. *Sua.* Pro *ejus*: ut,

Namque suam patriam antiquam cinis ater habebat,

39. *Adolescens mulier fecit.* Multa dixit: & *Mater sua*, & *Adolescens mulier*. & quasi docet hoc exemplo, parendum patri esse. *Mirandumne id est.* Bene *Mirandum*, non *Irascendum*, dixit. *Miramur* enim magis si amici peccaverint, quam irascimur.

40. *Reperire ullam mulierem:* Quasi dicat, si hanc repudiaveris.

41. *An quia non delinquunt viri?* *Εἰρωμένη* dictum: non enim non delinquunt.

42. *Vosmet videte jam, Laches, & tu Pamphile.* Nec rogare focerum, nec interesse convenit, ubi certior sit ad repudiandum gener. *Vosmet videte jam, Laches.* *Virgilius*,

Vos, ô Calliope, precor, aspirate canenti.

43. *Remissam opus sit vobis, an reducant domum.* In veris codicibus sic est, *Remissam, an reducant*: ut sit *Remissam, an reducant*.

44. *Vxor quid faciat, in manu non est mea.* Ordo, uxor mea quid faciat, in manu non est: deest *ejus*, ut sit, in manu ejus non est: sed in mea potestate positum est. *In manu non est.* Uxoris scilicet. Et est ordo, uxor mea quid faciat, in manu ejus non est.

45. *Neutra in re vobis difficultas.* Pro-mittit facilitatem suam: ut tamen uxor roganda sit. An aliter, & ut supra annotavimus.

46. *Sed quid faciemus puero?* *Quid me fiet, & Quid fiet mihi dicitur, Sed quid faciemus puero?* *Qui* utique quicquid erit, patri reddendus est. *Ridicule rogas.* *Ridicule*, vel adverbium esse potest, vel nomen: si nomen est, subdistingue *ridicule*: & sic interroga, cum vi pronuntiationis.

47. *Huic reddas.* Pamphilo scilicet. *Huic suum reddas scilicet.* Sic dixit, *Huic suum, & Reddas*; quasi reposcat Pamphilus. Et non subjunxit, *ut alat*, sed, *ut alamus*: ut sua quoque interesse monstraret.

48. *Ut alamus nostrum.* Scilicet Pamphili filium, nepotem meum, utrumque nostrum. *Quem ipse neglexit.* Si *Ipsa* legeris, clare dictum est: si *Ipsa*, lenius est, & videbitur senex ob murmurationem ejus intellexisse, quod nolit puerum tolli: & ideo adpositum, *Quid dixisti? eho! an non alemus, Pamphile? Quem ipse neglexit.* Legitur & *Ipsa*, & hoc est melius: ut sit *Pater* vocativus casus. *Quem ipsa neglexit, pater, ego alam?* Hic sibi obmurmurans, vultu & verbis ostendit nolle suscipere filium.

49. *An non alemus, Pamphile?* Quod faciendum sit, à contrario vult senex pronuntiatione demonstrare, quod scelus sit non fecisse.

50. *Prodemus quaso potius?* Deseremus, projiciemus, porro dabimus. *Virgilius*,

--- *Vnius ob iram*

Prodimur. ---

Nam à quo defendendi sumus, si nos deserit pater.

51. *Enim vero prorsus jam tacere.* Multa reticentia de filiorum vitiis, & defensione quoque apud foceros uti parentes, sæpe Terentius demonstravit, & precipue in Andria, quum dicit, *Ego illud se-*

dulo negare factum, ille instat factum. *Iam tacere non queo.*] *Quamvis* tacendum sit.

53. *Ignarum censes tuarum lacrumarum esse me?*] Conjectura quod amet meretricem Pamphilus. *Ignarum tuarum lacrumarum esse me?*] Apparet illum à Soltrata hoc audivisse, nam ipsa filium reprehenderat flentem.

54. *Sollicitere.*] Perturberis, commoveare. *Ad hunc modum.*] Id est, Immoderate.

55. *Primum, hanc ubi dixi causam.*] A summo ad imum.

59. *Nactus alteram es.*] *Nancisci* proprie dicitur qui paratus ad tenendum, ante quam possit reperire quod teneat, statim, quod occurrerit,prehendit.

61. *Aliquando tandem huc animum ut adjungas tuum.*] *Mire* est temporis invectionio: Et *aliquando tandem ut adjungas, deest fac:* sed plenum pronuntiatione est.

62. *Quam longum spacium.*] Ab ante actis.

63. *Sumptus, quos fecisti in eam.*] Recte hoc dixit: quia impetrabilior esse debet indulgentissimus pater. ut alibi, *Tum patris pudor, qui me tam leni passus est animo usque adhuc, Qua mecumque animo libitum est facere: cine ego ut adverter?*

64. *Egi atque oravi.*] *Agit*, qui justam rem dicit: *Orat*, qui animo demisso precatur, ut quasi beneficium præstetur sibi.

65. *Tempus dixi esse.*] *Tempus*: quia diu multumque sustinuit. *Impulsu duxisti meo.*] Multum valet ad suadendum laudatio ejus, apud quem agimus: & ex ea parte laudatio, qua illum volumus infecti.

66. *Qua tum, obsecutus mihi, fecisti, ut decuerat.*] Ordo, *Quæ* fecisti tum obsecutus mihi, ut decuerat.] *Qua tum obsecutus mihi, fecisti.*] Juvenerit satis, quia non dixit, Multum amans.

67. *Nunc animum rursus ad meretricem.*] Hoc vultuose & demisso labro: ut appareat in vitum adduci ad reprehendendum, qui laudaverit modo.

68. *Cui tu obsecutus.*] O meretricis superbiam non ferendam! *Facis huic.*] Scilicet uxori.

69. *Nam in eandem vitam.*] *Parcius vitam* dixit, quam flagitium atque libidinem. *Te revolutum denovo.*] Non *Redisse*, sed *Revolutum esse*: tanquam invitum aut nescium. relinquit enim quandam veniam, ut velit esse correctior.

70. *Mene?*] Hoc genus interrogationis negativam habet significationem. *Et facis injuriam.*] Pro, *facis injuste.*

72. *Vt cum illa vivas.*] Gravius est cum meretrice vivere, quam meretricem amare. *Testem hanc quum abs te amoveris.*] Laudata est hic uxor modesta, quum illam testem, non impedtricem appellet focer.

73. *Sensique adeo uxor.*] Aliud argumentum, quo vult in Pamphilum referre, non solum illius, sed etiam uxoris culpam. Et hic vide non accusari focrum.

74. *Plane hic divinat.*] *Divinat* dixit, pro verum dixit, & nota *Divinat*, de præterito dictum. Unde proverbium, *Aiunt divinare sapientem.* quia qui dicit verum, divinus est.

75. *Dabo jusjurandum.*] Ubi argumenta & testimonia deficiunt, ibi jurando opus est: & id est *ἀπὸ τοῦ νόμου*.

